CONCERTATIO ECCLESIAE CATHOLICÆ IN ANGLIA ADVERSVS CALVINOPAPISTAS ET PVRITANOS

ſub Elizabetha Regina quorundam hominum doctrina & ſanctitate illuſtrium renouata.

AC NVNC DENVO CENTVM ET EO AMPLIVS MARTYRVM, SEXCENTORVMQVE

inſignium virorum rebus geſtis varijsq́; certaminibus, lapſorum Palinodijs, nouis perſecutorum edictis, ac doctiſsimis Catholicorum de Anglicano ſeu muliebri Pontificatu, ac Romani Pontificis in Principes Chriſtianos auctoritate; diſputationibus & defenſionibus aucta, & in tres partes diuiſa.

Auguſt. lib. 1. de Symbolo. cap. 5.

Ipſa eſt Eccleſia ſancta, Eccleſia vna, Eccleſia vera, Eccleſia Catholica, contra omnes hæreſes pugnans, pugnare poteſt, expugnari tamē non poteſt. Hæreſes omnes de illa exierunt, tanquàm ſarmenta inutilia de vite præciſa; ipſa autem manet in radice ſua, portæ inferi non vincent eam.




15 

89.

AVGVSTAE TREVIRORVM

Excudebat Henricus Bock. Anno 1589.

CVM GRATIA ET PRIVILEGIO.



COPIÆ QVIBVS ECCLESIA CATHOLICA IN ANGLIA SVB ELIZABETHAE DVrissimo regno fieta hanc sacram concertationem sanguinis, libertatis, fortunarum amissione & exilij perpessione tolerauit.

Ecclesiastici

CARDINALIS vnus.	
Archiepiscopi tres martyres.	
Episcopi consecrati 14. martyres.	
Episcopi electi.	3.
Abbas vnus.	
Priores religiosorum conuentuum.	4.
Conuentus integri.	4.
Decani Ecclesiarum Cathedralium.	13.
Archidiaconi.	14.
Canonici Cathedralium Ecclesiarum supra	60.
Sacerdotes maxima ex parte illustri aut nobili loco nati.	350.

Academici.

Rectores Collegiorum.	15.
Doctores Theologiæ.	45.
Licentiati Theologiæ.	12.
Doctores iuris	15.
Doctores Medicinæ	8.
Ludimagistri.	8.
Magistri Musices.	3.

Sæculares.

Serenifs. Regina Scotiæ Martyr.	
Comites.	8.
Barones.	8.
Equestris ordinis clari viri.	20.
Nobiles supra	220.
Laici inferioris ordinis plurimi.	

Fœminæ.

Anna Somersceta Comitissa Northumbriæ.	
Aliorum ordinum supra	100.
Ex his omnibus mortem pro veritate passi & coronam martyrij consecuti sunt.	110.

Regia lex Christi, regali ex sanguine testem,
Pontifices, Comites, Presbyterosq; citat.
Sordida Caluini, Lenonum sordida testes
Agmina, fœdifragos, sacrilegosq; citat.

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO D. IOANNI ARCHIEPISCOPO TREVERENSI, SACRI ROMANI IMPERII PER GALliam & Regnum Arelatense Archicancellario Principi Electori, Domino suo obseruantissimo.



NNVS iam quartus agitur, Reuerendissime ac Illustrissime Princeps, ex quo Concertatio, quam in Anglia fortissimi ciues pro communis patriæ salute, ac matris Ecclesiæ vindicanda asserendaq; dignitate susceperunt, lucem primùm aspicere, & hominum oculis omnium patere cœpit. Quo quidem in libro quasi verissimis expressam lineamentis cernere licuit diuinam illam æternamq; consignatam memoriæ sanctorum Martyrum fortitudinem æquè atq; inuictam in perpetiẽdis cruciatibus constantiam: tum verò incredibilem quoq; & perpetuam quandam in propugnanda atq; retinenda Sedis Apostolicæ ac Pontificij nominis maiestate, animi non magis quàm corporis afflictationem.

Præter hæc item neque minùs euidenter eluxit, quænam consilia, studia, fraudes, artesq; semper extiterint omnium eorum, qui hostis humani generis sempiterni furijs instincti, ad horum omninò frangendam virtutem, ac labefactandam industriam, tot ergastula, tot neruos, adeoq; his sæuiora multò suppliciorum genera excogitarunt, eaq; tanquàm machinas quasdam admouerunt, quibus singulorum oppugnata atque elisa virtute, vniuersam denique corporis compagem subuerterent, atque de statu suo cum ingenti Catholicæ Ecclesiæ strage deturbarent. Quæ quidem ad hunc modum ob oculos proposita, & cum auspicata nominis tui inscriptione, Princeps clarissime, in lucem emissa, tàm propensa bonorum omnium voluntate excepta sunt, vt seu præstantium tuarum virtutum desiderio, seu viuis & animatis quæ hîc proponuntur exemplis, seu odio postremò iraq; tàm sæuæ tyrannidis adducti, participes se facere lectionis, si non ob mæroris acrimoniam, qua passim aspergitur, iucundissimæ, at ob animi Christiani celsitudinem, cuius egregia & perquàm illustria in omni sexu atque ætate documenta continet, saluberrimæ, iam inde non destiterint.

Et verò ecquis in dilectam Christi sponsam Ecclesiam, amore tàm frigido sit atq; languenti, vt non horum quandoq; facta, consilia, instituta defigat in oculus, quos huius castissimæ sponsæ sacris operatos, vel excellens animi magnitudo, vel inuicta grauissimorum

uissimorum laborum tolerantia, ad id fastigium absoluti atq; perfecti decoris extulit, vnde res mortales omnes despicere, & supra casus omnes, supra fortunam ipsam, excelsiore quadam ac penè diuina mente ferri atq; eminere queant? Quas quidem tàm præstantes animi virtutes, cùm ita tibi propriè meritò vendicas, vt de ijs haud facilè cuiquam concedas, tùm posteriorem rebus Germaniæ præsertim inclinatis, ita cum diuinis hisce atq; cœlestibus Athletis, quorum hoc libro fortissima facta describuntur, cõmunem tibi fecisti, illud vti tantummodò causam separet, vt quòd pleni spe immortalitatis supra humanas vires ingenti ausu certamen hi pro Christi gloria contraxerunt, tu lento quodam ac destinato prælij genere, quia gregis tuæ fidei crediti salus ita postulet, peragere decreueris.

Neq; exiguam sanè hanc materiem ad sempiternum gloriæ comparandum decus, Illustrissime Princeps, existimabis, si referes animũ ad eos, & in memoriã (quod quidem facis sæpenumerò) reduces, qui ad huius Ecclesiæ Treuirorum gubernacula florẽti adhuc & incolumi imperio Romano, Dei iussu accersiti, sedére in sede hac tua Pontifices dignissimi, reperies profectò hisce gradibus ascendisse ad immortalitatẽ, & quãquàm multis antè sæculis vitæ munere functos, viuere tamen in laude ac sanctissima apud omnes Christianos veneratione. Vt enim non longius abeam, quid Maximinus

S Maximinus.

decus illud Aquitanicæ prouinciæ, & Pictauorum lumen, qui maximarum suarum præconem laudum nactus est magnum illũ Athanasium? Quem equidem virum quoties memoria ac literis repeto, cernere in vrbe Agrippina videor, cum sacro illo cultu ac Pontificio amictu, oris Maiestate venerabilem considere in cella inter priscos illos patres, & in Euphratã vrbis Episcopũ, ex Arrij placitis atq; decretis, Christi Dei Maiestati nefariè detrahentẽ, grauissimam sententiam dicere. Quid Paulinus acerrimus ille Niceni Consubstantialis vindex? eiúsne vel in religione propugnanda, vel in omnibus humanæ vitæ casibus despiciendis laus aut maior aut clarior esse potuit, quàm cũ omnes propè Orientis Episcopi vel Arriana tabe infecti lubentes, vel coacti metu & factione inuiti, in damnationem Athanasij egregij tùm gloriæ Christi assertoris, consensissent, ipse iniqui iudicij sententiam neq; probare neq; recipere sustinuit: at in Mediolanensi, vbi quasi effusis imperij viribus fides oppugnata Catholica fuit, nullis quãlibet diris Constantij Imperatoris minis, neq; prauis aliorũ Episcoporũ adulationibus, vt Athanasij damnationi subscriberet, & veri atq; Christiani antistitis officium proderet, adduci potuit? Ergo concessit in exilium, atq; excusso pedum puluere in Phrigiã lætus abiens, magno dignã Præsule virtutis opinionẽ omnibus meritò posteris extorsit.

Ex Concilio Coloniensi, & M.S.

S. Paulinus Hist. Ecclesiast. & Seuerus Sulpitius hist. sacr. lib. 2.

Verùm vt ad hanc præsentem tractationem tota reuocetur oratio, Seuerus ille tuus imò noster, magni illius Germani Antisiodorensis in expeditione Britannica comes & Lupi Tricassini celeberrimi quondã ac sanctissimi Galliarũ Episcopi discipulus, quãtam virtutis huius ac religionis tibi facem prætulit, cùm eandem hanc Insulam nostrã haud aliter tùm sæuissimis Pelagiani dogmatis procellis, quàm ambientis Oceani fluctibus agitatam cum B. Germano adijt, & ad sanandos nostræ gentis animos operam

Venerab. Beda. lib. 1. hist. gentis Anglorum cap. 21.

atque

atque studium omne suũ contulit? Horum te, Illustrissime Princeps, vt personam atq; dignitatem sustines, ita imitari facta pro viribus, cùm nulla penes me dubitatio resideat, tùm facilè me quoq; do in eam partem, futurũ vti credam, vt horum semper florentibus nominibus tuum vbi nomen inserueris, nulla vel temporis iniuria vel obliuione vetustatis exarescat. Et quid aliud profectò pollicetur intenta illa ac perpetuis quasi vigilijs exercita cura, quam licèt immensis Reip. Christianæ districtus à negotijs, huic vni tanta nihilominus, vt ita dicam, otij profusione atq; abundantia impertis, difficile vti statuere sit, Ecclesiámne Treuirensem acriore mentis industria vigilantiaq; tuteris, an validioribus sapientiæ tuæ præsidijs, rem cõmunem fulcias: vt enim ad pacandos Germaniæ in fide atq; officio fluctuantis motus, & ad restituendũ priscæ disciplinæ, religionisq; suũ nitorẽ, facis vt nemo vsquàm studiũ opemq; tuã desideret, ita vel maximè virtutum tuarũ splendor emicat atq; se effert, quando in gregis tui vel tuendis cõmodis, vel periculis arcendis, aut in Antistitis sacri functionibus sacris obeundis nullum ipse incõmodum, periculum, vel laborem recusas. Quid enim ego hic memorẽ, quantam in diuino cultu promouendo diligẽtiã, in clero rectè informando industriã, in summis religionis nostræ mysterijs pertractandis administrandisq; pietatem atq; laborem, & tu frequenter ponis, & omnes qui diligunt decorẽ domus Dei, vehementer laudant atq; suspiciunt, dum à te Pastore ac patre amantissimo vident non solùm ministros Ecclesiæ solenni ac recepto à maioribus ritu inaugurari, sed etiã sacro confirmationis Chrismate infinitam pene hominũ vim inunctam cùm ad perfecta Christianæ religionis incrementa perduci, tùm ad certamen cum nequissimis hostibus magna deinceps virtute gerendum confirmari?

Aut quid etiam dicam, id quod Princeps optime tu nosti, quantam Sathanas capiti suo atque dignitati struxerit perniciem, cùm ad persequendas impiæ cohortis atque nefandis veneficij mysterijs initiatæ quisquilias toto pectoris conatu incubuisti, atq; ad extinguendã funditus pestem, comparata à maioribus in id genus hominũ supplicia constanter exercuisti? Cùm autem verendũ non minus esset, ne alterius æque tetri atq; pestiferi mali contagium, quo finitimæ vndequaq; haud leuiter sanè conflictantur prouinciæ, vel occultè tuam in sedem irreperet, vel vsitatis artibus se se insinuaret, omni ratione prouidisti, vt quicquid pestilenti hoc veneno imbutum, vel orthodoxæ pietati, vel auitæ religionis synceritati, vsquequaquã nocere posset, ad tuorum non modò non animos & ima cordis penetralia, sed ne ad aurium quidem & oculorum superficiem glisceret. Enimuerò quantis calamitatibus hoc portentum Principes, regna, populos inuoluere soleat, sapienter animaduertis, & alienis neq; longè petitis quotidiè doceris exemplis. Etenim cùm Principes adhuc ignari, quàm truculenta & immanis bellua hæresis esset, & quàm noxium illa virus, quoscunq; comprehendisset, afflaret, eam blandis quibusdam fomentis & culpanda nimium indulgentia crescere ad audaciam, & maiora scelerum indies augmenta sinebant: illa fraudis ac veteris impostura non immemor, sanctitatis admirandæ speciem ementita, Deus immor- Fraudes hæreticorũ in aucupanda gratia Principum.

talis, qui us nō clementia, mansuetudinis & Christianæ moderationis plenas apud Principes ipsos & imperitam multitudinem voces, vt gratiam aucuparetur & in fraudem induceret, fundebat? illa, illa nimirum placatior, sanguini Christianorū omninò parceret, libertatem conscientiæ omnibus indulgeret, fluentes priscæ disciplinæ mores, arctioribus vinculis astringeret, & perturbatā deniq; prauis superstitionibus rem Christianam, nouis atq; cœlestibus doctrinis stabiliret: at vbi confirmatis iam opibus & radicibus quasi altè defixis, ad licentiam & impunitatem viam sibi patefactam inuenit, quanto mox scelere atq; furore infernalis ac stygia illa Megæra in summos magistratus, & omnium ordinum homines sibi contrarios impetum fecit? quibus non furijs ad facinus & omne flagitiū præcones suos extimulauit? Audita tū primùm funestæ Caluini voces, quibus ille velut signo sublato ad perniciē generis humani classicū cecinit, Omnes ferè reges nebulones, & stupidos, fatuos esse & brutos, imò equos & asinos brutorum animaliū: *quo quidē quid scelestius & atrocius, atq; ad ipsa religionis ac publicæ tranquillitatis fundamenta collabefactanda efficacius ab eo dici cogitariq; potuit? Atq; vt discipulum agnosceres, cuius in aures has tàm venenatas voces stigmaticus Doctor infudisset, Beza Gallicus ille Thraso & humani cruoris vehementer auidus, cùm furenti sicariorum cateruâ stipatus, gladiatorio quodam animo in religionem Catholicam arma sumpsit, quàm arrogantes spiritus atque intolerabiles gessit, quando nullum sibi cum Sathanâ, quo nomine Regem Christianissimum, ac Regiæ Maiestatis assertores notauit, nisi sanguine paciscendum fœdus, è re suorum iudicauit? Quod certè perpetuum hæreticorum fuisse ingenium, insitaq; errori malitia & hæreditaria quadam labe sic semper natura fuisse comparatos, dum etiam clarissimo & ab antiquitate repetito testimonio, certum planumq; facere aggredior, sine Præsul amplissime aurea D. Chrysostomi lingua tantisper vtar.* Domini (inquit sanctissimus Doctor) vox est, cauete à pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Cauete, inquit, Prophetas falsos, vt iubeo: cauete illos, qui interiorem *a* sæuitiam innocentiæ vestitus occultant, qui ouium indumento contecti, quod profitentur, infamant; *b* qui aliud docēt, quàm faciunt, aliud agunt quā dicūt, aliud exhibent quàm vocantur. Hi sunt, qui quod *c* execrantur admittunt, qui quod prohibent faciunt, & quod faciendo præcipiunt, operum simulatione dissoluunt, apud quos innocentia culpatur, & *d* culpa pro innocentia ducitur: apud quos *e* peccare iustum est, & iustitiam exercere nefandum: apud quos *f* promereri delinquere est, & delicta admittere promereri est. Vbi certant facta cum dictis, dimicat doctrina cum factis, vbi alia sermonibus sonant, alia operatione confirmant; vbi studium nullum est, nisi vt *g* innocentibus pœna, reis gloria tribuatur. Lupo-

Eorundem furor in sibi contrarios.

In Daniel. ca. 6. v. 22. Caluini & Bezæ funestæ voces.

Beza Epi. Theol. 40. & 41.

Ex varijs in Mathęū locis hom. 12 tomo 2. Mores hæreticorū descripti à D. Chrysost.

a Sæuitiam occultant, innocentię vestitu.

b Egregiè dissimulāt.

c Fingūt se odisse peccata, quę tamē faciūt.

d Peccata palliāt virtutis aut necessitatis prætextu.

e Iustitiæ opera & castitatem vituperant.

f Peccatores extollunt.

g Sæuiunt in innocentes, & improbis parcunt.

h Sunt viles animo, sed crudeles malitia.

Luporum genus quantò eſt *b* omnibus beſtijs inferius, tantò malitia & crudelitate deterius: quantò *i* ſubtilius, tantò nocentius, quantò ſubmiſsius tantò peius. Et *k* inceſſu humiles, ſed actu nocentes: veſtitu *l* ſimplices, ſed malitia ſæuiores: aſpectu *m* mites, ſed immanitate crudeles. Et tamen lupi vigilante paſtore, ouibus nocere non poſſunt; traditores verò (id eſt hæretici) nec *n* ouibus nec paſtorib⁹ parcunt. Quod vocantur debellant, quod profitentur, impugnant Chriſtianos; quod ſe eſſe nolunt ſimulant, malitiosè inſeſtant. Malunt enim dici, quod nō ſunt, vt in alijs damnent quod faciunt. *Et poſteà.* Si perſecutionem facis (ô hæretice) inimicus es & hoſtis. Et vnde fruſtrà tibi Chriſtianū nomen imponis, qui *o* Chriſtum in eius ſeruis perſequeris? Affectas vocari, quod operum ſimulatione mentiris. Nomen *p* tuum Chriſtianū ſonat, ſed facta Antichriſtum monſtrant. Sub nomine nomen impugnas, ſub lege legem debellas. Perſequeris *q* fidem quam te profiteri ſimulas, nec te iam in aliquo occultas vt lateas, qui proditus es quod latebas. Licuit Sodomis inter inquinatos & turpes, Loth ſanctiſsimū habitare, Chriſtianos *r* verò cum traditoribus morari non licuit. Licuit Iſraëlitis in Aegypto legibus paternis inſiſtere, quippe cùm nemo eos ad illicita, nemo ad prophana figmenta compulerit. Vbi enim naſci non licuit, ibi tamen vti diuinis legibus licuit. Helias ſanctiſsimus viduæ miniſterio paſcitur; à traditoribus verò, Dei ſeruis victus pabula denegantur. Babylonia pueros contaminari ſuis cibis non patitur, at iſti familias Dei ſacrilegio contaminare nituntur. Danielem leones libenter hoſpitio ſuſceperunt, & iſti Dei ſeruos proprijs hoſpitijs violenter excludunt: vt quantò in *ſ* beſtijs laudatur humanitas, tantò in iſtis crudelitas deteſtetur. Igitur magnū mihi compendiū datum eſt, magna via oſtenſa, magna materia attributa. Ex fructibus, inquit, eorū cognoſcetis eos. Spinę (inquit) vuas nō generant: tribuli ficus nō faciūt. Actus ſunt, qui hominū fructus oſtendunt. Totū *t* enim malitię eſt, quicquid in eo conſiſtit, vt, *v* quod eſt, celet, quod non ſit, ſe eſſe ſimulet; quem ſi intellexeris, vitas, quē ſi noueris, caues: fur enim ſic accedit, vt lateat, quoniam ſi agnitus fuerit, furari non poterit. Iudicium enim mentis, operatio eſt hominis, quoniam factis oſtenditur, quid cordis ſecreto concipitur. Hæc ille.

i Sunt ſubtiles vt noceant, & in peccata ſua ſuitet principes inducant.
k Sunt inceſſu humiles, ſed actu nocentes.
l Sūt veſtitu ſimplices, ſed dupli ces corde.
m Sunt aſpectu mites, ſed immanitate crudeles.
n Nec Principib⁹ parcunt, nec ſubditis, vbi datur nocere.
o Chriſtum perſequuntur in ſeruis.
p Nomine tenus ſunt Chriſtiani, ſed factis ſunt membra Antichriſti.
q Diſſimulant ſe fideles, vt facilius fidem oppugnēt; admiſcent ſe Catholicis, etiam in aulis Principum, vt Catholicos prodant, & fidem euertant.
r Sunt crudeliores Sodomitis, Aegyptijs, Babylonijs & Leonibus, dum Catholicos pellunt ſedibus ſuis, & ad hæreſim compellunt.
ſ Exuunt omnem humanitatem, quæ tamen in beſtijs laudatur.
t Quicquid in hæreticis eſt, id totum malitiæ eſt.
v Simulant ſe bonos, vt celent malitiam.

Quæ quidem quàm huic exulceratæ peſti conſentaneæ ſint omnia, morbi vis ipſa, quæ eo iam prô dolor erupit, vix vt vlla ſatis valida curatione pelli fugariq́; poſſit, ſa-

tis superq; declarat. Atq; vtinam caeterae Christianae orbis prouinciae vel serò tandem alieno malo doctae, nascentis mali incendia vitassent, & ad blandas illas Sirenarum voces obstinatas aures attulissent, nunquàm profectò his tàm foedis atq; portentosis erroribus immersa non exigua pars orbis, fidei & auitae pietatis fecisset naufragium. At verò benè habet repertos esse sed nec paucos, qui in hoc tempestuoso freto, & si cum vndis & fluctibus diu multumq; luctati, auribus tamen haud obturatis ceráue obstructis (quod animi imbecilli est) verùm patulis & ad omnem contumeliam arrectis, foeliciter enauigarint; repertos inquam, quos neq; canora Sirenum modulatio, nec immanes Scyllaeorum canum latratus remorari potuerint, quin sanctissimi numinis aura leniter afflante, secundissimo cursu prouecti in portum appellerent tranquillum, & immensis coelestis gloriae diuitijs vndiq; circumfluentem. Quorum sanè virtus, quando non obscurè inter ipsos carceris squalores & tristis exilij aerumnas, adeoq; inter immanes persecutionis funestae procellas adoleuisse cernitur, ecquid mirum videatur, res ab ijs pro Christi sanctissimis legibus, pro Ecclesia Catholica vetustis sacris fortiter aequè ac piè gestas crescere quoq; literis, & propagari ad famam nominis sempiternã.

Quocirca, Princeps Illustrissime, cùm tui nominis primùm auspicijs editus in lucẽ iste partus, iam verò multis membris auctus atq; perfectus iterum prodire gestiat, faciendum omninò mihi putaui, vt hi labores, C. T. vel ea potissimùm de causa secundũ inscriberentur, quod auctoritate atq; existimatione tuarum virtutum hactenus sustentatos atq; defensos, plerisq; omnibus pijs viris animaduerti fuisse gratissimos; deinde ob multiplicem argumenti fructũ, neq; tibi, Princeps Illustrissime, vel pietatis amantissimo iniucundos. Quanquàm cui potiùs hunc librum dicare par fuit, quàm ei, qui omnes ingenij sui vires ad hanc vnam virtutis laudem comparandam felicissimè profundit, vt omnes à se siue publicè siue priuatim suscepta laudabiliter actiones, instituta, mores, cum illa religione ac fede mirificè conspirent atque consentiant, pro qua in Anglia omnis sexus, ordinis atq; aetatis homines fortunarum atq; salutis certissimum quotidie discrimen adire, & mortem deniq; cum acerbo cruciatu sustinere non reformidant? Adhac perpetuus ille tuus, cùm in omnem virtutis pulchritudinem amor, tùm in illam praecipuè, quae cum doloribus atq; omnibus humanae vitae incommodis acerrimè pugnat, vt ad te praesertim hac opera qualiscunq; respiceret, atq; in nomine tuo rursus appareret, effecit. Cùm igitur, Amplissime Praesul, hoc iam anteà tribuisti singulari cuidam humanitati, vt primos illos labores animo benigno acciperes, dabis idem constantiae, vt eosdem iam cumulatos pari voluntatis studio tueri ac fouere pergas.

Illustrissimae ac Reuerendissimae. C. T.

Addictissimus

Ioannes Aquepontanus Anglus.

ARGVMENTVM TOTIVS OPERIS, IN QVO PRINCIPIVM, PROGRESSVS ET FRVCTVS HVIVS CONCERtationis paucis describitur.

INTER varias hæreticorum sectas, quibus hoc tempore Anglia miserè distrahitur, duæ sunt præcipuæ. Prior est Caluinopapistarum qui sic à nonnullis appellantur, quòd aliquam habeant cum Catholicis in rebus diuinis communionem: nam & Archiepiscopos suos habēt & Episcopos, itemq; Decanos, Archidiaconos, cæterosq; gradus Ecclesiasticos, vnà cum redditibus olim à pijs maioribus assignatis; prætereà horarias preces officiaq; diuina cuicuimodi sint, statis horis quotidiè cantillant: itaq; ab alijs non immeritò molles Caluinistæ, si religionem spectemus, appellantur; si mores attendas, ipsis Turcis crudelitate haud inferiores esse deprahendes. Caluinopapistæ.

Altera secta Puritanorum est, quasi purè & tantùm Caluinistarum, qui nihil volunt cum Catholicis aut Ecclesia Catholica habere cōmune, ideoq; nomina omnia & officia Ecclesiastica vnà cum cæremonijs sacris repudiant, vt ex reformatione, quam in lucem ediderunt, palàm constat, in qua se scribunt in synagoga Caluinopapistarū minimū centum capita superstitionis (vt ipsi loquuntur) Papisticæ deprahendisse. Puritani qui & Bezani vocātur vel Caluinistæ rigidi.

Hæ ergo sectæ, vt plurimū in Anglia possunt, ita vehemēter in Catholicos sæuiunt. Et quàmuis inter se capitali odio dissideant, librisq; euulgatis se mutuò veluti hæreticos dilacerent, in eo tamen instar Herodis & Pilati conspirant, vt Catholicam Ecclesiam acerrimè impugnent, eiusq; propugnatores grauissimis tormentis discrucient, ac tandem morte crudelissima trucident.

Et quia Ecclesia Catholica sponsi sui Christi ope præsidioq; firmissimo fulta, vt alijs omnibus aduersarijs, ita his etiam hactenus fortissimè repugnauit, & oblatam concertationem fœliciter sustinuit, cuius recentissima quædam exempla hoc opere describuntur, hinc ei concertatio illa nomen dedit. Quid autem præsens concertatio, & qua methodo contineat, ex sequentibus manifestum euadet. Inscriptio operis libri ratio.

QVAE IN PRIMA CONCERTAtionis parte continentur.

ANNO 1580. Robertus Personius & Edmundus Campianus Angli, sacerdotes societatis Iesu, cum quibusdam alijs sacerdotibus Anglis in Britanniā missi sunt, vt Catholicos qui ibidem magno numero superant, & auxilium spirituale ardentissimè expetebant, Sacramentorū administratione, & id genus alijs muneribus sacris adiuuarent. Mittūtur in Angliā Patres societatis, & sacerdotes sæculares.

Campianus postquàm in Angliam appulit, seq; magna diligentia inquiri ab aduersarijs intellexit, suspicatus quod res erat, se diu latere non posse, epistolam quandam Index eorum, quę in

scripsit

hoc libro continẽtur. Epistola Cãpiani ad consiliarios Reginæ. *scripsit ad consiliarios Reginæ, quæ si contingeret eum capi, omnibus constaret de causa aduentus eius in Britanniam. Eius exemplar vnum communicauit cuidam amico suo, alterum sibi reseruauit. Amicus ille existimans è re multorum fore, si epistola in manus aliorum deueniret, quòd Campianus in illa omnes aduersarios ad certamen prouocasset, eandem alijs impartiuit; vnde factum est vt in manus tandem hostium perueniret: qui rem indignè ferentes, quòd in proprijs scilicet sedibus ad disputationẽ prouocarentur, grauiter Campianum insectantur, vt hominis auctoritatem & eruditionis opinionem apud multos iam comparatam imminuerent. Hoc ergo totum*

Eiusdem epistola ad generalem Societatis. *scribit Campianus in altera sua epistola ad R. P. Euerardum Præpositum Generalem societatis Iesu, verbisq; elegantissimis laborum suorum fructus exponit.*

Liber Campiani ad Academicos. *Quoniam verò Campianus videbat aduersarios subterfugere certamen & inanibus vocibus aures hominum complere, scripsit librum ad Academicos Anglos, quo decẽ rationes explicat, quibus fretus aduersarijs certamen obtulit in causa fidei. Hunc librum elegantissimum pariter & doctissimum, quoniam eruditione non poterant refellere, grauissimam excitarunt in Catholicos persecutionem, vt ferreis vinculis manus constringerent, quæ veritatem scribendo propugnarant, legesq; adeò seueras in*

Leges & persecutio Anglicana. *Romanæ fidei confessores euulgarunt, vt nescio an grauiores vnquàm ab Ethnicis fuerint in Christianos excogitatæ. Quæ omnes breui in commentario seu epistola descriptæ quarto loco ponuntur. Atq; ita prima pars concertationis epistolis Campiani eiusdemq; rationibus ad Academicos, & epistola continente leges Anglicanas absoluitur.*

SECVNDA PARS CONCERTATIONIS.

Historiæ martyrum. *LEGVM sanctionem admodum crudelem secuta est executio longè crudelior quàm vnquàm antea, quâ immanissimè & planè barbarè necati sunt plurimi viri, doctrina & vitæ integritate præclari. Quorum res gestæ constantesq; suppliciorum perpessiones ordine describuntur, eorumq; historijs subiunguntur, qui sanguinem innocentem pro veritatis confessione effuderant, priusquàm in hanc apertam rabiem Puritani prorupissent.*

TERTIA PARS CONCERTATIONIS

Apologia martyrum. *QVIA porrò martyribus Christi, licèt ob fidei Catholicæ confessionem trucidatis, more suo obiecerunt Caluinistæ nescio quas coniurationes & crimina læsæ Maiestatis, quò Catholici magis redderẽtur populo exosi, breuis fuit conscripta quorundam martyrum Apologia, quæ eorum innocentia demonstratur, causamq;*

Palinodia & confessio Ioannis Nicolai sycophantę perditissimi. *crudelissimæ necis fuisse Catholicæ fidei propugnationem ostenditur. Huic autem Apologiæ adduntur literæ & publica confessio cuiusdam Ioannis Nicolai, quibus fatetur se ab Odoueno Hoptono arcis Londinensis præfecto homine consceleratissimo inductum, vt nobiles quosdam Anglos iniustè accusaret, & testimonium falsum in martyres quosdam innocentissimos diceret. Deinde tres subijciuntur Palinodiæ, Laurentij*

Caddai, Richardi Bainei, & Edouardi Osborni, in quibus non solum lapsus eorum in schisma, & iterum ad gremium Catholicæ Ecclesiæ reditus describitur, sed prætereà immanissima quædam consilia Caluinistarum deteguntur.

Cæterùm cùm inuictæ veritatis hostes cernerent nullam sibi aut perexiguam affulgere spem nobilissimos Catholicorum animos tormentis exquisitissimis aut nece crudelissima superandi, persuaserunt Regiæ Maiestati, edictis publicis vt caueret, ne quisquam deinceps Anglorum se conferret ad seminarium Romanum aut Remense; vt hac scilicet cautione, sublatis Catholicæ fidei propagandæ fontibus, riuuli deinde veritatis fluere desinerent. In quibus edictis, cùm multæ & graues contra seminariorum & societatis Iesu instituta, positæ sint accusationes, Dominus Gulielmus Alanus tunc temporis seminarij Remensis Anglorum Præses, nunc verò S. R. E. Cardinalis Illust. pariter atq; doctissimus egregiã opposuit Apologiam, in qua ea quæ decuit modestia, Pontificis in Collegijs instituendis & alendis sanctissimum propositum, societatis Iesu, Seminariorum ac presbyterorum in patriam & Ecclesiam innocentissimos ac summè salutares conatus, totamq; Catholicorum causam, clarè probat atq; defendit. Duo edicta Reginæ cõtra Catholicos. Apologia Catholicorum contra edicta Regia.

Post hæc editus est libellus, cui titulus est Iustitia Britannica, in quo auctor persuadere conatur externis hominibus, primùm neminem in Anglia fuisse religionis causa hactenus à magistratu occisum. 2. Seminaria & scholas à summo Pontifice institutas, seditionum ac defectionum esse nutrices. 3. Elizabetham Angliæ Reginam summa vsam esse clementia in sibi subiectos Catholicos. 4. Eandem nunquàm sibi vsurpasse auctoritatem supremi capitis Ecclesiæ Anglicanæ, nec quemquam subditorum cogi vt iuramento confirmet talem potestatem illi deberi. Contra hunc ergo librum mẽdacijs & conuicijs plenissimum (quanquam ab illo scriptus sit, quem nec mendacia deceret nec conuicia proferre) scripta est defensio, seu potius ad persecutores Anglos responsio, qua ostenditur, quàm iniustè Protestantes Angli Catholicis perduellionem obijciant, quàm falsò negent se quemquam religionis causa persequi, & quàm callidè laborent hominibus externis imponere, &c. Liber ad persecutores Anglos contra Iustitiam Britannicam.

Et quoniam auctor famosæ illius iustitiæ Britannicæ multa parum prudenter de auctoritate summi Pontificis disseruit, & magistratus Anglicanus valdè inconsideratè de eiusdem Pontificis in Principes sæculares potestate, ac de pontificatu fœmineo Reginæ suæ quæstiones quasdam sanguinarias ac capitales frequenter hactenus proposuit, vrsitq; vehementer vt Catholici viri ad easdem responderent, ideò auctor istius Defensionis seu responsionis disputationem de rebus prædictis instituit bene longam, qua nihil puto aut elegantius aut neruosius hac nostra tempestate in lucem editum esse. Ac proinde non immeritò potest hic liber censeri responsio ad sex illos articulos capitales, de quibus in martyrijs Thomæ Fordi & sociorum, qui passi sunt anno 1582. & quæ in Apologia martyrum promittitur edenda. Responsio ad sex articulos sanguinarios Puritanorum.


Sequitur deinde barbarum quoddam ac sæuum Caluinianorum edictum contra Catholicos, conscriptum in comitijs (vt vocant) Parlamentaribus Angliæ vnà cum Edictum barbarũ Puritanorum.

annota-

annotationibus breuissimis & notis, quae instar confutationis possunt inseruire lectori. Postremo deniq; loco ponitur breuis descriptio, seu Catalogus eorum qui ab initio regni Elizabethae, id est, ab anno 1558. vsque ad annum 1588. passi sunt pro fide Catholica, vincula, bonorum direptiones, aut mortem, & ad notitiam auctoris peruenerunt, nam infiniti sunt alij in Anglia & exteris regionibus, quorum nec notitiam nec nomina habere potuit.

Catalogus omniũ Catholicorũ, qui passi sunt pro fide.






PRIMA PARS

CONCERTATIONIS,

COMPLECTENS DVAS EPISTOLAS EDMVNDI CAMPIANI, EIVSDEMque rationes ad Academicos Anglos, vnà cum epistola alterius docti viri, in qua explicantur crudelissimæ leges Caluinistarum in Catholicos editæ.

EPISTOLA EDMVNDI CAMPIANI SACERDOTIS SOCIETATIS IESV AD REGINAE ANGLIAE *Consiliarios, qua professionis suæ in Angliam institutum declarat, & aduersarios ad certamen prouocat, ex Anglico sermone latinè reddita.*



QVANDOQVIDEM, viri Ornatissimi, è Germania & Bohemia reuocatus, non sine ingenti vitæ meæ periculo, in hoc florentissimum Angliæ regnum, dulcissimam patriam meam, tandem aliquandò perueni, pro superiorum meorũ voluntate DEI gloriam & animarum salutem promoturus; verisimile esse putaui, me turbulento hoc, suspicioso, ac difficillimo tempore, siue citiùs, siue aliquãto tardiùs, in medio cursu abreptum iri. Quapropter ignarus, quid de me futurum sit, cum Dei permissu in carceres & vincula fortè detrudendus sim; ad omnem euentum scriptum hoc condidi: quod vt legere, & ex eo causam meam cognoscere velitis, etiam atque etiam rogo; fiet enim, vt hac re non paruo labore liberemini, dum quod multis ambagibus inquirere vos audio, id totum aperta confessione liberè expromo. Atque vt rem omnem, quò meliùs & intelligi, & memoria comprehendi queat, compendio tradam, in nouem omninò capita eam dispertiar.

 1. Pro-

1. Profiteor me, quamuis indignum, Ecclesiæ Catholicæ sacerdotem, & iam octo abhinc annis magna Dei misericordia in Societatem nominis IESV cooptatum, peculiare quoddam belli genus sub obedientiæ vexillo suscepisse, ac simul me omni diuitiarum, honorũ, & aliorũ huiusmodi bonorũ spe, & habendi potestate abdicasse.

2. Generalis Præpositi nostri decreto (quod ego tanquam mandatum cœlitùs missum, & à Christo ipso sancitum veneror) Praga Romam, vbi Generalis nostri perpetua sedes est; Roma deindè in Angliam contendi, qua animi alacritate etiam in quamcunq; aliam orbis terrarum partem siue ad Christianos, siue ad infideles profectus fuissem, si me ad eam profectionem superiores mei designassent.

3. Negotium mihi commissum, tale est, vt gratis Euangelium prędicem, Sacramenta administrem, rudes in fide instituam, flagitiosos à scelere ad meliorem vitæ rationem traducam, errores conuellam, &, vt summatim omnia complectar, pugnæ spiritualis signum tuba canam, atque alacriter aduersus fœda flagitia & superbam ignorationem, qua innumeri ciues mei, quos intimis animi visceribus complector, oppressi iacent, depugnem.

4. Nunquàm mihi animus fuit, imò & à Patribus, qui me miserunt, seuerè prohibitum mihi est, vt ne Reip. ac Politicæ huius regni administrationis negotijs me immisceam: nam & aliena hæc sunt à vocationis meæ instituto, & ab ijs animum cogitationesq; meas libenter auoco.

5. Quamobrèm vestra clementia fretus, ad gloriam DEI tria non minùs æqua, quàm ab omni pacis & tranquillitatis Reip. perturbatione aliena concedi & permitti mihi humillimè postulo. Primum est, vt Dominationes vestrę me pro sua & Reip. dignitate de religione modestè differentem, audire non grauentur. Alterum, quod & cum primis desidero, & maximi momenti esse arbitror; vt mihi liceat in consessu Doctorum, Magistrorum, & vtriusque Academiæ virorum insignium, Sacrosanctæ Theologiæ Professorum, verba facere. Promitto me Catholicæ Ecclesiæ fidem inuictis rationibus, & sacrarum Scripturarum, Conciliorum, Patrum, atque historiarum auctoritate, ac deniq; ex ipsa tum naturali, tum morali philosophia efficaciter demonstraturum & defensurum. Tertium, vt audiar ab vtriusq; iuris siue canonici siue ciuilis peritis, quibus eandem fidei veritatem, legum, quæ etiamnum vigent & dignitatem suam retinent, testimonio atque auctoritate comprobabo.

6. Nollem equidèm quicquam proferre, quod insolentem prouocationem aut arrogantiam aliquam præ se ferret; cùm & mundo mortuus iam sim, & ex animo paratus promptusque, vt me ad cuiusuis pedes abijciam ac vestigia etiam exoscular. Tantus tamen animus mihi est pro gloria & maiestate regis mei IESV amplificanda, tanta in eius fauore fiducia, tanta deniq; in causæ æquitate & firmissimorum argumentorum ac probationũ robore confidentia (cùm certò sciam nullum Protestantium, nec omnes simul iunctos, nec vllam aduersariorum factionem, quantumuis imperitam multitudinem & Grammaticos quosdam adolescentulos, apud quos insigniter debacchantur, in errorem inducant; posse dogmata sua disputatione aut tueri aut probare) vt cum illis omnibus, vel cum eorum quolibet, vel cum antesignanis ex omni illorum numero delectis, vltrò me offerã congressurum; bona fide protestans eò mihi gratius fore certamen, quò meliùs instructi accesserint.

7. Et quoniam Dominus DEVS Dominam meam reginam, eximijs naturæ, eruditionis, ac regiæ educationis dotibus exornare voluit, si sua Maiestas huiusmodi auditionem, qualem in quinto articulo secundo loco efflagitaui, sua regali præsentia & benigna attentione cohonestare dignaretur; sperarem sanè, me articulos controuersos optima methodo & perspicuis argumentis ita illustrare, atq; ab omnibus fallaciarum inuolucris, quibus constricti sunt, explicare posse, vt zelo veritatis & amore, quo sua Maiestas populum complectitur, non mediocriter eius animum inclinarem, cùm ad plurimas res, quæ regno suo nõ parum detrimenti adferunt, damnandas & reijciendas, tùm ad nos Catholicos miserè iamdiu oppressos, maiore æquitate prosequendos.

8. Neq; verò dubium mihi est, quin vos Ornatissimi Consiliarij S. M. cùm in maximi momenti negotijs præclarè ac sapienter agere soleatis, vbi has de fide controuersias, quas aduersarij nostri non sine fuco & confusè plerunque pertractant, bona fide detectas & fuco nudatas perspexeritis, luce meridiana clariùs cogituri sitis, quàm firmis & solidis fundamentis fides Catholica nitatur. Et quia è contrario Protestantium argumenta sunt omninò friuola & infirma, quæ temporis iniquitate vim aliquam contra nos habere putantur, futurum spero, vt vestrarũ animarum & innumerabilium aliarum, quæ à vestro nutu & exemplo pendent, miserti, ab huiusmodi falsorum dogmatum architectis & doctoribus facies vestras animumq;

ipsum auertatis,ac nobis,qui vitam nostram pro vestra salute alacriter profundere parati sumus, æquiori & magis propitia mente auscultetis. Multæ innocentes manus quotidiè & sine intermisione pro vobis in cœlum attolluntur. Hæc in vos studia sunt eorum Anglorum, qui in prouincijs transmarinis, nunquàm interituræ posteritatis patres, virtuti & eruditioni acquirendæ dant operam, omninoque secum statuerunt, à salute vestra promouenda non priùs absistere, quàm vel animas vestras Christo lucrifecerint, vel lanceis vestris confixi generosè occubuerint. Et quidem quod ad Societatem nostram attinet, velim sciatis, omnes nos, qui sumus de Societate IESV per totum terrarum orbem longè lateque diffusi, (quorum continua successio & multitudo omnes machinationes vestras Anglicanas facilè superabit) sanctum fœdus inijsse, vt cruces, quas nobis inijcietis, magno animo feramus, neque vnquàm de vestra salute desperemus, quamdiu vel vnus quispiam è nobis supererit, qui a Tiburno vestro fruatur, atq; supplicijs vestris excarnificari, carceribusque squalere, & consumi possit. Iampridem inita ratio est; diu inique numinis auspicio inchoatum certamen nulla vis, nullus impetus aduersariorum superabit. Hac ratione consita & tradita olim fides est; eadem in pristinam dignitatem reuocari & restitui debet.

a Est hic locus supplicij.

9. Quòd si hoc scriptum meum, quod offero, reijciatur, nec beneuoli conatus mei quidquam possint efficere, & pro itinere multorum millium miliarium vestri caussa suscepto, ingratum animum experiar; id vnum agendum mihi supererit, vt vos causamq; meam omnipotenti DEO scrutatori cordium commendem: quem quidem ex animo precor, vt nobis tantisper gratiam suam impertiri velit, qua ante extremum remunerationis diem in vnam sententiam conspiremus: & vt sic tandem aliquandò in cœlo, vbi nulla erit iniuriarum memoria, sempiterna amicitia perfruamur.

(†)

EPI-



EPISTOLA

EDMVNDI CAMPIANI AD

R. P. EVERARDVM MERCVRIANVM PRAEPOsitum Generalem Societatis Iesu, qua, postquam in Anglia menses aliquot egisset, statum ecclesiæ Anglicanæ, suorumq; laborum fructum exponit, ab ipso Auctore latinè scripta.

POstquàm, diuina fretus misericordia, quintum iam mensem in his locis dego, R. P. putaui faciundum, vt qui status rerum sit, quique videatur futurus, literis exponerem. Aues enim scire, sat scio, cùm pro cõmuni solicitudine, tùm pro tuo in me amore, quid agam, quid speré, quídue proficiam. Priora scripseram Audomaropoli, quæ deinceps consecuta sunt, paucis accipe.

DEI consilio factum interpretor, vt cùm dies ipsos quatuor, ventos secundos expectassem, quinto demùm, qui festus *Ioanni Baptistæ* fuit, diuo tutelari meo, cui causam iterque sæpè commendaueram, vesperi nauigarem. Postridiè, summo mane, *Doroberniam* appulimus, homulus meus & ego. Ibi minimum abfuit quìn caperemur. Coram Prætore ciuitatis iussi comparuimus. Ille multa coniectat, nos esse qui eramus: hostes hæreticarum partium, amantes auitæ fidei, dissimulasse nomina, religionis causa domo abfuisse, eius propagandæ studio redijsse. Vnum vrgebat, *Alanum* esse me, quod quidèm ego, iureiurando, si opus esset interposito, me negaturum profitebar.

Tandèm decernit, idq; crebrò repetit, cum certa custodia, ad regni proceres transmitti oportere. Neque scio, quis illi nouam mentem iniecerit, præter DEVM, cui tacitus intereà supplicabam, *D. Ioanne* adhibito precatore, cuius auspicijs cò perueneram. Repentè prodit senex, cui DEVS benefaxit. Placet, inquit, vos dimitti. Valete. Auolauimus. Hæc & his similia, quæ hìc experior, cùm apud me reputo, confirmor in sententia comprehensum iri, cùm ea res ad maiorem DEI gloriam spectabit, non priùs.

Londinum attigi. Duxit me bonus angelus nescientem, in eandem domum, quæ P. anteà *Robertum* exceperat. Accurrũt nobilissimi iuuenes, salutant, vestiunt, ornant, armant, emittunt ex vrbe. Partem aliquam regionis obequito penè quotidie. Ingens omnino messis est. Sedens in equo meditor conciunculam, quam ingressus in domum perpolio. Deinde si qui me adeunt, colloquor, aut confitentes audio. Mane peracto sacro, verba facio. Aures afferunt sitientes, Sacramenta percipiunt frequentissimi.

In ijs administrandis passim iuuamur à sacerdotibus, quos vbiq; reperimus. Ita fit vt & populo satisfiat, & hæc prouincia minùs laboriosa nobis reddatur. Presbyteri nostrates ipsi doctrina & sanctimonia præstantes, tantam opinionem nostri ordinis excitarunt, vt venerationem, quam nobis exhibent Catholici, non nisi timidè commemorandam, existimem. Quò magis videndum est, vt subsidiarij, quibus nunc maximè indigemus, eiusmodi sint, qui hæc omnia probè sustentent. Ante omnia concionibus habendis exerceantur. Diù euadere manus hæreticorum non possumus: tot oculi, tot ora, tot hostium insidiæ.

Habitu dementissimo sum, quem sæpè commuto, itemque nomina. Lego ipse literas, in quarum prima pagella scribitur, *Campianus captus est*. Hoc iam ita decantatum circumsonat aures meas quocunque venio, vt mihi timor ipse timorem excusserit. *Anima mea in manibus meis semper*. Hoc afferant meditatum, qui supplementi gratia mittentur.

Verùm, quæ solatia in hoc negotio miscentur, ea non solùm formidinem pœnæ, sed etiam pœnas quaslibet, infinita dulcedine compensant. Conscientia pura, robur inuictum, ardor incredibilis, opera insignis, numerus innumerabilis, summi, medij, infimi, omni ætate & sexu. Hic inter ipsos hæreticos, si qui sunt paulò æquiores, prouerbium inoleuit, Catholicos esse, qui argentum resoluant quod debent: adeoq; si qui Catholici iniuriosiùs quempiam tractant, expostulatur eo nomine, quòd à talib⁹ minimè isthoc fieri conueniat.

In summa, hæresis pessimè audit apud omnes, nec vllum genus hominum vulgò vilius, aut putidius est ipsorum ministris. Meritò indignamur, in tam perdita causa, homines tàm indoctos, tàm sceleratos, tàm dissectos, tàm abiectos, cultissimis ingenijs dominari.

Circumferuntur in nos edicta minacissima. Cautione, & bonorum precibus, & quod caput est, diuino munere, incolumes bonam

Insulæ

Insulæ partem peruasimus. Plerosque video, oblitos sui, de nobis esse solicitos. Quiddam ijs diebus acciderat, quod non speraram, DEI voluntate.

Posueram in scripto, articulatè causas & postulata quædā æquissima. Fassus me Presbyterum societatis, hoc animo venisse, vt amplificarem fidem Catholicam, docerem Euangelium, administrarem Sacramenta, petebam à Regina & regni principibus audientiam, & aduersarios ad certamen prouocabam. Decreueram penes me vnum exemplar tenere, vt mecum ad iudices raperetur: alterum amico cōmiseram, vt si me meumq; prenderent, illud continuò spargeretur.

Amicus non celauit, edidit, teritur, aduersarij insaniunt. Pro suggestu respondent, se quidèm cupere, Reginam nolle, rebus iam constitutis, ampliùs disputare. Nos lacerant maledictis. Seditiosos, hypocritas, etiam hæreticos appellant; quod maximè ridetur. Populus ea re noster est. Mirificè nobis hoc erratum profuit. Si iubemur fide publica, dabimus nos in curiam. Sed nihil minus cogitant.

Omnes custodiæ nostræ refertæ sunt Catholicis, nouæ parantur. Nunc demùm apertè pronuntiant, satiùs esse paucos interneccioni dedere proditores, quàm tot animas prodere. De suis martyrib⁹ iam tacent. Superamus enim causa, numero, dignitate, opinione omnium.


Afferimus pro aliquot apostatis aut sutoribus exustis, Episcopos, Regulos, Equites, antiquissimam nobilitatem, spectacula doctrinæ, probitatis, prudentiæ, lectissimam iuuentutem, matronas illustres, reliquos fortunæ mediocris planè extra numerum, omnes aut semel, aut quotidiè consumptos. Dum hæc scribo, immanissima sæuit persecutio. Mœsta domus. Nam aut mortem suorum prædicant, aut latebras, aut vincula, aut rapinam bonorum: tamen pergunt animosè.

Etiam nùnc plurimi restituuntur Ecclesiæ, nouitij milites dant nomina: veterani sanguinem profundunt. Hoc sacro cruore, ijsque hostijs promerebitur DEVS, & sine dubio breui vincem⁹. Vides ergo R.P. quātopere vestris sacrificijs, & precib⁹, & cœlesti auxilio egeam⁹.

Erunt in Anglia, qui curent salutem suam, erunt qui prouehant alienam: irascatur homo, sæuiat dæmon. Tamdiù hæc Ecclesia consistet, dum pastores ouibus non deerunt. Impedior præsentissimi rumore periculi, ne plura hoc tempore. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius.* Vale.

Edmundus Campianus.

RATIO-



RATIONES DECEM:

QVIBVS FRETVS CERTAMEN ADVERSARIIS

obtulit in cauſa fidei, idem Edmundus Campianus allegatæ ad clariſsimos viros, Anglos Academicos ab ipſo auctore latinè editæ.

Ego dabo vobis os & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere & contradicere omnes aduerſarij veſtri. Luc. 21. b. 15.

RATIONVM CAPITA.

1. *Sacræ Literæ.*
2. *Sacrarum Literarum ſententia.*
3. *Natura Eccleſiæ.*
4. *Concilia.*
5. *Patres.*
6. *Firmamenta Patrum.*
7. *Hiſtoria.*
8. *Paradoxa.*
9. *Sophiſmata.*
10. *Omne genus teſtium.*

EDMVN-

EDMVNDVS CAMPIANVS, DOCTISSIMIS ACADEMICIS, OXONII FLORENTIBVS ET CANTABRIGIAE, S. P. D.



NNO præterito, cùm ex instituto vitæ meæ, iussus in hanc Insulam remeassem, clarissimi viri, offendi sanè fluctus haud paulò sæuiores in Anglicano littore, quàm quos in Oceano Britannico recens à tergo reliqueram. Mox interiorem in Angliam vbi penetrassem, nihil vidi familiarius, quàm inusitata supplicia: nihil certius, quàm incerta pericula. Collegi me vt potui, memor causæ, memor temporum. Ac ne priùs fortè corriperer, quàm auditus à quopiam fuissem, scripto protinus mandaui consilium meum, qui venissem, quid quærerem, quod bellum, & quibus, indicere cogitarem. Authographon apud me habui, vt mecum, si caperer caperetur: Exemplum eius apud amicum deposui, quod, me quidem nesciente, pluribus communicatum est.

Aduersarij publicatam schedulam atrocitèr acceperunt, cùm cætera, tùm illud inuidiosissimè criminantes, quòd vnus omnibus in hoc religionis negotio certamen obtulissem; quanquam solus in acie non eram futurus, si fide publica disputassem. Responderunt postulatis meis, Hanmerus, & Charcus. *Quid tandem? Otiosè omnia. Nullum enim responsum præter vnum honestè dabunt, quod nunquàm dabunt:* Conditiones amplectimur, Regina spondet, aduola. *Intereà clamant isti: Sodalitium tuum, seditiones tuas, arrogantiam tuam, proditorem, sine dubio, proditorem. Ridiculè. Operam & oleum & famam homines non insipientissimi cur profundunt? Verùm his duobus (quorum prior, animi causa, meam chartam delegit in quam incurreret: alter malitiosiùs totam rem conuoluit) prælibitus nuper est libellus admodum luculentus, qui quantum oportuit, tantum & de Societate nostra, & de horum iniurijs, & de prouincia quam sustinemus, edisserit.*

Mihi supererat, (quoniam, vt video, tormenta, non scholas parant antistites) rationem facti mei vobis vt probarem: capita rerum, quæ mihi tantum fidentiæ pepererunt, quasi digito fontes ostenderem: Vos etiam hortarer, quorum interest præter cæteros, incumbatis in hanc curam, quam à vobis Christus, Ecclesia, Respublica, & vestra salus exigunt. Ego, si fretus ingenio, literis, arte, lectione, memoria, peritissimum quemque aduersarium prouocaui, fui vanissimus & superbissimus, qui neque me, neque illos inspexerim: Sin causam intuitus, existimaui satis me valentem esse, qui docerem hunc solem meridie lucere, debetis mihi feruorem istum concedere, quem honor IESV CHRISTI REGIS *mei, & inuicta veritas imperarunt.*

Scitis, M. Tullium in Quintiana, cùm ei Roscius victoriam adpromitteret, si efficeret argumentis, septingenta millia passuum non esse decursa biduo, non modò nihil veritum articulos & neruos Hortensij, sed ne grandiores quidem Hortensio Philippos, & Cottas, & Antonios, & Crassos, quibus maximam dicendi gloriam tribuebat, metuere potuisse. Est enim quadam veritas tam illustris & perspicua, vt eam nulla verborum rerúmue praestigia possint obruere.

Porrò liquidius est quod nos agimus, quàm illa fuit hypothesis Rosciana. Nam si hoc praestitero, cœlos esse, diuos esse, fidē esse, Christum esse, causam obtinui. Hic ego nō sim animosus? Equidem occidi possum, superari nō possum. Iis enim doctorib⁹ insisto, quos ille Spiritus erudijt, qui nec fallitur, nec vincitur. Quaeso à vobis, vt salui esse velitis. A quibus hoc impetraro, reliqua minimè dubitanter expecto. Date modò vos huic solicitudini, Christum obtestamini, industriam adiungite, profectò sentietis id, quod res est, & aduersarios desperare, & nos tam solidè fundatos, quieto magnoq; animo hanc arenam, expetere oportere. Breuior hic sum, quod reliquo sermone vos alloquor. Valete.

RATIONES OBLATI CERTAMINIS REDDITAE ACADEMICIS ANGLIAE.

PRIMA RATIO.

Sacrae Literae.



Vm multa sunt, quae aduersariorum diffidentiam in causa loquuntur: tùm nihil aequè, atque sanctorum Maiestas Bibliorum foedißimè violata. Etenim qui, posteaquàm reliquorum testium voces & suffragia contempserunt, eò sunt redacti nihilo leciùs vt stare nequeant, nisi diuinis ipsis codicibus vim & manus intulerint: Ij se profectò declarant extrema fortuna confligere, & rebus iam desperatis ac perditis experiri durißima velle atque vltima. Manichaeis quid causae fuit, vt *Euangelium Matthaei & Acta refigerent Apostolica* a? Desperatio. His enim voluminibus cruciabantur, vt qui Christum negauerant prognatum de virgine *b*, & qui Spiritum Christianis tum primò cœlitùs illapsum finxerant, cùm ipsorum Paracletus, Persa nequißimus, erupisset. Quid Ebionijs, vt *omnes Pauli repudiarent epistolas* c? Desperatio. His enim suam dignitatem retinentibus, antiquata

a. *Aug.* li. 28. *cont. Faust.* c. 2. & *de vtil. cre.* ca. 3.
b. *Matth.* 1. v. 23.
c. *Iren lib.* 1. *cap.* 26.

quata circumcisio est, quam isti reuocauerant. Quid Luthero *c*, vt epistolam Iacobi *contentiosam, tumidam, aridam, stramineam*, flagitiosus apostata nominaret, *& indignam spiritu* censeret *Apostolico*? Desperatio. Hoc enim scripto confossus miser atque diruptus est *d*, *cùm in sola fide iustitiam constitueret*. Quid Lutheri catulis, vt *Tobiam*, *Ecclesiasticum*, *Machabæos*, & horum odio complures alios *e*, eadem calumnia comprehensos, è syncero Canone repentè dispungerēt? Desperatio. His enim Oraculis disertissimè coarguuntur, quoties de Angelorum *f* patrocinio, quoties de arbitrij *g* libertate, quoties de fidelibus *h* vita defunctis, quoties de diuinorum *i* hominum intercessione disputant. Itáne verò? Tantùm peruersitatis tantū audaciæ: Cum Ecclesiā, Cōcilia, Cathedras, Patres, Martyres, Imperia, Populos, Leges, Academias, Historias, omnia vetustatis & sanctitatis vestigia conculcassent, scripto Dei verbo tantū cōtrouersias velle dirimere proclamassent, illud ipsum verbum, quod solum restiterat, exsectis è toto corpore tam multis, tam bonis, tam speciosis partibus, delumbasse? Septem enim ipsos de veteri Testamento codices, vt minuta dissimulem, Caluiniani præciderunt *k*: Lutherani verò etiam *Epistolam Iacobi*, & huius inuidia, quinque alias, de quibus aliquando fuerat & alicubi controuersum *l*. His quoq; *libellum Hesteris, & tria penè capita Danielis* annumerant nouissimi Geneuenses *m*, quæ quidē Anabaptistæ istorum condiscipuli iam pridem damnauerant atq; deriserant. Quantò modestiùs Augustinus *a*, qui sacrosanctum catalogū pertexens, non sibi, neque Alphabetum Hebraicum, vt Iudæi, neq; priuatum spiritum, vt Sectarij, pro regula posuit: sed illum Spiritum quo totum corpus Ecclesiæ Christus animat? quæ quidem Ecclesia custos huius depositi, non magistra, (quod hæretici cauillantur) thesaurū hunc vniuersum, quem Tridentina synodus *b* est amplexa, vetustissimis olim Concilijs *c* publicitùs vendicauit. Idem Augustinus *d* de vna scripturarū particula speciatim differens, inducere in animum non potest, librum Sapientiæ, qui iam tùm, Ecclesiæ calculo, temporum serie, priscorum testimonio, instinctione fidelium, vt firmus & Canonicus, robur obtinuerat, cuiusquam temeritate, vel susurro extrudi extra canonem oportere. Quid ille nùnc diceret, si viueret in terris, & Lutheros Caluinosq́ue concerneret opifices Bibliorum, qui sua lima politula & elegantula vetus nouumq́ue Testamentum raserint, neq; Sapientiam tantùm, sed & alia permulta de Canonicorum librorum ordine segregauerint: vt quicquid ex horum officina

c. Luth. in nouo testamento germanico. Præf. in ep. Iaco. vide etiam l. de ca. Ba. c. de ext. vnc. & Cēt. 2. Ma. pa. 58.
d. Iac. 2. v. 14. & seq.
e Bib. Gen.
f Tob. 12. v. 12
g. Eccl. 15. v. 17. 18.
h. 2. Mach. 12. v. 46.
i 2. Ma. 15. v. 12. 14.
k Ij sunt Baruch. Tob. Iudith. Sapiēt. Eccl. duo Ma.
l Ex no. te. ij sunt. epi. Iac. Epi. ad Hebr. Epis. Iudæ. epi. 2. Pet. ep. 2. & 3. Io. Ita cētum sent. Luth. in præf. citata Mag. cent. 1. lib. 2. c. 4. Kem. in exā. Conc. Tri. Sess. 4.
m Bibl. Genuē.
a S. August. de doct. chri. lib. 2. cap. 8.
b Conc. Tri. Sess. 4.
c Vide Melchi. Can. lib.

non prodierit, illud ab omnibus, phrenetico decreto, tanquàm incultum & horridum conſpuatur? Ad hoc tàm dirum & execrabile perfugium qui deſcenderint, ij certè licèt in ore ſuorum aſſeclarum volitent, Sacerdotia nundinentur, declamitent in concione, ferrũ in Catholicos, eculeum, crucemq́; conſciſcant, tamen victi, abiecti, ſqualidi, proſtrati ſunt, quãdoquidèm arrepta virgula cenſoria, velut arbitri ſedentes honorarij, diuinas ipſas tabulas, ſi quæ ad ſtomachum non feciſſent, obliterant. Ecquis eſt, vel mediocriter inſtitutus, qui talium cuniculos hoſtium reformidet? qui hoſtes, quamprimùm in corona veſtra eruditorum hominum, ad eiuſmodi veteratorias artes, tanquàm ad familiarem dæmonem currerent, non aurium conuitio, ſed ſtrepitu pedum exciperentur. Quærerem ab illis verbi gratia, quo iure corpus Biblicum detruncent atque diripiant. Reſpondent, non ſe veras ſcripturas excindere, ſed excernere ſuppoſititias. Quo iudice? Spiritu ſancto. Hoc enim reſpõſum à Caluino *a* præſcribitur, vt Eccleſiæ iudicium, quo ſpiritus examinantur, ſubterfugiat. Cur igitur alias alij lancinatis, cùm omnes eodem ſpiritu gloriemini? Caluinianorũ ſpiritus recipit ſex epiſtolas, quæ ſpiritui non placent Lutherano, freti tamen vterq; ſancto ſpiritu. Anabaptiſtæ, hiſtoriam Iobi fabulam *b* appellant, tragicis & comicis legibus intermixtam. Quî ſciunt? Spiritu docente. Caſtalio, *c* myſticũ illud Salomonis Canticum, quod, vt paradiſum animæ, vt manna reconditum, vt opiparas in Chriſto delicias Catholici admirantur, nihilo pluris, quàm cantilenam de amicula, & cum pediſſequis aulæ colloquium amatorium, venereus furcifer, æſtimauit. Vnde hauſit? à ſpiritu. In Apocalypſi Ioannis, cuius omnes apices excelſum aliquid & magnificum ſonare confirmat Hieronymus *d*, tamen Lutherus *e* & Brentius & Kemnitius *f* quidam, neſcio quid, difficiles Ariſtarchi deſiderant, eò ſcilicet propendentes vt exauctoretur. Quem percontati? ſpiritum. Quatuor Euangelia ſeruore præpoſterò Lutherus *g* inter ſe committit, & prioribus tribus epiſtolas Pauli longè præferens, *vnum deinceps Euangelium Ioannis, pulchrum, verum, præcipuum* decernit eſſe nominandum, quippe qui, quod in ipſo fuit, libenter etiam Apoſtolos ſuarum rixarum ſocios adſcripſiſſet. Quo doctore? ſpiritu. Quin etiam iſte fraterculus non dubitauit Euangelium Lucæ petulanti ſtylo perſtringere, *h* quòd in eo crebriùs bona nobis virtutum opera commendentur. Quem interrogauit? ſpiritum. Theodorus Beza *i* verbum illud arcanum ex Lucæ vigeſimo

ſecundo

2. de lo. Theolog. cap. 9. 10. 11.
d *August. de Præd. Sanct. cap. 14.*
a *Caluinus Inſt. li. 1. ca. 7. nu. 4. et 5.*
b *Xiſt. Sen. lib. 8. Hæreſi. 10.*
c *Seb. Caſtal. Præf. in Can. Vide Bezam in ſua præfa. ante cõment. Caluini in Ioſue.*
d *S. Hie. Ep. ad Pauli.*
e *Lutherus. præf. in Apo.*
f *Kemnit. in exam. Conc. Trid. ſeſſ. 4.*
g *Lutherus præf. in nouũ teſtam. germanicum.*
h *Lutherus. Ser. de Phar.*

secundo capite, *Hic est calix, nouum testamentū in sanguine meo, qui* (calix) *& Public.*
k pro vobis fundetur: ausus est, vt corruptum vitiatumque traducere, *i Beza. In*
quòd hæc oratio nullam expositionem nisi de vino calicis conuer- *Luc. 22. cap.*
so in verum Christi sanguinem patiatur. Quis indicauit? spiritus. *v 20.*
Denique cùm omnia credant, suo quisq; spiritui, nomen Sancti Spi- *k ποτήρι-*
ritus horribili blasphemia mentiuntur. Qui sic agunt, nónne se pro- *ον ἐκχυ-*
dunt? nónne facilè refutantur? nónne in consessu talium virorum, *νόμενον.*
quales estis Academici, tenentur, ac minimo negotio constringuntur? Cum his ego timeam pro fide Catholica disputare, qui pessima fide, voces non humanas, sed æthereas tractauêre? Nihil hîc dico, quę vertendo peruerterint, quamuis intolerabilia sint quæ accusem. Gregorio Martino scientissimo linguarum, collegæ meo, qui doctiùs & pleniùs hoc præstabit, nihil præripio, nec aliis, quibus id laboris esse iam præ manibus intellexi. Facinorosius crimē est ac tetri⁹, quod nunc persequor: inuentos esse doctorculos, qui temulento quodā impetu in cœleste chyrographum inuolarint: idipsum pluribus locis, vt mutilatum, vt mancum, vt falsum, vt surreptitium condemnarint: eius partes aliquas correxerint, aliquas corroserint, aliquas euulserint: Hinc omne propugnaculum, quo muniebatur, in Lutheranos spiritus, tanquàm in valla phantasmatum pictósque parietes commutarint, ne prorsus obmutescerent, cùm in scripturas erroribus suis infestas impingerent, quas nihilo commodiùs expedire, quàm sorbere fauillas aut saxa mandere potuissent.

Hęc ergo mihi prima ratio vehemens & iusta fuit, quæ vbi partes aduersarias vmbraticas, & fractas ostendisset, animum sanè addidit viro, & Christiano, & in his studijs exercitato, pro sempiterni Regis diplomate aduersus reliquias profligatorum hostium decertandi.

SECVNDA RATIO.

ALterum est, quod me quidem ad congressum incitarit, & *Sacrarum*
horum apud me copiolas eleuarit, aduersarij perpetuum *Literarum*
in scripturis exponendis ingenium plenum fraudis, ina- *sententia.*
ne prudentiæ. Statim hæc Philosophi tangeretis; itaque vos auditores expetij.

Sciscitemur ab aduersarijs, exempli gratia, quidnam secuti nouam sectam intriuerint, qua Christus excluditur è cœna mystica? Si nominant Euangelium, accurrrimus. A nobis verba sunt. *Hoc est*

 a corpus

a Matt. 26. v. 26. Marc. 14. v. 22. Lu. 22. v. 19. b Matth. 26. v. 28. Marc. 14. v. 24. c Luther. in epi. ad Argē. d Matth. 8. v. 29. Mar. 1. v. 24. e Luc. 22. v 19. Matth. 26. v. 28. f Marc. 14. v. 24. g Marc. 14. Luc. 22. h 1. Cor. 10. & 11. i Matth. 16. a Ioan. 6.

a *corpus meum. Hic est sanguis* b *meus.* Qui sermo visus est ipsi Luthero tam potens, vt cùm etiam discuperet fieri Zuinglianus, quòd ea re plurimùm incommodare Pontifici potuisset: captus tamen & vinctus apertissimo contexu *c* cederet, neque minùs inuitus Christum verè præsentem in Sacramento sanctissimo fateretur, quàm olím dæmones *d* victi miraculis Christum DEI filium vociferati sunt. Agedum, pagella scripta superiores sumus, de sententia scripti contenditur. Hanc peruestigemus ex verbis adiacentibus. *Corpus meum e quod pro vobis datur. Sanguis meus f qui pro multis effundetur.* Adhuc durissimæ partes Caluini sunt, nostræ faciles & explicatę. Quid amplius? Conferte Scripturas, inquiunt. Maximè. Conspirant Euangelia *g* Paulus adstipulatur *h* Voces, clausulæ, tota connexio, panè viuum, insigne miraculum *i* cœleste pabulum, carnem, corpus, sanguinem, reuerenter ingeminant *a*. Nihil ænigmaticum, nihil offusum caligine loquendi. Tamen perstant aduersarij, neque vllum finem faciunt altercandi. Quid agimus? Opinor, audiatur antiquitas, & quod nos alteris alteri suspecti non possumus, illud omnium sęculorum veneranda canicies, Christo propior, ab hac lite remotior, decidat arbitrio. Non ferunt, prodi se aiunt, DEI verbum purum putum inclamant, hominum commentarios auersantur. Insidiosè, ineptè. DEI verbum perurgemus: obscurant: Diuos testamur interpretes: obsistunt. In summa, sic instituunt, nisi reorum iudicio steteris, nullum iudicium fore. Atque ita se gerunt in omni quam exercemus controuersia. De infusa gratia, de inhærente iustitia, de Ecclesia conspicua, de necessitate baptismatis, de Sacramentis & Sacrificio, de piorum meritis, de spe & timore, de peccatis imparibus, de auctoritate Petri, de clauibus, de votis, de consilijs Euangelicis, de cæteris, scripturas neque paucas & ponderosas Catholici passim in libris, in colloquijs, in templis, in schola citauimus atque discussimus: eluserunt. Veterum scholia Græcorum & Latinorum admouimus: abnuerunt. Quid tum denique? Doctor Martinus Lutherus, aut verò Philippus, aut certè Zuinglius, aut sine dubio Caluinus & Beza fideliter enarrarunt. Egóne quenquam vestrum existimem tam esse mucosis naribus, qui hoc artificium monitus non persentiscat? Quare fateor me scholas Academicas cupidè requirere, vt inspectantib⁹ vobis, calamistratos istos milites in solem & puluerem è suis vmbraculis euocatos, non meis viribus, qui cum vestris, centesima parte, non sum cōferend⁹, sed valentissima causa & certissima veritate debilitē.

TERTIA RATIO.

AVdito Ecclesiæ nomine, hostis expalluit, Sed tamen excogitauit quiddam, quod à vobis animaduerti volo, vt falsi ruinam & inopiam cognoscatis. Senserat in scripturis tum Propheticis, tum Apostolicis, vbique honorificam Ecclesiæ fieri mentionem: vocari ciuitatem *sanctam* a, *fructiferam vineam* b, *montem excelsum* c, *directam viam* d, *columbam vnicam* e, *regnum Cœli* f, *sponsam* g, *& corpus Christi* h, *firmamentum veri* i, *multitudinem illam*, cui spiritus promissus instillet omnia salutaria k: illam, in quam vniuersam, nullæ sint vnquam fauces diaboli morsum letiferum l impacturæ: illam, cui quicunque repugnet, quantumuis ore Christum prædicet, non magis Christo, quàm publicanus aut Ethnicus m potiatur. Non est ausus contrauenire sonitu, videri noluit Ecclesiæ quam toties Scripturæ commemorant, refragari, nomen callidè retinuit, rem ipsam funditùs, definiendo sustulit. His enim proprietatibus delineauit Ecclesiam, quæ penitùs ipsam occulant, & dimotam à sensibus, tanquàm idêam Platonicam, secretis obtutibus hominum perpaucorum subijciant a, eorum tantummodò qui singulariter afflati, corpus hoc aërium intelligentia comprehenderent, & huiusce sodalitatis participes subtili quodam oculo lustrarent. Vbi candor? Vbi simplicitas? Quæ scripturæ, quæ sensa, qui patres, hoc penicillo depingunt Ecclesiam? Sunt Christi ad Asiaticas b ecclesias, sunt Petri, Pauli, Ioannis, aliorum, ad diuersas epistolæ: frequentes in Actis Apostolicis inchoantur & propagantur Ecclesiæ c. Quid istę? num soli DEO & sanctis hominibus, an Christianis etiam cuiuscunque generis manifestæ? Sed profectò durum telum necessitas est. Ignoscite. Nam qui sęculis omninò quindecim, non oppidum, non villam, non domum reperiunt imbutam doctrina sua, donec infelix monachus d incesto connubio votam DEO virginem funestasset, aut Heluetus gladiator e in patriam coniurasset, aut stigmaticus perfuga f Geneuam occupasset: Ij coguntur Ecclesiam, si quam volent, in latebris venditare, & eos parentes asserere, quos nec ipsi nouerint, neq; mortaliũ quisquam aspexerit. Nisi fortè gaudent maioribus illis quos hæreticos fuisse liquet, vt Aërio, Iouiniano, Vigilantio, Heluidio, Iconomachis, Berengario, VValdensibus, Lolhardo, VViclefo, Husio, à quibus pestifera quædã fragmẽta dogmatũ emendicarint. Nolite

Natura Ecclesiæ.
a Apoca. 21. v. 10.
b Psalm. 79. v. 9.
c Isa. 2.
d Isa. 35. v. 8.
e Cãt. 6. v. 8.
f Matth. 13. v. 24.
g Cã. 4. v. 8.
h Ephes. 5. v. 23. & 1. Corinth. 12. v. 12.
i 1. Timot. 3. v. 15.
k Ioan. 14. v. 26.
l Matth. 16. v. 18.
m Matt. 18. v. 17.
a Cal. Inst. lib. 4. cap. 1. num. 2. & 3.
b Apo. 1. 2. 3.
c Act. 8. 10. 11. & seq.
d Lutherus.
e Zuinglius.
f Caluinus.
Henric. Pantal. in Chronograph.

Nolite mirari si fumulos istos non pertimui, quos, modò ad meridianam lucem venero, minimè fuerit laboriosum dispellere. Hæc est enim nostra sermocinatio. Dic mihi, subscribis Ecclesię, quæ sæculis anteactis viguit? omninò. Obeamus ergo terras & tempora: cui? cœtui fidelium. Quorum? nomina nesciuntur, sed constat plurimos extitisse. constat? quibus constat? DEO. quis dicit? nos, qui diuinitùs edocti sumus. fabulæ. qui credam? si arderes fide, tam scires hoc, quàm te viuere.

Spectatum admissi risum teneatis?

Iuberi Christianos omnes adiungere se Ecclesiæ, cauere ne spirituali gladio trucidētur, in domo DEI pacem colere, huic animas credere columini veritatis, isthìc querelas omnes deponere, hìnc eiectos habere pro Ethnicis, nescire tamen tot centenis, tot homines, vbinam illa sit, quíue hûc pertineant? Vnum illud crepare in tenebris, vbi, vbi sit Ecclesia, tantummodò sanctos & in æthera destinatos ea contineri? Ex quo fit, vt si quis imperium sui prӕsulis detrectare velit, scelere soluatur, dummodò sibi persuadeat presbyterum in crimen incidisse, & ab Ecclesia protinùs excidisse. Cùm scirem aduersarios talia comminisci, quòd nullius ætatis Ecclesiæ consueuissent, & orbatos tota re, velle tamèn inter angustias vocabulum possidere, solabar me vestro acumine, atq; adeò mihi pollicebar fore, vt quamprimùm huiusmodi technas ex ipsorum confessione cerneretis, statim homines ingenui & cordati stultas argutias in vestram intextas perniciem discinderetis.

QVARTA RATIO.

Concilia.

GRauis, Ecclesia nascente, quæstio de legitimis cæremonijs, quæ credentium animos disturbauit, coacto Apostolorū & seniorum concilio, soluta est. Credidère parentibus filij, pastoribus oues, in hæc verba mandantibus: *Visum est Spiritui sancto & nobis* a. Secuta sunt ad extirpandam hæresim, quæ varia quibusq; sæculis pullulauit, œcumenica veterum cócilia quatuor, tantæ firmitudinis, vt ijs, ante annos mille, singularis honos tanquàm diuinis vocibus haberetur b. Non abibo longiùs. Etiam domi nostræ, comitijs regni, eadem concilia pristinum ius, inuiolatamq; dignitatem obtinent. Hæc citabo, teq; ipsam c, Anglia, dulcissima patria, contestabor. Si quemadmodùm præ te fers, quatuor ista Con-

a *Actor.* 15. v.28.

b *Greg. li.* 1. *epist.* 24.

c *An.* 1. *Elis.*

Concilia reuerebere, summum honorem primæ sedis Episcopo, id est, Petro deferes *d*: Incruentũ corporis & sanguinis Christi sacrificiũ in altari recognosces *e*: Beatos Martyres, diuosque omnes cœlites, vt pro te Christo supplicent, obsecrabis *f*: Mulierosos apostatas ab infando concubitu & incestu publico coercebis; *g* multa facies quæ demoliris, multa quæ facis, infecta voles *h*. Porrò Synodos aliorum temporũ, nominatim verò Tridentinam, eiusdem auctoritatis ac fidei cum primis illis fuisse, quandò vsus venerit, demonstraturum me spondeo atq; recipio. Auctus igitur Conciliorum omnium valido & exquisito præsidio, cur non ingrediar in hanc palæstram animo tranquillo & præsenti, obseruatur[9] aduersariũ quò se proripiat? Nã & euidẽtissima producã, quę distorquere nõ poterit, & probatissima, quę respuere nõ audebit. Fortassè verbosiùs obloquẽdo diẽ extrahere conabitur: sed ab intẽtis hominib[9], si vos ego benè noui, nec aures nec oculos cõpilabit. Quòd si quis erit omninò tã demẽs, qui se vnũ opponat senatorib[9] orbis terræ, & ijs quidèm omni exceptione maiorib[9], sanctioribus, doctiorib[9], vetustiorib[9], libenter aspiciã illud os, quod vbi vobis ostendero, reliqua cogitationib[9] vestris relinquã, interim hoc monebo: Qui pleno Concilio ritè atque ordine consummato momentum & pondus abrogat, videri mihi nullo consilio, nullo cerebro, neque solùm in Theologis tardum, sed etiam in politicis inconsultum. Si vnquam DEI Spiritus illuxit Ecclesiæ, certè illud est tempus immittendi Numinis, cùm omnium Ecclesiarum quæ sunt in terris patentissimæ, religio, maturitas, scientia, sapientia, dignitas, vnam in vrbem confluxerint, adhibitisque modis omnibus, diuinis & humanis quibus indagari veritas possit, promissum implorent Spiritum *i*, quò salutariter & prudenter sanciant. Prosiliat nunc aliquis factionis hæreticæ magistellus, attollat supercilia, suspendat nasum, frontem perfricet, iudicesq; suos scurriliter ipse iudicet. Quos ille ludos, quos iocos dabit? Repertus est Lutherus *a* qui diceret, anteferre se concilijs, duorum suffragia bonorum & eruditorum hominum (putatote suum & Philippi) si quando in Christi nomine consensissent. O circulos. Repertus est Kemnitius *b*, qui concilium Tridentinum ad suos vertiginis importunæ calculos exegerit. Quid lucratus? infamiam; dum iste, nì cauerit, sepelietur cum Arrio, Tridentina synodus quò magis inueterascet, eò magis indies eoq; perenniùs efflorescet. Bone DEVS quæ gentium varietas, qui delectus Episcoporũ totius orbis, qui Regum & Rerum-

C publi-

d *Nic. can. 6. Chalc. act. 4. & 16. Constantino. c. 5.*
e *Eph. conc. in epist. ad Nestorium.*
Nic can. 14.
f *Chal. act. 11.*
g *Nic. conc. apud Soc lib. 1. cap. 8.*
h *Vide Chal. Can. 4. 7. 16. & 24.*
i *Matth. 18. v. 20. Io. 14. v. 26.*
a *Lutherus. lib. de capt. Babil.*
b *Martini Kemnitij examen Conc. Tridentini.*

publicarum ſplendor, quæ medulla Theologorum, quæ ſanctitas, quę lachrymæ, quæ ieiunia, qui flores Academici, quæ linguæ, quanta ſubtilitas, quantus labor, quàm infinita lectio, quantæ virtutum & ſtudiorum diuitiæ, auguſtum illud ſacrarium impleuerunt? Audiui ego Pontifices exultantes, & in his Antonium Archiepiſcopum Pragenſem, à quo ſum creatus presbyter, ampliſsimos, & prudentiſsimos viros, quòd in ea ſchola hæſiſſent aliquot annis: vt nullũ Ferdinandi Cæſaris, cui multùm debuerant, regalius & vberius in ſe beneficium colerent, quàm hoc fuit, quòd in Tridentino gymnaſio legati ex Pannonia conſediſſent. Intellexit hoc Cæſar, qui reuerſis ita gratulatus eſt. *Aluimus vos in ſchola optima.*

Hûc inuitati fide publica cur non properarunt aduerſarij, vt eos palam refellerent, in quos ranunculi coaxant è cauernulis? Huſsio & Hieronymo frēgere fidem, inquiunt. Qui? Conſtantienſis conci-
Ioan Huß. lij proceres. Falſum eſt. Nullam enim dedére; Sed nec in Huſsium tamen animaduerſum fuiſſet, niſi homo perfidioſus, & peſtilens, retractus ex fuga quam ei Sigiſmundus Imperator periculo capitis interdixerat, violatis etiam conditionibus quas ſcripto pepigerat cum Cæſare, vim omnem illius diplomatis eneruaſſet. Feſellit Huſsium præcipitata malitia. Iuſſus enim, cùm barbaras in ſua Boëmia tragœdias excitaſſet, ſemetipſum ſiſtere Conſtantiæ, deſpexit prærogatiuam Concilij, ſecuritatem petijt à Cæſare. Cæſar obſignauit, Chriſtianus orbis reſignauit, maior Cæſare, redire ad mentem hæreſiarcha
Hier. Prag. noluit, perijt. Hieronymus verò Pragenſis furtim venit Conſtantiam, protectus à nemine, deprehenſus comparuit, perorauit, habitus eſt perbenignè, liber abijt quo voluit. ſanatus eſt, hæreſim eiurauit, relapſus eſt, exuſtus eſt. Quid toties vnum exemplum de ſexcentis
Anno 1518. exagitant? Repetant annales ſuos. Martinus ipſe Lutherus, odiũ DEI & hominum, Auguſtæ poſitus coram Cardinale Caietano, nónne quod potuit, eructauit, & Maximiliani literis communitus, exceſsit?
Anno 1521. Idem accitus Vvormatiam, cùm & Cæſaré & pleroſq; Imperij Principes haberet infenſos, nónne Cæſaris verbo tutus fuit? Poſtremò Lutheranorum & Zuinglianorum capita, præſente Carolo quinto, hæreticorum hoſte, victore, domino, nónne datis inducijs, conſeſsiones ſuas toties innouatas exhibuêre comitijs Auguſtanis, & ſoſpites abiêre? Haud ſecus literæ Tridentinæ locupletiſsimas aduerſario cautiones prouiderant a: vti noluit. Nimirum ſe iactat in angulis, in quibus vbi tria verba Gręca ſonuerit, ſapere videatur: abhorret à luce, quę

Auguſtana Confeſsio.
a Vide Conc. Trid. Seſ. 13. 15. & 18.

ce, quę literatorem in numero poneret, & ad honesta subsellia deuocaret. Catholicis anglis tale chryographum impunitatis impetrent, si diligunt salutem animarum. Nos Husſium non causabimur, in curiam, verbo Principis innixi, conuolabimus.

Sed vt vndè sum egressus eò regrediar, Concilia generalia mea sunt, primum, vltimum, media, his pugnabo. Hastam expectet aduersarius amentatam, quam euellere nunquàm poterit. Prosternatur in eo Sathanas, Christus viuat.

QVINTA RATIO.

ANtiochiæ, qua primùm in vrbe, Christianorum nobile cognomentum increbuit, doctores *a*, id est, eminentes Theologi, & Prophetæ, id est, concionatores perquàm celebres, floruerūt. Huiusce generis *scribas sapientes, doctos in regno Dei, noua promentes & vetera* b, Christum callentes & Moysem, Dominus ipse futuro gregi prospexerat. Hos ingentis beneficij loco donatos explodere, quanti maleficij est? explosit aduersarius. Quid ita? quia stantibus illis concidisset. Id ego cùm pro certissimo comperissem, pugnam simplicitèr exoptaui, non illam iocularem, qua turbæ velitantur in compitis, sed istam seueram & acrem, qua congredimur in vestris philosophorum spacijs.

——— *Pede pes, densusq́; viro vir.*

Ad Patres si quando licebit accedere, confectum est prælium. Tam sunt nostri, quàm Gregorius ipse decimus tertius, filiorum Ecclesiæ Pater amantissimus. Nam vt omittam loca sparsa, quę ex monimentis veterum conquisita, nostram fidem appositè affirmateque propugnant, tenemus horum integra volumina, quę de industria religionem, quam tuemur Euangelicam distinctè copiosèq́; dilucidant. Duplex Hierarchia Martyris *c* Dionysij, quas classes, quæ sacra, quos ritus edocet? Pupugit ea res Lutherum *d* tam valdè, vt huius opera *simillima somnijs, nec non perniciosissima* iudicaret. Imitatus parentem Caussæus *e*, nescio quis terræ filius ex Gallia, non est veritus hunc Dionysium inclytæ gentis Apostolum, vocitare *delirum senem.* Centuriatores *f* vehementer offendit Ignatius, offendit & Caluinum, vt in eius epistolis *deformes næuos & putidas nanias* g hominum quisquiliæ notarint, Censoribus illis *fanaticū quiddā* i Irenęus edidit: Clemens auctor Stromatum, *Zizania fecesq́;* k protulit: reliqui patres

Patres.
a *Act.* 13. v. 1
1. *Corint.* 12. v. 28.
Eph. 4. v 11.
1. *Corint.* 14. v. 1. *& seq.*
b *Matth.* 13. v. 52.
c *S. Dion. Areopag. de q. vide.* 6. *Syn. Act.* 4 *Ado. Tren. in martyrol. Syng. Suid. Metap.*
d *Luther. in Comment. in* 1. 13. 17 *De. Item in Capti. Babil.*
e *Caussæus. Dial.* 5. *et* 11.
f *Cē.* 2. *c.* 10.
g *Caluinus. Inst. li.* 1. *ca.* 13. *nu.* 29.
h *Cen.* 2. *c.* 5.
i *Vide cen* 1. *li.* 2. *cap.* 10. *& seq.*

patres huius æui sanè Apostolici viri, *blasphemias a & monstra posteris reliquerunt.* In Tertulliano rapiunt auidè, quod à nobis edocti, nobiscum communiter detestentur: sed meminerint, libellum de præscriptionibus *b*, qui nostri temporis sectarios tam insigniter perculit, nunquàm fuisse reprehensum. Hippolitus Portuensis *c* Episcopus, quàm bellè, quàm clarè, Antichristi neruum, Lutherana tempora, præmonstrauit? Eum propterea *scriptorem infantissimum & laruam d* nominant. Cyprianum, delicias & decus Africæ, Gallicanus ille criticus *e*, & Magdeburgici *f*, *stupidum & destitutum Deo & deprauatorem pœnitentiæ* nuncuparunt. Quid admisit? Scripsit enim de virginibus, de lapsis, de vnitate Ecclesiæ tractationes eiusmodi, eas etiã epistolas Cornelio Romano Pontifici, vt nisi fides huic martyri detrahatur, Petrus Martyr, Vermilius omnesq; cum eo fœderati, peiores adulteris & sacrilegis habeantur. Ac ne singulis insistam diutiùs, Patres huius seculi damnantur omnes, *quippe qui, doctrinam de pœnitentia mirè deprauarint g.* quo pacto? nam austeritas Canonum, quę viguit ea tempestate, maiorem in modum displicet huic sectæ plausibili, quæ triclinijs aptior quàm templis, voluptarias aures titillare, & puluillos omni cubito *h* solet assuere. Quid ætas proxima, quid peccauit? Chrysostomus & ij Patres *iustitiam fidei fœdè* i videlicet *obscurarunt.* Nazianzenus, quem, honoris causa, Theologum veteres appellarunt, Caussæo iudice *a Fabulator, quid affirmaret, nesciit.* Ambrosius *à Cacodæmone fascinatus est.* Hieronymus *æquè damnatus atque diabolus, iniuriosus Apostolo* b, *blasphemus, sceleratus, impius. Vnus* Gregorio Massouio c *pluris est Caluinus, quàm centum Augustini.* parum est centum. Lutherus d *nihili facit aduersum se mille Augustinos, mille Cyprianos, mille Ecclesias.* Longiùs rem deducere, superuacaneum puto. Nam in hos qui bacchantur, quis miretur in Optatum, Athanasium, Hilarium, Cyrillos, Epiphaniũ, Basilium, Vincentium, Fulgentium, Leonem, Gregoriumq; Romanum fuisse procacissimos?

Quanquàm si datur vlla rebus iniustis iusta defensio, non inficior, habere Patres, vbicunque incideris, quod isti, dum sibi consentiunt, necessariò stomachentur.

Etenim qui odêre stata ieiunia, quo animo oportet esse in Basilium, Nazianzenum, Leonem, Chrysostomum, qui de Quadragesima, & indictis ieiuniorum feriis, tanquàm de rebus iam vsitatis, conciones egregias publicarunt?

Qui suas animas auro, libidine, crapula, & ambitiosis conspectibus

a *Vide cen. 1. li. 2 cap. 10. & seq.*
b *Tertul. Li. de præscrip. cont. hæret.*
c *Hip. Orat. de cons. secu.*
d *Iuel. &c.*
e *Caus. dial. 8. & 11.*
f *Cent. 3. capit. 4.*
g *Centur. 3. capit. 4. Canon. pænit. veteres.*
h *Ezech. 13. versic. 18.*
i *Præf. in centur. 5.*
a *Causæus. Dial. 6. 7. 8.*
b *Beza in Act. Apost. 1. 23. v. ?.*
c *Teste Stãc. Lib. de Trin.*
d *Luth. Lib. contra Henr. Reg. Angl.*

bus vendiderunt, possúntne non esse inimicissimi Basilio, Chrysostomo, Hieronymo, Augustino, quorum excellentes libri de Monachorum instituto, regula, virtutibus teruntur?

Qui captiuam hominis voluntatem inuexêre, qui Christiana funebria sustulêre, qui diuorum reliquias incendêre, sintne placabiles Augustino, qui de Libero Arbitrio, libros tres, De cura pro mortuis, vnum, De miraculis ad Basilicas & memorias martyrum, prolixum caput nobilissimi operis *a* & conciones aliquot *b* exarauit?

Qui fidem suis captiunculis metiuntur, nónne succenseant Augustino, cuius est insignis epistola contra Manichæum, qua se profitetur *c* Antiquitati, Consensioni, successioni perpetuæ, & Ecclesiæ quæ sola inter tot hæreses Catholicæ nomen vsucapione vendicat, assentire?

Optatus Mileuitanus Episcopus, Donatianam partem reuincit *d* ex communione Catholica, nequitiam accusat *e* ex decreto Melchiadis, hæresim refutat *f* ex ordine Romanorum Pontificum, insaniam patefacit ex Eucharistia *g* & chrismate contaminatis, sacrilegium horret *h* ex diffractis altarib*, *in quibus Christi membra portata sunt* pollutisque calicibus, i *qui Christi sanguinem tenuerunt*. De Optato quid sentiant, aueo scire, quem Augustinus *k* vt venerabilem & Catholicum Episcopum, Ambrosio parem & Cypriano, quem Fulgentius *l* vt sanctum & fidelem Pauli interpretem, Augustini similẽ & Ambrosij, meminerunt.

Athanasij symbolum in templis concinunt. Num fauent ei?qui Antonium Eremitam Aegyptium *m*, grauis auctor, accurato libello dilaudauerit, quique cum Alexandrina Synodo *n*, iudicium sedis Apostolicæ, Diui Petri, suppliciter appellarit?Prudentius in hymnis quoties precatur martyres quos decantat? quoties ad eorum cineres & ossa regem martyrum veneratur? Num hunc probabunt?

Hieronymus pro Diuorum reliquijs & honoribus scribit in Vigilantium: In Iouinianum, pro virginitatis gradu. Hunccinè patientur?

Ambrosius *o* tutores suos Geruasium & Protasium, celebritate notissima, in Arrianam ignominiã honestauit: cui facto diuinissimi Patres *p* encomion tribuere: quod factum, DEVS *p* non vno prodigio decorauit. Num beneuoli sunt Ambrosio futuri?

Gregorius magnus noster Apostolus, planissimè noster est, eoq; nomine nostris aduersarijs odiosus, quem Caluini rabies negat in schola

a *Augustin. li. 22. de ci. Dei cap* 8.
b *Ser. de diuers.* 34. *& seq.*
c *Augustin. cõr. ep. Man. quam vocant funda. ca.* 4.
d *Optatus. li.* 1. *&* 2. *cõ. Parmeni.*
e *Lib.* 1.
f *Lib.* 2.
g *Lib.* 2.
h *Lib.* 6.
i *Lib.* 6.
k *Augu. li.* 1. *con Parmen. & De vnit. ca.* 16. *& li.* 3. *de Doctri. Christ. c.* 40.
l *Fulgent li.* 2. *ad Monim.*
m *Vide San. Hier. de scri. Eccles.*
n *Vide epist. Synod. Alex. ad Feli.* 2.
o *Vide epist. D. Ambr. ad Ital. Tom.* 3. *Surij et eius. Amb. epi.* 85. *Item ser.* 91.
p *Aug. lib.* 22 *de Ciuit. Dei cap.* 18. *Gre. Turo. li. de glor. mar. cap.* 46. *Metaphrast.*

schola Sancti Spiritus educatum, *q* propterea quòd sacras imagines, illiteratorum libros appellasset.

q *Calu. Inst. lib. 1. cap. 11. num. 5.*

Dies me deficeret numerantem Epistolas, Conciones, Homilias, Orationes, Opuscula, Disceptationes Patrū, in quibus ex apparato, grauiter & ornatè nostra Catholicorum dogmata roborarūt. Quàm diu apud bibliopolas ista venierint, tàm diu frustrà nostrorum codices prohibentur: frustrà seruantur aditus oræque maritimæ: frustrà domus, arcæ, scrinia, capsulæ disquiruntur; frustrà tot portis minaces tabulæ suffigūtur. Nullus enim Hardingus, nec Sanderus, nec Alanus, nec Stapletonus, nec Bristolius hæc noua somnia vehementiùs, quàm hi quos recensui Patres, insectantur. Talia cogitanti accreuit animus & desiderium pugnæ, in qua, quoquò se mouerit aduersarius, nisi gloriam DEO cesserit, ferret incommodum; Patres admiserit: captus est; excluserit: nullus est.

Adolescentibus nobis ita contigit. Ioannes Iuellus antesignanus Caluinianorum Angliæ, Catholicos ad Diui Pauli Londinensium, incredibili iactantia lacessiuit, inuocatis per hypocrisin & imploratis Patribus, quicunq; intra salutis annum sexcentesimum claruissent. Accipiunt conditionem memorabiles viri, qui tùm exulabant Louanij, summis licèt difficultatibus propter iniquitatem suorum temporū circumsepti. Ausim dicere, tanto popularibus nostris bono fuisse illam Iuelli astutiam, inscitiam, improbitatem, impudentiam, quas ij scriptores feliciter expanderunt, vt vix aliud quidquam memoria mea prouenerit Anglorum Ecclesiæ laboranti fructuosius. Edictum continuò valuis appenditur, ne qui codices illiusmodi legerentur, néue haberentur, cùm tantis clamorib⁹ propemodùm extorti prodijssent, didicére quicunq; negotium attigissent, Patres fuisse Catholicos, id est, nostros.

Neque hoc sibi suisq; vulnus inflictum Laurentius Humfredus tacuit: qui cùm altè Iuellum quoad cætera sustulisset, vnā ei notam aspersit inconsiderantiæ, quòd Patrum calculos recepisset: quibuscum sibi nihil esse commercij, nec fore, sine vlla circuitione proloquitur.

Lib. de vit. Iuel.

Pertentauimus etiam familiariter aliquandò Tobiam Matthęum, qui nunc in concionibus dominatur, quem propter bonas artes & virtutum semina dileximus, vt responderet ingenuè, possétne qui Patres assiduus lectitaret, istarum esse partium quas ille suaserat. Retulit, non posse, si pariter eos legeret, ijsq; crederet. Verissimum hoc

verbum

verbum eſt, neq; aliter, aut eum nunc, aut Matthæum Huttenũ, qui vir nominatus in paucis, verſare Patres dicitur, aut reliquos aduerſarios qui hoc faciunt, ſentire arbitror.

Hactenùs ergo ſecurus in hanc aciem potui deſcendere, bellaturus cum ijs, qui quaſi auribus lupum teneant, æternam cauſæ maculam cogantur inurere, ſiue recuſent Patres, ſiue depoſcant. Nam in altero fugam adornant, in altero ſuffocantur.

SEXTA RATIO.

SI quibus vnquam cordi curæq; fuit id, quod maximoperè noſtris fuit & eſſe debet, *Scrutamini ſcripturas:* facilè principes & palmares in hoc genere ſanctiſsimi Patres extitêre. Horum opera ſumptuque, tot gentibus & linguis tranſcripta Biblia & importata ſunt: Horum periculis & cruciatibus, erepta de flammis hoſtilibus & vaſtitate: horum laboribus & vigilijs, omnem in partem enucleata ſtudioſiſsimè, die noctuq; ſacras literas imbibêre, de ſuggeſtis omnibus ſacras literas edidêre, immenſa volumina ſacris literis ditauêre, fideliſsimis commentarijs ſacras literas explicuêre, cibos & inediam ſacris literis condiêre, occupati deniq; ſacris in literis ad ſenectutem decrepitam peruenêre. Firmamẽta Patrum. *Ioã.* 5. v. 39.

Quòd ſi frequentes ipſi quoque ab auctoritate Maiorum, ab Eccleſiæ praxi, à Succeſsione Pontificum, à concilijs œcumenicis, à Traditionibus Apoſtolicis, à cruore Martyrum, à Scitis Præſulum, à viſis euentiſq; mirabilibus argumentati ſunt: tamen omnium maximè & libentiſsimè Sanctarum literarũ teſtimonia denſa conglobãt, hęc premunt, in his habitãt, hui: *armaturæ fortium*, duces robuſtiſsimi, ſarta tecta Ciuitatis DEI contra nefarios impetus quotidiè munientes, optimo iure, primas partes honoratiſsimaſque porrigunt. *Cãt.* 4. v. 4.

Quò magis demiror illam exceptionem aduerſarij ſuperbam & fatuam, qui velit aquam in profluente quæritans, ſic in ſcripturis confertiſsimis ſcripturarum penuriam obiectat. Tantiſper ſe Patribus aſſenſurum dicit, dum Sacris literis adhæreſcunt. Num loquitur ex animo? Curabo igitur procedant armati atq; ſtipati Chriſto, Prophetis, Apoſtolis atque omni apparatu Biblico, celeberrimi auctores, antiquiſsimi Patres, ſanctiſsimi viri, Dionyſius, Cyprianus, Athanaſius, Baſilius, Nazianzenus, Ambroſius, Hieronymus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Latinuſque Gregorius. Regnet in Anglia fides illa, vtinam regnet, quam hi Patres amiciſsimi ſcripturarum

ex ſcrip-

ex scripturis extruunt. Quas afferunt, afferemus: quas conferunt, conferemus: quod inferunt, inferemus: placet? exscrea. dic sodes. Minimè verò, inquis, nisi rectè exponant. Quid est hoc ipsum, rectè? Arbitratu tuo. Nihílne pudet Labyrinthi?

Ergo cùm sperem in Academijs florentissimis, cōsociatum iri benè multos, qui non pingui Minerua, sed acuto iudicio in has controuersias inspecturi sint, & horum responsa nugatoria libraturi, lætus hunc diem campi præstolabor, vt qui contra syluestres tumulos mendiculorum inermium, nobilitatem & robur Ecclesiæ Christi cogitem educere.

SEPTIMA RATIO.

Historia.

Generales Historici.

PRistinam Ecclesiæ faciem historia prisca retegit. Hûc prouoco. Certè antiquiores historici, quos etiam vsurpant aduersarij, ferè numerantur, Eusebius, Damasus, Hieronymus, Ruffinus, Orosius, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Cassiodorus, Gregorius Turonensis, Vsuardus, Regino, Marianus, Sigebertus, Zonaras, Cedrenus, Nicephorus. Quid narrant? Nostrorum laudes, progressus, vicissitudinem, hostes. Imo verò, quod obserues diligenter, illi qui dissident à nobis odio capitali, Philippus, Pantaleon, Funccius, Magdeburgici, cùm se ad scribendam vel chronologiam Ecclesiæ vel historiam appulissent, nisi nostrorum gesta colligerent, ac inimicorum Ecclesiæ nostræ fraudes & scelera coaceruarent, mille quingentos annos argumento vacui prætermitterent.

Hæreticorū chronica & historiæ.

Historici certarum Gentium.

Cum his considera peculiares certarum historiographos regionum, qui vnius acta cuiusque populi curiosiùs operosiùsq; scrutati sunt. Ij quasi Spartam adepti quam locupletare modis omnibus & perpolire cuperent, qui ne conuiuia quidem lautiora, aut manicatas tunicas, aut pugionum capulos, aut inaurata calcaria, talesq; minutias, si nouitatem saperent, tacuēre: profectò, si quid in religione mutatum aut à primis degeneratum seculis inaudijssent, frequentes memorassent, si non frequentes, saltem aliqui: si nō aliqui, vnus aliquis absq; dubio. Nullus omninò, neque beneuolus nobis, neque maleuolus, non modò quicquam tale prodidit, sed nec significauit.

Verbi gratia. Dant nobis aduersarij, nec aliter possunt, fuisse Romanam Ecclesiam aliquandò Sanctam, Catholicam, Apostolicam: tùm, cùm hæc à Diuo Paulo promeruisset elogia: *Vestra fides annuntia-*

tur

tur in vniuerso mundo: Sine intermißione a *memoriam vestri facio: Scio quoniam veniens* b *ad vos in abundantia benedictionis Christi veniam: Salutant vos omnes* c *Ecclesiæ Christi: vestra enim obedientia* d *in omnem locum diuulgata est.* Tùm, cùm ibi Paulus in libera custodia e disseminaret Euangelium: Tùm, cùm in ea quondam *Babylone* f *coëlectam Ecclesiam* Petrus regeret: Tum, cùm ille Clemens apprimè laudatus ab Apostolo g sederet ad ipsa gubernacula: Tum, cùm prophani Cæsares vt Nero, Domitianus, Traianus, Antoninus Romanos Pontifices laniarent. Tum etiam, vel Caluino teste, cùm Damasus, Siricius, Anastasius, Innocentius, clauum tenerent Apostolicum. Hoc enim sęculo, nihil adhûc, præsertim Romæ, digressos ab Euangelica doctrina *h*, liberaliter ille concedit.

Rom. 1. v. 8. a *Ro. 1. v. 9.* b *Rom. 15. v. 29.* c *Rom. 16. v. 16.* d *Rom. 16. v. 19.* e *Act. 28. v. 30.* f *1. Pet. 5. v. 13. Hiero. in ca. scrip. Ecc. & Euse. 2. hist. cap. 14.* g *Philip. 4. v. 3. Iren. lib. 3. cap. 3.* h *Caluinus Insti. lib. 4. cap. 2. nu. 3. & in epist. ad Sadol.*

Quandò igitur hanc fidem tantoperè celebratam Roma perdidit? quando esse desijt, quod antè fuit? Quo tempore, quo Pontifice, qua via, qua vi, quibus incrementis, vrbem & orbem religio perua-sit aliena? quas voces, quas turbas, quæ lamenta progenuit? Omnes orbe reliquo sopiti sunt, dum Roma, Roma inquam, noua sacramēta, nouum sacrificium, nouum religionis dogma procuderet? Nullus extitit historicus, neq; Latinus, neq; Græcus, neq; remotus, neq; citimus, qui rem tantam vel obscurè iaceret in commentarios?

Ergo perspicuum hoc quidem est, si quæ nos credimus, historia multa & varia, nuncia vetustatis, vita memoriæ, loquitur ac repetit affluenter, quæ isti obtrudunt, nulla narratio post homines natos in Ecclesia valuisse commeminit: & historicos esse meos, & incursiones aduersarias esse fridigißimas, quæ nihil mouere poßint, nisi priùs receptum sit, omnes omnium temporum Christianos in spissam perfidiam atque in Gehennæ voraginem corruisse, donec Lutherus Boram constuprasset.

OCTAVA RATIO.

EGo verò præstantißimi viri, cùm de multis hæresibus, quædam apud me opinosißimorum portenta reputo, quæ mihi venient expugnanda: meipsum inertiæ vecordiæque condemnem, si cuiusquam in experiundo facultatem aut vires extimescerem: sit ingeniosus, sit eloquens, sit exercitatus, sit omnium librorum helluo, tamē aridus & balbus apparet necesse est, cùm hæc tam *adynata* sustentabit. Disputabitur enim, si forte nobis annu- Paradoxa.

ent, De DEO, De Christo, De homine, De peccato, De iustitia, De Sacramentis, De Moribus. Videro an ausint adseuerare quę sentiu nt, quæq; rebus addicti necessarijs diuulgant in scripti unculis. Faxo, norint ista suorum axiomata:

Deus est auctor & causa a peccati, volens, suggerens, efficiens, iubens, operans, & in hoc impiorum scelerata consilia gubernans. Proprium Dei opus fuit, vt vocatio Pauli, sic adulterium Dauidis b, *Iudæq; proditoris impietas.* Monstrum hoc, cuius Philippum aliquando puduit, Lutherus *c* tamen à quo Philippus hauserat, quasi oraculum cœleste miris extollit laudibus, & alumnum suum eo nomine tantùm non exęquat *d* Apostolo Paulo. Percontabor etiam quid animi Luthero fuerit, quem Angli *e* Caluiniani *virum diuinitùs datum ad orbem illuminandum* pronuntiant, cùm hunc versum demeret *f* supplicationibus Ecclesiæ, *Sancta Trinitas, vnus Deus miserere nobis.*

De Deo. a *Cal. Inst. li. 1. c. 18. lib. 2. c. 4. lib. 3. c. 23. & 24. Pet. Mar. in. 1. Sam. 2.* b *Melan. an. in cap. Rô. 8. VVittember.* 1524. c *Sic docet Luth. in ass. 36. & in rejo. ass. 36. & in lib. de ser. arb.* d *Luth. præf. in anno Philip. in epist ad Rom.* e *In Apolog. Eccles. An.* f *Vide ench. pre. an.* 1543.

Mox ad Personam Christi progrediar. Quæram, ista sibi quid velint, Christus DEI filius, DEUS de DEO, Caluino *g*, *Deus ex sese*: Bezæ *h*, *non est genitus de Patris essentia.* Item. *Duæ constituantur in Christo vniones hypostaticæ* i, *altera Animæ cum carne, Diuinitatis cum Humanitate altera.* Locus apud Ioannem, *Ego & Pater vnum sumus*, non ostendit Christum DEUM homoousion k DEO Patri, Sed & *anima mea*, inquit Lutherus l, *odit hoc verbum homoousion.* Pergite. *Christus ab infantia non fuit gratia consummatus* m, *sed animi dotibus velut cæteri homines, adoleuit, vsu factus quotidie sapientior, ita vt puerulus* n *ignorantia laborarit.* Quod perindè est ac si dicerent originis labe & vitio sordidatum. Sed cognoscite diriora. *Christus cùm orans in horto, sudoribus aqua manaret & sanguinis, sensu damnationis æternæ cohorruit* o, *vocem edidit sine ratione, sine spiritu, vocem doloris impetu repentinam* p, *quam, vt non satis meditatam, celeriter castigauit.* Estné aliquid ampliùs? Attendite. *Christus cùm actus in crucem exclamaret, Deus meus, Deus meus vt quid dereliquisti me, accēsus est flāmis a inferni, desperationis vocē emisit* b, *nō aliter affectus, quàm si pereundū ei foret internecione sempiterna.* His etiam si quid possunt, addant, *Christus*, inquiunt *descendit ad inferos, id est, mortuus Gehennam gustauit* c, *nihilo minùs quàm Animæ damnatorum, nisi quòd sibi restituendus erat. Quandoquidèm enim morte corporea nihil nobis profuisset,* d *Anima quoq; luctari cum morte debuit æterna, atque hoc modo nostrum scelus suppliciumq; dependere.* Ac ne quis fortè suspicetur istud Caluino per incuriam obrepsisse, idem Caluinus omnes vos, *si qui doctri-*

De Christo. g *Calui. Inst. li. 1. c. 13. nu. 23. & 24.* h *Beza. in Hesbus.* i *Beza contra Schmidel. li. de vnit. Hipost. d. dua. in Christ nat.* k *Cal. in Io. 10. v. 30.* l *Luth. cont. Latom.* m *Bucer. in Lu. 2. Cal. in har. eu.* n *Lut. Loss. Hen. Mela. in Euang. do. 1. post. Epip.* o *Marlorat. in Matt. 26.* p *Caluinus. in Harm. Euang.* a *Brēt. in Luc. par. 2. hom. 65. & in Catechis. Anno* 1551. *& in Ioan. ho. 54.* b *Cal. in har. eu. In eandem sent. Loss. in Matt. 26.* c *Schmideli conc. de pass. & cœna domini. Aepinus com. in Psal. 16.*

doctrinam istam solatij plenam exagitastis, *perditos f* appellat *nebulones*. Tempora, tempora cuiusmodi monstrum aluistis? Cruor ille delicatus & regius qui de innocentis Agni corpore lacerato fissoque scaturijt, cuius cruoris vna quæuis guttula, propter dignitatem Hostię, mille mundos redimere potuisset, nihil humano generi profecit, nisi *mediator Dei & hominum* g *homo Christus Iesus* h *mortem* quoque *secundam*, mortem animæ, mortem gratiæ, peccati solius, & exitiabilis blasphemiæ sociam pertulisset? Præ hac insania modestus videbitur Bucerus, quanquàm est impudens, qui infernum in symbolo *i sepulchrum accipit*, per Epexegesin valdè pręposteram, ac potiùs Tautologiam ineptam atque stolidam. Anglicani sectarij, pars Caluino, Idolo suo, pars Bucero, magno magistro solent accedere: pars etiam submurmurant in hunc articulum, ne quid facessat vltrà molestiæ, quemadmodùm sine tumultu penitùs eximatur de symbolo. Id verò etiam fuisse tentatum in conuenticulo quodam Londinensi, memini narrare mihi qui interfuit Richardum Chenium, miserrimum senem, malè mulctatum à latronibus foris, neque tamèn ingressum in paternam domum. Hactenus de Christo.

d *Cal. Inst. lib.2.cap.16. num. 10. 11. Bren. in Catechis. anno* 1551.
e *Cal. Inst. li.2. cap.16. num.* 12.
g 1. *Tim.* 2. v. 5.
h *Apocal.* 2. v. 11.
i *Bucerus in Matth.c.26.*

De Homine.

De homine k quid? *Imago Dei penitus in homine delata est*, *nulla boni scintilla superstite: tota natura quoad omnes Animæ partes ita funditùs euersa, vt ne renatus quidem & sanctus quicquam sit aliud intrinsecùs, nisi mera corruptio* l *atq; contagio*. Quorsum ista? Vt qui sola fide gloriam rapturi sunt, in omnium turpitudinum cœno volutati, naturam accusent, virtutem desperent, præcepta deonerent.

k *Illyric. in varijs lib. de ori. pecca. Sarcer. de consve. Eccl. Aepin. de imb. & pecc. San. Kemni. cont. Cens. Col.*
l *Calu. li.* 4. *Inst. cap.* 15. *nu.* 10. & 11.

De Peccato

Huc Illyricus, Magdeburgensium Primipilus, illud suum adiecit immane placitum de originis peccato, quod esse vult: *Intimam substantiam Animarum* m: *quippe quas, post Adami lapsum, Diabolus ipse procreet, & in sese transformet.* Hoc quoque tritum est in hac fece, *omnia peccata esse paria* n: *sed ita* (ne Stoici reuiuiscant) *si Deo iudice ponderentur.* Ac si Devs æquisßimus iudex oneri nostro cumulum potiùs quàm leuamentum faceret, & id quod non est in re, cùm sit ipse iustißimus, exaggeraret. Hac trutina, non leuiùs in Devm seuerißimè iudicantem deliquerit ille caupo, qui gallum gallinaceum, quando non est opus, occiderit, quàm infamis ille sicarius, qui plenus Beza, Gallum Heroa Guisium, admirabili virtute principem, displosa fistula clanculùm interemit. Quo facinore nihil vidit orbis noster ætate nostra funestius, nihil luctuosius.

m *Illyric. in vari. libr. de peccat. orig. Vide Heshusium in epist. ad Illyric. An peccatum sit substãtia.*
n *Cal. in Antid. Cõc. Tri. Idem docueras Vviclef. apud. VValde. li.2. de Sacr. cap.* 154.

De Gratia.

Sed fortasse, qui tam sunt in peccati conditione tetrici, magni-

[a] *Luther. in resp. contra Louan.*
[b] *Bucc. in Io. 1. VVell. in nata. Christi. Brent. hom. 12. in Ioan. Cent. libr. 1 cap. 4.*

ficè philosophantur de diuina gratia,quæ huic malo succurrere ac mederi possit. Præclaras verò isti partes assignant gratiæ, *quam neq; infusam cordibus nostris, neq; ad resistendum sceleribus validam esse latrant, sed extra nos in solo* D E I *fauore* [a] *collocant:* qui fauor non emendet impios,nec purget, nec illuminet,nec ditet; sed veterem illam sentinam adhuc manentem atque fœtentem, ne deformis & odiosa putetur, D E O conniuente,dissimulet. Quo suo plasmate tantoperè delectatur,vt ne *Christus quidèm aliter apud illos* [b] *gratia plenus & veritate dicatur, quàm quòd ei* D E V S *Pater mirandum in modum fauerit.*

De Iustitia.
[c] *Hesbusi. de Iusti. in resp. ad 115. obiec. Illyr. in Apo. confess. Antuerp. cap. 6. de Iustificat.*
[d] *Calui. li. 3. Inst. c. 2. nu. 28. & 42.*
[e] *Matth. 12. v. 45.*

Quæ res ergo iustitia est? [c] *Relatio.* Non enim ex Theologicis concinnata virtutibus Fide, Spe, Charitate,quæ animam suo nitore conuestiant,sed tantùm *occultatio delicti,quam qui sola Fide prahenderit,ille tā de salute certus est, ac si iampridèm interminato cœli gaudio* [d] *frueretur.*

Agè,somniet hoc:sed vndè constare poterit de futura perseuerantia,qua qui caruit [e], exiuit infelicissimus, licèt ad tempus purè pieque Iustitiam coluisset? Imò verò hæc tua Fides, Caluinus [f] ait, *nisi tuam tibi perseuerantiam firmè pranuntiet,vt hallucinari nequeas, tanquam inanis & languida sperneretur.* Agnosco discipulum Lutheri. *Christianus,* inquit [g] ille, *etiam volens, non potest salutem perdere, nisi nolit credere.*

Lu. 11. v. 26. [f] *Cal. Inst. li. 3. c. 2. n. 40.* [g] *Luth. Lib. de capt. Bab.*

De Sacramentis
[h] *Calu. Inst. lib. 4. ca. 15. nu. 2. & 10.*
[i] *Calu. lib. 4. Instit. ca. 15. numer. 7. Cent. 1. lib. 1. cap. 10.*
[k] *Luth. li. de capt. Bab.*
[l] *Magd. Cen. 2. & 5. c. 4.*
[m] *Luth. aduersus Coch. Item, epi. ad Melanct. To. 2. & in epi. ad VVal.*
Anabaptistæ.

Ad Sacramenta festino, Nullū, nullū, nō duo, nō vnū, ô Sancte Christe, reliquerunt. Ipsorum quippe panis, venenū est. Baptismus, etsi adhuc verus est, tamèn ipsorū iudicio nihil est, nō est vnda salutaris, nō est canalis gratiæ, nō deriuat in nos Christi merita, sed significatio dūtaxàt [h] salutis est. *Itaq; nihilo pluris Baptismū Christi quoad naturā rei, quàm Ioannis* [i] *fecère caremoniam.* Si habeas, rectè: si careas, nihil damni: *crede, saluus es* [k] *antequàm abluare.* Quid ergo paruuli, qui nisi iuuentur virtute Sacramenti, sua Fide misellì nihil assequuntur? *Potiùs quàm Sacramento Baptismatis quicquam tribuamus, inquiunt* [l] *Magdeburgici, dennus inesse Fidem ipsis infantulis, qua seruentur, cuius Fidei pulsus quosdam abditos* intelligant ipsi, qui viuant nécne nondùm intelligunt. Durum. Si hoc adeò durum est, Lutheri pharmacum auditote. *Præstat,* inquit, *omittere* [m], *quandoquidem nisi credat infans, nequicquàm lauatur.* Hæc illi quidem ancipites animo, quidnam enuntient categoricè. Ergo Baltasar Pacimontanus, diribitor interueniat: qui parens Anabaptistarum, cum paruulis motum Fidei non posset affingere, Lutheri cautiunculam approbauit, & pædobaptismum eijciens è templis, *neminem nisi adultum fonte sacro decreuit abluere.* Ad reliqua Sacramenta quod attinet,

net, quamuis illa bestia multiceps a horrendas eiectet contumelias, tamen quia quotidianæ iam sunt & callum auribus obduxerunt, hîc prætereo.

Restant Hæreticorum de vita & moribus frustra nocentissima, quæ Lutherus euomuit in chartas, vt ex vnius pectoris impuro gurgustio pestem lectoribus inhalaret. Audite patienter, & erubescite, & mihi date veniam recitanti. *Si nolit vxor* b, *aut non possit, veniat ancilla. Siquidem res vxoria tam* c *est vtique necessaria, quàm esca, potus, somnus. Matrimonium est virginitate* d *multò præstantius. Eam Christus, eam Paulus dissuaserunt* e *hominibus Christianis.* Sed hæc fortasse propria Lutheri sunt. Non sunt. Etiam nuper à meo Charco f, sed miserè timideq; defenduntur. Vultis ne plura? Quid ni? *Quantò* g *sceleratiores es*, inquit, *tantò viciniorgratiæ. Omnes actiones bonæ peccata sunt, DEO iudice* h, *mortifera: DEO propitio, leuiuscula. Nemo malum suapte* i *voluntate cogitat. Decalogus nihil* k *ad Christianos. Opera nostra DEVS* l *nequaquàm curat. Soli rectè participant cœna dominica, qui tristes, afflictas, perturbatas, confusas, erraticas, apportant* m *conscientias.*

Confitenda crimina sunt, sed cuilibet, qui si te vel ioco absoluerit, modò credideris n, *absolutus es. Legere preces horarias non est sacerdotum* o, *sed Laicorum. Christiani liberi* p *sunt à statutis hominum.* Satis superque lacunam istam commosse videor. Iam finio. Nec verò putetis iniquiorem esse me, qui Lutheranos & Zuinglianos promiscuè coarguerim. Nam isti memores à quo proseminati sint, inter se fratres & amici volunt esse e, adeoque grauem interpretantur iniuriam, cùm in vlla re præter vnam, discriminantur.

Equidem non sum tanti, vt vel mediocrem locum mihi sumam in selectis Theologis, qui hodie bellum hæresibus indixêre: sed hoc scio, quantuluscunque sum, periclitari me non posse, dum Christi gratia fultus aduersum talia commenta, tàm inuisa, tàm insulsa, tàm bruta, cœlo terraque iuuantibus, præliabor.

a Apo. 13. v. 1.
De Morib.
b Lut. Serm. de Matri.
c Idem in li. de vit. coniugali.
d Idem in asser. art. 16.
e Idem Li. de vo. mo.
f Charc. li. in Censorē suū.
g Lut. sermo. epis. Pet.
h Lut. in Ass. art. 32.
i Idem li. de ser. arbit.
k Idem Ser. de Moyse.
l Idem libr. de capt. Bab. c. de Euch.
m Idē in fine eiusdem cap.
n Idē in ass. art. 12. et 13.
o Idem de capt. Bab. in capt. de ordi.
p Idem de ca. Ba. ca. de bapt.
Apolo. Eccs Angl.

NONA RATIO.

SCitum est, inter cæcos luscum regnare posse. Apud rudes valet sæpè fucata disputatio, quam schola Philosophorum exsibilat. Multa peccat aduersarius in hoc genere: sed quatuor fal- Sophismata.

lacijs plerunque consuitur, quas in Academia malim, quàm in triuio retexere.

Sciamachia. Primum vitium, *Sciamachia* est, quæ auras & vmbras magno conatu diuerberat. Hoc pacto: Contra cœlibes iuratos & votos in castimoniam, quòd nuptiæ bonæ sint, virginitas melior: afferuntur scripturæ loquentes honorificè de coniugio. Quem feriunt? Contra meritum hominis Christiani, tinctum Christi sanguine, alioqui nullum, promuntur testimonia, quibus iubemur, nec naturæ, nec legi, sed sanguini Christi fidere. Quem refellunt? In eos qui colunt cœlites, vt famulos Christi maximè gratiosos, citantur integræ pagellæ, quæ vetant colere multos Deos. Vbinam sunt? Huiusmodi argumentis quæ apud hæreticos infinita reperio, nobis esse detrimento non poterunt, vobis esse fastidio poterunt.

1. Cor. 7.

Logomachia. Aliud vitium *Logomachia* est, quæ sensa deserens, loquaciter cum verbo litigat. *Inuenias mihi Missam*, inquiunt, *aut Purgatorium in scripturis.* Quid ergo? Trinitas, *Homoousios*, Persona, nusquã sunt in Biblijs, quia voces istæ non sunt? Affine est huic peccato, literarum aucupium, cùm neglecta consuetudine & mente loquentium, quæ vita vocabuli est, aduersus elementa contenditur. Nempe sic aiunt: *Presbyter, nihil est Græcis aliud nisi senior, Sacramentum, quoduis mysterium.*

1. part. quæst. 13. artic. 2. ad 2. arg.

Cæterùm acutè D. Thomas, vt omnia: In vocibus, inquit, videndum non tàm ex quo, quàm ad quid sumantur.

Homonymia. Tertium, *Homonymia* est, longè lateque patens. Vt: *Quorsum ordo sacerdotum cùm Ioannes a omnes nos vocauerit sacerdotes?* Etiam hoc addidit. *Regnabimus super terram.* Quorsum ergò Reges? Item: *Propheta celebrat ieiunium spirituale* b, *hoc est, ab inueteratis criminibus abstinentiam. Valeat ergò ciborum delectus & dierum præscriptio.* Siccine? Igitur insanierunt Moyses, Dauid, Helias, Baptistes, Apostoli, qui biduo, triduo, vel hebdomadis inediam terminarunt, quæ quidem, vt à crimine, debebat esse perpetua. Hoc quale sit, iam vidistis. Propero.

a Apoc. 5. v. 10.
b Esai. 58. v. 6.

Quartum his adijcitur, Circulatio, in hunc modum: Da mihi notas, inquam, Ecclesiæ. *Verbum Dei & purissima Sacramenta.* Hæccine sunt apud vos? *Quis dubitet!* Ego verò pernego. *Consule verbum Dei.* Iam consului, minusq; vobis, quàm antè faueo. *Ah, tamen planum est.* Proba mihi. *Quia nos ne latum quidem vnguem discedimus à verbo Dei.* Vbi est acumen tuum? sempérne capies pro argumento, illud ipsum quod ponitur in quæstione? Quoties hoc iam inculco? Num tu euigilas? Num faces admouendæ sunt? Dico, à te perperam exponi verbum

Dei: testes habeo quindecim ætates:ista sententiæ,non meæ,non tuæ, sed harum omnium. *Stabo sententia verbi Dei:Spiritus vbi vult,spirat.* Eccum.quos gyros,quas rotas fabricat?Hic nugator,tot verborum atque sophismatum Architectus, nescio cui formidolosus esse queat, molestus erit fortasse. Molestiam vestra prudentia subleuabit, formidinem res eripuit. Ioan. 3. v. 8.

DECIMA RATIO.

HAec *erit vobis directa via* a, *ita vt stulti non errent per eam.* Quis enim, quamuis hebes in plebecula, dummodò salutis cupidus parumper attenderit, semitam Ecclesiæ tàm egregiè complanatam,non videat, non teneat,vepres & cautes & auia detestatus? Erunt hæc etiam rudibus explorata, sicut Esaias vaticinatus est,vobis igitur si voletis, exploratissima. Omne genus Testiū. a Esai. 35. v. 8.

Theatrum vniuersitatis rerum ponamus ob oculos, quicquid est vspiam peragremus:omnia nobis argumentum suppeditant.Eamus in cœlum:Rosas & lilia *a* contemplemur:purpuratos nempe martyrio,candidatos innocentia.Romanos,inquam,Pontifices *b* tres & triginta continenter occisos: Pastores terris omnibus, qui suum pro Christi nomine sanguinem oppignorarunt: Greges fidelium, qui Pastorum vestigijs institêre: Diuos omnes cœlites, qui turbæ hominum,puritate & sanctimonia præluxére. Nostros hîc vixisse,nostros hinc emigrasse reperias. Noster fuit,vt paucula delibem⁹,ille martyrij sitientissimus Ignatius, *c qui in rebus Ecclesiæ neminem ne regem quidem* d, *æquauit Episcopo:qui traditiones quasdam Apostolicas, quarum testis ipse fuerat,ne dilaberenter,scripto* e *mandauit.* Noster Anachorita Telesphorus, *qui ieiunium Quadragesimæ sancitum ab Apostolis obseruari* f *seueriùs iussit.* Noster Irenæus, *qui à successione cathedraq; Romana, fidem* g *Apostolicam declarauit.* Noster Victor Pontifex, qui *Asiam* edicto *h coërcuit vniuersam:* quod cùm aliquibus,atq; etiàm,huic Irenæo viro sacratissimo videretur asperius,nemo tamen attenuauit vt exoticam potestatem. Noster Polycarpus, qui super quæstione *i* Paschatis Romam adijt,cuius ambustas reliquias, Smyrna collegit, anniuersario die rituq; legitimo *k* suum Episcopū venerata.Nostri Cornelius & Cyprianus,aureum par Martyrū,ambo magni presules,sed maior ille,qui Romanus Africanum errorem resciderat, hîc nobilitatus obseruantia, qua maiorem est prosecutus amicissimum sui. Noster Sixtus, *cui ad aram solen-* Cœlites. a Aug. serm. 37. de Sanct. b Da. in vit. Pont. Roma. c Hier. in cat. script. d Ignat. In epi. ad Smyr. e Euseb. li. 3. cap. 30. f Dam. in vi. Telesp. Tom. 1. com. &c. stat. d. 4. g Iren. lib. 3. cap. 3. h Eusebi⁹. 5. hist. cap. 24. i Eusebi⁹ 4. hist. cap. 13. k Eusebi⁹ 4. hist. cap. 14. Suidas. l Eu. 7. hi. 2. interp. Ruff.

m Prud. in hym. de S. Laur. n Vide Aug. ser. 1. de S. Laur. Amb. lib. 1. off. c. 41. lib. 2. off. ca. 28. Leo. ferm in die S. Laur. o Prud. in hym. de S. Laur.

solennibus sacris operanti m, *ministrarunt è clero septemuiri.* Noster Laurentius huius Archidiaconus n, quem aduersarij de suis fastis eijciunt, quem ante mille ducentos annos vir Consularis Prudentius o sic orauit:

Quæ sit potestas credita,
Et muneris quantum datum,
Probant Quiritum gaudia,
Quibus rogatus annuis.
Hos inter, o Christi decus,
Audi & Poëtam rusticum,
Cordis fatentem crimina
Et facta prodentem sua.
Audi benignus supplicem
Christi reum Prudentium.

p Metaphraf. Amb. ser. 90. Tom. 3. et li. 1. de Virg. Ado. Tre. in martyr. q Ruff lib. 1. cap. 8. r Ex August. lib. 9. confes. cap. 7. vsque ad 13. f Hieron. in epist. Paul. a Hie. in cat. script. b Athanasi. in vita San. Antonij. c Ambros. in orat. su. de Satyro. d Ioan Diac. e Seue. Sulp. Metaph. f Greg. li. 2. dial.

Nostræ, virgines illæ perbeatæ p, Cecilia, Agatha, Anastasia, Barbara, Agnes, Lucia, Dorothea, Catharina, quæ decretam pudicitiam aduersus & hominum & dæmonum tyrannidem firmauerunt. Nostra Helena, quam Dominicæ crucis inuentio q celebrauit. Nostra Monica, *quæ moriens orari & sacrificari pro se mortua* r *ad altare Christi, religiosissimè flagitauit.* Nostra Paula f, quæ ex vrbano palatio & opimis prædijs in speluncam Bethleemiticam tantis itineribus peregrina cucurrit, vt ad Christi vagientis cunabula delitesceret. Nostri Paulus, Hilarion a, Antonius b, seniculi solitarij. Noster Satyrus c, Ambrosij Germanus frater, qui tremendam illam hostiam circum se gestans in orario, naufragus insilijt in Oceanum, & fide plenissimus enatauit. Nostri Nicolaus d & Martinus e Episcopi, exerciti vigilijs, paludati cilicijs, ieiunio pasti. Noster Benedictus f, tot Monachorum pater. Chiliadas istas decennio non exequerer. Sed nec illos repeto quos in Ecclesiæ doctoribus antè posueram. Memor sum breuitatis meæ. Petat ista qui volet non solùm ex abundanti veterũ historia, sed multò etiam magis ex grauissimis auctoribus, qui penè singuli

guli Diuos singulos memoriæ *g* reliquerunt. Renuntiet mihi de Christianis illis antiquissimis & beatissimis, quid autumet, vtrius doctrinæ fuerint, Catholicæ an Lutheranæ, Testor DEI solium, & illud tribunal, ad quod stabo rationem rationum harum & Dicti, Facti redditurus, aut nullum cœlum esse, aut nostrorum esse, illud execramur, hoc ergò desigimus. *g Vide sex Tomos Surij de vit. Sanc.*

Nunc è contrario, si libet, inspiciamus in Tartara. Cremantur incendio sempiterno, qui? Iudæi. Quam Ecclesiam aduersati? nostrã. Qui? Ethnici. Quam Ecclesiam crudelissimè persecuti? nostrã. Qui? Turci. Quæ templa demoliti? nostra. Qui? Hæretici. Cuius Ecclesiæ perduelles? nostræ. Quæ enim Ecclesia præter nostram, omnibus inferorum portis *h* se opposuit? Damnati. *h Matth. 16. v. 18.*

Cùm pulsis Hebræis, Christiani *i* succrescerent Hierosolymis, DEVM immortalem, qui concursus hominum ad loca sacra fuit *k*, quæ vrbis religio, quæ sepulchri, quę pręsepij, quę crucis, quæ monumentorum omnium, quibus velut exuuijs mariti Ecclesia sponsa delectatur? Hìnc manauit in nos Iudæorum odium ferum & implacabile. Queruntur etiam nunc, maiores nostros maioribus suis exitio fuisse. A Simone Mago & Lutheranis nullũ ictũ acceperunt. Iudæi. *i Euseb. 4. hist. 5.* *k Hieron. in epist. Paulæ. & in epist. ad Marcel. et passim in ep.*

In Ethnicis violentissimi fuére, qui toto Imperio, trecentis annis, per interualla temporum, ærumnosissima Christianis supplicia machinati sunt. Quibus? Patribus & filijs nostræ fidei. Cognoscite vocem Tyranni, qui Diuum Laurentium torruit in craticula. Ethnici.

Hunc esse vestris Orgijs
Moremq́, & artem proditum est:
Hanc disciplinam fœderis.
Libent vt auro antistites.
Argenteis Scyphis ferunt,
Fumare sacrum sanguinem,
Auroq́, nocturnis sacris,
Astare fixos cereos.
Tunc cura summa est fratribus.
(Vt sermo testatur loquax)
Offerre, fundis venditis
Sestertiorum millia.
Addicta auorum prædia
Fœdis sub auctionibus
Successor exhæres gemit,
Sanctis egens parentibus.
Hæc occuluntur abditis
Ecclesiarum in angulis:
Et summa pietas creditur
Nudare dulces liberos.
Deprome thesauros, malis
Suadendo quos præstigijs
Exaggeratos obtines,
Nigrante quos claudis specu.
Hoc poscit vsus publicus,
Hoc fiscus, hoc ærarium,
Vt dedita stipendijs
Ducem iuuet pecunia.

Pruden. in hym. de S. Laurent.

Sic dogma vestrum est, audio,
Suum quibusque reddito,
En Caesar agnoscit suum
Numisma, numis inditum.
Quod Caesaris scis, Caesari
Da: nempe iustum postulo.
Ni fallor, haud vllam tuus
Signat Deus pecuniam.

Nec cùm veniret, aureos
Secum Philippos detulit,
Praecepta sed verbis dedit
Inanis à marsupio.
Implete dictorum fidem,
Qua vos per orbem venditis
Numos libenter reddite,
Estote verbis diuites.

Quis videtur? In quos furit? Cuius Ecclesiæ sacra, lychnos, ritus, ornamēta conuellit? Cui patellas aureas, & argenteos calices, & sumptuosa donaria, & opulentam gazam inuidet? Profectò Lutherizat. Quod enim aliud velum suo latrocinio nostri Nemrodes *a* obtenderent, cùm depecularentur Ecclesias, & Christi patrimonium dissiparent? Contrà verò Magnus ille Constantinus, *Christomastigon* terror, quam Ecclesiam tranquillauit? Illam, cui Pontifex Syluester præfuit *b*, quem in Soracte latitantem accersijt vt eius opera, nostro Baptismate tingeretur. Quibus auspicijs victor? signo *c* crucis. Qua matre gloriosus? Helena. Quibus se Patribus adiunxit? Nicenis. Cuiusmodi, vt Syluestro, vt Marco, vt Iulio, vt Athanasio, vt Nicolao. Cuius se precibus commendauit? *d* Antonij. Quam sellam postulauit in *e* synodo? vltimam. O quantò regalior hac sede, quàm qui reges titulum non debitum ambierunt? Singula narrare longum est. Sed ex his duobus altero nobis infestissimo, altero nobis amicissimo, licebit singula conijcere, quæ sunt horum simillima. Etenim, vt nostrorum illa fuit Epitasis turbulenta, sic nostrorum hæc euasit diuina Cătastrophe.

a *Genes.* 10. v. 9.
b *Dam. in Syn. Nic. lib.* 7. *cap.* 33. *Zonaras. Cedrenus.*
c *Eus. lib.* 2. *de vit. Const. cap.* 7. 8. 9. *Sozomen. li.* 1. *cap.* 8. 9.
d *Athana. in vita S. Antonij.*
e *Theod. lib.* 1. *hist. ca.* 7.

Turci-

Turcica videamus: Mahometes, & Sergius *f* monachus apostata, in profundo barathro iacent vlulantes, & suis & posterorum sceleribus onusti. Hæc portentosa & efferata bellua, Saraceni, Turci, nisi à nostris ordinibus militiæ sacræ *g*, nisi à nostris Principibus & populis occisa fuisset ac repressa, per Lutherum quidem (cui gratias hoc nomine Solymannus Turcus literis egisse dicitur) & per Lutheranos regulos (quibus Turcorum progressio lætabilis existimatur) hæc, inquam, *Erynnis* furiosa & exitiosa mortalibus, totam iam depopularetur & vastaret Europam, neque indiligentiùs altaria & signa crucis, quàm ipse Caluinus euerteret. Ergò nostri hostes illi sunt proprij, vtpotè nostrorum industria, à Christianorū iugulis repulsi.

f *Zonaras.*
g *Vide Volaterranum. Aemilium. lib.* 8. *Blond. lib.* 9. *de.* 2.

Despe-

Despectemus in Hæreticos*, feces, & folles & alimenta Gehennę. Primus occurrit Simon Magus: Quid ille? *Eripiebat homini liberam* h *voluntatem: solam Fidem* i *percrepabat.* Mox Nouatianus: Quis? Antipapa Cornelio Pontifici k Romano, *hostis Sacramentorum Pœnitentiæ &* l *Chrismatis.* Deinde Manes Persa: Hic docebat, *baptismum salutem* m *non conferre.* Pòst, Aërius Arrianus, *preces damnabat pro mortuis,* n *confundebat Episcopis Sacerdotes.* Hinc Aëtius, *solam* o *& ipse Fidem personabat*: cognominatus *Atheos* p non minùs quam Lucianus. Sequitur Vigilantius q. *qui Diuos orari non ferebat*: ac Iouinianus *a qui virginitatem & nuptias æquiparabat*: denique colluuies vniuersa, Macedoniᵘ, Pelagius, Nestorius, Eutyches, Monothelitæ, Iconomachi, cæteri, quibus Lutherum & Caluinum posteritas aggregabit. Quid isti? Omnes mali corui, eodem ouo geniti, ab Ecclesiæ nostrę præsulibus desciuerunt, ab illis euicti & exinaniti sunt.

Deseramus Auernum, reddamur terris*. Quocunque me oculis & cogitatione conuertero, siue Patriarchas intueor & sedes Apostolicas: siue Antistites cæterarum gentium: siue laudatos Principes, Reges, Cæsares: siue Christianorum cuiusq; Nationis initia: siue vllum indicium vetustatis, aut lumen rationis, aut honestatis decus: nostrę Fidei seruiunt & suffragantur omnia.

Testis Romana succeßio †, *in qua semper Ecclesia,* (vt cum Augustino *b* loquar) *Apostolicæ Cathedræ viguit principatus*: Testes illæ reliquæ Sedes Apostolicæ, in quas hoc nomen insignitè conuenit, quòd ab ipsis Apostolis horúmue auditoribus exædificatæ *c* fuerint.

Testes * vbiuis gentiũ pastores, loco dißiti, religione nostra concordes. Ignatius & Chrysostomus Antiochiæ: Petrus, Alexander, Athanasius, Theophilus Alexandriæ: Macarius & Cyrillus, Hierosolymis: Proclus, Constantinopoli: Gregorius & Basilius in Cappadocia: Thaumaturgus, in Ponto: Smyrnæ, Policarpus: Iustinus, Athenis: Dionysius, Corinthi: Gregorius, Nissæ: Methodius, Tyri: Ephreemᵘ in Syria: Cyprianus, Optatus, Augustinus in Africa: Epiphanius in Cypro: Andreas, Cretæ: Ambrosius, Paulinus, Gaudentius, Prosper, Faustus, Vigilius in Italia: Irenæus, Martinus, Hilarius, Eucherius, Gregorius, Saluianus in Gallia: Vincentius, Orosius, Hildefonsus, Leander, Isidorus in Hispania: In Britannia, Fugatius, Damianus, Iustus, Mellitus, Beda. Deniq; ne ambitiosus videar in nominibᵘ, quæcunq; vel opera, vel fragmẽta supersunt eorũ qui disiunctißimis terris Euangelium seuerunt, omnia nobis vnã fidẽ exhibent, quã hodie

* Hæretici.
h *Clem. li. 1. recog.*
i *Iren lib. 1. cap. 20.*
k *Cyp. ep. ad Iubaian. & lib. 4. ep. 2.*
l *Theodore. de fab. hære.*
m *August. heres. 46.*
n *Epiphan. hære. 75. Aug. hær. 53.*
o *Augustin. hær. 54.*
p *Socr. lib. 2. cap. 28.*
q *Hie. in Vig. Au. hær. 82. & Hiero. in Iouin.*
a *Hi. in Vig. Aug. hær. 82. & Hiero. in Iouin.*
* Terræ.
† Sedes Apostolicæ.
b *Au. ep. 162*
c *Vide Ter. de præscr. Aug. li. 2. de Doct. Christ. ca. 8.*
* Disiũctißimę terrę.
Hier. in cat. script. Eccle. & alij.

Catholici profitemur. Chriſte, quid cauſæ tibi adferam, quò minùs me de tuis extermines, ſi tot luminibus Eccleſiæ, tenebricoſos homulos, paucos, indoctos, diſſectos, improbos antetulero?

Principes. Teſtes item Principes, Reges, Cæſares, horumq; Reſpublicę, quorum & ipſorum pietas, & ditionum populi, & pacis belliq; diſciplina, ſe penitùs in hac noſtra doctrina Catholica fundauerunt. Hic ego quos ab Oriente Theodoſios, quos ab Occidente Carolos, quos Edouardos ex Anglia, Ludouicos è Gallia, Hermingildos ex Hiſpania, Henricos è Saxonia, Vvenceſlaos è Boëmia, Leopoldos ex Auſtria, Stephanos ex Hungaria, Ioſaphatos ex India, quos orbe toto dynaſtas atque toparchas, poſsim arceſſere: qui exemplo, qui armis, qui legibus, qui ſolicitudine, qui ſumptu noſtram Eccleſiam nutriuerũt? Sic enim præcinuit Eſaias: *Erunt Reges nutricij tui, & Reginæ nutrices tuæ.* Audi Elizabetha, Regina potentiſsima: tibi tantus Propheta canit, te tuas partes edocet. Narro tibi: Caluinum & hos Principes vnum cœlum capere non poteſt. His ergò te Principibus adiunge, dignam maioribus, dignam ingenio, dignam literis, dignam laudibus, dignam fortuna tua. Solùm hoc de te molior ego, & moliar, quicquid de me fiet, cui tanquàm hoſti capitis tui, totiès iam iſti patibulum ominantur. Salue bona crux. Veniet Elizabetha, dies ille, ille dies, qui tibi liquidò commonſtrabit, vtri te dilexerint, Societas IESV, an Lutheri progenies, Pergo.

Vide ſex To. Surij de San.

Eſa. 49. v. 23.

Nationes ad Chriſtũ traductæ. Teſtes iam omnes oræ plagæque mundi, quibus Euangelica tuba poſt Chriſtum natum inſonuit. Parúmne hoc fuit, idolis ora claudere, DEI regnum gentibus importare? Chriſtum Lutherus, Catholici Chriſtum loquimur. Num diuiſus eſt Chriſtus? minimè. Aut nos, aut ille falſum Chriſtum loquimur: Quid ergò? Dicam. Chriſtus ille ſit, & illorum ſit, quo Dagon inuecto ceruices fregerit. Noſter Chriſtus opera noſtrorum vti voluit, cùm Ioues, Mercurios, Dianas, Phœbades, & illam noctem ſęculorum atram, Erebumq; triſtem, è tot populorum cordibus relegaret. Non eſt otiũ longinqua perquirere: finitima tantùm atq; domeſtica ſpeculemur. Hiberni ex Patritio, Scoti ex Palladio, Angli ex Auguſtino, Romę ſacratis, Roma miſsis, Romam venerantibus, Fidem, aut nullam, aut certè noſtram, id eſt, Catholicam inſuxerunt. Res aperta. Curro.

1. Corinth. 1. v. 13.

1. Re 15. v. 4

Cumulus teſtium. Teſtes Academiæ, teſtes legum tabulæ, teſtes vernaculi mores hominum, teſtes electio Cæſarum & inauguratio, teſtes Regum ritus & inunctio, teſtes equitum ordines ipſæq; chlamydes, teſtes feneſtrę,

teſtes

testes nummi, testes vrbanæ portæ domusq; ciuicæ, testes auorũ fructus & vita, testes res omnes & regulæ, nullam in orbe religionem nisi nostram imis vnquàm radicibus insedisse.

Quæ mihi cùm suppeterent, & certè sic afficerent meditantem, vt his omnibus nuntium remittere Christianis, & consociari cum perditissimis quibusq; videretur insolentis insaniæ: non diffiteor, animatus sum & incensus ad conflictum, in quo nisi Diui de cœlo deturbentur, & superbus Lucifer cœlũ recuperet, cadere nunquàm potero. Quò mihi sit æquior Charc⁹, qui me tàm immaniter concerpit, si hãc animulã peccatricẽ quã tãto Christ⁹ emit, vię tutę, vię certę, vię regię malui credere, quã Caluini scopulis dumetisue suspendere.

CONCLVSIO.

HAbetis à me, florentes Academici, hoc munusculum, contextũ operis in itinere subcisiuis. Animus fuit & purgare me vobis de arrogantia, & satisfacere de fiducia, & interim dũ ab aduersarijs vnà mecum ad scholas inuitamini, quædam apponere degustanda. Si æquum, si tutum, si honestum ducitis, haberi Lutherum, aut Caluinum, Canonem Scripturæ, Mentem Sancti Spiritus, Normam Ecclesiæ, Conciliorum Patrumq; Pædagogum, omnium deniq; testium & sęculorum DEVM, nihil est quod sperem, vobis lectorib⁹ vel auditoribus: Sin estis ij, quos apud animum formaui meum, Philosophi, oculati, amatores veri, simplicitatis, modestiæ: hostes temeritatis, nugarum, sophismatum, facilè diem in aprico videbitis, qui dieculam angusta rima dispicitis. Dicam liberè, quod meus in vos amor, & vestrum periculum, & rei magnitudo postulat: Non hoc nescit Diabolus, vos istam lucem, si quandò ceperitis oculos attollere, conspecturos. Cuius enim stuporis fuerit, antiquitati Christianæ Hammeros & Charcos anteponere? Sed sunt quędam illecebræ Lutheranæ, quibus suum ille regnum amplificat, quibus ille tendiculis hamatus multos iam vestri ordinis inescauit. Quænã? Aurum, gloria, deliciæ, veneres; contemnite. Quid enim aliud ista sunt, nisi terrarum ilia, canorus aër, popina vermium, bella sterquilinia? spernite. Christus diues est, qui vos alet: Rex est, qui ornabit: Lautus est qui satiabit: Speciosus est, qui fœlicitatum omnium cumulos largietur. Huic vos adscribite militanti, vt cum eo triumphos, verè doctissimi, vereq; clarissimi reportetis. Valete. Cosmopoli. 1581.

DE PERSECVTIONE ANGLICANA: EPISTOLA.

QVA EXPLICANTVR LEGES CRVDELISSIMAE, AFFLICTIONES, AERVMNAE, & Calamitates grauißimæ, cruciatus etiam & tormenta, & acerbißima martyria, quæ Catholici nunc Angli, ob Fidem patiuntur.

Psal. 105. *verſ.* 38.

Effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum.

Pſal. 78. verſ. 2.

Poſuerunt morticinia ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cœli, carnes ſanctorum tuorum beſtijs terræ.

AD LECTOREM ADMONITIO.

MAgna fuit à nobis & ſolicita in eo poſita diligentia, vt ex infinitis quæ partim ſciuntur, partim feruntur de hac Anglicana perſecutione, non niſi pauca eaq; certiſsima & exploratiſsima ſcriberentur. Vnum ſolùm ex communi hominum ſermone, & nonnullorũ literis appoſueram, quod poſt diligentiorem inquiſitionem factam, ſubdubium mihi redditur, licèt res exigui momenti ſit, videlicet fol. 35. pag. 2. vbi quendam coniectum fuiſſe in carcerem dixi, ob tria verbula in argumentationis Campianæ patrocinium prolata. *Camdenus.* Quod etſi plurimorum relatione ac literis confirmetur indies, tamen an ille quem eo loco nominaui, ea ſolùm de cauſa carceribus ſit traditus, (nam fuiſſe eum eo tempore in eundem carcerem coniectum ob quiddã ad religionem pertinens, extra dubium eſt) non eſt ita mihi certum, vt audeam tibi (Lector) ſine hac cautela tranſmittere. Quoniã hæc vna res communi hominum ſit accepta ſermone, cæteræ omnes ex fidiſsimis & indubitatis teſtimonijs.

DE



DE PERSECVTIONE ANGLICANA: EPISTOLA.

Amicissimo suo Gerardo, Bononiæ.



Requentes à te literas, argumenti non dissimilis recepi: petis enim & vehementer vrges, vt scriptione significem, quæ mihi certa sunt & explorata, de Anglicana in Orthodoxos persecutione, cuius tu isthic famam esse non exiguam quidem, sed minimè tamen explicatam, & fidei parum constantis, affirmas. Mihi autem, qui & absum propiùs ab ipsis rebus gestis, & accipiam auditione quæ quotidiè geruntur, non esse perdifficile existimas, complecti literis quę sunt certissima. Quæ tibi vt nō negauerim, (locis enim peruicinis subsisto, & quę scribuntur aut narrantur non indiligenter attendo:) tamèn, an debeam hæc eadem tibi scribere, & amicis (vt ais) petentibus impertire, eo maximè consilio, vt fiant publica, nondùm satis possum constituere. Non enim es nescius, quantū habeat periculi, de potentium iniurijs querelam instituere, quorum ingenium & consuetudo est, ne gemitum quidem miseris, liberum aut impunitum relinquere, sed ipsis etiam de lamentis (si quę fiant) vindictam sumere. Ne igitur noceam quibus optimè volo, eorumq́ue referendo calamitates augeam, quibus prodesse vel vitæ meæ periculo cuperem: ancipiti profectò cogitatione discrucior, & quam in partem deflectam, non facilè inuenio.

Propendeo tamen (fateor) in illud quod postulas, cùm & iustum videatur, & rationibus à te positis, ab omni maleuolorum calumnia satis munitū. Quid enim, (inquis?) an quę publicè sunt gesta, priuatis literis non liceat committere? aut si hoc ipsum in crimē vocatur: tua tamen culpa est, non alijs pręstanda; tuum delictum, in alios non plectendum. Quæ tua ratio ab ipsius naturę sensu deducta, sustentat me non parum vacillantem, & non mediocriter voluntatem tibi satisfaciendi corroborat. Hoc enim profectò, (nisi vehementer aberro) ab aduersariorum nostrorum expectandum est prudentia, (sunt enim secundùm carnem non insipientes,) vt aliena peccata ab innocentibus non exigant: quanquàm ego mehercule, sic quæque conabor scribere, vt nec ipsis etiam iudicibus, in officium boni

viri scribendo peccem. Nihil enim odiosè dicã, nihil maleuolè, acerbè nihil: narrabo tantùm quæ facta sunt, & si rei asperitas aliquandò me in querelam impulerit, id citra cuiusquam fiet contumeliam.

Catholicorũ propria. Non enim arbitror nostrum esse, qui fidem Christi Catholicam amplexamur, iniuriam iniuria compensare, aut malefactorum iniquitatem, orationis velle acerbitate castigare. Habemus enim propitium & potentem dominum, cuius arbitrio deferenda sunt omnia. *Ipsi cura est de nobis: ipsi vindictam, & ipse retribuet: ipse discernet causam nostrã: de gente non sancta, ab homine iniquo & doloso eruet nos: ipse, cùm tẽpus acceperit, iustitias ipsas iudicabit*, quãtò magis seruorũ suorũ persecutiones, molestias & diuexationes? interim si affligimur, si proculcamur, si rapinas bonorũ nostrorũ patimur, si opprobrijs exponimur, si carcerib⁹ premimur, si vinculis stringimur, si fame, frigore, & inedia maceramur, si tormẽtis & cruciatib⁹ subijcimur, si in cruces subleuamur, si mortis varijs generib⁹ absumimur: (nã hęc omnia Catholici in Anglia nostra sustinent:) & si, (quod adhuc magìs ad dolorem facit) hæc eadem in medio nostrorum fratrũ sustinemus, in auribus & oculis cæterorum Catholicorum, qui in circuitu sunt, inspectantibus & negligentibus ipsis, & nostri non quicquam commiserentibus, nec verbo quidèm (cùm possint) iuuantibus: tamen, despondendus animus non est, nec salutaris anchora patientiæ dimittenda. *Non enim* (vt inquit ille) *meliores sumus quàm patres nostri, qui secti sunt, distenti sunt, verbera & carceres experti sunt*, & addit Apostolus, quod à te maximè animaduerti volo: *non suscipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent resurrectionem. Non sunt discipuli supra magistrum: qui cùm iniustitiam non fecisset, cum iniquis tamen deputatus est*, & multò his atrociora nostri causa pertulit. *Neq; tamen os suum coram tondentibus*, imò nec tundentibus quidèm, *aperuit*.

1.Pet. 5. Rom. 12. Psal. 42. Psal. 74. 4. Reg. 19. Heb. 11. Luc. 6. 1. Pet. 2. Esa. 53. Luc. 22. Esa. 33.

Retineamus ergò nos hanc tàm sanctę tolerantiæ auitam possessionem, commendatam nobis à Saluatore nostro, & ab optimis maioribus integerrimè conseruatam. Permittamus aduersarijs illam omnem innatam vindicandi ferociam, qua magistratui & dominationi resistunt, qua seditiones & turbas excitant, qua tot viros principes, duces fortissimos, sacerdotes sanctissimos, ciuitates munitissimas, pręclarissimas atq; nobilissimas respublicas fraude ferroq; hac nostra tempestate peremerunt. Vtantur illi humano brachio, confidant de astutia & iniquitate sua, vescantur scelere quantum volent: *Spes autem nostra in Deo nostro est, qui saluos facit sperantes in se: adiutorium nostrum*

Hæreticorũ peculiaria. Rom. 9. Epistol. Iud. Hier. 17. 1. Cor. 3. Ephes. 4. Psalm. 61.

nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram, & qui non obliuiscitur in-opiæ & tribulationis nostræ. Placuerit forsitan maiestati suæ castigandos nos tradere ob peccata nostra, *quia honor regis iudiciū diligit:* at certè nos proijcere non potest reuertentes ad se, *quia misericors & miserator est, & miserationis eius non est numerus.* Quid poterat hoc ipso expressius ab eo dici? 16. & 123. Psalm. 43. Psalm. 98. Psa. 49. 77. 140. 144.

Si dereliquerint (de Dauide loquitur) *filij eius legem meam, & in iudicijs meis non ambulauerint.* Psalm. 88.

Si iustitias meas prophanauerint, & mandata mea non custodierint:

Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum:

Misericordiam autem meā non dispergam ab eo, neq; nocebo in veritate mea:

Non prophanabo testamentum meum, & quæ procedunt de labijs meis non faciam irrita:


Semel iuraui in Sancto meo, si Dauid mentiar, semen eius in æternū manebit.

Hæc est promissio, hæc firma DEI testatio, Dauidico semini, hoc est, Ecclesiæ Christi Catholicæ de æterna duratione, iuramento sa-cta, sanguine confirmata, plurimorum sęculorum experientia stabilita. Non est ergo nobis dubitandum, sed sustinendum: *etenim vniuersi qui sustinent dominum, non confundentur.* Psalm. 24.

Et si moram fecerit, expectemus illum, quia veniens veniet, & non tardabit. Abacuc 2.

Ad hanc autem rerum aduersarum tolerantiam, dum nos inuicem hoc in exilio non rarò cohortamur: nihil solemus nobis ipsi libentius, vel possumus certè efficacius, ad consolationem & imitationem proponere, quàm fratrum nostrorum in Anglia perpessiones, tantò nostris maiores & acerbiores, quantò magis afficiunt quæ corpore sentiuntur, quàm quę rebus externis inferuntur vulnera. Nos enim qui manibus elapsi persequentium, alienis in terris vitam exulem degimus, etsi permultis sanè incommodis, atque adeò ferè infinitis exagitemur, quòd patria, quòd liberis, quòd amicis caream⁹: quòd bonorum nostrorum direptiones, & possessionum omnium auersiones sustinuerimus: tamen, quæ duæ res in homine sunt maximæ, earum vtimur potestate libera, id est, animi & corporis, quarum neutra Catholicis in Anglia conceditur.

Nam præter illa grauamina, quæ rebus eorum temporalibus imponuntur, corpora etiam sexcentis diuexationibus patent, carcerū, vinculorum, atq; etiam tormentorum, Animis verò nihil liberum, nihil solutum, nihil integrum relinquitur: non vox, non religio, non internus de Deo rebusq; diuinis sensus, aut cogitatio. Loquen- Dura Catholicorū in Anglia cōditio.



dum enim tibi est cum aliis: affirmandum iuramento quod cæteri affirmant: etiamsi animo longè aliter opineris, etiamsi conscientia contrarium planè senseris.

Quę seruitus & illiberalis animorum pressura, in rebus pręsertim ad Deum pertinentibus, cùm sit omnium malorum, quæ in hominem possunt exerceri, grauissimum atque acerbissimum: facit vt nostra conditio, licèt cæteris in rebus afflictissima, domesticorum tamèn statu sit multò tolerabilior. Quis enim omnibus incommodis, & ipsa etiam morte non duxerit acerbius, torqueri conscientia, prohiberi libero religionis exercitio, impelli ad opinionum nouarum professionem, quas animus auersatur, respuit, & abhorret. More autem suo, patrumq; suorum, & totius ferè orbis reliqui, si quis Deum colat, etiamsi clanculũ, etiamsi tectè, etiamsi persecretò fecerit: traduci tamen tanquàm lęsæ maiestatis reum, tanquàm hostem & proditorem totius reipublicæ, tanquàm impium & flagitiosum hominem, & vsura communis auræ vitæque indignum? Quòd autem nunc (Gerarde) sic se res habeant in patria nostra, ex subiecta liquidò narratione constabit.

Leges Anglicanæ in Catholicos latæ. Ac primùm quidèm vt res faciliùs intelligatur, & reliquorum quę dicenda sunt, manifestior existat coniectura: non erit forsan ab optima methodo alienum, si leges publicas proposuero, quas Anglia nata & instituta à Catholicis ad Christum, in perniciem Catholicorum, ob fidem Christianam edidit; ex his enim nõ difficulter existimari poterit, quantum patiantur à priuatorum hominum libidine, odio, atque nequitia, cùm publicarum legum authoritas, tantum in illos potestatis cuiuis ferè calumniatori permittat.

Duo genera legum in Catholicos. Vt ergò de legibus dicam; duo sunt earum genera, quę diuersis temporibus in Catholicos sunt latæ, aliæ quæ pecunias, possessiones, cæteraque bona tam fortunæ quàm corporis attingunt, quæ pecuniariæ (opinor) dici possunt. Aliæ quæ sanguinariæ potiùs sunt, quia mortem vniuersis offendentibus infligunt. Atque ad hanc ipsam legum partitionem, sequentis orationis seriem accommodabo.

Leges pecuniariæ. Inter leges pecuniarias, illa cum primis numeranda venit, quæ in postremis est edita, in eorum nimirum punitionem, qui conscientiam secuti, protestantium Ecclesias frequentare detrectant. Hoc enim perurgent aduersarii, vt licèt Catholici alterius sint religionis, licèt Caluinismum animis abhorreant, licèt ministrorum preces & conuentus detestentur, & eorum sacra prò nefandissimis habeant: tamẽ

accedant,

accedant, asſiſtant, pręſentes ſe exhibeant, etiám reluctante, etiam reclamante, etiam auerſante conſcientia. Et quia plurimi recuſant tàm atrociter in Deum & conſcientias peccare ſuas: ideò lex iſta ſeuerißima, in homines iſtos ſcrupuloſos facta eſt, vt quicunque ad Eccleſias proteſtantium venire recuſauerint, officij diuini (vt loquuntur) pręſtandi aut auſcultandi cauſa, ſi ætatē annorum ſedecim exceſſerint, ſoluent quoque menſe ſuæ abſentiæ, libras Anglicas viginti, hoc eſt aureos 66. qui autem ſoluendo non ſunt, carceribus omninò detineantur, donec ſoluendi facultatem habeant. Leges reliquæ hoc ordine ſequuntur. *Prima lex in recuſantes eccleſias proteſtantium.*

Qui conuictus fuerit audiuiſſe miſſam, etiamſi id ſecretò factum fuerit, patietur carceres per integrum annum, & tam diu poſteà, quò vſque perſoluat 211. aureos. *2. De miſſa.*

Sacerdos verò qui ſacrum fecerit, non exibit carcere, poſt expletum annum, niſi ſolutis aureis 422. atq; hoc toties, quoties fuerit in hoc genere ab eo peccatum.

Omnis vir Eccleſiaſticus, qui non publicam fecerit religionis Romanæ deteſtationem, & authoritatem Pontificis Romani palàm non abiurauerit, amittet omnia beneficia, omnemq́ue dignitatem quamcunque Eccleſiaſticam. *3. De abiuratione.*

Nullus ſcholaris aut literarum ſtudioſus, habere poterit locum in Collegijs academicis, aut ad vllum gradum literarium aſcendat, niſi ingreſſu ad illud collegium, & in ſuſceptione cuiuſq; gradus, eiuſdem Pontificis authoritatem in cauſis Eccleſiaſticis abiuret. *4. Iuramenta in Academijs.*

Nemo magiſtratum publicum gerat, aut vllum officium in republica retineat, niſi hanc ipſam ſummi Pontificis abiurationem publicè præſtiterit. *5. De iuramentis magiſtratuum.*

Pupillus ad perfectam ætatem perueniens, hæreditatem ſuam adire non poterit, nec eiuſdem vllis commodis gaudere, niſi priùs emiſerit idem publicum iuramentum. *6. De pupillis.*

Quicunque infra dignitatem Baronis poſiti, vocati fuerint (vt non raró ſolent) ad comitia publica, quæ parlamentum appellantur (in quo ſumma libertas ſuffragiorū ſolebat eſſe) amittent omne ius ſuffragiorū, niſi velint publicè hāc abiurationē Pōtificis pręſtare. *7. De comitialibus.*

Si cuiquam infra conditionem Baronis conſtituto, hæc abiuratio bis oblata fuerit, & ipſe hanc eandem ſecundò recuſauerit: amittet omnia bona & poſſeſsiones ſuas, & corpore condemnabitur ad perpetuos carceres. *8. De recuſantibus iuramentum.*

9 *De negantibus reginā supremū esse caput.* Qui negauerit Reginam esse supremum caput Ecclesiæ Anglicanæ in causis Ecclesiasticis : eadem pœna plectetur amissionis bonorum omnium & incarcerationis perpetuæ.

10. *De recipientibus res benedictas à Papa.* Quicunq; Agnos Dei,(vt vocant)rosaria,grana benedicta, medalias, crucifixos,aut aliam rem quamcūq; benedictam à summo Pontifice, & in Angliam adductam, receperit, aut retinuerit : eandem pœnam sustinebit amissionis bonorum omnium & incarcerationis perpetuæ.

11. *De retinentibus pædagogos Catholicos.* Si quis pædagogum domo retinuerit ad instruendos pueros qui Ecclesias protestantium non frequentet, aut ab Episcopo Caluiniano approbatus non fuerit, perdet ob eam causam 33. aureos singulis mensibus, quousq; illum eiecerit.

12. *De celantibus recōciliatores vel recōciliatos.* Si quis sciat aliquem, qui alterum reconciliauerit vnitati & communioni Ecclesiæ Romanæ; & si hunc reconciliatorem, aut illum alterum reconciliatum, quouis modo iuuerit, aut celauerit, ita vt infra spacium 20. dierum proximè sequentium, magistratui publico vtrunque non prodiderit : amittet omnia bona sua tàm mobilia, quàm immobilia, omnesque possessiones dum viuit, & de corpore suo statuetur ad arbitrium Reginæ.

13. *De celantibus procurationes.* Qui nouerit aliquem procurasse alterius reconciliationem ad fidem Romanam, quamuis ipse nec reconciliauerit, nec reconciliatus sit, & si hunc procuratorem quouis modo iuuerit, aut celauerit, aut non prodiderit magistratui, vt suprà: eiusdem pœnę condemnabitur.

14. *De celātibus consultores.* Qui nouerit aliquem consilium dedisse alicui, vt reconcilietur Romanæ fidei, licèt ipse hoc omninò non procurauerit, & si hunc consultorem quouis modo iuuerit, aut celauerit, aut non prodiderit, vt suprà: eidem pœnę fiet obnoxius.

15. *De celantibus obedientes Papæ.* Si quis sciat aliquem persuasisse, procurasse, aut consuluisse alicui, vt obediat Romano Pontifici in causis Ecclesiasticis, & si hunc tamen iuuerit, celauerit, aut non prodiderit, vt suprà: eadem pœna plectetur.

16. *De celantibus promittentes obedientiam.* Qui cognouerit aliquem permisisse sibi persuaderi, vt obediat in Ecclesiasticis Romano Pontifici, vel promisisse (pro futuro tempore) quamcunque ei obedientiam: & si hunc quouis modo iuuerit, aut celauerit, aut infra viginti dies non prodiderit, vt suprà : eandem pœnam amissionis bonorum & possessionum omnium, & incarcerationis subibit.

Qui

Qui sciuerit sacerdotem aliquem absolutionem alteri dedisse, & hunc iuuerit aut celauerit, aut satis tempore non prodiderit, vt suprà: ad eandem pœnam condemnabitur. 17. *De celantibus absoluentes.*

Si quis nouerit sacerdotem habere authoritatem absoluendi, quamuis eam non exercuerit, aut aliquem absoluerit: & si hunc iuuerit, aut celauerit, aut non prodiderit vt suprà: eidem pœnę subiacebit. 18 *De celantibus authoritatē habentes absoluēdi.*

Qui sciuerit aliquem præseferre authoritatem habere absoluendi, etiamsi reuera non habeat; & hunc iuuerit, aut celauerit, aut non prodiderit, vt suprà: eadem pœna inuoluetur. 19. *De celantibus præseferentes absoluendi authoritatem.*

Si quis sciat aliquem esse ab altero absolutum, siue volens petierit illam absolutionem, siue sciens solum permiserit se absolui non petentem: & hunc vllo modo adiuuerit, aut celauerit, aut non prodiderit, vt suprà: eiusdem pœnę reus existimabitur. 20. *De celātibus absolutos.*

Qui nouerit aliquem dissuasisse alteri religionem quæ nunc est publica in Anglia, (hoc est Caluinismū) ea intentione, vt eum trahat ad obediendū Pontifici & Romanę religioni: vel si sciuerit aliquem procurasse, vel suasisse, vt alteri sic dissuadeatur: & si hunc quouis modo iuuerit, celauerit, vel non prodiderit magistratui infra spacium 20. dierum, vt suprà: eandem pœnam toties iam descriptam patietur, nimirum, vt amittat omnia quæ mortalibus hæc vita dare posit commoda. 21. *De celantibus dissuasores religionis Caluinianæ.*

Atque hæc ferè sunt, quæ de legibus pecuniarijs mihi veniunt in mentem; ex quibus solis, si nullæ capitales essent, coniectura facilis fieri posit, quàm ardua sit in Anglia Catholicorum conditio, quibus tot leges tanquàm laquei ad perditionem sunt positæ, terrore plenę, periculisq; plenisimę. Quis tranquillo animo esse posit, cùm de bonis vitæ necessarijs, nequeat vel ad horam securitatem sibi promittere, circumceptus tot minitantibus legibus, quarum pericula vitare non potest, nisi impius esse velit? quantum hîc loci calumnijs conceditur? quantæ vires subministrantur inuidiæ? quantæ occasiones iniquitati porriguntur? Si quis iuuerit aut celauerit reconciliantem, reconciliatum, absoluentem, absolutum, procurantem, cōsulentem, dissuadentem, aut huiusmodi: reus est (inquit lex) ingentis flagitij, puniendus amisione bonorum omnium, atque etiam libertatis. Nihil dico de re: considera solùm, quantum pateant Catholici his legibus iniustitiæ. Si quis aliquem ex prędictis domo forsan vel inscius reciperet, & alter scientem fecisse argueret: qua se hic ra-

 tione

tione defenderet, aut quo patrocinio innocentiã tueretur suam? Si quis alicui dissuaderet Caluinismũ, nulla prorsus facta Romani Pontificis mentione: quomodò constabit istum læsæ maiestatis reum non esse, hoc est, non ea intentione dissuasisse, vt alter, reiectis Caluini placitis, Romano se Pontifici & Ecclesiæ submittat? Imo (inquis) euitari facilè periculum posset, si iste apertè Puritanismum, Anabaptismũ, Arrianismum aut etiam Atheismum persuaderet. Credo equidem: nec sanè abhorret à probabili coniectura, particulã illam in istarum similiumq; hęreseon patrocinium, fuisse à scriptore tàm diligenter appositam. O miseram conditionem nostrorũ temporũ.

Ex lege 21. præcedenti.

Securius in Anglia cuius hæresi quam fidei Catholicæ fauere.

Iniquitas legum Anglicarum in Catholicos.

Atq; hæc de calumnia: quid verò de legũ istarum iniquitate dicendum esset, qua pater filium, maritus vxorem, frater fratrem, pœnitens sacerdotem, seruus dominum, ob religionem Catholicam, qua nati, qua educati, qua instituti sumus, quamq; cæteri principes amplexantur & defendunt, accusare in Anglia, tanquàm de crimine scelerato tenentur, quorum profectò simile nulla retrò transacta tempora, nulla patrum repetita memoria, nulla priorum sęculorũ antiquitas viderunt. Solùm hę sunt nostrorum temporum inauditæ vertigines, locorum nouitates, humanę mentis flexibiles voluntates, carnis & sanguinis vanissimæ cogitationes, quibus homines incommutabilem Christi veritatem, commutare suis placitis pro ratione suorum commodorum attentant.

Leges capitales in Catholicos Anglos.

Sed videamus adhùc seueriores leges, hoc est, capitales, quas suprà sanguinarias ea ratione appellauerim, quòd sanguini insidientur, vitamq; ipsam oppugnent. In quibus illud primum animaduersione non est indignum, omnes de sola religione esse, & tamèn nó solùm pœnam capitis inferre, verùm etiam læsę maiestatis, quę est omnium grauissima & odiosissima; quippe quę flagitiosissimo debetur sceleri, quod est, proditionis. Hoc autem ideò ab aduersarijs nostris est factum, ne mors Catholicorũ martyrium videretur, sed infamia potiùs scelerati flagitij apud vulgus ignarum traduceretur. Etiam vt principi faciliùs persuaderetur religionem Catholicam sceptro suo infestam esse, & regnandi securitati malè securam. Quo semel confirmato principio, non erat difficile quas vellent in Orthodoxos leges elicere, cùm tamèn illa abhorreret ingenio ab huiusmodi violentia & sanguinis effusione. Sed nùnc ad leges ipsas accedo, quarum prima sic exoritur.

1. Confitentes

Quicunq; dixerit, scripserit, affirmauerit, vel vllo modo etiam per

per cifras significauerit vel etiam rogatus confessus fuerit, Pontificem Romanum esse caput Ecclesiæ Anglicanæ, vel vllam habere ibi in causis Ecclesiasticis authoritatem: reus læsę maiestatis existimabitur, & eadem prorsus pœna plectetur, qua reipublicæ proditores plecti solent. *Pōtificis authoritatem.*

Qui ad Pontificem Romanum vlla de causa appellauerit, & bullas aut alia instrumenta ab illo obtinuerit, & in Angliam inuexerit, eidem læsæ maiestatis pœnæ subiacebit. *2. Appellantes ad Pontificem.*

Si quis Agnos Dei, (vt vocant) rosaria, grana benedicta, medalias, crucifixos, aut quamcunque rem aliam à Pontifice Romano benedictam in Angliam importauerit: criminis læsæ maiestatis reus erit. *3. Importātes res benedictas à Papa.*

Cuicunq; infra dignitatem Baronis constituto, ter oblatum fuerit iuramentum, seu abiuratio contra Pontificis Romani authoritatem, & pro suprema potestate Reginę in causis Ecclesiasticis, & si ille tertiò iurare detrectet: eandem pœnam læsę maiestatis sustinebit. *4. Recusantes iurare.*

Qui vllo modo dixerit, scripserit, significauerit, vel rogatus confessus fuerit Reginam Angliæ hæreticam esse, aut schismaticam: eidem pœnæ læsę maiestatis erit obnoxius. *5. Fatētes reginam hæreticā aut schismaticam.*

Si quis aliquem Ecclesiæ Romanæ vnitati & communioni reconciliauerit, eandem pœnam læsę maiestatis patietur. *6. Reconciliantes.*

Quicunq; fuerit ab aliquo sciens & volens ad eandem vnitatem & communionem reconciliatus: eandem pœnam sustinebit. *7. Reconciliati.*

Qui procurauerit alicuius reconciliationem ad illam vnitatem & communionem: eiusdem pœnæ reus erit. *8. Procurantes reconciliationem.*

Qui tantùm consuluerit alicui, vt ad illam vnitatem & communionem reconcilietur, etiamsi non procuret: eadem nihilominus plectetur pœna. *9. Consilium dantes ad reconciliationē.*

Si quis alicui persuaserit, vt Pontifici Romano in causis Ecclesiasticis obediat: eodem crimine læsę maiestatis condemnabitur. *10. Persuadentes obedire Papæ.*

Si quis permiserit sibi persuaderi, vt sic obediat: eiusdem criminis reus censebitur. *11. Permittētes sibi persuaderi.*

Si quis procurauerit vel consilium dederit, vt alicui sic persuadeatur, eandem pœnam læsę maiestatis subibit. *12. Procurātes & consulētes persuaderi.*

Si quis promiserit (pro futuro tempore) se aliquam obedientiam Romano Pontifici in causis Ecclesiasticis præstiturum: eandem læsę maiestatis pœnam sustinebit. *13. Promittentes obedientiam.*

Si sacerdos aliquem ex Reginæ subditis absoluerit: crimen læsę maiestatis censebitur. *14. Absoluentes.*

Si quis

15. Habentes authoritatem absoluendi. Si quis habeat authoritatem absoluendi in Anglia, licèt nullum actu absoluerit: incurrit tamen læsæ maiestatis crimen.

16. Præsefe-rentes authoritatem absoluendi. Si quis præ se ferat habere huiusmodi authoritatem absoluendi, etiamsi non habeat: læsę maiestatis reus existimabitur.

17. Permittentes se absolui. Si quis sciens ab altero absoluatur, siue ipse petierit absolutionem illam, siue absolui se permiserit non petentem, eandem pœnam læsę maiestatis sustinebit.

18. Procurantes absolui. Si quis procurauerit vt aliquis absoluatur: eidem pœnæ fiet obnoxius.

19. Consulentes absolui. Si quis consilium dederit, vt quis absoluatur, licèt non procurauerit: eandem pœnam sustinebit.

20. Procurãtes & consulentes absoluere. Si quis vel procurauerit vel consuluerit, vt quis absoluat, licèt non vt aliquis in particulari absoluatur: eidem pœnæ subiacebit.

21. Dissuadẽtes religionẽ Caluinianã. Si quis dissuaserit alicui religionem illam quæ nùnc publicè in Anglia tenetur, vel procurauerit vt dissuadeatur, ea intentione vt ille cui dissuadetur, ad obediẽtiam Romani Pontificis & Romanæ fidei trahatur: reûs erit etiam criminis læsę maiestatis, & eadem pœna plectetur, quæ illi crimini debetur, quæ quidẽ pœna huiusmodi est.

Pœna eorum, qui condemnantur læsæ maiestatis, ob religionẽ Catholicam. Primùm vt condemnatus terraque protractus ad locum supplicij, in maiorem cruciatum semistranguletur laqueo: deinde, vt redeunti ad se amputentur virilia, & igne comburantur: tunc, vt cultro aperiatur venter, & erutis ilijs, etiàm cor & viscera spiranti adhûc & reluctanti, manu carnificis euellantur & in ignem iuxtà positũ proijciantur: denique vt elixus & in partes dissecatus ad varias ciuitatis portas suspendatur. Bona autem sua & possessiones omnes ad fiscum transeant; nec eorum quicquam ad vxorem, liberos, aut consanguineos descendat, sed vt ipsi prætereà, huius vnius ob causam æterna notentur ignominia, & omnis mortui posteritas degradetur sanguine.

Iniquitas mira ministrorum Anglorum. Súntne hæc seuera satis? súntne satis aspera (mi Gerarde) in auitæ paternæq; religionis professores? & tamen ministri nostri, nouatores isti nostri, Euangelicę doctrinæ buccinatores nostri, & Christianæ (si dijs placet) mansuetudinis imitatores clamant indies è suggestis, libris scriptis peringeminant, sermone quotidiano magistratus & principis auribus inculcant, nimiam esse lenitatem, periculosam esse clementiam, culpandam & non ferendam totius regiminis in Catholicos tolerantiam. Sed vide præcipitatam hominum inuidorum & furiosorum amentiam.

Est nè

Est né vllum ſcelus aut flagitium,quod acerbioribus poſsit coërceri pœnis, quàm eis quas deſcripſi? eſtne vllum genus facinoroſorum hominum,quod pluribus poſsit ſepiri legibus, includi pœnis, patere periculis,exponi damnis, quàm Catholici in Anglia his legibus exponuntur? & quid tandem deliquerunt iſti? àut quodnam crimen eſt fides auorum & patrum noſtrorum? Aduerſarij aliquandò communionis noſtrę,núc arrepta fide Caluini, Lutheri proiecta, noſtraque contempta, dominos ſe noſtros conſtituerunt, & ſedibus expulſos omni nos dignitate & loco mouerunt. Non querimur: fruantur liberrimè. At quid vlteriùs progrediuntur miſelli? cur animas etiam noſtras expetunt? quare ſæuiunt in ſanguinem? cur non exaturantur niſi morte vel extrema calamitate noſtra?Si de fide ſolùm decertatur, ſunt aliæ ſectulæ non minùs Caluino quàm nos inimicæ: & tamen vtuntur perbeneuolis hìs miniſtris. Si aliud autem ſubobſcurè lateat,& ſi Verres legem repetundarum timeat, liberamus eos hac moleſtia,ſecuritatem facimus,cedimus iure noſtro. Tantùm petimus,ne exitio nobis ſit,& odij cauſa ſempiterni, quòd aliquandò patria fuerimus potiti:niſi enim hoc ipſum fuiſſet, ipſi iam nullam rempublicam haberent.

Atque hęc de legibus:quarum prætextu quantum in nos poſſunt aduerſarij, tu vides; quantum autem volunt,res ipſa demonſtrat; cùm hac aſperitate minimè contenti, duriora & acerbiora quotidiè depoſcunt. Et tamen, equidem non arbitror tam durum eſſe poſſe, aut ferreum cuiuſquam hominis Chriſtiani pectus, (ſi humanitatis ſenſum cum fide non exuiſſet) quin ijs quæ noſtri patiuntur commoueatur.

Neque enim fingi poteſt quicquam in vllo ferè genere calamitatis luctuoſum,quod indies non perferant:neque cogitari aliquid in vlla conditione hominum acerbum, quod indies non ſuſtineant. Veriſsimè poſſunt cum Apoſtolo dicere:*in tribulationibus,in neceſsitatibus,in anguſtijs,in plagis,in carceribus,in ſeditionibus,in laboribus.* Et cum eodem Chriſti milite alio in loco:*Periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari,periculis in falſis fratribus, in labore & ærumna.* Imò illud etiam licebit addere quod addit Apoſtolus:*In mortibus frequenter.* Deniq; neq; illud ab eis alienũ eſt: *Ludibria & verbera experti,inſuper & vincula & carceres; diſtenti ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt,in occiſione gladij mortui ſunt.*Poſtremò,& illud proprijſsimè conuenit: *ſpectaculum facti ſumus mundo,& Angelis,& hominibus.Maledicimur, & benedicimus: perſecutionem*

Conditio Catholicorum in Anglia.

2. Corint. 6.

2. Corint. 11.

Hebr. 11.

1. Corint. 4.

patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus: tanquàm purgamenta huius mundi facti sumus, omnium peripsema vsque adhuc.

Vt autem hæc omnia manifestiùs appareant, non erit forsan alienum à proposito, si particulatim adhuc magis, singula quæq; oratione perlustrauero.

Extremum supplicium Catholicorum. Ac primùm de supplicio quidem extremo, nemini opinor esse posse dubium, quot & quales viri acerbissimæ morti propter religionem sint traditi, hoc est, strangulati, exenterati, dissecati, elixi, & per aera dispersi: quibus etsi (ad maiorem contumeliam) maiestatis crimen aduersarij affinxerint: tamen res in manifesto est, nec ipsis etiam diffitentibus, solam religionem in causa fuisse necis.

Non loquor hîc de illa sanctissima multitudine præsulum, doctorum, sacerdotum, aliorumq; Christi confessorum, quos vel carcer squalore confecerit, vel mœrore aut inedia consumpserit, quorum causas solius Christi tribunali deferimus: tantùm de illis sermonem facio, qui publicè & vniuersorum in oculis, veritati testimonium suo sanguine dederunt. Qui præter ipsos supplicij cruciatus, & illam communem contumeliam, qua non vt Catholici, sed vt reipublicæ proditores, (opinione vulgi) moriuntur: habent etiam (vt plurimùm) hoc honoris & meriti post mortem adiectum, vt disseminatis libellis infamentur, proiecta in mores aut doctrinam insigni aliqua ementita calumnia. *Infamatio post mortem.*

Sic nuperrimè cùm Euerardum Hansium pium & zelosum Christi presbyterum, patibulo publico suspendissent, veriti ne quisquam innocentis forsan martyrio commoueretur, nescio quæ errorum & paradoxorum monstra duobus contrarijs impressis libris, & alterum altero impugnantibus, homini mortuo attribuerint. Quale est illud: *Pontificem Romanum non posse peccare*: cùm Hansius errare solùm non posse dixerat, expressè de fidei doctrina vniuersæ Ecclesiæ proponenda loquens. Item illud: *Nullum principem (excepto Romano Pontifice) Primatum vllum suis in Dominijs tenere*: cùm ille solùm de primatu Ecclesiæ Catholicæ in causis Ecclesiasticis affirmaret. Item illud: *nullam proditionem contra Reginam Angliæ peccatum esse*: cùm ille iam morti proximus, iterum atq; iterum repetitis verbis apud turbam assereret, se non de omni proditione, sed de illa sola locutum, ob quam immeritò moriebatur, & quam aduersarij iniquissimè proditionem appellabant, cùm verè non esset aliud quàm fidei Catholicæ necessaria confes- *Paradoxa Hansio falsò attributa.*

confeſsio. Iam enim ex ſuperiori legum catalogo manifeſtum eſt, quàm multa noſtræ fidei capita ad læſæ maieſtatis crimẽ attraxerint.

Fidei capita facta læſæ maieſtatis crimina.

Hoc ergo aduerſarij noſtri, ad antiquorum perſecutorum improbitatem adiungunt, vt ne cauſam quidẽ ipſam martyrij (quam tamen illi fatebantur) patefaciant. Quanquàm ſanè, huius etiam iniquitatis nonnulla ſemina primis illis temporibus à Cacodæmone ſint iacta, cùm Paulus tanquàm *peſtifer & ſeditioſus*, Chriſtus autem Saluator, *vt plebem ſubuertens, & Cæſari prohibens tributa*, traducti ſunt iniuſtiſsima calumnia.

Actor. 24.
Luc. 24.

Nunc verò quantis opprobrijs, quibus vociferationibus, quot irriſionibus, quàm amaris ſalibus, quàm acerbis & virulentis conuicijs, quo ſtrepitu frementium atq; maledicentium, hi noſtri martyres ſtrangulentur, & inſpectantibus omnibus dilanientur: non eſt, opinor, operæ pretium deſcribere: res atrox eſt aſpectu, & narratu truculenta. O miſeros nos, qui in hæc tempora ſumus delapſi, vt in Chriſtianos ob fidem Chriſtianam exerceri tantam rabiem à Chriſtianis cernamus.

Magna ſæuitas.

Hæc de ſupplicijs: dicamus pauca de præcedentibus ante mortem contumelijs: ſed res eſt infinita, paucis non poteſt explicari: nec enim ipſis Mauris, Getulis, Tartaris, Sarracenis, Turcis, aut quibuſcunque Chriſti coniuratis hoſtibus tàm eſſe ludibrio Catholicos exiſtimo, quàm ſunt iſtis nouis Euangelicis, contemptus & omnis contumeliæ pleniſsimis. Si in ſacro faciendo ſacerdotem offendunt, incredibile eſt, quàm impiè & contumelioſè ſe gerant. Hoſtiam ſacram, aut etiam conſecratam diripiunt: pedibus proculcant: cultris & pugionibus transfodiunt: palo fixam Catholicis oſtentant, & inſultant conuicijs tanquàm eorum Deo panaceo, & (vt ipſi blaſphemant) frumentario. Sacerdotem verò ipſum priùs domi malè mulctatum educunt in publicum, & eiſdem prorſus veſtibus indutum, quibus ad altare ſteterat, per plateas & villam circumagitant, inſpectantibus omnibus, irridentibus vniuerſis, nonnullis autem inſpuentibus, plurimis verò conuiciantibus, & ſingulis ferè Chriſti ſeruo iniuriam aliquam particularem inferentibus. Indè condunt in carcerem, ferris ligant, compedibus onerant: ſi videtur, torturæ ſubijciunt: ſin minùs, verbere conuiciorum omnium diuexatum protrahunt ad iudicium, & ibi ſimul cum omnibus ad Miſſam eius præſentibus, condemnant ad carceres, & ad ſolutionem illarum pecuniarum, quas ſuprà ſoluendas ob hoc auditæ Miſſæ flagitium demonſtraui.

Contumeliæ, quas patiuntur Catholici ante mortẽ.

Tractatio ſacerdotis in ſacro deprehenſi.

Postcà verò si commodū quouis modo suis rebus existimant hominem perimere: interrogant de quibusdam præcedentium legum capitalium articulis, quæstiones ponunt captiosas & subtiles, vrgent vt directè & perspicuè respondeat. Quid plura? facilè eliciunt quod rei sufficiat? *In promptu enim baculus, quo cadas canem.*

De carceribus narratio.

Atque hoc loco quoniam de carceribus facta est mentio, & tu id literis nominatim requiris: adijciam etiam nonnulla de carceribus. Quorum illud erit primum, omnes esse refertissimos Catholicis, ita vt vix sit latronibus locus. Multi recenter exædificati nō sufficiunt: turris Londinensis proditoribus assuetus, nunc abundat sacerdotibus: imò Briduelo nostro, meretricibus proprio & scortis infami non deest sua pars. Nuper enim virgo quædam generosa & tenera, ob fidei cōfessionem paulò constantiorem, fuit in eum locum à Superintendente Londinensi protrusa.

Hæc domina Tomsonia dicebatur.

De internis inclusorum necessitatibus & angustijs nihil audeo affirmare, ne afflictis concitem querela mea maiorem afflictionem. Illud tamen commune est, prohiberi amicorum aditu, excludi sermonis & literarum commercio, aduentantium fieri obseruationem, ne quis illis possit aut eleemosynas largiri, aut alia pietatis opera sine periculo præstare. Narrantur autem & duriora multò, maximè in ergastulis Eboracensi & Hultonensi circa victus rationem. Sed quia de custodum peculiari quadā proteruia proficisci illa possunt: non attingam his literis tanquàm communia.

De carcere Lansonensi.

Illud tamen de Lansonensi carcere Cornubiensis prouinciæ & certum est & indignum. Cùm enim sex, opinor, aut octo, in eandem speluncnlam compingerentur, licèt perhonestæ conditionis essent, magnaq; ex parte generosis è familijs: cibus tamē nec dabatur, nec permittebatur nisi putidus, & ostiatim emendicatus, nec vsus aquæ præterquàm corruptæ. Secessus verò non alius ad corporum necessitates, quàm illa ipsa in qua discumbebant area. Sed illud ex omnibus caput est: quòd cum isti tandem de hac inhumana sæuitia cœpissent queri: minatus est vlteriùs ergastularius, ad equorum præsepia colligatos se instar iumentorum deinceps pasturum. Denique tamen, amicorum assiduitate & industria factum est, vt ab hoc carcere ad Londinensem, miliaribus plus minus ducentis, custodia publica transmitterentur. Cuius quidem peregrinationis hæc erit cæremonia.

Mira inhumanitas.

Impo-

Imponebantur equis cùm macris, tùm miseris: sine fræno, sine calcare, cæteróue apparatu equestri: equi longa serie alter ad caudam alterius subnectebantur. Equitantibus pedes sub equorum pectore, brachia à tergo reuinciebantur. Cùm ad vrbes & oppida appropinquebatur, erat qui præcurreret renuntiaturus incolis aduentare Papistas, hostes Euangelij & inimicos reipublicæ. Qua voce populus excitatus, & gregatim ędibus effusus in plateas, excipiebant aduentantes quibus poterant contumelijs.

Modus, quo ducuntur Catholici captiui in Anglia.

Simili planè pompa, ad opprobrium & omne genus ludibrij cōposita, duxerunt nuper per ciuitatem Londinensem duodecim viros orthodoxæ fidei, quorum erant quinque presbyteri, reliqui cōditionis bonæ & fortunæ. Horum illud erat crimen, quòd in eadem domo cum Edmundo Campiano Societatis IESV viro doctissimo & innocentissimo, orantes & sacra Catholica facientes sint inuenti. Cui tanquàm seditioso, ob æquissimam suæ fidei ministris oblatam disputando defensionem, aduersarij volebant infamiam concitare, in eumque finem, spaciosam chartam maiusculis literis odiosissimè descriptam, in illo triumpho gestare capite compulerunt. Quod ille non aliter tulisse dicitur, quàm Christus suæ crucis inscriptionem pertulit, pacatè, modestissimè, & animo læto vultuque sereno.

Edmundus Campianus societatis Iesu in triumpho ductus.

Tandem cùm peracta tragœdia in arcem Londinensem peruenissent, sicut reliquis anteà Dei seruis, maximè verò sacerdotibus fecerant: ita nùnc Campiano cruciatus & tormenta crudelissima subiecerunt, quibus elicere volebant, quibus in locis commoratus fuisset, quorum in ædibus hospitio receptus, quorum beneficio & liberalitate sustentatus, ad quos diuertisset, apud quos sacra & diuina peregisset, quibus consilia sua communicasset, quorum opera & industria fuisset vsus; & vt verbo dicam quinàm per Angliam Catholicæ fauerent religioni, & quinàm animis Caluinismo repugnarent. O grandia piacula, de quorum vel sola suspitione homines liberi exerceantur tàm exquisita quæstione.

Tormenta quæ Catholicis dantur in turri Londinensi.

Causæ leues torturæ.

Quandò hoc vspiam factitatum priùs est? In qua vnquam Scythia vel relatu auditum, vt homines ingenui, literati, liberaliter instituti, sacris functionibus presbyterij dicati, more seruorum in catasta distendantur, doloribus diris & cruciatibus distorqueantur ob solam conscientiam religionis auitæ, nisi ad pœnam velint prodere suæ fidei participes, quod iure gentium, & naturę officio, & communi honestate, omnique religione prohibentur facere? Estné hæc torturæ

iustißima causa?éstne hæc satis efficax ad quæstionem ratio? præsertim tàm immanem, tàm crudelem, tam seruilem de liberis? hócne vnquàm egerunt Orthodoxi vel in perditißimos aut in peruersißimos hæreticos?

Hæresis in initio dißimulatio.

Certè si nihil aliud esset, quod virum oculatum & attentum de fraude hæresis admoneret, & de latente sub hypocrisi perditißima nequitia: Si opinionum nouitas, opinantium contrarietas, pronuntiatorum inconstantia, viuendi licentia, nihil quicquam proloquerentur, tamen hoc vnum satis vniuersam dißimulationis machinam retegeret, quòd ipsi, qui tàm recenter humanitatem omnem professi sunt, & qui Ecclesiam Christi Catholicam ob æquißimam disciplinam, legibus iustißimis & antiquißimis descriptam, tàm atrociter insectati sunt, nùnc tantam sæuitiam in rebus suo pondere leuißimis adhibeant, quantam vix barbari in atrocißimis exerceant.

Parcat dolori meo, si cui asperiùs hoc videbor dixisse. Irascor enim non tàm hominibus qui ista perpetrarunt, quibus veniam à Deo meis precibus deposco, quàm hæresi, quæ viros natura nô crudeles, imò satis ad lenitatem & mansuetudinem propensos, in tantam abegit, non dicam feritatem, ne offendam, sed asperam profectò iracundiam in suos, vt nec patriæ propinquitate, nec integritate vitæ, nec elegantia literarum, nec ætatis flore, nec libertatis iure, nec sacerdotij priuilegio, nec verborum deprecatione, nec lachrymarum copia, in viris innocentibus commouerentur, nec ab inferenda vi extrema & immani retardarentur. Deum optimum, maximum & potentißimû obtestor, vt hoc ingens peccatum illis non imputetur, sed potiùs inueniant in die domini misericordiam, qui in die suo, hoc est, humano, misericordiam nullam suis fratribus fecerunt.

Esa. 13. 1. Cor. 4.

Arcta custodia castri Lôdinensis & asperitas eiusdem.

Mitto iam cætera quæ hac in arce Londinensi perpetrantur & tolerantur; quæ licèt plurima & grauißima sanè sint, minùs tamen nobis constare possunt, propter arctißimam custodiam, qua sermo ab externis, & omnis afflictorum eiulatio intercluditur. Imò non est mediocris aduersariorum in eo contentio, vt quęclàm inferuntur, non innotescant foris plagæ: sed tenebris potiùs & caligine sepeliantur, & densa carcerum occulantur cæcitate. Si autem erumpant aliquando vel ipsis inuitis, & vox miserorum lugubris inaudiatur, offenduntur atrociter, & vel abnegant quod factum est, vel lepore quodam eleuant.

Bis

Bis nuper Campianus tortus est eculeo:quis aduersariorum non pernegabat?Tandem tamen res innotuit, Campiano ipso in turba hominum hoc profitente:at ludus erat(inquiunt aduersarij)non seriò sed ioco ferè torquebatur:eodem modo de alijs priùs tortis luserant. Tam volupe est facetis hominibus de miserorum cruciatibus iocos facere.

Sed habent adhuc aliud huic castro persamiliare stratagema: vt affingant nimirum incluso quod placuerit, & inde ad infamiam foras disseminent,aliorumque in Catholicorum fraudes. Res latè patet & abundat exemplis, sed breuitatem secuti, vnum solùm aut alterum apponemus. *Aduersariorum consuetudo mentiendi.*

Campianus captus & tormentis agitatus, confessus dicebatur quæcunque postulauerant,præsertim apud quos,& quibus in locis fuisset. Addebatur etiàm ad mendacij plenitudinem, sponsionem nescio quam recantationis ab illo fuisse factam.Sed hoc nemini probabile videbatur:illud autem nonnullis reddebatur subdubium ex ingenti aduersariorum asseueratione. Multi enim viri generosi & nobiles suis ædibus Londinum euocati vrgebantur Campiana confeßione, cùm ille tamen (vt deinceps apparuit) ne vnum quidem verbum cruciatibus conceßisset.

Simile huic est, quod eiusdem castri præfectus affirmauit apud publicum iudicij confessum (quo cæteros exemplo in fraudem induceret) nullos esse suæ custodiæ subiectos Catholicos, qui Ecclesiam aduersariorum adire recusarent; cùm tamen constaret omnibus, eosdem quos ille signabat, non nisi compulsos & vi tractos concionibus quibusdam adfuisse,quibus tamen semper & apertè resistebant, & concionatorem à conuiciis ad argumenta deposcebant, idque pręsente præfecto & graues sæpè compedes iracundè minitante. Denique quot & quanta hoc inclusi carcere in omni genere presfuræ sustineant, difficile est scribendo differere, illi tamen ex parte loquuntur,qui præsentes aliquando rei interfuerunt, è quorum fidißima relatione,hoc vnum coniecturę causa de reliquis asscribam. *Apud comitia in aula publica Londinensi.*

Iuuenis erat loco bono prognatus, & literarum in studiis non leuiter versatus, (doctißimo enim viro Harpesfeldo, qui Christi causa mortuus est in carcere,præceptore & domino fuerat vsus:) hic religionis & studij causa iter in has partes designauerat. Ad quod accinctus iam, collecta quā habuerat vel pecunia vel suppellectili, ad ipsum portū transfretandi causa properabat.Sed re,nescio quo casu, diuul- *Coperus dicebatur.*

diuulgata, comprehensus est à magistratu & Londinum remissus: vbi primùm spoliatus bonis vniuersis,& coniectus in arcem Londinensem,seruabatur arctissimè in ea parte carceris quæ turris Becheama dicitur; excluso quidem omni solatio humano excepto solo lectulo,qui ægrè permittebatur, ab amicis transmissus. Post aliquod deinde tempus, iuuenis ætate non robustus, liberoque cœlo & flamini assuetus, partim inedia & frigoris asperitate,partim etiã squalore loci & auræ corruptela, in capitis quandam perturbationẽ aut vertiginem videbatur incidisse. Quare præfecto castri renuntiata, mirabilem adhibuit morbo medicinam. Iussit enim auferri lectulum,vt humo nuda discumberet ad sanitatem recuperandam.Quid multa? breui mortuus est iuuentus, frigoris & inediæ consumptus viribus; cuius rei illud extitit publicum testimonium, quòd cum caligas ei ad sepulturam detraherent, caro frigore putrefacta adhęsit caligis,& ossibus auulsa decidebat in frusta : miserabile spectaculum inhumanæ cuiusdam feritatis & sęuitiæ. Viuunt tamen qui hoc oculis viderunt,& nominari à me possent,nisi illis esset periculosum.

Turris Becheama.

Inaudita medicina.

Et quoniam de hoc genere sermonem cœpi,ero promisso meo liberalior,& vnum aliud adijciam, vt videas quàm abundem copia, si vellem ea in his exemplis vti.Iuuenis quidam superiori non dissimilis, Catholici confessoris filius,frequentabat domum nobilis & generosæ matronæ,cuius filius matri contrarius, Caluino plenus, furebat animo, quòd huius auxilio in domo materna fieri non raro Catholica sacra suspicabatur. Cùm ergo quodam tempore hunc obuium in platea Londinensi haberet,exclamauit voce perquàm fera: proditorem, heu capite proditorem, (hoc enim nomine nos appellant ad odium, & hac nos afficiunt iniustissima ignominia.)Ciues audito hoc verbo, exiliunt officinis, homini manus inijciunt,& ad iudicum proximum tribunal abripiunt. Vbi cum venissent,vociferator nihil habuit quod accusaret,nihil quod obijceret pręter solam suspitionem religionis Catholicæ, (neq; enim de facto valebat conuincere.) Iudices tamen hominem non dimittebant,quia odiosissima est accusatio religionis,& adiuuanda iudicum ipsorum interrogationibus,si quãdo accusatori desit quod opponat.Interrogant ergo de fidei capitibus,quid crederet, quídue sentiret? tandem argumentando extorquent illum sentire Pontificis Romani summam esse debere authoritatẽ in rebus etiam Angliæ Ecclesiasticis. Quo semel accepto, secutũ est illud quod de alio iudicũ consessu scribitur:

Shyrodus.

Filius Martinus, mater, domina Tregonia dicebatur.

Quid

Quid adhuc desideramus testes? audistis blasphemiam, quid vobis videtur? qui omnes condemnauerunt eum esse reum mortis. *Marc.14.*

Ad castrum ergò Londinense transmittitur, & in abditissimam specum iuxta locum tormentorum reconditur: Interim cubiculum diripitur quod habebat in ciuitate, & distrahitur quicquid erat bonorum, simul etiam nonaginta plus minùs aurei, qui alieni fuerant, & pauperrimo afflictissimoq; patri debebantur, in reliquorum societatem abripiebantur. Ille in carcere tormentis exercebatur, vt indicaret quibus locis audiuisset Missas (nam ipse sacra facere non poterat, cùm adhuc esset laicus.) Post maxima tormenta ingenti animi magnitudine tolerata (sic enim fatebatur quidam qui interfuit aduersarius) protrudebatur in antrum perobscurum & atrum sine veste necessaria. De victu autem licet facilè conijcere, cùm nulla pars suorum bonorum ad vitę sustentationem permitteretur. Imò quod horret certè animus referre, cùm vir quidam pijssimus, fama huius extremæ calamitatis permotus, pecunias quasdam dono misisset, & mediante quodam incluso particulari huius custodi tradidisset, (habet enim quisque particularem in hoc castro custodem:) custos acceptam pecuniam postridiè retulit, affirmans præfectũ castri nolle hunc miserum huius eleemosynæ frui beneficio. Rogatus tamen vehementissimè vt aliquid in illius opem expéderet, negauit se omninò posse, exceptis solùm duodecim circiter assibus, ad stramẽ comparandum in quo discumberet, tam infensus erat pauperculo præfectus.

Hic erat Roperus gener Thomæ Mori.

Hoc est, sex denarijs Anglicanis.

Deniq; post sex, opinor, menses hoc acerbissimo martyrij genere transactos, protractum in publicum suspendunt laqueo, & deinde reuiuiscẽtem affligunt cæteris cruciatibus qui Reipublicæ proditoribus infligi solent: at longè maiori truculentia quàm cæteros. Sunt namq; aduersarij immitiores in nos quàm in quoduis genus facinorosorum hominum. Illis enim, si hac eadem morte mulctandi sunt, vel largiuntur ex misericordia vt suspendio expirent priusquàm detrudantur, vel certè ex præcepto legis præstant, vt semimortui saltem sint, ad retundendos sequentium tormentorum dolores. At Orthodoxos postquàm suspenderint, magna furoris contentione nituntur, vt abscisso statim capistro viuos, & viuaces, & integris planè sensibus ad cruciatus reliquos perducant, quod tam impigrè nonnunquàm dextreq; perficiunt, vt plerunq; non solùm persentiant acutissimè, verùm etiam articulatim & distinctè loquantur post e-

Protestantiũ in Catholicos morientes immisericordia.

H ruta

ruta sibi ilia, & cum iam ipsum etiam cor carnificis digitis palpatur abripiendum.

Neque hoc cruentum spectaculum quicquam immittit aduersarijs misericordiæ, sed ridentes ludunt & morituris insultant, præsertim si quis dolore victus gemitum ediderit, (quod rarissimè tamen fit,) Ita quidam eorum concionator non mediocris, libro quodam impresso colligit nostros verè martyres non esse, quia vnus eorum (vt affirmat ipse) in his cruciatibus eiulatũ quendam edidit tanquã infernalis canis, vt ipsissimis illius verbis vtar. O sententiam cõcionatore dignam. O nouam noui Euangelij charitatem. Quis vnquàm prædo gladiatorius huiusmodi vocem non erubuit proferre? Quis vnqàm sicarius mentem tam immitem & barbaram demonstrauit?

Fulcm.

Sed profectò videntur isti ab humano planè sensu degenerasse, & nescio quæ viscera feritatis induisse, obliti penitus illius sententię, *Iudicium sine misericordia elli, qui non fecit misericordiam*, & maximè illius, *Cor durum malè habebit in nouissimo.* Hoc non solùm ex eis quæ diximus perspicitur, verùm etiam ex infinitis alijs quæ nunc à me persequenda non sunt, ne longior sim quàm epistola patiatur. Quædam tamen ad exempli rationem annotabo, quæ rem clarissimam & manifestam reddant.

Iacob. 2.
Ecclés 3.

Adolescens quidam magnę & honorificæ familiæ vocatus in crimen auditæ Missæ, quæ sororis in nuptijs dicebatur celebrata, fugerat quidem è domo paterna, & Londini se abdiderat superiori anno. Vbi ex labore fugæ, & æstatis (opinor) intemperie in grauem febrim incidit. Quod vbi cognitum est aduersarijs, accurrunt statim, euellere volunt ædibus, carceribus inserere, vt erat languidus & afflictus ægritudine. Res visa est inspicientibus cùm inhumana, tùm funesta: orant, obsecrant, vt hominis ægroti rationem habeant, non addant afflictionem afflictissimo, vitam non effundant generosi, nobilis, & pulcherrimi adolescentis: securitatem offerunt, quantam velint, sistituros in Iudicio quamprimùm conualuisset. Sed non recipitur. Adsunt medici, qui affirmant actum esse de salute, si loco moueatur ad carceris incommoda. Non curatur. Vbi rapiunt hominem ad ergastulum: recludunt carcere: moritur biduo: sepeliunt, nihil habentes vel pensi vel scrupuli.

Tiruitus, Roberti Tiruiti equitis filius.

Vir illustris & magnanimus, peculiari quadam dignitate armorũ spectabilis, & clarissimi comitis Lincolniensis gener, cùm paralysi mem-

Dominus Drumocm.

membrorum vehementiſsimè nonnullis iam ab annis laboraſſet, ita vt nec domum egredi, nec loco pedem efferre poſſet, niſi ſeruorum manibus ſubleuatus: accuſatur tandem de religione Catholica apud Superintendentem illius prouinciæ (eo enim vocantur nomine, qui antiquorum epiſcopatuum poſſeſsionibus incubant) deſertur vt auitæ fidei ſuſpectus, & citatur in iudicium tanquàm Catholiciſmi manifeſtè reus. At homo paralyticus non comparuit: excuſat ſe tamen diligenter per literas, ſed non admittitur. Accurrit domum Superintendens ipſe, perluſtrat oculis hominis impotentiam, ſed non mouetur. Comportari vult ad carcerem: quid multa? nec ætas viri, nec conditionis dignitas, nec generis amplitudo, nec magnatũ propinquitas, nec membrorum paralyſis, ab ergaſtuli moleſtia liberare poterant.

Quid ergò? breuiſsimè his incommodis moritur. Sed nec morientem dimittunt, imò diuexant, & affligunt magis: adſunt enim ægrotanti, adſunt confligenti cum mortis doloribus, adſunt animam agenti, adſunt iam iam ſpiritũ efflaturo, quieſcere non ſinunt, mori qua ratione cupiebat, non permittunt, (cupiebat autem, vniuerſalis Eccleſię Chriſtianæ conſuetudine) ſed obtrudunt ſe miniſtri, ſuaſq; preculas ingerunt, quas ille ſanus contemnebat, ægrotus clamore reſpuebat, iam mutꝰ & ſemimortuus, vultu, ſignis, corporiſq; geſtu deteſtabatur. Quid hoc immitius aut crudelius fingi poteſt?

Sed nec illud omittendum eſt, quod eodem tempore, eadem in ciuitate contigit. Fœmina enim generoſa & iuuenis, impetrata priùs venia, ad maritum religionis cauſa captiuum, officij & viſitandi gratia carcerem eſt ingreſſa. Quo cognito, Superintendens, tanquàm in laqueum incidiſſet ſuum, iubet etiam ipſam recludi cuſtodia: qua vel inhumanitate mota, vel perfidia territa, vel intemperie loci læſa mulier, occupatur breui à grauiſsimo morbo, & in manifeſtum vitę periculum incidit. Cumq; iam in horas expiratura videretur, coniunx dolore percitus, vehementer obteſtatur vt vel ad diem extra carcerem collocari poſſet, & matronarum frui auxilijs, ſed non impetrat. O ferrea pectora.

Domina. Thimilbeia.

Inhumanitas magna.

Satis iam diu ſum in carceribus, (Gerarde) & multùm in hoc genere videatur forſan ſubſtitiſſe oratio. At vbi ſim (quæſo) libentius quàm cum noſtris? quid dico noſtris? imò cum Chriſti Dei & ſaluatoris amiciſsimis? quorum vita, lux noſtra; conſtantia, exemplum noſtrum; fortitudo, decus & honor noſter; mors denique; gloriã

nostra? vnde fateor, quòd licèt absim corpore, spiritu tamen semper versor cum illis, nec vnquàm animo elabuntur meo, Antefero enim cathenas eorũ, præfero carceres, præpono contumelias, cuiusuis Crœsi vel opib' vel diademati. Relinquerem tamen hos inclusos ad tempus, & egrederer ad eos qui foris iactantur, nisi admoneret me locus ipse, vt priusquàm digrediar, mentionem facerem de quadam aduersarij vel astutia vel latebra, quam occasione carcerum captat & tuetur. Intelligo autem disputationis illum fucum, quam offerre captiuis videri vellet, liberis verò ne postulatus quidem cedit: imò verò nec inclusis ipsis vlla æquabili conditione aut lege. Sic enim se res habet.

Disputationis fucus quo vtuntur aduersarij.

Viginti plus minùs abhìnc annis, postquàm indicta causa nos expulissent aduersarij, & sedibus iam potirentur nostris: vt quod viribus occupassent, viderentur vulgo iustitia tenere: obtulerunt scriptionis certamen in controuersia: vocabãt ad scribendum, quotquot erant nostrarum partium, vel re vel opinione literati, eam apponentes conditionem, vt qui scribendo superiores, ij etiam veritate firmiores haberentur.

Protestantes prouocãt Catholicos ad scribendũ & tamen eorum libros prohibent.

Arripiunt auidìssimè conditionem nostri, scribunt Anglicè pro fide Catholica viri doctissimi, exilij licèt incommodis affecti, Sanderus, Hardingus, Feknamus, Alanus, Heskinus, Stapeltonus, Marshallus, Dormannus, Rastallus & alij. Exponunt luculenter quid esset controuersiæ: quid rationis, authoritatis, veritatis à nobis: quantum verò doli, falsi, ruinæ, ab aduersarijs.

Cùm illi se læsos hoc artificio suo, & ferè prostratos hoc aperto Martis certamine viderent: excogitarunt aliud, rebus quidem perditis necessarium, licèt existimationi minùs consultum refugium. Obtinuerunt edictũ regium atrox & minacissimum in eos omnes, qui huiusmodi libros (quos ipsi priùs postulaueraut) haberent, legerent, reciperent, aut importarent. Exinde non est facile existimare, quanta sint nostri perpessi ob hos libros. Multi in carceres coniecti, nonnulli ad quæstionem rapti, alij iuramentis examinati, quidam non leuiter mulctati, plurimi in fugam acti, infinitæ domus de nocte quæsitæ, perlustratæ, & exagitatæ ob solam librorum horum vel tenuem suspitionem. Si qui liber inueniebatur, iusta erat materia atrocis accusationis: si quis peteret libro ab aduersario responderi, grauis suspitio non boni subditi: si quis vel verbo librum defenderet, heu planum indicium animi proditorij.

Persecutio ob libros Catholicos.

Cùm

Cùm has in angustias redactos se nostri cernerent, vt causam Dei & vniuersalis Ecclesiæ, neque scripto possent, neque verbo tueri, sine summis incommodis atque molestijs: fecerunt id quod viros bonos & orthodoxos decebat: corpora carceribus, manus vinculis, bona direptionibus, vitam etiàm mortis periculis pro rei natæ occasionibus submittebant. Interim tamen, ne causæ suæ diffidere & Dei negotium silentio prodere viderentur: pacato & tranquillo animo collationes æquas cum aduersarijs postulabant, & quanta poterant submissione aut vehementia, magistratum omnem obtestabantur, vt vel publica admitteretur de rebus religionis controuersis disputatio, vel priuata saltem æquis legibus & conditionibus collatiò.

Multi domi, multi foris hoc prece perurgebant, nonnulli gratia contendebant, quidam qua licebat, authoritate, premebant, plurimi rem alijs modis promouebant. Offerebant se nostri, summa licèt per incommoda, solo principis verbo nixos ad hoc certamen veritatis causa libentissimè descensuros, ea sola spe, quòd nonnullas animas Christi sanguine redemptas & hæresi contaminatas, diuina iuuante gratia posse reuocari disceptando confiderent. Aduersarijs itaque libertatem omnem faciebant, vel domesticis vtendi, vel aduocandi exteros ad suæ causæ defensionem: statuendi diem, eligendi locum, mouendi quæstiones, præscribendi modum: deniq; incipiendi, finiendi, quiduis agendi pro arbitrio suo, modò lex aliqua & ratio disceptandi seruaretur. *Vehemens Catholicorũ de obtinenda publica disputatione cõtentio.*

Sed quid tam multis tempus tero? aduersarius nihil horum volebat. Præuidebat enim non insipienter actum esse de suis partibus, si aliquando publicè collato Marte decertaretur: refugiebat ergò hanc publicam scholę palæstram tanquàm nimis illustre de sua fraude iudicium, secundùm illud saluatoris: *Omnis qui malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera sua: qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta.* *Timor Protestantium in causa sua.* *Ioan. 3.*

Tandem tamen, ne nihil agere viderentur, aduersarij, duo præstant securitatis & existimationis causa. Primò enim, acerbiorem excitant in Catholicos omnes persecutionem, maximè verò in literatiores, qui illis in hoc agone officere posse disceptando crederentur. Itaq; Episcopum Lincolniensem, Abbatẽ Vvestmonasteriensem, reliquosq; non paucos eruditionis solidæ summæq; grauitatis atque virtutis antistites, Londino in castrum rusticanum eijciunt, libris *In castellum de vvisbuche.*

denudant, & omni adinuicem colloquio, præterquàm in mensa, priuant: alios in alias tenebras secernunt. Si qui foris erant alicuius nominis, ad ferreos carceris cancellos reuocant, vt vel sic omnibus silentium imponant.

Praui ministrorum in faciendo disputationis fuco.

Secundò, cùm hæc ex animi sententia confecissent, proripiunt magno silentio in carceres. Adoriuntur inexpectatò Catholicos inclusos vocant impigrè ad disputandum de fide, ne tempore quidem ad cogitandum dato, ne vllo inuicem colloquio permisso. Et ne alter alteri vel esset adiumento vel solatio vel etiam testimonio, singulos (vt plurimùm) separatim aggrediuntur. Si quis noster opponere conditionis iniquitatem, tempus petere ad meditationem, libros ad studium, colloquium suorum ad instructionem, cæteraq; ad armaturam necessaria cœpisset: si quis etiam adijciebat, (quod adijciebant multi,) deesse iudicem ad ferendam sententiam, auditores idoneos ad præstandum testimonium, Notarios fidos ad excipienda argumenta: clamabant aduersarij detrectare nos pugnã, verborum latebras quærere & subterfugia. Qua importunitate commoti nonnulli tradebant se quibuscunque conditionibus, sola causæ bonitate freti.

Sed quicquid demùm afferrent nostri, minimi referebat: vel enim ab aduersarijs contumeliosè reijciebatur, vel odiosè in crimen maiestatis trahebatur, vel ad plebem iniquißimè peruertebatur. Horũ exempla permulta quidẽ sunt, sed huic loco sufficiant paucißima.

Exempla varia cõferendi seu potius calumniandi in ministris protestantium. Crouleus.

Cum nuper in Christi sacerdotem Hansium sententiam mortis ob fidem tulissent Orthodoxam, cumq; ipse iam in carcere se præpararet ad supplicium, venit ad eum minister quidam, amoris quadam specie & vultu composito ad hypocrisim pietatis, sed exitus declarauit fuisse plenum amaritudine, & omni dolo ad decipiendum. Cùm enim conuicianti, & læsæ maiestatis crimen obijcienti respondisset Christi martyr, se nunquàm in regiam peccasse maiestatem, sed tantum fidem professum esse Catholicam, quę lædere non potest maiestatem humanam, cùm summoperè maiestati placeat diuinæ: cùm hæc (inquam) & similia dixisset Hansius, adijciens præterea se libentißimè hanc mortem subiturum, cùm securus esset se nihil vnquàm in Reginam commisisse sceleris, sed Deo potiùs illam pro officio commendasse, hocq; crimen maiestatis sibi attributum ab aduersarijs, nec esse reuerà crimen, nec vllum apud Deum peccatum: iste bonus Euangelicus, tanquàm abundantẽ nactus calumniæ materiam.

teriam,egressus carcere diuulgauit in plebem, etiam libello scripto & impresso Hansium affirmasse nullum crimen læsę maiestatis apud Deum peccatú esse. Quod cùm Hansius ad locum supplicij perduct' intellexisset, questus est publicè de iniuria: mentem aperuit de sententia: & veniá petijt calumniatori de tá iniquo & odioso mendacio.

Duo ministri collationis causa ingressi sunt carcerem ad generosum quondàm aulicum, iàm multis annis ob fidem captiuum. Apud quem cum diù contumelijs rem triuissent, & hominem blasphemijs fatigassent, vt ipse per literas conquestus est, nulla re vel stabilita vel argumentis refutata: tandèm ne otiosa esset omnis sermocinatio, inuitabat eos ad aliquod certum principium constituendum, ex quo deinceps ad cætera discutienda possent progredi. Hoc autem erat: An priuatus spiritus particularium hominum, vel publicus vniuersalis Ecclesię iudicare debeat de sensu scripturarum? Ille enim, cùm eos passim & perperàm scripturam sacram citantes audiret, affirmabat non esse recurrendum in his controuersijs ad solam scripturæ literam, pro cuiusq; priuati hominis arbitrio intellectam, (hoc enim modo hæreses omnes defenduntur,) sed ad Ecclesię vniuersalis, saltem vetustissimæ, certissimum iudicium, quæ Dei spiritu gubernata verum & germanum scripturarum sensum proponit. Et quia ministri hoc fundamentum non admittebant, nec tamen refutabant, sed (vt solent) in angulos & sinus & flexus diuertebant: proposuit scripto (licèt laicus & in Theologia non admodùm versatus) sex firmas rationes suæ sententiæ, quibus à ministris responderi petebat, facultatem etiam postulans, qua sibi liceret eorum responsa, (sicubi vel deuia vel infirma viderentur) oratione vel calamo confutare.

Trippus & Croulæus ad dominũ Thomam Pondũ.

Cõtrouersia.

Necessarium principiũ ad controuersias dirimendas.

Ministri accepta chartula ad Superintendentem properant Londinensem: querũtur de hominis pertinacia, quòd ipsis suadentibus Caluinianus esse nollet, quod etiam scripto tueri se auderet. Superintendens, vt est iracundus & natura biliosus, inflammatur atrocitèr, animo designat hominem ad pœnam: exturbat Londino in arctiorem custodiam: condit in arcem deuiam & obscuram, vbi nec solis, nec luminis, nec hominum fruatur conspectu: ferris premit & vt singula non recenseam, affligit immensa & incredibili calamitate. Ministri securi iam de aduersario, edunt librum, & rationibus respondent ab illo propositis: cum in cæteris, tum in eo iniquissimè agentes, quòd statú quęstionis & cótrouersiæ dissimulent, arguentes

eum

eum scripturas Ecclesiæ posthabere, cùm ille non de scripturarum iam cognitarum authoritate, sed vel de cognitione dubiarum, vel de obscurarum intelligentia disputaret.

Vvalkerus. *Ad castrum Equitis Martij.* Doctor Theologus, & apud aduersarios in dignitate positus, venerat quodam die, non leui pompa & comitatu ad castrum quoddam disputandi prætextu, (libenter enim persuadent hominibus frequentia se nostris largiri certamina) conuocat in aulam castri quotquot erant ob religionem inclusi, Iuuenes, Senes, Sacerdotes, Laicos: narrat se concertatum venisse, sumit subsellia, sedit cum suis. Et primò, licèt essent permulti numero, petit cuiusque nomen & deinde: si quis expeditè non respondebat, exagitabat incredibili ferocia & bile. Deinde priusquàm cœpta esset disputatio, quidam nescio quid intulerat de scriptura, quod ille negauerat: perirascitur senex, & nullo modo admittit huiusmodi quid in scripturis esse: affertur liber, clarissimisque verbis recitatur. Senex admouet perspectilia & legit: sed alieno libro non adhibet fidem, suum postulat, rident sui, quid multis? re infecta discessum est, & seniculus cùm nihil se proficere cerneret, ruinam imprecatus est tam castro quàm inclusis omnibus, præsente & audiente & erubescente custode carceris. An quicquam hoc ineptius dici potest? Et tamen Catholici ab isto Herculeprostrati dicebantur, cùm reuerà vix vno argumento præter iurgia sit vsus.

Sic miris cõuicijs exagitabat Cottamum presbyterum, quòd cognomen sine prænomine dedisset.

FVLCVS ad castrum Vvisbichése. Est in aduersarijs minister quidam opinione sua magnus, aliorum verò mediocris, lingua non imparatus, sed ignorantia sui præceps. Hic non ita multò antè gloriolam sperans è contentione cum magnatibus, irrepserat inexpectatus in arcem, qua viri doctissimi & grauissimi religionis causa tenebantur inclusi, Vvatsonus Episcopus, Feknamus Abbas, cæterique bono loco, & nomine Prælati. Sisti iubet omnes ad suum conspectum: venisse se ait, vt religionis capita controuersa conferret, annuit vt certamen aggrediantur. Illi, vt erãt prudentes cùm viderent hominem nulla hoc authoritate publica facere, aut certa lege conferendi, sed temeritate quadam sua ad honoris aucupium: facilè contempserunt iuuenis superbissimi ridiculam leuitatem. Postquàm ergò conditionis iniquitatem exposuissent, quòd libri, quòd tempus, quòd cætera deessent: hominem suis ineptijs reliquerunt, & (quod eorum grauitati conueniebat) potiùs despectum quàm vexatum dimiserunt. Ille tamen, pro more triumphum diuulgauit, & edidit librum de sua in illos victoria: in quo

cùm

cùm multa falſa, & plurima ſint inania: tùm nihil quòd ſuis partibus (vel ipſo narrante) quicquam conuincat præter vanitatem.

Cęterùm cùm hic agendi modus paulatim innoteſcens, nonnullis etiam ex ipſis aduerſarijs diſpliceret, (genuerat enim ferè publicam querelam, & iniecerat vulgo cauſæ perditæ ſuſpitionem) fecerunt quidam hanc infamiæ medicinam, vt pollicerentur breui futuram æquiſsimis conditionibus diſputationem. Scribit itaq; Eques Martius ſui caſtri cuſtodi, mandatq; vt diſquirat, ſi qui ſint ſuæ cuſtodiæ ſubiecti Papiſtæ, qui velint diſputando partes ſuas defendere? tranſmittant ſcripto concluſiones defendendas, adſcribant nomina, parent ſe ad prælium: ipſum renuntiaturum ſtatim de modo, de loco, de tempore certaminis.

Menſe nouembri præterito 1580.

Noue diſputationis denuntiatio.

Res placuit vniuerſis. Tres noſtri ſacerdotes ætate licèt iuniores & literarum in ſtudijs minùs prouecti (robuſtiores enim & magis exercitatos omnes Londino dimiſſos dixi,) accipiunt cauſæ confidentia prouinciam: obſignatas concluſiones, ſubſignatis nominibus, cum ingenti gratiarum actione tranſmittunt: non placent aduerſarijs concluſiones: ſtatuuntur aliæ pro illorum arbitrio: remittuntur: admittuntur à noſtris: dies campi indicitur: excitatur ingens expectatio: quid denique? pridiè (opinor) quàm dies expectatus adueniſſet, defenſores ſupradicti noſtrarum partium dimouentur hoc Equitis Martij carcere, & in arcem Londinenſem transferuntur ad quæſtionem, vt qui rationibus petitis ab authoritate non flectebantur, argumentis ductis ab eculeo exercerentur.

Boſgrauius Shyruinus, Hartus.

Sed neque hoc ipſum Catholicos ab æquę diſputationis petitione deterrebat. Vndè vir quidam nobilis, & maieſtati regiæ in primis à conſilijs, fatigatus, opinor quorundam importunitate, conſenſerat tandem, vt quibuſdam præcipuis viris, qui religionis cauſa cuſtodia tenebantur, in hoc publico poſtulato priuatim ſatisfaceret. Aduocauit enim eos in cubiculum ſuum, narrauit amore ſe commotum, vt morem gereret eorum deſiderio, cupere, vt æquos ſe præberent & attentos auditores, nec in cauſa profligata pertinaciter obſtinatos: non dubitare ſe, quin ex hac vna doctiſsimorum virorum concertatione, facillimè rei veritas vniuerſa retegatur. Annuunt & inclinant ſe noſtri: gratias agunt de tanto beneficio, deſpectant tamen vndiq; ſi quem Theologum Orthodoxum cernant, qui partes diſputando tueretur ſuas, (nam aderant miniſtri quatuor ad impugnandum)

Comes Leceſtrenſes.

D. Laurentius Humfredus *cum tribus ſocijs.*

sed neminem reperiunt: mirantur: silent tamen, vt rei exitum obseruarent.

Adamus. Squyer.

Tandem è subsellijs minister vnus descendit, ingentibus priùs suorum encomijs dilaudatus, & causæ se nostræ aduocatum profitetur. Quis abstineat à risu, si ratio loci cachinnum admisisset? quem nostræ causæ non misereat, quæ suis destituta, solius hostis tutelæ committitur? Ille tamen fidam aduocationem promittit, & eleuatis in cœlum oculis sanctè recipit defendendam, cuius anteà se fuisse desertorem gloriatur. At quis ludenti credat & nuganti? quis ioco disputanti fidat de salute, cui (vt fama est) vel seriò iuranti vix adhibent fidem creditores de pecunia?

Disputatio cū P. Campiano.

Atque hæc ferè sunt, quæ de ministrorum cum nostris literaria dici possunt palęstra. Nulla enim recordor cessisse aduersarios disceptandi certamina, præter hæc quæ dixi, excepta solùm recenti disputatione, quam Edmundo Campiano incarcerato, bis torto, libris destituto, & rebus omnibus imparatissimo (præterquàm causa & voluntate) sunt largiti. Cuius profectò disputationis iniquissima multa his in partibus narrantur, ipsis etiam testibus qui interfuerunt, quorum forsàn nonnulla vix hominibus doctis credibilia viderentur, nisi superiorum temporum exemplis admoniti, quiduis ferè suspicari de hominum timidorum iniquitate cogeremur. Quis enim ignorat durissimum necessitatis telum esse? aut quis optimè non intelligit, ad turpia deducere causæ desperatæ ruinam & inopiam? Sed nunc egrediamur paulispèr ad alia, satis enim de inclusis dixisse videor: quorum certè conditio si dura videtur, est tamen eorum vel durior, vel implicatior, qui libertatis quadam specie foris viuunt & procellis exagitantur. Carcerum enim cancellis inclusi, cætera licèt satis calamitosi, eo tamen vno perbeati videntur, quòd mentis quiete, & tranquilla quadam serenitate fruãtur. Foris autèm qui sunt Catholicis, hoc est, habitatione per Angliam dispersis, nec quiescere datur, nec vspiam consistere: sed vexationibus perpetuis tanquàm fluctibus & ventis iactantur. Quocunque enim loco pedem posueris, quacunque via vel semita incesseris, cernes oculis luctuosa spectacula: hunc fugientem, illũ latitantem, alium mentita veste clàm proripientem, quosdam captos perduci ad iudicium, alios quæri, sed nondum compræhendi: multos se dumetis & syluis continere, nonnullos interdiù per campos versari, & non nisi multa nocte domos repetere.

In carcere minùs afflicti quàm foris viuūt Catholici,

Domi

Domi autem cùm sunt ne sic quidem vel ad horam securi esse possunt. Media enim de nocte irruunt non rarò vi magna aduersarij, domũ custodia circumcingunt, ne quis effugiat: loca singula scrutantur, etiam mulierum & virginem cubilia: lustrant, versant, & euoluunt omnia: cistas & armaria, capsulas & scrinia, pixides & arculas: si quid inueniunt quod religionis insimulent, aut quod in crimen trahant vel Calumniam: vt sunt calices argentei, pateng, candelabra, cruces, libri, vestes, cæteraq; ornamenta, quæ dicuntur Ecclesiastica: abripiunt prędationis iure & Euangelij. Et ne hæc ipsa solitaria proficiscantur: rapiunt etiam sæpè in societatem quicquid adiacebat cęterarũ rerum. Ne quid prætereà per negligentiam pereat matronarum etiam sinus & loculos pertractant, imò vestes ipsas interiores retegunt, & violentis manibus nonnunquàm disrumpunt, vt videant si quis Agnus Dei, crucifixus, medalia aut res alia sacra ad partes secretiores abscondita lateat. Hæc faciunt lictores, qui Purseuantes appellantur, animalia famelica, & in omnem facilè prædam ferocissima. Quorum etiam potestas est quoscunq; domo repertos, vel carceribus tradere, vel alijs pro libitu fatigare molestijs, nisi peccatoris oleo impinguentur, & grato pecuniæ pacificentur sacrificio. *Psal.140.*

Domorum de nocte perscrutatio.

Purseuantes.

Hæc domestica Catholicorum pax: videamus paululum quanta sit forinseca. Dixi lictores ædificijs infestos esse, tanquàm in tenebris nocturnas furias: liceat addere, interdiu etiam vijs & compitis insidiari, non minùs quam dęmonia meridiana. Si quis enim nostrorũ cuius nomen delatum sit, per ciuitates, aut oppida, aut villas transeat: compręhendunt eum via publica. Si quis vel de nocte ciuitatem ingrediatur, & indicio specularoris (quorum est magna copia) prodatur: extrahitur vi publica è tabernis vel hospitio. Si autem delatus vel proditus non sit, securitatem tamen non habet, nisi hominũ omninò cõsuetudinẽ fugiat: quia plurimis modis vel ex sola suspitione in periculũ trahatur. Verbi causa, si carnes diebus ab Ecclesia prohibitis recuset: si verbosius oret, maximè verò latino sermone: si crucis se signo muniat: si ieiunia, virginitatem, aut cœlibatum suadeat: si antiquos Patres vehementiùs commendet: si quicquam pro religione Catholica affirmet, vel apertissimum mendatium aduersariorum reuincat. Imò, si conuiciantibus (pro vice) cæteris, ipse solus subticescat. Denique extat publicum edictum non longè antè promulgatum, quo potestas sit vnicuiq;, vnumquemq; vel detegendi vel accusandi ex minima quaq; circumstantia, quæ suspitionem Catholicæ *Psal.90.*

Mense Nouembri anno 1580.

religionis inducat. Ex quo multi deinceps sunt compręhensi, plurimi varijs molestiis & calamitatibus affecti.

Sed vna est asperitas(non enim vtar grauiori verbo,)quæ cæteris omnibus magis affligat, illa nimirùm, quam nostri in iudicijs,in negotijs, in communibus vitæ commertijs experiuntur. Atq; hæc res profectò ipsos etiam humanæ societatis neruos attingit, qui iustitia & humanitate continentur & abhorrent ab omni crudelitate atque iniustitia. Nec ego queror aut querendum existimo, si qua gratia nostris non est facta, aut si qua misericordia rebus non est præstita vel afflictissimis, vel etiam extremis: (patior enim hanc nostris tolli fratribus religionis odio,quam natura largitur in ipsos etiam hostes humanitatem.) Sed certè, si qui sunt qui legum in nos seueritate, pœnarumque grauitate nondum satiati, suam etiam addunt maleuolentiæ acerbitatem, vt vel lege sæuiant, vbi lex non est, vel legis aculeos latiùs distrahant,quàm legis latoris progressus sit animus,idque in rebus maximis & grauissimis,& ad vitam sanguinemque pertinentibus:nemo mirari debet si gemimus,si lamentamur,si nonnihil sub tanto calamitatis onere suspiramus.

Magna asperitas quorundam iudicum in Catholicos.

Videamus ergò quid etiam in hoc genere patiantur Catholici Christianæ religionis odio & inuidia. Lex quædam est,quam anteà recensui,vt qui bullas vel alia instrumenta publica, à Pontifice Romano obtinuerit, aut in Angliam inuexerit reus læsę maiestatis existimetur.Sit lex iustissima: non enim de legis æquitate disputo, sed de mente. Quis non videt illud solum hac lege cautum fuisse, ne Pontifex quicquam statueret de rebus Anglicanis, quod per bullas (vt vocant) & breuia Apostolica facere solet? & tamen cum exemplar quoddam, non ita longè abhinc, inuentum esset illius Bullæ, quę Iubilęum annū præteritū indixerat:etsi nihil ad Anglos pertinebat,etsi elapso iam tempore vigoré amisisset,etsi alieno in regno impressum esset, etsi despectum in laceris solùm chartulis iaceret, tamē rei atrocitas seueritate iudicis tam vehementer est aucta, vt Sacerdos cuius in cubiculo reperta fuerat, morti acerbissimæ ob eam causam sit traditus,& vir illustris qui rei ignarus Sacerdotem domo receperat, eadem iudicis sententia fortunis omnibus, hoc est, amplissimis euersus,& carceri perpetuo condemnatus fuerit.

Suprà pa.24 num.1.

Insignis iniquitas.

Anno 1575.

Index erat. Manodos.

Maynus.

D. Trugionus.

Apud Dorcestrium.

Eodem nuper iudice atque etiam litigatore,(vtrasque enim partes in Catholicos exequitur,) factus est quidam læsę maiestatis reus. ex lege vigesima prima capitali supradicta, eò quòd vicino cuidam suo

Septemb. 5. anno 1581.

Suprà fo.24. pag.2.

ſuo rationem reddiderat, quare proteſtantium Eccleſias ſalua conſcientia adire non poſſet. Hoc enim in eum ſenſum interpretabatur Iudex, ac ſi vicinum ea ratione ad ſuam ſententiam pertrahere voluiſſet, & conſequenter diſſuadere illi religionem Anglicanam, & ſecundaria conſequentia perducere ad obedientiam Romani Pontificis. Tàm longi ſunt laquei ad inſidiandum ſanguini. Sed additur adhuc aliud ad facti ſeueritatem. Cùm enim pro more patrio, res permitteretur quibuſdam Quæſitorib⁹, nec illi tantam atrocitatem in ea cernerent, quanta ſupremo ſupplicio ſufficeret: compulſi ſunt authoritate iudicis tanquàm crimen maieſtatis rem deferre, quod in homines perditiſsimos & flagitioſiſsimos nec ſolet nec debet fieri. *Dura interpretatio.*

Lex eſt Anglicana, vt pauperculi deſidioſi qui eiſdem locis non conſiſtunt, ſed incertis otioſè diuagantur, virgis cæſi auricula ferro candenti perfodiantur. Oblatus eſt iudici religionis cauſa iuuenis quidam perhoneſtis & diuitibus genitus parentibus, literis imbutus humanioribus, qui ſtudijs ad tempus dimiſsis Londino ad amicos inuiſendos tranſibat. Quid ſimile habet cum deſignatis à lege? quia tamen venerat recenter è Gallia, & in Pontificio ſeminario inſtitutus fuerat, iudex iracundus in religionis & cauſæ Catholicæ inuidiam, non niſi virgis cæſum per ciuitatem Londinenſem, & auribus odioſè peruſtum dimiſit. Similem pœnam quoad aurium inuſtionem, ſacerdoti fuiſſe nuperrimè inflictam apud ciuitatē Eboracenſem audiuimus, & eiuſmodi ſanè multa enumerari à me poſſent: ſed hoc ſit querelarum ſatis. Deus qui *pauperes iudicat in iuſtitia, & retribuit abundanter facientibus ſuperbiam:* Dominus qui *iudex & teſtis eſt,* (vt inquit Ieremias) *& in menſura contra menſuram, cùm abiecta fuerit, iudicabit,* parcat his iudicibus de tam iniquis & in iuſtis iudicijs. *Lex de hominibus vagis.* Marcus. Typpetus. *Iudex erat Fletodus.* *Eſa. 11.* *Pſal. 30.* *Ierem. 29.* *Eſa. 27.*

Quò nos (bone Deus) quò nos impulerunt exulceratæ de rebus fidei & religionis controuerſiæ? nulla natio moribus exculta ciuilibus, nulla gens perfuſa ſancta luce Euangelij, nullus populus Chriſtianis placitis & ritibus inſtitutus, vel aptior ad humanitatem, vel pronior ad beneficentiam, vel æquitatis amantior, aut propenſior vnquàm ad miſericordiā fuit, quàm fuerat gens & natio Anglicana, priuſquàm funeſta & exitialis hæreſis amoris viſcera in adamantina cōmutaſſet, & lethalib⁹ odij venenis infeciſſet. Hæc iuris, & æquitatis repagula concuſsit, hęc amoris & amicitiæ vincula diſſoluit, hæc miſericordiæ & beneficentiæ fundamenta ſuſtulit, & cōmunis ſocetatis neruos incîdit, mēbra mēbris furiali impetu & calamitoſo collidens.

Sed iam tempus fortasse (Gerarde) modum ponendum Epistolæ requirat, longè enim prouectus videor, & vereri debeo ne te fatigem, tam molesta & lugubri narratione, quæ legentem profectò te non potest, opinor, vehementer non mouere, cùm me scribentem sic afficiat, vt vix aliquandò mihi temporẽ à lachrymis, dùm mente complector, vel quę scripserim, vel quę omiserim. Plura enim lógè siléta mihi & prętermittenda fuerũt, quàm his literis tradenda: partim, ne infinitio me labori committerẽ singula rescẽsendi: partim, quia certa plurimorũ cognitio his temporum & rerum difficultatibus haberi non potest: multò verò maximè, quia præcipuarum rerum explicatio tàm est coniuncta cum personarum notatione, vt nec segregari queant vt illæ percipiantur: nec coniungi, vt istæ non lædantur. Res enim tradi non possunt in publicum sermonem, quin personæ trahantur in priuata pericula. Illa ergo posteris relinquamus nostris, vel vt prodant memoriæ si aliquandò licuerit: vel vt tacito stupore mirentur & plangant.

Nobis hæc sufficiant (quæ dixi) vel ad dolorem vel ad documentum. Documento enim sempiterno esse debet calamitas nostra, non solùm nobis posterisque nostris, verùm etiam vniuersis per orbem Catholicis, quàm horrendum sit (vt inquit Apostolus) *incidere in manus Dei viuentis*, & nolle vel admonitos, *fructus dignos facere pœnitentiæ*. Peccata enim nostra & parentum nostrorum, hoc in nos impulerunt grauissimum Dei flagellum, quod serpet sine dubio & diffundetur latiùs, nisi Dei iustitia Catholicorum pœnitentia & scelerum emendatione pręueniatur.

Heb. 10.

Dolori autem (mi Gerarde) vel tuo vel meo, vel etiam communi & publico, quis nó existimet res iam narratas excitando sufficere? sunt enim & numero plurimæ, & magnitudine grauissimæ, & frequentatione quotidianæ, & causa iniustissimæ, & modo odiosissimæ, & hominum innocentia quibus inferuntur indignissimæ. Et tamen (vt dixi) neque singula potui attingere, neque præcipua: multò verò minùs oculatissima illa & attenta disquisitio, quæ in nostra minutissima fieri solet, oratione cuiusquam describi potest. Si cui aut verbum, aut vocula, aut nutus exciderit, quo nostræ causæ fauere credatur: iusta est delationis, etiam incarcerationis causa. Sic quendam recentissimè Superintendens Londinensis in abiectissimum compegit carcerem, quòd tria verbula in argumentationis Campianæ patrocinium, contra Fulcum, opinor, effutierat.

Magna disquisitio protestãtium in Catholicorũ minuta.

Cauuodus *Coniectus in carcerẽ quem* Clynckum *appellant.*

Illud

Illud tamen mirabilius eſt, quòd paucis abhìnc diebus Academicos omnes in vniuerſitatibus commorantes iuramento dicere coẽgerunt, ſi quos ſcirent, vel ſuſpicarentur, qui animis religioni Catholicæ fauerent. Eo nimirum propoſito, vt ſuſpectos omnes Academijs exturbarent. At quàm latè patet hoc ſuſpicari? quàm facilè tegitur diſsimulationis inuolucro? quàm facilè ſequitur ad odium vel inuidiam? quantum hoc licentiæ largiatur ambitioni? quantum virium pręſtat maleuolentiæ? quantum ſtimuli ad omne genus vindictæ? Ecce natum ex re ipſa exemplum. Miniſter quidam accuſabat præſentem de ſuſpicione Romanæ fidei: petijt accuſatus quo argumento niteretur ſuſpicio? Quia (inquit ille) non tam frequentare conciones te video, quàm faceres ſi noſtræ religionis arderes zelo. Quàm grauis ac firma coniectura ad accuſandum? O duram & exercitam conditionem illorum, qui his ventis inuidiæ calumniæque procellis, legibus etiam & authoritate publica ſubduntur.

Menſe Augusto, Anno 1581.

In Academia Oxonienſi.

Miniſtrorum ſycophantia.

Et quoniam hoc loco de accuſandi facilitate & procacitate ſermo incidit, qua ſolent aduerſarij de rebus inaniſsimis leuiſsimiſque vel crimen intendere, vel ſtruere calumniam: (quanquam hoc ipſum feſtinandi ſtudio prætermittere cogitaſſem) concedam etiã huic loco exemplũ vnum, tanquàm decerptam multorum delibationem, quo cernas (Gerarde) non ſolùm quàm accuſemur de nugis & leuiuſculis, verùm etiam vt de beneficijs quoque non raró caſtigemur. Res eſt illuſtris & etiam lepida, & quæ tuis iſtîc Italis præter admirationem, effigiem quandam noſtrarum rerum & temporum deliniet.

Aegrotare cœperat generoſus quidam aulicus, vitæ ſplendidæ & fortuna non infima. Huic grauiter laboranti (vt eiuſmodi tempore euenire ſolet vel negligentiſsimis) ingeſſerat ſe quædam acris de futura vita cogitatio. Aduocauit presbyterum, (erat enim ſententiâ Catholicus:) vt illius conſilio rectè mori diſceret. Ille, pro ratione officij & Eccleſiæ Catholicæ conſuetudine, admonuit inter cætera vt ſi qua in re quemquam læſiſſet, aut aliena bona minùs iuſtè occupaſſet; niteretur ſtatim pro facultate reſtituere. Anuit ægrotus: occurrebat animo, quidam olim Caluiniano cuidam iuris quidem ſpecie ſublatum, ſed conſcientiæ Catholicæ minimè ſecurum: iubet reſtitui: moritur. Vxor autem vidua, cùm mariti voluntatem perimplire diſcuperet, nec auderet tamen hæretico reddere, angebatur vehementiſsimè, nec expedire ſe poterat. Dum hærebat autem,

Hiſtoria de reſtitutione.

Sacerdotis nomen erat Aluuayus.

autem, accurrit fortè fortuna sacerdos, impertit ei dolorem suum, obtestatur vt vel opera vel consilio iuuet.

Die tertio paschatis.

Huius nomen erat Fische-r, *de ciuitate Vuaruicēsi.*

Pecuniæ erāt 20. Libræ Anglicanæ.

Vir Dei perspecto fœminę sanctissimo desiderio, zelo plenissimus, obtulit se in rei faciendæ discrimen, existimans hominem tàm ferum & barbarum non futurum, qui de beneficio vindictam expeteret. Itaque re prius Deo commendata, conscenso equo viam ingreditur: cumque ad ciuitatem peruenisset, quam habitabat is, cui erāt pecuniæ reddendæ: collocat equum in proximo diuersorio, vt paratus ad fugam esset statim post expeditum negotium. Ipse domum creditoris petit, euocat solum, & manu pręhensum seducit à cæteris. Narrat se pecunias habere, quas ei sit ea conditione traditurus, vt nihil inquirat vel de mittente, vel de latore, vel de re ipsa: tantùm accipiat & fruatur vt suis. Spondet senex, & firmissimè promittit: & gratijs actis hominem dimisit.

Hi erant duo Fischeri fratres.

Diabolus habetur qui aliena restituit.

Sacerdos magna contentione festinat ad hospitium, vt equum ad fugiendum arripiat, sed frustrà: statim enim à sene perfido proditus, & à viris ab eo missis compręhensus est. Et primùm quidem hanc ei calumniam fecerunt, vt non hominem, sed diabolum esse dicerent, qui pecunias à se factas attulisset ad senem illaqueandum. Et huius rei illo argumento vtebantur præter cætera, quòd equum nigrum haberet, quem obseruabant diligenter, an aliorum equorum more fœnū comederet. Deinde etiam sacerdoti ipsi iniecto ferro, & intra cubiculum munitum concluso addiderunt quendam, qui die noctuque cum illo esset, & obseruaret an vllo tempore ocreas detraheret, & si pedes equinos, bifidos, aut bisulcos haberet; illo enim indicio cognosci dæmonem humana specie latitantem affirmabant. Ingens autem populi multitudo domum obsederat, & pecunias effusè offerebant, vt hoc monstrum oculis intuerentur. Iam enim populo persuasum fuerat esse reuera Cacodæmonem. Quis enim vnquàm (inquiunt) humanę mentis compos pecunias vltrò offerret, & gratis largiretur homini ignoto, hospiti, & peregrino? Cum aliquam diu Christi seruum hac contumelia agitassent, simulabant, (sed fictè ad maiorem iniuriam) se hominem velle liberum dimittere. At Caluinianus ille ingratissimus, qui pecunias acceperat, subornarat qui egredientem retraheret è fuga, & reum ageret læsæ maiestatis. Quo facto repentè totus diripiebatur. Et equo quidem eius vtebantur pro suo libitu: pecunias verò omnes auferebant, excepta quadam particula quæ itineris expensis inseruiret ad Londinensem vsque ciuitatem

Hic erat Fischeri frater.

uitatem, quò eum paulò post captiuum mittunt, firmo & diligenti satelitio septum. Vbi cum venisset, & consilio regio rem exposuisset, (vel vni potiùs eorum, ne res ad mortui ignominiam diuulgaretur) reiectus est ab eis ad Superintendentem Londinensem, qui illum primùm in vnum carcerem, deindè in alium, tertiò in arcem Londinensem coniecit, vbi ad quartum ferè annum vix euitatis tormentis pœnam luit huius nefandi restitutionis flagitij. *Hoc est primò in ianitoris sui custodiam. Secundò in carcerē qui vocatur, Porta westmonasteriensis.*

Admoneor huius historiæ commemoratione de quadam aduersariorum ridicula petulantia, qua solent ad antiquissimorum hostium imitationem Catholicos vt dæmonibus familiares traducere. Deficeret me omne tempus numerantē, quæ in hoc genere figmenta fabricarunt. Pyramis Londinensis nonnullis ab hinc annis mirabiliter sanè de cœlo tacta, conflagrauit incendio furioso & inextinguibili: quis aduersariorum rem non attribuit nostrorum præstigijs? veneficia quædam aut incantationes membranulis & figuris conglomeratæ, cum similibus nescio quibus ineptijs terræ venis abditæ, fuerunt aliquando à quibusdam inuentę. Res putabatur ad Reginæ perniciem & interitum composita. Quis non insimulabat huius facti Catholicos? at paulò post compertum est ministrū quendam magiæ fuisse authorem, & participes habuisse acerrimos Euangelicos: secutum est altum de re tota silentium, nisi quòd aliqui, deriuandi criminis causa adijcere solebant, illum fortè ministrum dissimulasse religionem, & fuisse animo reuera papistam. Cum haberentur comitia in ciuitate quadam Academica, oblatus est iudicibus Bibliopola quidam, cui verba nonnulla in religionis Catholicæ fauorem exciderant. Habitus est à consessu peraspere: prętér multa enim grauissima carcere perpessa, res tandem partim Quæsitorum suffragio, partim acerbitate iudicū eò deducta est, vt hominis, priùs in foro diffamati auriculæ clauis ferreis columnæ ligneæ affigerentur, & deinde cultro in manus proprias tradito, ipse earum se dissecatione liberaret. Res visa est multis supra modum seuera. Quid secutum est? mirabile sanè DEI iudicium. Iudices ambo, (solent enim præesse duo) omnes etiam Quæsitores, & multi ex præcipuis totius consessus cum plurimis assistentium, paucissimis diebus inaudito morbi genere partim in ea ciuitate, partim alibi perierunt. Sed & hoc etiam Catholicorum magiæ tributum fuit.

Pyramis Lōdinensis combusta.

Minister de newington.

Iinckfius, in ciuitate. Oxoniensi.

Quid ergò nobis integrum, quid securum, Gerarde, cùm non solùm aliena peccata, sed & iudicia Dei manifesta nostram in fraudem & calumniam vertantur?

Infinitus essem si cætera persequerer, quæ moliuntur aduersarij in causæ nostræ dedecus & ignominiam. Si quem enim nancisci possunt vel infimum & sordidissimum, qui aliquid apportet in Romam conuicij, vel in alios qui fidei nostræ fautores existimantur, etiamsi illud è lacunis & sentinis collectum fuerit, aut nullo etiam probabili argumento nitatur: arripiunt tamen hominem auidissimè, & obtrudunt populo tanquam Prophetam. Donant loquendi, perorandi, concionandi facultate, & scribendi etiam quiduis pro libitu & libidine, modò id in Romanæ fiat religionis contumeliam. Vnde tantum odij? Vnde liuoris tantum, tantumque inuidiæ? sed non subsistunt hoc gradu immodestiæ, nec his finibus continentur imprudentiæ: longiùs multò præcipitantur. Si non sit qui in Romam conuicia narrat, qui sordes congerat, aut notet quisquilias: ipsi creant de Roma miracula, quæ concionibus, mensis, & libris inseruiant. Sic nuper libello quodam impresso, diuulgarunt mirabilia multa superiori anno Romæ contigisse, idque per dies multos, quibus Deus iram suam magnis prodigijs contra ciuitatem illam ostendit. Narrant enim duos soles duasque irides eodem tempore apparuisse, portam ingentem diui Petri corruisse, & quatuordecim homines cum octo militibus occidisse. Duas etiam turres Ecclesiæ diui Petri delapsas, comminuisse Ecclesiam & contriuisse multum populum, in quo erant decem & octo sacerdotes. Præterea Ecclesias Franciscanorum, B. Iacobi, B. Bartholomæi, Beatæ virginis, totum monasterium Mariæ Magdalenæ, integrum armarium Romanæ ciuitatis, domum hospitalem, in qua erant 150. personæ, cum infinitis alijs ædificijs simul decidisse, & hæc omnia ideò contigisse, vt mundus intelligat Romanam religionem Deo displicere. Infinita huiusmodi artificia prætereo, quibus indies nituntur causam nostram vulgo odiosam reddere.

Sic Io. Nicolaum grammaticum ministrum relapsum, Roma venientē, & de Roma mētientem, suggesto donant, & nobilium honorāt præsentia.

Hoc est die. 23. 24 et 25. Ianuarij, anno 1580.

Hic liber impressus fuit à Ioan. Charlewode & Ed. white, cum approbatione publica subscripta.

Quarè, vt tandèm in exitum decurrat oratio, vides quo statu, quo gradu, quo cardine versantur res Anglicanæ. Ardent vndique persecutionum incendijs, conflictantur Orthodoxi cum incommodis omnibus: cum odijs, cum approbrijs, cum vinculis, cum iniurijs, & si quid aliud ad vitam afflictam & exquisitam pertinet calamitatem. Aduersarij nullo commiserationis mouentur affectu, sed in dies

dies ferociunt & crudeſcunt magis. Ad illud enim perueniſſe videntur, quod prædixit Saluator, *vt omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.* Catholici autem ſequentibus eodem loco Chriſti ſe verbis conſolantur, *Hæc facient vobis, quia non nouerunt patrem, neque me ſed hæc locutus ſum vobis, vt cùm venerit hora, eorum reminiſcamini, quia ego dixi vobis.* Illud etiam ſancti Pauli ſæpè repetunt ad ſolamen. *Fidelis Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſitis ſuſtinere.* *Ioan. 16.* *Ibidem.* *1. Corint. 10.*

Hunc prouentum fidelium, vt compenſationem quandam tolerantiæ perſecutionis promiſſum ſentiunt egregium Anglicani Catholici, eoq; fit vt præter internam ſpiritus ſancti dulcedinem, hoc etiam externo non parùm animentur & corroborentur ſolatio, dum intelligunt & oculis intuentur, tam mirabiliter auctum eſſe Orthodoxorum numerum, poſt ingeminatam perſequentium ſæuitiam. Hæc enim manifeſta eſt amoris diuini ſignificatio, qua nos certos faciat ſe noſtræ cauſæ, vel ſuæ potius non defuturum, ſi noſtræ à nobis partes impleantur humilitatis, manſuetudinis, longanimitatis & patientiæ. Et certè ſi cogitatione percurramus, quæ iam pertulerint Catholici, vel coniectura metiamur quæ impendeant perferenda: nec tribui poteſt humanis viribus quod hactenus ſuſtinuerint, nec ab eiſdem expectari vt deinceps perſeuerent. A domino ſolo hoc poſtulandum eſt, & à patre luminum precibus noſtris aſsiduis impetrandũ, *à quo omne datum optimum, & omne donum perfectũ* proficiſcitur. *Argumẽtum Catholicorũ in Anglia.* *Iacob. 1.*

Qua (putas) opus eſt virtute, qua animi magnitudine, qua roborata conſtantia, vt illa perferant quæ ſuprà recenſui? contumelias illas, & illa dedecora? illos carceres, & cõpedes illas? illos ſqualores, illas tabes, illa tormenta, mortes illas? & tamen, quod anteà me dixiſſe memini, id etiam hoc loco repetendum, & tibi diligenti memoria cuſtodiendum, quia verum eſt, me centeſimam vix partem eorum attigiſſe, quæ noſtri quotidie in carceribus ſuſtineant. Si ea lege tractarentur Catholici incarcerati qua latrones, qua homicidæ, qua parricidæ tractantur, vt vel ſuorum opibus ſuſtententur, vel aliena benignitate reficiantur: querelæ locum res non haberet, nec durè nobiſcum agi exiſtimaremus. Scio enim futuros multos, tum honeſtæ tum honoratæ conditionis Anglos, qui ſua potius vniuerſa diſtraherent, & ſeipſos in obſequium & famulatum traderent afflictorum, quàm vt tàm indigna paterentur, quàm patiuntur indies inediæ, famis, & nuditatis exitia; ſed non licet.

Nolo me aliorsum accipias quàm intelligo: non loquor de magnatibus qui religionis causa tenentur carceribus, quibus non inficior cócedi facultaté suis bonis vtendi. Loquor auté de copiosa illa multitudine afflictissimorum pauperum, maximè vero sacerdotum, qui his temporibus tam arctè asseruantur, vt nullus sit ad eos concessus aditus, & si quis aditum petat, in suspitionem vocatur, & nisi se purget comprehenditur. Sic Hansius nuper, cùm ingressum peteret ad quosdam inclusos eleemosynæ deferendæ causa, captus est tanquàm de religione suspectus, & paulò post patibulo suspensus. Sic multi alij eadem ex causa in suspitionem vocati, comprehensi & incarcerati fuerunt. Atque his modis terrent aduersarij Catholicos, ne quis audeat eleemosynas deferre.

Sic Iōsonum, Briantum, et alios nuper exercuerunt questione ad mortem ferè hac eadem de causa.

Nec minus etiā periculū est dantib⁹ quàm deferētib⁹ si rescifcatur. Resciri auté multis modis contingit, & aduersarij nónunquàm vt id eliciant sacerdotes inclusos subijciūt tormentis, & interrogant, quinam eis eleemosynas dederint, quinam alia pietatis opera præstiterint? Si quicquam vi tormentorum faterentur, (quod hactenus Deo confirmante non faciunt) dupliciter nos inde læderet aduersarius. Primùm, fidem confitentibus abrogaret tanquàm suorum proditoribus. Deinde eleemosynarum datores sic affligeret, vt cæteros timore pœnæ à simili deinceps pietate arceret.

Hoc ergo artificio cùm aduersarij iam effecerint, vt nemo audeat quicquam donare, nec quisquam quod donatum est carceribus deferre: consequatur necesse est, quòd planè iam oculis consecutum videmus, vt incarcerati penuria & egestate tabescant, & inedia consumente miserabiliter pereant. Audiuisse te existimo de illa numerositate virorum qui recenter in carcere Eboracensi sunt extincti: non audeo quicquam affirmare nec suspicari grauius, quam quod dixi, licèt non desint qui suspicentur, eò quòd prouinciæ præfectus tam lethali sit & præcipiti in nos odio, vt nihil sic in vita cupere, quàm extremum nostrum exitium videatur. Deus illi benignus sit & meliorem mentem largiatur, animumq́ue mitiorem in calamitosos immittat, vt ipse etiam aliquandò misericordiam apud communem dominum & iudicem omnium consequatur.

Comes Huntingtonius.

Si vellem acerbitatem & inhumanitatem repetere, quas annis elapsis Catholici sunt experti in hoc ergastulo Eboracensi, aut quas hoc tempore magis quàm vnquàm anteà patiuntur, nullum facerem narrandi finem. Ex hoc vno fiat coniectura de reliquis. Minister

nister quidam eruditione non vulgari, qui aduersariorum à partibus iam diu steterat, easque studiosissimè pro viribus defenderat, eò tandem intelligentiæ, lectione sanctorum Patrum deuenerat, vt clarissimè cerneret suos nulla veritate niti, sed omnem à nobis esse, idque extra controuersiam. Non potuit iuuenis acer conceptum veri lumen continere, aut vrentem pectore flammam comprimere. Qua re vulgo propalata, hominem comprehendunt aduersarij, terrent minis, sed non terretur: aggrediuntur argumentis, sed erat superior: blandicijs mulcent, sed non allicitur: quid ergo? trudunt in carcerem, tractant asperrimè, nihil tamen flectitur. Tandem suspendunt plantis in eum modum, vt pedibus in altos cippos insertis, decumberet solis humeris in terram, idque sine lectulo aut reclinatorio per dies plurimos, illam ei solam facientes gratiam, vt certis temporibus ad necessitates corporis aliquantulùm laxaretur. Quid hoc immitius fieri potuit? *Huius ministri nomen Bellus dicebatur.*

Mitto hîc asperitates, quę in fœminas incarceratas exercentur, quibus præter carceris molestias illud etiam addunt aduersarij doloris, vt earum plectant maritos, licèt sibi in omnibus cedentes & conformes (vt loquuntur) nisi vel cogant vxores ad exemplum suum, vel omni eas alimonia & sustentatione priuent. Quid ergo facient afflictissimæ mulieres, cùm nec ipsi mariti, res vitæ necessarias suppeditare permittantur? an non penuria tabescendum est? an non egestatis incommodis pereundum? & tamen Euangelici nostri his non mouentur.

De carceribus Londinensibus possem tibi multa & luctuosa referre, tam de nuper extinctis, quàm de miserè viuentibus, nisi vererer ne mea querela grauioris esset acerbitatis occasio. Illud tamen est certissimũ, multos extrema quæque perpessos esse ob summam egestatem, & expectare quotidie, vt longè plura & grauiora patiantur, si lex illa seuerissima de adeundis Ecclesijs executioni mandetur, quæ breui tempore Catholicos omnes penitùs est exhaustura & oppressura, ita vt nec sibi nec familijs, multo vero minùs afflictis alijs subuenire possint. Quo profectò res Anglicanæ in extremam calamitatem & Christianis auribus inauditam prolapsuræ videntur, nimirum, vt homines innocentes ob solam auitæ fidei conscientiam bonis proprijs spoliati fame pereant & consumantur. *Lex de adeundis ecclesijs supra pag. 23.*

Cùm intueor in illam eximiam, singularem, & verè regiam nobilitatem animi, quam natura cum summa clementia Reginæ nostræ inseuit: vix adducor, vt credam, permissuram esse, vt lex tam iniqua & extrema in subditorum euersionem, in afflictissimorum ruinam, in regni perturbationem, & totius orbis reliqui stuporem exerceatur. Sed tamen ex altera parte, cùm mente contemplor, quàm continuis aduersariorum vocibus in nos excitetur, & quàm subdolis rationibus acuatur indies in nostram persecutionem atque perniciem, nemine nos aut excusante aut defendente, aut afflictionibus nostris misericordiam deprecante: video fieri posse, vt non solùm ista, verùm etiam & maiora in nos & duriora permittantur.

Conclusio. Vnde, vt vno verbo concludam vniuersa: duæ res solùm superesse nobis videntur in his angustijs præstandæ. Vna, vt dominum nostrum & Saluatorem Christum ardentibus votis & precibus imploremus, quò nostri misereatur & persecutorum nostrorum animos emolliat. Altera, vt animo simus certo, constanti, & resoluto, quiduis illius causa sufferendi & tolerandi, cætera omnia sanctissimæ eius prouidentiæ deferentes, ea certissima persuasione & fide, quòd ille nos hac mente constitutos, & totos in suam tutelam projectos, securissima via diriget in portum salutis nostræ.

Hoc animo si imbuti fuerimus, & si induerimus hanc armaturam spei, fidei & feruentis charitatis, adiuncto rerum omnium mortalium & mundanarum contemptu, si aliquandò (inquam) radicitùs defixi fuerimus in hac firmissima & immobili petra, quę est Christus noster crucifixus: quicquid sæuierint in nos aduersarij, facillimè & nullo cum negotio sustinebimus. Fruemur enim illius hominis summa securitate, quem saluator vt verè sapientem in Euan-
Matth. 7. gelio commendat: *qui ædificauerat domum suam supra petram, & descendit pluuia & venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat super petrā.* Imò sentiemus corde, & ore profitebimur cū illo sanctissimo & fortissimo religionis nostræ duce &
Rom. 8. Christi Saluatoris athleta Paulo: *Quis nos separabit à charitate Christi? an tribulatio? an angustia? an nuditas? an periculū? an persecutio? an gladius?* quasi dicat, horum nihil: statim enim subijcit: *neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro.*

O vocem

O vocem excelsam, & Apostolo tanto, hoc est, Paulo dignam. Quid potest dici aut fingi animosius? quid potest humana mente cogitari confidentius? Hoc ergò nobis intuendum, qui eadem de causa conflictamur qua ille; hoc nobis imitandum, qui eodem in agone certamus quo ille; eandem coronam speramus quam ille; eundem remuneratorem expectamus quem ille. Hûc omnis nostra cogitatio & vires omnes conferendæ sunt, vt confidentiam hanc firmam in aduersis omnibus retineamus, è qua tanta demum existet fortitudo, & in rebus vel asperrimis & durissimis consolatio, quanta sufficiat ad perducendos nos *per ignem & aquam in refrigerum*, vt inquit ille, hoc est, per arduas huius sæculi molestias & calamitates in æternam DEI & beatorum omnium requiem, gloriam, atque fœlicitatem. *Psalm. 64.*

FINIS PRIMAE PARTIS CONCERTATIONIS.



SECVNDA PARS

CONCERTATIONIS,

CONTINENS RES GESTAS VARIAQVE CERTAMINA OCTOGINTA MARTYRVM ET CONFESSORVM, qui ſub Elizabetha pro fide Catholica paſsi ſunt in Anglia.

AD LECTOREM.

COllegimus (beneuole lector) quá potuimus fide & diligentia res geſtas martyrum & confeſſorum Angliæ, non quidem omnium, ſed eorum duntaxat, quorum excellentem virtutem & præclaram in confeſsione fidem neque potuit miniſtrorum Caluinatum fraus cœlare, nec Magiſtratus crudelitas quantauis auctoritate Principis fulta opprimere ſilentio. Sunt enim plurima alia & certamina occulta, & martyria manifeſta, quæ necdum in lucem prodierunt propter ingnem, quam exercent Puritani & Caluinates in eos qui talia ſcriptis conſignant crudelitatem. Speramus tamen, ſucceſſu temporis futurum, vt

L *bono-*

bonorum virorum diligentia, illa quemadmodum cætera iam nunc in lucem edita, ad communem Ecclesiæ Catholicæ vtilitatem in publicum manent.

Accipe interim hæc quæ iam damus, eaq́ qua par est diligentia expende, senties profectò & nullo quidem negocio non minus hoc nostro exulceratissimo sæculo, quàm priscis illis ac martyrum cruore beatis sæculis spiritum fortitudinis diuinæ athletis hisce nostris præsto fuisse. Vale.

INSIGNE MARTYRIVM IOANNIS FELTONI PRO PONTIFICIS Romani primatu in Anglia susceptum, & à doctissimo viro Nicolao Sandero Anglo conscriptum.

In lib. 7. de visibili Monarchia.



Ius quintus Pontifex maximus cùm videret, Elizabetham supremi Ecclesiæ capitis locum in omni Anglia, eiusdemque capitis præcipuam auctoritatem atque iurisdictionem monstruosè sibi vsurpasse, Missę sacrificium, preces, ieiunia, ciborum delectum, cœlibatum, ritusq́; Catholicos aboleuisse, libros manifestam hæresim continentes toto Regno proposuisse, impia mysteria & instituta ad Caluini præscriptum, à se suscepta & obseruata, etiam à subditis seruari mandasse, Episcopos, Ecclesiarũ rectores, & alios sacerdotes Catholicos suis Ecclesijs & beneficijs eiecisse, ac de illis & alijs rebus Ecclesiasticis in hæreticos homines dispósuisse, deque Ecclesiæ causis decernere ausam, Prętatis, clero, & populo, ne Romanã Ecclesiã agnoscerent, néue eius pręceptis sanctionibusq́ue Canonicis obtemperarent, interdixisse: plerosque

rosque etiam in nefarias leges suas venire,& Romani Pontificis auctoritatem atque obedientiam abiurare, & solam in spiritualibus & temporalibus Dominam agnoscere,iureiurando coëgisse: Catholicos Antistites, & Ecclesiarum rectores in vincula coniecisse, vbi multi diuturno languore confecti extremum vitę diem finiuissent: cumque dictæ Elizabethæ animum ita obfirmatum intelligeret, vt non modò pias Catholicorum Principum de sanitate ac conuersione preces admonitionesque contemneret, sed ne sedis quidem Apostolicæ nuntios in Angliam traijcere permitteret: præfatus, dolorem se lenire non posse, quòd adduceretur in vnam animaduertere,cuius maiores de Republ. Christiana tantopere meriti essent, *de Apostolicæ potestatis plenitudine declarauit,prædictam Elizabethā hæreticam, & hæreticorum fautricem,eiq́; adhærentes in prædictis, anathematis sententiam incurrisse. Quin etiam prætenso regni prædicti iure, nec non omni & quocunque dominio,dignitate,priuilegioq́; priuatam. Itemq́; Proceres, subditos & populos dicti regni, ac cæteros omnes qui illi quomodocunque iurauerant,à iuramento huiusmodi ac omni prorsus dominij,fidelitatis & obsequij debito, perpetuò absolutos, prout illos tunc sententia sua auctoritate absoluit, & priuauit eandem Elizabethā prætenso iure regni, alijsq́; omnibus supradictis: Præcépitq́; & interdixit vniuersis & singulis Proceribus,subditis,populis,& alijs prædictis, ne illi,eiúsue monitis, mandatis & legibus auderent obedire. Qui secus agerent, eos simili anathematis sententia innodauit.*

Hanc sententiam cum Pius quintus Romæ typis mandari iussisset,voluissetque, vt earum literarum exempla Notarij publici manu,& Prælati Ecclesiastici, eiúsue curiæ sigillo obsignata, indubitatam fidem in iudicio,& extra illud,vbique gentium facerent:ita diuinitùs comparatum est, vt exemplum quoddam hui⁹ declaratorię sententiæ in Angliam ad Ioanné Feltonum deferretur,virum & generis nobilitate satis clarum,&animi fortitudine multò clariorem. Is enim Catholicæ fidei studio zeloque adductus, cùm penè desperatam patriæ suæ valetudinem non nisi acerbissima aliqua medicina restitui posse animaduerteret,noluit committere,vt hæc sententia summi Pastoris ciues ac proximos suos lateret. Itaq; Anno Domini 1570. in ipso corporis Christi festo, dictam Pij quinti sententiā in ciuitate Londinensi ad fores Episcopi iuxta summum templum publicè affixit. Steterunt literæ in loco publico sub clara luce, penè vsque ad horam octauam sequentis diei, & à plurimis visę,à nonnullis etiam transscriptę esse dicuntur. Et alius quidem, qui Felto-

no eas literas affigenti astabat, cùm ex Insula profugeret, admonuit Feltonum, vt sibi quoque per fugam consuleret. Feltonus recusauit id facere, contestatus, se in omnem euentum per Dei gratiam paratum fore. Cum verò de hac re diligentissimè quæreretur, Ioannes Feltonus tandem apprehensus, dignum se Iesu Christi & primatus ab eo instituti testem exhibuit. Interrogatus enim, quid sibi videretur de his literis, paululùm cunctatus, tandèm respondit: *Si verè Pij quinti Pontificis maximi literæ essent, meritò sibi eas venerandas videri. Se enim agnoscere illum esse* IESV CHRISTI *Vicarium in terris.* Qua confessione facta, primùm in vincula ductus, ac deinde in iudicium duodecimuirale productus est, vbi de literarum eiusmodi affixione palam interrogatus, *Ego* (inquit) *libero vos omni vlteriore solicitudine & labore, meq́; fateor hisce literis affigendis operam dedisse.* Mox vbi acclamatum esset, Feltonum esse insignem proditorem, omnium Iudicum sententijs condemnatur.

Die igitur octauo mensis Augusti, ad supplicium trahendus, in ipso carceris vestibulo vestem holosericam, qua induebatur, exuens, ad populum astantem dixit, *se ob fidem Catholicam mori*, eo quod summi Pontificis primatum confiteretur, negaret verò, prætensam Reginam summum Ecclesiæ caput esse. Moxque in cratem iniectus, coniecit oculos in cœlum, & Psalmos Pœnitentiales intentissimo studio recitauit? Vbi ad locum supplicij ventum erat, è crate leuatur: cùmq́; pauorem mortis aliquem sibi obrepere sentiret, seipsum allocutus: *Quid hoc est* (inquit) *Feltone? An mortem times?* Móxque scalam iussus conscendere, illam ianuam in conspectu habuit, in qua sententiam Pij quinti affixerat, & manu ad illam extenta, *Verè* (inquit) *ibi literæ Pontificis maximi contra prætensam Reginam propositæ fuerunt: & nunc pro fide Catholica mori paratus sum.* Interpellàrunt eum qui aderant, & admonuerunt, vt veniam à Regina peteret: quibus ille ait, *Non læsi eam. Sed si quem læsi, ab illo* (inquit) *atq; adeò ab omni mundo veniam peto.* Ita cùm oculos ad cœlum leuaret, ac in Dei manus animam fidelem commendaret, torque in collum iniecto, de scala deiectus est. Vbi cùm aliquantulum pependisset, funis præscindi iubetur, vt viuus adhuc reliqua tormenta subiret. Cui verò id officij commissum erat, nonnihil moratus dicitur, vt pœnæ hominis parceret. Verùm vrgente Magistratu, viuus in terram demittitur. Ibi amputantur virilia, & in ignem propositum conijciuntur. Tum autem venter apperitur, viscera eruũtur, ipsum cor effoditur, ac neque adhuc


huc

huc finis. Nam & caput præſcinditur, & membra in partes quatuor diſſecantur. Quo ſpectaculo, ac præſertim tanta nobilis viri conſtantia ſic animi hominum commoti ſunt, vt nulla res æquè aut fidem Catholicā promouere, aut prętenſę Reginæ cauſam lædere pôtuerit.



ILLVSTRE MARTIRIVM

IOANNIS STORAEI AB EODEM NICOLAO SANDERO SCRIPTVM.



Oannes Storæus ab ineunte ætate in ſtudijs literarum tantas progreſsiones fecit, vt tum Iuris vtriuſque doctor, tum Regius Profeſſor in Oxonienſi Academia fieret. Vbi cùm ad aliquod tempus magna cum laude officio ſuo functus eſſet, Londinum euocatus eſt, vt illius vrbis Epiſcopo in Cancellarij munere obeundo inſeruiret. *In lib. 7. de viſibili Monarchia.* Erat tunc ſtatus rerum Angliæ vſque adeò perturbatus (propterea quòd Henricus Octauus, repudiata legitima vxore ſua Catharina, in eius adhuc viuentis locum Annam Boleniam ſupponeret, monaſteria euerteret, nobiliſsimos quoſq; & optimos viros neci daret) vt Ioannes Storæus & meliùs ſibi & ſecurius conſultum arbitraretur, ſi viueret in ordine laicorum, quàm ſi ad clerum accederet. Accepta igitur in matrimonium honeſtiſsima virgine Ioanna Vvatſa, cùm ob fidem, ingenium, doctrinam, eloquentiam, & conſtantiam celebris apud omnes meritò eſſet, non difficulter obtinuit, vt quoties publica Regni comitia indicebantur, ipſe velut decurio præcipui alicuius oppidi, quod ius ſuffragandi habebat, ſententiam ſuam in comitijs diceret. Vbi tantam in dicendo grauitatem lepôre quodam orationis conditam adhibebat, vt inter omnes minorum gentium Senatores facilè princeps haberetur. Is igitur cùm videret, Henrico iam defuncto, ſub impuberis filij Edouardi ſexti ætate rem in peius ferri, & à manifeſto ſchiſmate ad manifeſtam hæreſim deuenire. Huic malo ſummis viribus obſiſtendum ratus, pro fide Catholica doctiſsimè conſtantiſsimeq́ue perorauit. Qua in oratione audacter libereq́ue dixit, iam tunc in regno Angliæ impletum eſſe verbum illud Salomonis, *Væ regno illi denuntiantis cuius Rex puer eſſet.* Offenderat ea oratio certorum Principum animos, qui per impuberis

adhuc Regis Edouardi ætatem ex bonis Ecclesiasticis crescendi non paruam spem ceperant: quos cùm sibi valde infestos Ioannes noster haberet, contra morem antiquum, qui summam dicendi libertatẽ omnibus Decurionibus in publicis comitijs concessit, in custodiam conijcitur. Vnde cùm ægrè tandem liberatus fuisset, tempori cedendum ratus, in Belgium se contulit; vbi cùm vsque ad mortem Edouardi sexti permansisset, regnante demum felicis memoriæ Regina Maria, in patriam reuersus, & hæreticæ prauitatis inquisitor factus, illud munus ita administrauit, vt impijssimis quibusque seuerus iudex, bonis autem non minùs grauis, quàm æquus censor videretur. Maria verò ad superos migrante, cùm hæretici, quos publica lege antè cohibuerat, summa rerum potiti essent: in primis Ioanni Storæo mala omnia intentabant, ac in primis nimiam hominis crudelitatem calumniabantur. De crudelitate verò sua id in publicis comitijs Ioannes ipse regnante iam Elizabetha, respondit, se nulla in re alia peccasse, nisi quòd omissa radice, nescio quos ramusculos præcidisset, cùm potiùs debuisset robustissima quæque zizania radicitùs euellisse: quod factum si fuisset, iam (inquit) non tot ac tanta videremus impietatis germina vbiquè stare, atque adeò florere. Sectarij hoc totum de ipsa Regina Elizabetha, quæ radix peccati fuisse videbatur, dictum interpretantes, ab illo die nouam criminationis materiam tùm arripere, tùm colligere non destiterunt, donec inuictę constantiæ virum ob fidei Catholicæ liberrimam confessionem in vincula coniecissent. Cùm verò aliquot annis in carcere mansisset, quadã die oblatam sibi sese liberandi occasionẽ videt, arripuit, erupit ac tam diù in priuatis amicorũ ædibus latitauit, donec in Belgiũ traijceret. Louanij autem cùm esset, diu multumque ea cogitatione torquebatur, quòd insignem martyrij locum, ad quem Deus eũ vocasse videretur, culpa sua amisisset. De hac re sæpiùs cum vxore, cum amicis aliquandò, mecum semel seriò locutus, quærebat, vtrũ liceret ei sese iterum in potestatem hæreticorum tradere, an non? Ego ei non audebam auctor esse, vt in custodiam reuerteretur. Dei enim consilio videri eum esse liberatum, nec satis tutum fore, vt periculum sibimet crearet, quem Deus in tuto collocasset. Ille verò pœnitentiam se acturum professus, locum ei ré aptum apud Carthusianos Louanij delegit, nec recusauit, quò minùs in religionem aliquam ingrederetur, si vxor eius idem etiam propositum se susceptturam sponderet. Illa conditionem recusante, Storæus tamẽ in proposito

posito pœnitentiæ agendæ ita permansit, vt frequentiùs apud Carthusianos, quàm domi ageret: cùm ecce, inopia rei familiaris oppressus (præsertim nepote suo, ac nepte ad eum ex Anglia transmissis) cœpit de victu quęrendo solicitus esse. Erigebatur eo tempore nouus Magistratus apud Belgas, qui videret, ne quid mercatores exportarent in Angliam, aut etiã indè inueherent contra leges à Catholico Rege latas. Hic magistratus cùm Parkero cuidam deferretur, is Ioannem Storæum iurisconsultissimum virũ rogauit, vt sibi adesset, cõsilioq; suo & auxilio hominem iuuaret. Admonebât Storæum amici, ne quid istiusmodi tentaret: esse enim rem & in se odiosam, & ipsius persona indignam, vt mercium, nescio quarum, explorator haberetur. Ille tametsi nonnullis responderet, se ab eo munere alienum fore, tamen lucri (vt videbatur) spe illectus, temperare sibi non potuit, quo minus Parkerum quibus posset modis iuuaret. Audiuit ergo, nauim quandam in Zelandia esse plenam prohibitarum mercium, quam si depręhendisset, magno ea res lucro & Parkero, & sibi futura esset. Hac esca illectus, primò Bergas, inde in Zelandiã se conferens, ad eam nauim delatus est, quę certorum hominum consilio ad hoc ipsum in insidijs collocata erat, vt simul ac Storæus in eam ingressus esset, vela ventis committeret, hominemq; carceri, quẽ spontè reliquerat, non inuitum redderet. Quanquam enim eo tempore nihil minùs cogitauit, potiusq; alios capturum se sperabat quàm ne ipse caperetur timebat; tamen postquam Anglia ob oculos proposita, quid actum esset intellexit, Deo gratias egit, qui se iterum martyrij loco restituisset, rogans etiam, vt martyrij locum sibi palmamq; concederet. Quid quæris? hæretici mercatores ingenti gaudio perfunduntur, sibiq; de suo consilio ac stratagemate supra modũ gratulantur. Catholicos verò maiórne stupor, an dolor teneret, difficile dictu est. Storæus Londinum perductus, primò in Lolhardorum, deindè in Londinẽsem turrim includitur. Quęstio in illum habetur, quid ab initio respõderit, ignoramus: id tãtũ ad nos perlatũ est, nunquã vllũ subditũ in Anglia tàm libere & cõfidẽter locutũ. Negabat enim se iure in Principis Anglię sed potiùs in Catholici Regis potestate esse.

Anno autem Domini 1571. vigesimo quinto die mensis Maij productus in iudicium, perduellionis reus peragitur, velut qui coniurationem cum certis viris apud Belgas in ciuitate Antuerpiensi cõtra Elizabethã iniuisset, religionemq; schismaticã, quæ iam in Anglia regnat, in Catholicã commutare tentasset. Facta verò pro se dicendi

potestate

poteſtate,fori tantùm exceptionem propoſuit, negans iudices ipſos vllam in ſe poteſtatem habere qui iam non Anglicanæ Principi, ſed potiùs Regi Catholico ſubiectus eſſet. Interrogatus verò,vtrum in Anglia natus non fuiſſet?fatebatur,ſed addebat, ſe iuſtiſsima de cauſa ſolum vertiſſe.Nam & Abrahamum Patriarcham Dei iuſſu de terra ſua & cognatione olim exijſſe, ne peccato idololatriæ, quo tunc Chaldæa tenebatur,inuolueretur: cuius exemplum ſe imitatum eſſe,eo quòd videret, patriam ſuam ſchiſmatis ac hæreſis peccato implicitam teneri, atque ideò membrum alterius Reipublicæ factum eſſe. Reges enim defendendi & protegendi populi cauſa primùm conſtitutos fuiſſe.Itaq; cùm vidiſſet, Reginam Angliæ adeò ipſum non protexiſſe, vt pro derelicto potiùs haberet,atque adeò ob id ſolùm,quòd Catholicus eſſet,iniuſtè illũ perſequeretur: eo ſe animo in Regis Catholici prouincias commigraſſe, vt ſub ipſius protectione tàm ſibi quàm fidei ſuę conſuleret. Inde ſe primùm dolo malo, deinde aperta vi contra ius omne abreptum eſſe, nec legibus iam vllis apud illud tribunal reum ſiſti. Iudex verò interlocutus eſt Storęum,niſi quid aliud pro ſe afferret, ſtatim experturum eſſe,non deeſſe leges quibus in regno illo condemnaretur. Cùm autem Storęus dixiſſet,ſe quod bonum & ęquum videretur prolocutum, nec vllo modo poſſe illius iudicij auctoritatem agnoſcere:mox abſque vlla criminis vel confeſsione, vel probatione, non tantum morti velut contumax addicitur, ſed etiam perduellionis nominatim condemnaretur. Storæus autem biduo pòſt, cùm ad vxorem Louanij agentem ſcriberet,deq; huius ſententiæ iniuſtitia quereretur: ſignificauit,perfacilè ſibi fuiſſe, ſi apud alios iudices actum eſſet,id quod de coniuratione contra Eliſabetham facta obijciebatur,confutare. Cuius rei teſtes citabat illos ipſos quibuſcum Antuerpiæ hac de re egiſſe dicebatur. Verùm quia *hoc, quod probè ſciret, neſcire non poſſet*; integrum ſibi non fuiſſe,aliter cauſam dicere,quàm dixiſſet. Intellexit verò ſe probè ſcire, prętenſam Anglię Reginam per declaratoriam ſummi Pontificis ſententiam ob hęreſim manifeſtam omni iure Regni dominioq; priuatam eſſe, ac propterea Magiſtratum nullũ ab illa creatum,eique adhęrentem à ſe agnoſci poſſe, ne fortè ipſe etiam eodem anathemate innodaretur. Vt igitur conſcientiæ ſuę conſuleret,ac ſummi Pontificis communionem retineret, ſanguinem ſuum profundere non curauit.Ac nimirum in ijſdem literis ad vxorem ſuam non ſolùm gratias agebat Deo,quòd in ea cauſa moriendũ ſibi eſſet;

verùm

verùm etiam vxorem atque amicos omnes congratulaturos ei dicebat, si verè nossent, quanta cum alacritate ad mortem illam properaret, cuius breui compendio septuaginta penè annorum delicta per Dei gratiam expiaturus esset.

Pridie autē Calendas Iunij cùm præfectus carceris à Storæo quæreret, vtrùm ante obitum suum consilio cuiuspiam ex Dei ministris indigeret: ille postulauit, ne quis profanus & schismaticus introduceretur: se enim cum nullo tali communicaturum esse. Cum Catholico autem presbytero libenter se colloqui velle. Impetratum igitur est, vt Reuerendus Archimandrita Dominus Fecnamus, qui eodem in carcere ob fidem Catholicam tenebatur, ad illum accederet: qui per totam prope noctem collocuti esse dicuntur de ijs reb⁹ quæ ad æternam salutem pertinebant. In ipsis ergo calendis Iunij tantus Dei martyr iniectus crati, ad locum supplicij trahitur.

Inde in currum translatus, fune priùs in collum imposito, dicebat se vt moreretur adesse, ac fatebatur quidem gloriosa Dei voluntate factum esse, vt in Angliā subeundi supplicij causa, quod multò grauius peccata sua merita fuissent, perduceretur. Nam alioqui se admonitum non semel, quantum ipsi periculum immineret, nunquam tamen illud prospicere potuisse: nunc autem Deo gratias agere, inimicis ignoscere, cum omnibus hominibus pacem habere, corpusq; suum libentissimè carnifici traditurum, vt per breuem pœnam ad æternam gloriam merito sanguinis Iesu Christi aspiraret. Porrò de iniquitate iudicij, quod in illum exercuissent, deq; crudelitatis calumnia, cuius ei notam inussissent pauca locutus, tandem se mori contestabatur in ea Catholica fide, in qua baptizatus fuisset, quæq; illi cum Rege suo Philippo, cæterisq; Catholicis Principibus & populis communis esset. Adstantes autem ac præsertim adolescentes admonebat, vt vnā Ecclesiam crederent, vnum ouile, Pastoremque vnum, & illum D. Petri successorem, extra cuius Ecclesiæ vnitatem seruari nemo posset. Interrogatus autem à Comite Bedfordiç, vtrum esset subditus Reginæ? Non sum, inquit. Tum Baro de Hunsdeno intulit: At natus es Anglus. Cui Storæus: Nascitur quisque liber, eique tota superficies terræ patet, vt si vno certo in loco habitare non permittatur, alibi tamen possit degere. Tunc quidam ex ministris Anglicanæ synagogæ quæsiuit, vtrum non crederet, Reginam immediatè sub Deo supremum caput esse Ecclesiarum Angliæ & Hiberniæ? Non disputandi causa (inquit Storæus) hûc veni. Nec mea


negatio vobis fidem fecerit, aliter ſe rem habere. Vix hoc dixerat, quin illi, qui aderant, veriti ne grauius aliquid in prophanum illum & ſecularem Reginæ primatum dicturus, aut manifeſtiùs verum primatum Romanæ Eccleſiæ confirmaturus eſſet, abduci currum iuſſerunt: atque ita cùm ad breue tempus fuiſſet ſuſpenſus, viuens adhuc in terram demittitur, præciduntur genitalia, aperitur venter, viſcera eruuntur, caput amputatur, membra diſſecantur, ac ne ſic quidem excarnificatus immani ac barbaræ ſpectatorum crudelitati ſatisfecit.

Aderat inter eos ſpectator Cæcilius, qui Elizabethæ à ſecretis eſt, & præterea Comites duo, ac vnus Baro. Iſtis ergò cùm talis mors parum acerba viſa eſſet, ſtatim duos libellos ediderunt, in quibus venerandi ſenis ac ſancti martyris reliquias infamiæ notis aſpergere conati ſunt, vt omnes intelligerent, tantas Ioannis Storæi virtutes fuiſſe atque eſſe, vt neque poſt funera eius ipſorum liuor & inuidia conquieſcat. In his autem duobus fortiſsimorum virorum præclariſsimis martyrijs hunc librum duxi terminandum. Fruſtrà enim poſt Dei opera, hominum attexuntur verba.

MARTYRIVM ILLVST. AC SANCTISSIMI VIRI THOMAE PERCEI

Comitis Northumbriæ Anno Domini 1572. ſcriptum à Doctiſsimo viro Nicolao Sandero.

Cauſa explicatur, ob quā arma ſumpſit.



Homas Perceius Anglus Northumbriæ Comes, non minùs animi virtutibus quàm generis ſplendore illuſtris, cùm videret Elizabetham Henrici octaui ex ſecunda vxore dùm adhùc prior viueret, filiam, reiecta fide Catholica, infinitam hominum multitudinem ſola vi ad ſchiſma & hæreſim protrahere, certò etiàm ſciret eandem ob manifeſta & nota omnibus flagitia & ſacrilegia non modò iure ipſo excommunicatam, verùm etiàm tùm à Catholicis alijs, tùm ab Apoſtolica ſede pro excōmunicata iam diù habitam eſſe: alijs Optimatibus non paucis, qui contra eam Elizabethę tyrannidem ipſius opem magno ſtudio implorabant, difficulter quidem ab initio, (quòd ſe ad tantam rem aggrediendam ſatis inſtructos eſſe negaret) tandem tamen aſſenſum præbuit, vt neglecta videlicet rerum ſuarum cura,

pericu-

periculum facerent, vtrum fratres suos ab hæresis & schismatis tyrannide liberare possent nec ne?

Atque vt fieri solet, vbi multa sunt capita, cùm alij aliter sentirent, dicerentque consultius sibi videri, vt non Catholica fides, verùm alia quæpiam belli causa obtenderetur; tunc Northumbriæ Comes, at ego (inquit) aliam nullam aut scio aut agnosco, neque enim hominum (opinor) sed Dei gloriam quærimus.

Armis igitur Dunelmi ob fidem restituendam sumptis, cum ingenti plebis applausu & lætitia pseudoprophetas ablegarunt, officia schismatica & mensas prophanas è tẽplis eiecerunt, altaria erigẽda & sacrosancta mysteria omni cultu & veneratione prosequẽda curarũt.

Sed cùm cæteri Principes etiam Catholici nullo modo sperarent absq; externis auxilijs hoc negotium ritè confici posse & ideò suspẽsis animis exitum rei spectantes, tantæ rei conatum pro eo ac sperabatur non adiuuarent, adeò vt quadruplo iam maiores copiæ contra Catholicam fidem quàm pro illa militare viderentur, neque aut stipendia essent quæ Catholico militi darentur, aut Optimates ipsi de modo & loco pugnæ ineundæ satis inter se consentirent, coacti sunt armis depositis in Scotiam se recipere.

Ibi Comes Northumbriæ Scoti cuiusdam fidei commendatus, & ab eodem nefariè proditus in eorum manus qui Serenißimam Scotiæ Reginam oppugnabant, Elizabethæ autem fauebant, traditur, atq; ab illis in lacum leuinum sub arctißima custodia includitur. *Comes proditur à quodam Scoto.*

In qua custodia biennio & ferè sex mensibus detentus, summa cum fide, patientia, castitate, mansuetudine, in vigilijs, in ieiunijs, in meditationibus sanctis pro illa gloriæ corona legitimè certabat, quã nunc ei reddidit iustus iudex; Cùm enim is apud quem vinctus erat, ex Caluinistarum hæresi fuisset, multosq; eius sectæ viros ad se inuitasset, qui Comitis animum à Catholica fide in errores nouos traducere conarentur, idq; sæpißimè accideret, nulla vnquàm arte, nullis argumentorum nodis, nullo dicendi genere, nullis terroribus aut præmiorum pollicitationibus efficere potuerunt, vt vel minima quapiam in re ab Ecclesiæ Catholicæ communione discederet, cùm tamen si ad ipsorum hæresim appropinquare vellet, non deessent qui non modò libertatem corporis, verùm etiàm honores & dignitatem priorem pollicerentur. *Constantia eius in Catholica fide.*

Ille autem super petram ædificatus, nullo modo à soliditate sua commoueri potuit. Imò si quando per eos dies quibus Catholici *Quanta cura obseruauit*

 solenne

precepta Ecclesiæ maximè vero ieiuni. solenne ieiunium celebrãt animalium carnes ei (vt sæpè accidit) apponebant, solo pane contentus, nec in cõsilio impiorum ipse abibat, & aliquos interdum ex ijs qui aderant suo exemplo commouit, vt & ipsos preuaricationis suæ pœniteret.

Studiũ orãdi. Orabat autem flexis genibus totos interdum dies atque etiam in multam noctem. Quo sancto studio vsq; adeo & in omni ante vita, & tunc præsertim delectabatur, vt cum per imbecillitatem corporis neque genua flectere, neque in ambulando preces recitare diutius posset, ad scribendum se conferret, nec aliud tamen scriberet quàm sanctas preces.

Vidimus ipsi librum satis magnum ipsius propria manu eleganter depictum & exaratum, in quo permultas preces ex varijs libris in vnum velut corpus collegerat. Cuius laboris mihi videtur is fructus fuisse vberrimus, vt cum ipse amplius orare non posset, extaret tamen manus eius semper interpellans pro illo.

Comes proponitur venalis vxori suæ & Elizabethæ Reginæ. Quid multis? Cum isto modo per singularem Dei gratiam præparasset cor suum & corpus suum hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, interim is qui eum apud se habebat, duobus contrarijs dominis virum sanctum proposuit venalem, hinc Annæ ipsius comitis charissimę vxori clarissimę fœminę, quę omni studio & magnis impensis id agebat vt virum suum redimeret; inde autem Elizabethæ prætensæ Anglorum Reginæ, quæ illum ad inferendam ei cædem maioribus impensis quæritabat. Iam enim humanis hostijs litatur in Anglia, nec sufficiunt quæ domi occurrunt, nisi etiam ex alienis regionibus ingenti pretio & labore quærantur.

Comes autem cum ista non ignoraret, timeret verò ne custos suus & Catholicorum pecuniam velut eum liberaturus in dolo acciperet, & eum interim hostibus suis iugulandum diuenderet, admonuit amicos suos eius rei, vt saltẽ si liberare ipsum non possent, ne simul cum ipso pecuniam suam amitterent.

Studium eius erga Regem Catholicum. Quibus in literis cum honorificam in primis mentionem & Pij Quinti Pontificis Maximi, & Philippi Hispaniarum Regis (quorum eximiam erga se liberalitatem senserat) fecisset, illud ad postremum addebat, *libenter se pro Catholici Regis honore vitam impensurum*; Et prophetabat quidem ille nesciens forte quid diceret, paulo enim post à custode suo in Angliam venditus, pro Dei honore, qui Rex in æternum Catholicus est, sanguinem suum fudit.

Custos

Custos autem ipsius cum iam omnia essent acta & transacta seriò persuadere ei conatus est, quod libertati restitutus in Belgium veheretur; Comes verò etsi non poterat homini hæretico fidere, poterat tamen proditori suo ad exemplum Christi osculum dare, & in nauim præparatam conscendere qua in Angliam rectè vectus est. Quò cum appulisset, quod reliquum erat mercedis Baro quidam Anglicanus custodi persoluens, age inquit habes pecuniam tuam, sed vendidisti & fidem & honorem tuum: *Traditur Reginæ Angliæ.*

Comes autem Beruici detentus cum ex ingenti febre laborasset, nihil magis quod timeret habuit, quàm ne per illum morbum qui valde periculosus videbatur, martyrij corona priuaretur. Sed aliud cum esset Dei consilium, fecit vt miles ipsius, morbo liberatus, quarto demum die postquam Beruico discesserat, Eboracum incolumis perduceretur. Quo in itinere cum permulti nobiles viri ad clarißimum Northumbriæ comitem visendi eius causa peruenissent (dißipati enim erāt nescio qui sermones tāquā is breui foret dignitati suæ restituēdus) tam hilarem ac imperterritum vultū omnibus exhibuit, vt nemo viri constantiam satis admirari posset. Cumq; inter cætera, omnes ei vitam, honorem, omniaque felicißima optarent, is ad eos hac oratione vsus est. Quin carni meæ, vita quàm mors gratior futura sit, nec id tam mea ipsius, quàm vxoris, liberorum, & amicorum meorum causa, negare neque possum, neque volo, modò tamen conscientia mea illæsa permaneat. Nam potius quàm illa violetur, mors adueniat, vita valeat. Hæc ille. *Beruici detentus laborat ex febre.* *Eboracum perducitur.* *Insignis martyris vox digna tāto principe.*

Venerat ad eum inter cæteros, insignis Christi confessor, Thomas Mettamus, eques auratus, vir iustus & timens Deum, qui vnà cum vxore sua multis annis ob fidem Christi vinctus fuerat; nec illo tempore aliàs quàm venia petita, ex custodia egrediebatur. Is enim magna olim familiaritate, atque amicitia cum comite coniunctus, volebat vinctum domini aspicere, vt eo constantiùs in sancto proposito suo perseueraret. Vidit, allocutus est, valedixit, ac reuersus, paucis post diebus spiritum Deo reddidit; vt sicut in vita sese dilexerant ita nec in morte separarentur. *Inuisitur ab illustri confessore D. Thoma Mettamo.*

Venerunt verò & alij, vt spem comiti facerent, si se ad ipsorum postulata conformaret, & viuere illum & præclarè agere posse. quorum ille postulatis à fide Catholica & honore suo alienis, cum assentiri nollet, tunc demum Ioannes Forsterus eques auratus, cui eius deducendi cura fuerat commissa, vicesimo primo die mensis Augu- *Denuntiatur illi mortis sententia & hora.*

 sti anno

ſti, anno Domini ſeptuageſimo ſecundo ſupra ſeſquimilleſimum, ſecunda ferè hora poſt ſolis occaſum, denuntiat inuicto fidei Catholicæ teſti, moriendum illi eſſe, poſtridie hora ſecunda pomeridiana.

Quam ille mortiferam ſententiã (eodem Forſtero id palàm poſteà teſtificante, quod, eo liberiùs facere poterat, quo longiùs à Catholica fide aberat) tanta cũ animi alacritate accepit, ac ſi pergrato quodam munere fuiſſet donatus; Iam diù enim Spiritus ſanctus eum docuerat, quàm vera & certa gloria in eo poſita eſſet, vt ob Dei honorẽ, & fratrum ſalutem, vitam ſuam impenderet. Ac cætera quidem omnia ab auctoribus certiſsimæ fidei accepimus, de hoc vno quod ſequitur auditum quendam incertum habeo, ac prætereà nihil.

Fertur enim eos, qui hortabantur illum, vt adoraret idolum Elizabethæ, dixiſſe; ſi hoc faceret, non vitam illum modò, ſed & ſummos honores conſecuturum; quibus ille reſponderit; quid? an maiorem vlli mortalium honorem exhibere poteſtis, quã vt martyrij gloria eum afficiatis? Nec à vero quidem abhorret, hoc eum verbo confiteri potuiſſe, quod & viuens, & moriens, opere ipſo locutus eſt. Vtcunque ſit, iam iterum ad certam hiſtoriam reuertar.

Ad orationem ſe confert.

Miniſtri Caluiniani aduolant, tentaturi animum pij Comitis.

Audita ergo mortis ſententia, mox ad antiquã precandi conſuetudinem ſe contulit, cùm ecce, Huttonus quidam Eboracenſis Eccleſiæ decanus, & Palmerus falſi Euangelij miniſter ad Comitem introducuntur, qui virum tam probè in fide ſua inſtructum, vt pro illa mortem vltrò oppeteret, in noua Caluini fide erudire tentant, velut ſi adhuc fuiſſet catechumenus. Aderat vnà cum illis Ioannes ille Forſterus, quem huic toti negotio præfectum fuiſſe, paulò antè diximus. Aderant etiam alij nonnulli, ex quorum teſtimonio cognitum eſt Clariſsimum Comitem adeò grauiter, ſolidè, ac dilucidè illis omnibus quæ in cauſa religionis à pſeudoprophetis ei opponebantur, ſatisfeciſſe, vt omnium iudicio, non illos modò, ſed etiàm ſeipſum ſuperaret. Multis annis (inquit poſtridie de illo Forſterus) Comitem Northumbriȩ cognoui, nunquam tamẽ in illo tantam ſapientiam, dicendi vim, modeſtiam, conſtantiam deprȩhendi, quantam heſterna nocte oſtendit atque adeò expreſsit.

Hæretici teſtimoniũ de Comitis virtute.

Hæretici autem illi miniſtri cùm ſemel atque iterum repulſi, nihil ſe proficere viderent, ſcirent autem illum nulla re magis quàm precationum piarum formulis oblectari; Ecce (inquiũt) mi domine afferimus ad te preces quaſdam, ad prȩſentis conditionis tuæ ſtatum

accom-

accōmodatas quibus vt vel tua causa vtaris, magnoperè petimus. Quas cùm ille recusasset, at saltem (inquiunt) permitte nos, àliquas ex tuis sanctis precibus tecum recitare, quibus hoc iam vnum propositum est, vt tuę saluti qua possumus ratione inseruiamus. Tum ille, scio (inquit) vos non esse membra verę Ecclesiæ Dei, nec aut ego vobiscum, aut vos mecum in oratione communicabitis, discedite igitur à me si videtur, ac parum hoc temporis vitæ meæ quod reliquum est mihi liberum permittite.

Nihil vult habere cum hæreticis cōmercij.

Qui mox cùm discessissent, ad suum illud cum Deo colloquium iam satis familiare, ingenti cum gaudio reuersus, de reliquo in oratione sancta pernoctabat. Tandem verò cùm somnus precanti obreperet, ac Ioannes Clericus, quo tunc famulo vtebatur, ei suaderet, vt vel ad vnam horam peteret cubitum; se illi quippiā è libro Thomæ Mori recitaturum, quem ille, Consolationem afflictorum inscripserat; respondit Comes: si Christus increpauit discipulos suos, quòd nec vna hora cum illo vigilarent, vis ne vt ego, cui tam parum vitæ reliquum est, vna hora quiescam? quinimo (inquit) hac saltem hora cum Domino meo vigilabo. Et vna quidem atque altera hora vigilauit. Sed posteà tam ingens sopor eum complexus, vt saltem proijcere se in lecto cogeretur. Vbi cùm non tota hora placidissimè quieuisset, euigilans confessus est, se modico illo somno valde fuisse recreatum. Hinc iterum ad orationem se conferens, in eo sancto studio, vsque ad secundam horam post meridiem permansit, neque edens neque bibens, nisi quòd quinque aut sex pruna gustauit.

Pernoctat in oratione.

Hora verò mortis iam instante, cùm è cubiculi foribus nudo capite exiret, signo crucis fronti suæ impresso, tanquàm agnus mansuetus, obtulit se tortoribus, qui eum per plateas, ad locum supplicij deducebant. Erat tunc videre vultum hominis tàm constantem & compositum, vt ea res omnibus qui vndique ad id spectaculum accurrerant, stupori esset. Erat verò forma corporis quàm pulcherrima, & facie virili ad venustatem nonnihil tendente, præditus.

Ducitur ad locum supplicij.

Vbi ventum erat ad locum supplicij, togam exuit, signumque crucis & fronte & scalis imprimens, hilari vultu in scenam ascendit. Ibi mox aderat Palmerus pseudopropheta, qui Comitem admonuit, vt coram illa populi tanta corona, peccatum suum in Reginam confiteretur. Comes autem ad populū cōuersus, Graue (inquit) mihi nō videretur silētio mortē oppetere; nisi quod moris esse video, vt qui hoc

Munit se signo crucis.

Alloquitur populum.

hoc genere supplicij afficiuntur, de causa suę mortis, nonnihil ad eos qui adsunt loquantur. Scitote igitur me ab ineunte ætate mea vsq; ad hunc diem esse in fide illius Ecclesiæ, quę per vniuersum orbem Christanum connexa & colligata est, atq; in eadē fide hanc miseram vitam finiturum esse. Hanc verò nouam Ecclesiam Anglicanam non noui. Cuius orationem Palmerus clara voce interpellans, video (inquit) te mori obstinatum Papistam, non Catholicæ, verùm Romanę Ecclesię membrum. Cui respondit Comes; Quam tu vocas Romanam Ecclesiam, ea est Catholica Ecclesia, super doctrinam Apostolorum fundata, ipso angulari lapide Christo Iesu, martyrum sanguine stabilita, sanctorum Patrum confessionibus decorata, & semper eadem perstans, aduersus quam (vt Christus Saluator noster dixit) portæ inferi non prævalebunt.

Fidem Catholicam profitetur.

Cum autem Palmerus iterum interpellare ipsum conaretur, noli (ait Comes) mihi porro molestus esse. Hæc enim veritas meæ menti & conscientię persuasissima est.

Ministros Caluinianos reijcit.

At verò ne sic quidem conticente Palmero, Comes ad populum conuersus ait, Cauete fratres charissimi ab his lupis rapacibus, qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, cum interim hi sint qui deuorant animas vestras. Quo verbo Palmerus velut percussus, statim magna cum celeritate de scena descendens liberum perorandi locum Comiti reliquit.

Ille autem permolestum (inquit) mihi est tot ex rudi populo per occasionem à me subministratam violenta morte affectos esse, ob id studium quo Dei religionem ac me etiam priuatim prosecuti sunt. Atque vtinam mea morte vitam illis conseruare licuisset, quanquā nihil timeo quin eorum animę cœlestem gloriam sint assecutę.

Quod autem ad alia quę mihi opponūtur, attinet, plenè est à me satisfactum ex ijs quę ad articulos à senatu Regio propositos iamdudum respondi. Scio autem nullum esse apud istos misericordię locum, ac propterea nullam ab illis, sed tantum ab eo misericordiam expecto, quem & omnis misericordię authorem agnosco, & mihi misericordiam prętiturum verè credo.

Tum autem liberos suos, ac famulos, itemq́ue æs alienum quod non maximum esse dicebat, fratris sui curę commendans, demum omnes qui aderant, rogauit vt ignoscerent sibi, seq; vicissim illis ex animo ignoscere cum dixisset, flexis genibus preces suas persoluit, signum crucis quod scalis impresserat osculatus est, ac brachijs in

crucis

crucis formam pectori appositis corpus extendit, vixque iam dixerat: Suscipe Domine animam meam, cum carnifex caput corpori abscindit, lachrymantibus ijs qui aderant, & instar tonitru cum ingenti gemitu ad Deum vna voce clamantibus vt animam famuli sui suscipere in æterna tabernacula dignaretur.

Miraculo autem datum est, quòd postquam corpus semel extenderat, nunquàm vlla fuit in capite aut corpore eius vel minima timoris significatio aut cessio, sed tanquam si vita omni & anima caruisset, sic immotū corpus permansit. Populus autem vniuersum martyris Christi sanguinem in manutergijs & alijs vestibus lineis collegit, ac ne stramentum quidem vnum in quo vllum sanguinis vestigium apparebat prætermisit, quod non domum abduceret, ac instar sanctarum reliquiarum apud se reconderet, veneraretur. Fuit enim hic vir omni populo per omnem vitam supra modum grátus; cuius memoria sit in benedictionibus sempiternis, Amen.

MARTYRIVM DOMINI VVODOSII, PRESBYTERI.

Dominus Vvodosius presbyter, magnę charitatis ac pietatis vir, multorum annorum carceribus, vinculis, paupertate, ac infinitis ferè molestijs probatus, eò tandem diuina gratia cor inuictum dirigente atque cœlestis Patriæ desiderio inflammante, peruenit, vt fœmineum Elizabethæ pontificatum inficiando; summiq; Pontificis Romani Christi Iesu in terris veri vicarij supremam authoritatem propugnando, extremam, quam furor Caluinianus inferre potest sed gloriosam tamen mortem lubens subiret.

Lib. 3. de schism. Anglican.

MARTYRIVM DOMINI IOANNIS. NELSONI. PRESBYTERI

3. Februarij. 1578.

Sacerdos iste pius, quòd nomine Catholicæ religionis suspectus esset primo die Decembris, Anno 1577. sub noctem, cùm precibus matutinis recitandis operam

daret, comprehensus fuit, & in carcerem ductus. Interrogatus, quare principatum in rebus Ecclesiasticis nollet Reginę tribuere; respōdit se nunquàm legisse vel audiuisse, Principem sæcularē ea potestate ornatum. Pontificem Romanum vniuersæ Christi Ecclesiæ per omnem terrarum orbem esse præpositum.

Cùm iterum ex illo quęsiuisset, quid de religione Anglicana existimaret. Sine vlla dubitatione schismaticam & hæreticam esse respondit. Iussus definire quid schisma esset, dixit schisma esse spontaneam disiunctionem à Catholicæ & Romanæ fidei communione. Tùm illi intulerunt, quid? Ergo Regina schismatica est? Haud scio, inquit; quia mentem eius in promulganda & defendenda noua ista religione non habeo perspectam. Imò, inquiunt illi, & promulgat & defendit istam religionem; quid censes? Ad hæc D. Nellonus paulisper tacuit, quòd nollet principem sua libertate commouere; sed tamen ratus satius esse incurrere in indignationem hominis quàm DEI gratiam & fauorem amittere, si illa, inquit, publicè proponit & tuetur istam religionem, sine dubio schismatica est & hæretica.

Hac illi responsione extorta, quasi abundè ad accusandum instructi, discesserunt. Post septem deinde hebdomadas product⁹, cùm in eadem mente perseueraret, primo die Februarij, Anno 1578. læsę Maiestatis fuit condemnatus. Adeò forti animo sententiam audiuit, vt neque vultum mutarit, neq; vllum animi perturbati signum dederit.

Constantia martyris.

Ab hora condemnationis vsque ad mortem solo pane & tenui ceruisia vitam propagauit: vinum ab vxore præfecti carceris oblatum, quo tristitia animi nonnihil leuaretur, recusauit, dicens aquam esse potum illi tempori aptiorem, totumque illud tempus precationibus, & rerum diuinarum commentatione transmittendum putauit, adeoque ijs delectabatur, vt de rebus terrenis nec loqui nec audire vellet; & cùm quidam amicus illi vitas & certamina sanctorum Martyrum, ad corroborandum animum legenda offerret, diceret, se habere satis multa, in quorum cogitatione animum occuparet: se frequenter cum animo suo considerare, quanta constantia & alacritate, tot millia sanctissimorum hominum, acerbissimos cruciatus pro Christi nomine perpessi sint, & tantam indè capere voluptatem; vt nihil dubitet diuinæ consolationis suauitatem, sibi in illo puncto præstò futuram: quam animi constantiam mentisque tranquillitatem

Quibus exercitijs ad mortem se parat.

tatem dubio procul hausit ex sanctißimo Eucharistiæ sacramento, quod paulò antè sumpserat in carceribus.


Tertio Feb. quo die occisus fuit, manè antè lucem, cùm ex infimo & teterrimo carcere ad locum superiorem ascendisset, duo cognati eum tunc temporis orationi vacantem salutatum venerunt: quos cùm præ mœrore vix lachrymas tenere posse cerneret, quid facitis, inquit? à vobis consolari debeo in hoc statu rerũ, & non lachrymis vestris dolore & tristitia cumulari: conferte illum gemitum & lamentationem in peccata vestra, magna enim me spes tenet, benè mihi hanc mortem euenturam. Simul atque illi excesissent, duo superbi Sathanę ministri, ingreßi sunt, egregiè instructi, ad illum ab antiqua religione deijciendum; sed ita se ille constantẽ præstitit, vt ne loqui quidẽ cũ illis vellet: rogaret proindè eos, ne sibi molesti essent. *Cũ ministris hæreticis non vult loqui.*

Eductum ex custodia, quidam Magistratuum hortati sunt, vt à Regina veniam peteret; quod cùm ille facturum se negasset, quia nullius criminis conscius esset, populus furore percitus, suspendiũ illi, nî faciat, tanquam proditori comminatur. Benè, inquit ille, fiat voluntas Dei: video mortem mihi paratam, quam quidem ego libenti animo sufferam. Præstat exquisitißimis supplicijs hîc occidi, quàm sempiternas damnatorum pœnas apud inferos perferre.

Postquàm è carcere fuit eductus trahæ alligandus, atque ad supplicij locum pertrahendus, solicitatus à Magistratu, vt veniam peteret à Regia Maiestate, quam grauiter offendisset; respondit, se non ab illa, quam nunquàm offenderat, veniam petiturum. Ad quæ populus circumstans furere videbatur; minatusq́; est illi suspendium, nisi culpam agnoscens veniam peteret. Benè (inquit ille) habet; fiat voluntas Dei; video mihi moriendum esse, paratusq́ue sum libenti animo mortem obire; nam multò consultius est grauißima quæque tormenta in hac vita pati, quã ęterna ignis infernalis tormẽta subire.

Deductus tandem ad locum supplicij, & ex rheda in currum sublat', hęc verba dixit: *In manus tuas Domine, commendo spiritum meum.* Tùm Catholicos pręsentes rogauit, vt interim, dũ ipse diceret orationem Dominicam, salutationem Angelicam, symbolum Apostolorũ, Psalmos Miserere, & De profundis, vnà cũ Confiteor, illi dignarentur eius nomine easdem orationes Deo offerre. Deinde populum in hãc sententiam ex plaustro est affatus. Vos ego omnes, quotquot hodierno die pręsentes huic spectaculo interestis, testor, me Catholicũ esse & pro religione, quã deserere nolui, libentißimo animo, vitã & sangui-

nem profundere. Et propterea Deum Opt. Max. obtestor, vt pro sua singulari misericordia, mentes vestras illuminare velit, vti germani tandem Catholici effecti, viuatis, & moriamini in gremio sanctę matris nostræ Ecclesiæ Catholicæ & Romanę. Ad quæ populus: Abi, inquit, in malam crucem cum tua Catholica & Romana fide. Tùm petita venia, si quem offendisset, & peractis precibus suis rogauit Catholicos præsentes pro se orare, vt Christus per merita passionis suæ, animam ipsius ad ęternam gloriam acciperet, suspensus fuit, & simul magna hominum multitudo succlamauit: Domine, accipe animam eius. Vix semimortuus fuit ex patibulo deiectus, & eandem, quam cæteri solent, carnificinam subiuit. Dum carnifex viscera cum corde ipsius euelleret, fertur se nonnihil mouisse, & hæc verba protulisse: Ignosco Reginæ cęterisq; omnibus, qui causa fuerunt mortis meæ. Posteà, rumore satis credibili diuulgatum est quosdā ægrotos, reliquiarum huius sancti viri beneficio sanitatem recuperasse: & fertur, annis septem antè, cuidam honesto & spectato viro dixisse, se pro Catholica religione moriturum: sanguinem quippè martyrum debere esse semen Catholicæ religionis in Anglia restituendæ. Fuit vir iste ab ineunte ętate mirum in modum accensus amore Dei, vehementerq; detestatus est errorem eorum, qui existimabant Catholicos licitè posse accedere ad communionem & Ecclesias hęreticorum; Deique benignitatem mirificè prædicabat, quod ab hoc errore plures in Anglia Catholicorum mentes reuocasset, adeò vt non solùm huic errori constanti animo resisterent, sed suos etiam pastores, Episcopos, inquam, sanctos & confessores Christi, qui bonis omnibus spoliati in vincula coniecti essent, in hac fidei Catholicæ confessione imitarentur.



MARTYRIVM DOMINI CVTBERTI MAYNI SACERDOTIS occisi 29. Nouemb. Anno 1577.



ANno Domini 1577. Mense Iunio, Magistratus nobilium & famulorum choro stipatus, cum Cancellario pseudoepiscopi, quem Superintendentem vocant, ad ædes D. Tregiani, vbi D. Cutbertus erat, proficiscebatur. Quò postquam venit, ait se inuestigare D. Bour-

ngum

neum, qui crimine quodam commiſſo, Londino profugerit in Cornuualliam, & iam in eius domo latitare diceretur. Tregianus negat illum eſſe domi ſuæ, & iuramento confirmat, ſe neſcire vbi locorum deliteſcat, additq; ſibi valdè inhumanum videri, cùm homo nobilis ſit, domum ſuam, quàm inſtar arcis ſibi eſſe putaret, explorari; quare nullo pacto ſe id permiſſurum, præſertim, cùm nulla principis authoritate illud facere videantur.

Magiſtratus multitudine fretus animos ſumens, arrepto pugione iurat, ſibi nihil fore impedimento, quo minùs domum perſcrutetur; aut occiſurum, aut occubiturum, & ſimul in domum inuadés, primùm quidem prorumpit ad cubiculum Cutberti, cuius oſtium clauſum tantiſper verberauit, dum ipſe veniens aperiret: nam fuerat ille anteà in horto, vnde facilè potuiſſet aufugere. Quem cùm manu comprehendiſſet, tu quis es? inquit, reſpondit ille, ſe hominem eſſe. Tùm ira excandeſcens Magiſtratus interrogauit, num eſſet armatus, & ſimul aperiens thoracem, inuenit agnum Dei pendentem à collo, quo arrepto, eum vocauit proditorem & perduellem; deinde eum cum libris, chartis, & literis ad Superintendentem deduxit: (qui hominem varijs modis tentatum agnouit doctum eſſe, diligenterque in libris ſuis notaſſe multa) inde per varias nobiliũ domos ad Landſtone perduxit, vbi eum in carcerem compactum, non ſolùm compedibus crudeliſsimè onerauit, ſed etiam lecto cathenis adſtrinxit, & præterea mandauit, vt nemo permitteretur ad eum accedere.

Tribus circiter menſibus elapſis, duodecim viri ad iſtud negotium delecti, capitis hominem innocentiſsimum condemnauerunt, nomine quidem eo, quòd contra leges Regales, Bullam, grana benedicta, & vnum agnum Dei penes ſe habuiſſet, re autem vera quia Catholicus eſſet ſacerdos. Commiſſarius pro hoc palmario facinore in aula Reginæ, Equitis aurati dignitate fuit decoratus; mandatumque accepit, vt Cutbertum interficiendum curaret. *Crimina ob quæ Maynus occiditur.*

Triduo igitur ante mortem à famulo quodam admonitus, vt ſe præpararet ad extremum ſupplicium, magnas illi egit gratias, aſſerens ſi aliquid haberet tanto nuntio dignum, ſe libenti animo illi largiturum ob ſingulare illud beneficium, quod eo die ab ipſo acceperat. Hoc nuntio accepto, totum ſe ille dedit orationi & contemplationi rerum cœleſtium vſque ad mortem. Secunda nocte, poſt horam duodecimam, tanto lumine cubiculum, in quo verſabatur, fuit colluſtratum, vt captiui, qui in vicinis locis detinebantur, vehe-

menter mirarentur, quid hoc rei esset, cùm scirent illum nec ignem habere nec candelam.

Peractis omnibus quæ necessaria videbantur ad sancti viri executionem; ille trahæ fuit alligatus ad locum supplicij pertrahendus; verùm quò grauior foret pœna, corporisque concussio molestior, quidam ex Iudicibus admonuerunt magistratum, qui supplicio extremo ex officio præerat, vt permitteret caput martyris extra traham pendere, quo faciliùs ad maiora ipsius tormenta terræ alliderétur. Quòd cum audiuisset vir Dei, paratissimum se obtulit ad hunc patiendum cruciatum, sed noluit id permittere magistratus.

Vbi ventum est ad carnificinam, primò quidem flexis genibus diuinam opem implorauit: tùm deinde scalis innixus & laqueo collo inserto conatus est ad populum verba facere, sed non licuit illi per iudices. Ad extremum quidam ex iudicibus eum sic compellauit: Heus tu proditor & scelerate nequam, cùm iam extremum tuum fatum adesse conspicias, confitere nobis, vtrum Tregianus & Ioannes Arundellus conscij fuerint earum rerum, ob quas tu damnatus es, & si quid prætereà de illis nosti. Ille verò valdè mansuetè, ego, inquit, nihil de illis habeo, nisi quòd sint pij & boni nobiles. Res illæ, propter quas ego plector, mihi soli patent, prætereà nemini: quo dicto ex scalis deturbatus fuit, & quemadmodum cæteri, excarnificatus, partesque corporis ad varia oppida portis affigendæ transmissæ.

Illud hoc in loco obseruandum venit, quod cùm aduersarius D. Cutberto hanc obtulisset optionem, vt vel iuraret Reginam esse caput Ecclesiæ Anglicanæ, vel carnificinam communem subiret; acceperit Biblia Sacra in manus suas, librumque signo crucis munitum osculatus, dixerit Reginam, nec vnquàm fuisse, nec esse, nec in posterum futuram caput Ecclesiæ Anglicanæ.

VITA

VITA ET MARTYRIVM EDMVNDI CAMPIANI, SACERdotis Societatis IESV.



Natus est Edmundus Campianus Londini, quod Angliæ Metropolis, ciuitatumq; omniũ nobilissima atq; pulcherrima habetur, anno salutis circiter 1539. Vbi postquàm primæ ætatis annos superasset, & legitimam à parentibus educationem Londini consecutus esset, Oxonium tanquàm ad bonarum literarum mercaturam profectus, in Collegium D. Ioanni sacrũ adscriptus est. Charus ibidem & gratus admodum fuit D. Thomæ Vvhito equestris ordinis viro; cuius liberalitate & munificentia idem Collegium erectum atque ditatum fuerat; eiusdemque exequias diserta perpolitaque oratione latina cohonestauit; quẽadmodũ anteà in præclarissimæ fœminę Dominę Dudleę vxoris Comitis Lecestrię obitũ Anglicè perorauerat.

Campianus Londini nascitur.

Ad Oxoniensem Academiam mittitur, cum eximio eruditionis fructu.

Oxonij porrò studiorum curriculo emenso, vbi gradum suscepisset, & Academiæ publica munia, quæ solent eius conditionis hominibus imponi, summa cũ laude obijsset, importuna quorundam amicorum persuasione, qui gloriolam, & auram popularem eminùs ei conspiciendam, (vt fieri solet) præbebant persuasione victus, licèt nunquàm huius tempestatis nostræ erroribus totus addictus fuisset, se Diaconum iuxta nouam illam & è Caluini scriptis depromptam consuetudinem consecrari passus est: neque enim exploratum penitus habebat quàm inuisæ atque odiosæ Deo immortali essent hæreticorum sacræ functiones, & simulatæ huiusmodi sanctorum ordinum consecrationes.

Quæ dùm gererentur, iniecit illi frenum pro solita sua benignitate & clementia Deus omnipotens; eumq; ab incitato illo cursu quo ad gloriæ fastigium contendebat subitò reuocauit: ne tandem pręcipiti casu deuolueretur in profundissimam illam vitiorum voraginem, qua tàm multa. pró dolor, felicissima nostræ tempestatis ingenia infeliciter absorpta, vitiorum cœno immerguntur, in varias opinionum partes iactantur.

Nam cùm studia literarũ prosequens Hyberniam inuisisset (cuius prouinciæ historiam non minùs verè quàm eleganter cõscripsit) atque

Hyberniam inuisit eiusq; historiã scribit.

Duaci ad seminariũ Pōtificiũ admissus Theologiæ feliciter incumbit.

atq; ibidem seminarium Duaci pro Anglis excitatum intellexisset, confestim illúc aduolat, & magna cũ industria ac sedulitate in literas diuinas incumbit, vsq; adeò vt vbi anno feliciter transacto non vulgaris doctrinę specimen cùm in priuatis tùm publicis studiosorũ hominum concertationibus præbuisset, summa cum sui nominis totiusq; nationis Anglicę gloria Baccalaureatus gradum adeptus sit.

Grauiter affligitur ob gradum Diaconatus susceptum ab hæreticis.

Et licèt ab eo tempore, quo sacrilego ritu Diaconus ab Hæreticis creatus erat, ob scelus admissum magno distineretur dolore, ac propemodùm diuelleretur; grauiori tamen tùm luctu mœroreque diuexabatur, cùm morum integritate, singularique erga Deum religione feruentior, & rara eruditione maturoq; iudicio instructior euasisset. Quo factum est, vt hæc acerbissima sceleris recordatio animum eius ita torqueret, vt in doctissimorum hominum consilijs, & amicissimorum quoq; solatijs nequaquàm acquiesceret; donec tandem relictis mundi fluctibus ad tutissimum religionis portum, diuino numine adspirante pœnitentia crimẽ expiaturus appulisset.

Romæ ingreditur societatem Iesu.

Societatem igitur nominis Iesu, vt se laboresque suos Deo immortali consecraret, amplex' est; & cùm Romæ à Superiore eiusdem Societatis in numerum sociorum adscriptus esset, vno vel altero mense euoluto in Bohemiam se conferre iussus est. Itaque Pragam eius Prouinciæ Metropolim profectus & sacris initiatus, docendo, concionando, prima fidei elementa rudioribus explicando, quędam etiam conscribendo, ac denique pro Christi Ecclesia labores immensos subeundo, annos octo illìc transegit; tanta cum laude, vt non Principes modò viri, sed ipsa quoque Maiestas Imperatoria frequens eius concionibus adesset.

Mittitur in Bohemiam; ibiq; fit sacerdos, & egregiè in vinea Domini laborat.

Reuocatur ex Bohemia in Angliam mittendus.

Quod dùm illi qui probè Campianum norant aduerterent, eúq; in hæreticis ad saniorem mentem reuocandis, valere plurimùm intelligerent; factum est illorum opera vt Generalis societatis Iesu Præpositus, illum ex Bohemia ad afflictæ patriæ salutem, ac penè perditam Angliæ sacram Rempublicam erigendam sustinendamque reuocaret. Intellecto igitur hoc superioris sui mandato, longo itinere & magna viarum difficultate in Angliam contendit. Primùm enim Romam adijt; quòd prędictus societatis Prępositus hominem sibi de facie ignotum ante Anglicanam profectionem videre desideraret. Deinde Remos in Galliam profectus, Doctorem Alanum virum de Republica Christiana optimè meritum conuenit; multaque cum illo de patriæ salute contulit.

Remis agit cum Doctore Alano de Anglia inuâda.

Inter

Inter cætera verò cùm ab eodem Campianus peteret, Existimarétne fructus hoc calamitosissimo potissimùm Angliæ statu, tantis periculis partim impendentibus, partim etiã superatis fore pares; vel dignos potius tot tamque difficilibus hoc itinere molestijs subeundis; tùm, putarétne id incommodi, quod ij quos in Bohemia reliquerat ex sua absentia caperent, hac ratione compensari posse? huiusmodi præclarum sanè responsum accepit: Pater Edmunde, quidquid studij atque laboris in Bohemicam Rempubl. contulisti, hoc ipsum ab vno vel pluribus Societatis vestræ hominib⁹ pręstare posse persuasum habeas: taceo, quòd plus Angliæ, quã Bohemię, plus Londino, quãPragę debeas; quãquàm nõ parùm etiã gaudeã, tibiq; cõgratuler religionis illa damna, quæ nõ parua cùm pernicie Anglia nostra per alumnum suũ Ioannem Vvicleffum Bohemiæ quondã intulit, tua itidem Angli opera non parùm esse resarcita: quinetiam in animum inducas tuum, vel vnius animæ salutẽ tua industria atq; studio ab immortali Deo obtentam, omnes facilè quos subiturus es labores superaturam: adhæc, in spem inducor fore, vt quamplurimi mortales cura atque sedulitate tua Christo diuinoque cultui mancipentur, idq; faciliùs quòd Angliæ messem multò copiosiorem esse mihi persuadeam quàm sit Bohemiæ: hûc denique præmium laboris accedit amplius, atque illustrius; quia fieri potest, vt domi (quod haud facilè in Bohemia consequeris) pro fidei Catholicæ defensione & pijssimo studio suscepto, sanguinem profundas, & sic, quod viri fortis officium est, gloriosè pro patria occumbas. Quibus illi rationibus abundè factum est satis; vt frequenter, cùm harum rerum in familiari consuetudine mentio incideret, ipsum commemorantem audiuerunt nonnulli.

Alani præclarum responsum.

Ex libris Ioannis Vuicleffi Angli, Hussitarum hæresis in Bohemia exorta est.

Hæc igitùr vbi Remis peregisset, se dedit itineri, ac postridiè eius diei, qui D. Ioannis Baptistæ natalis est, anno 1580. Dorobernium feliciter appulit. Vbi cùm in exploratorum ac regiorum Satellitum manus nescio quo casu, delapsus esset; ab ijsdẽ ad horas aliquot detentus est; cùm enim multa de eo suspicarentur ad Regium illum ablegare concilium propositum habebant; nihilo secius tamen singulari Dei prouidentia laqueos eorum effugit, & è pręsenti periculo ereptus est; quò magis Christi nomen celebraret atque extolleret: quod quidem se præstitisse luculenter testatus est, dum annum adhuc strenui concionatoris munus obit; dum omne studiũ, laborem & industriam ad plurimorum hominum salutem conuertit; dum

Appellit in Angliam.

Capitur Doroberni, & dimittitur.

postremò sanguinem pro Christi nomine ciuiumque suorum salute libentissimè profundit.

Prima concio eius Londini habita.

Londinum igitur cùm peruenit, ipso die Diuis Petro atque Paulo gloriosissimis Apostolis sacro, primam ad populum concionem in frequentissimo nobilium virorum aliorumque non infimę conditionis hominum consessu habuit. Posteà verò, vbi nomen illius ob singulares animi dotes magis innotuisset, cùm Londini, tùm in alijs regni partibus auditores, qui & virtutis admirabilis, & eruditionis eloquentiæque fama permoti vndique ad eum confluebant, habuit frequentiores; adeò vt per eum Protestantium (quos vocant) plurimi, indolis tamen atque naturæ sedatioris, non rarò ad eius conciones audiendas admitterentur, easque tanti æstimarent, vt illos populares verbi ministros præ illo contemnerent.

Hospitio vtitur viri Primarij & suspitionē politiæ turbandæ verbis factisq; diluit.

Primùm post suum in Angliam aduentum, hospitalissimum habuit virum quendam primarium nobilitate, auctoritate, atque existimatione ornatissimum, qui cùm à nobili quodam viro Campiani duce accepisset eum esse hominem religiosum, qui multis annis apud exteros vitam egisset, Campianum ad rem totam latiùs & securiùs explorandam in secretiorem locũ abduxit, ac singulari cum prudentia & moderatione reditus illius in Angliam & accessus ad ædes suas causam efflagitauit, & num religionis nomine subditos ab obedientia Regiæ Maiest. abducere conaretur, explorauit: cui P. Edmundus vt faceret satis, rem totam ordine exponit, affirmatque Deo etiam præpotenti in testem adhibito, sibi nec demandatũ aliud, nec aliud esse propositum, quàm vt Catholicæ religionis Sacramenta administret, conciones habeat, ac populum pro virili viam salutis edoceat; seq; nec posse, nec velle Principis regniq; negotijs implicare.

Hic ille, vt erat egregiè Catholicus, Campianum amantissimè complectitur, eique tàm pium & salutarem aduentum ex animo gratulatur; tum familiarissima consuetudine inita re ipsa discit hominem non mundanis negotijs pertractandis, sed scholis, templis & suggestis natum esse, atq; sic quidem, vt ad has partes quàm cumulatissimè obeundas ab ipsa natura fictus formatusque esse videretur. Toto igitur quo in Anglia commoratus est tempore, semel minimùm quotidiè cõcionabatur; aliquoties iterũ ac tertiò, cũ res efflagitabat.

Quotidiè semel, interdũ bis et sæpius concionabat.

Qua Campiani singulari contentione, Deo aspirante, effectum est, vt in varijs regni prouincijs, quã plurimi homines cuiusuis conditionis, & in ijs viri ac iuuenes summæ nobilitatis permagno numero,

mero, tetris ac funestis fidei erroribus repudiatis, ad saluberrimum Matris Ecclesiæ Catholicæ gremium transirent. Neque verò timidè apud suos tantum sese continuit, sed in primo statim regni ingressu, aduersarios ad disputationem secum instituendam lacessiuit; huiusque rei causas partim tum edito scripto reddidit, partim etiam fusiꝰ atque copiosiùs in perelegantí illo & perpolito, quem ad Academicos misit libello posteà explicauit: quo sanè Protestantium concionatores, sacrisque præfecti, suam doctrinam & existimationem ita vulneratam, adeoque confossam senserunt, vt licèt centonem quendam varijs salibus iocisq; interfertum rudi Minerua aduersus eum cótexuissent; diffidentia tamẽ causæ suæ ducti, vehementer conciliũ regni concitauerint, vt statum quæstionis, qui in religionis controuersia versabatur, in principis causam & Reipublicæ negotium conuerteret; quò videlicet id quod eruditione Theologica defendere non possent, vi atque auctoritate Regia tuerentur.

tur, quã plurimi etiam nobilibus, ad fidem Catholicam cõuerfis.

Lacessit aduersarios ad dispuãdum, & scriptis editis oppugnat.

Protestantiũ Ministri causa sua diffidentes, conciliũ Regiũ in necem Cãpiani concitant.

Hinc varij actutùm sparsi rumores; ista summo Pontifici cum Principibus exteris esse fœdera, pactiones ad Angliam inuadendam esse sancitas, societatis IESV homines, & variorum seminariorum sacerdotes, quò viam aduenantibus sternant, remoueantque impedimenta, præmissos esse, & plura huiusmodi falsa atque fictitia, quæ ad imponendum populo, & infensissimum probis odium concitandum excogitata fuisse, nemo sanus est qui ambigat. Quinetiam id temporis maiori cura elaboratum est, vt eius generis sacedotes, maximè verò Campianus præhensus ad carceres damnaretur; quem, licèt vnum inter multa filiorum Ecclesiæ ibidem degentium millia, nec ordinis sui in Anglia primum, strenuum tamèn summi Pontificis propugnatorem, imò dexteram, (quod aiunt) manum appellabant.

Accidit tandem vt post XIII. ferè mensium labores in messe Dei colligenda fortiter exantlatos, scelere atque improbitate perditissimi cuiusdem Georgij Elioti cognomine, (horum enim opera ad affligendos euertendosque probos, & integræ vitæ viros mundus vti solet) post multas insidias, dolos, machinationes intentatas, Deo ter Opt. Max. permittente, XVI. Kal. Augusti in hostium manus incideret. Et quidẽ Georgius ille famulus olim fuerat D. Thomæ Roperi: deinde verò mensibꝰ ab hinc aliquot fœminæ cuidã nobili, quã viduã post se reliquerat D. Vvilhelmus Petri, Regiꝰ dũ viueret Secretarius, inseruierat. In quorũ familijs quamdiu versatus est, Catholico

Eliotus prodit Campianum.

more ac ritu se gessit: sed cum haud ita dudum cædem perpetrasset, eamq; ob causam de vita periclitaretur, metu perculsus in clientelam se contulit vnius ex eorum numero, quorum in regno prima habetur auctoritas. Quem vt insigni aliquo obsequio sibi deuinciret, spopondit se Edmundum Campianum ei in manus traditurum. Qua sponsione auidissimè accepta, mox ei socius additus est quidam è ministris publicis, ad quorum munus pertinet edicta regia in diuersas regni partes perferre, eademque obseruanda curare. Porrò vt negotium hoc publica auctoritate geri videretur, traditæ sunt eis literæ in quibus Reginæ nomine mandatum de Edmundo comprehendendo continebatur. Cùm autem homicidæ Patronus esset Caluinianæ sectæ perquàm studiosus, ingentibus promissis vtrunque etiam ampliùs extimulauit.

Cùm igitur illi Campianum perquisituri in comitatu de Barck, appropinquassent ædibus Domini Yates, viri & generis nobilitate, & fidei Catholicæ propugnatione clarissimi, cocum eius obuium habuerunt: qui nihil de Georgio suspicatus, quod aliquandò simul vni hero famulati fuissent, familiariter cum eo de multis rebus colloqui cœpit: hoc etiam addito, Edmundum Campianum eo ipso tempore apud herum suum versari. Georgius eo nuntio mirificè exhilaratus, mittit è vestigio comitem suum ad eius loci præfectum seu iudicem, hominem Caluinismo impensè deditum, vt confestim ad ædes Yates cum armata manu aduolet, Campianum ex edicto Regio comprehẽsurus; ipse interim à coco nec dum suspicante quidpiam, in ædes prædictas introducitur, vbi homo perfidus ac proditor, velut alter Iudas interfuit primùm quidem tremendo Missæ sacrificio, quod eo die à P. Edmundo peragebatur, deindè sacræ concioni eiusdem, qua disserebat de illis verbis Christi: Ierusalem, Ierusalem, quę occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, &c.

Dum hæc geruntur, ecce vir quidam bonus ad ædes accurrit, cum clamore admonens eos qui intus erant, vt ab instanti proditione sibi cauerent. Vix dum impedimenta, quæ ad sacrificij & concionis vsum pertinebant, submota erant, cùm Iudex gradum quàm celerrimè mouens, frequenti satellitio stipatus aduenit. Is, maiori parte suorum satellitum foris manere atque ædes circumcingere iussa, ne quis posset effugere, introgressus est: & cùm diù multumq; omnia conclauia, & alia loca secretiora fuisset perscrutatus, neque quod quęre-

quæreret inueniſſet, abire conſtituit: donec tandem ſiue à Georgio, qui forſitan id ex coco iam antè ſciſcitatus fuerit, ſiue ab alio quopiam admonitus, vt tenebricoſum quendam angulum obſeruaret (ita nimirum maioris boni ratione permittente DEO) vbi P. Edmundus vnà cum Domino Fordo & Domino Collingtono ſacerdotibus, tum fidei Orthodoxæ conſtantia, tum vitæ pietate præclaris, lecto cœlum versùs facie palmiſque erectis decumbebat. P. Edmundus cùm rem inter ſacrum ſaxumque verſari aduerteret, ſe paratum obtulit; ſocioſque rogauit, vt ſi propter ſe hanc inquiſitionem ſuſceptam putarent, bona ipſorum venia poſſet ſe captiuum tradere, quod ab illis nulla ratione conſequi potuit.

Per ſalutaris igitur pœnitentiæ ſacramentum vbi omnem offenſam expiaſſent, hanc ſibi mutuo in piam ſatisfactionem, pro temporis oportunitate, pœnam iniunxerunt, vt quiſq; tertiò ſaluberrima illa ex Oratione Dominica deprompta verba, Fiat voluntas tua, recitaret; ſimulque D. Ioannis Baptiſtæ auxilium in tam præſenti periculo tertiò imploraret: hunc enim glorioſiſsimum Chriſti præcurſorem, cultu atque veneratione ſingulari proſecuti ſunt, ideoque tunc maximè inuocarunt, quòd P. Edmundus ſe illius precibus, cùm Dorobernium appuliſſet, aduerſariorum manibus ereptum exiſtimaret.

Ad hunc ergò angulum cùm iudex acceſsiſſet, Campianum cum ſocijs eo quo diximus modo lecto decumbentem inuenit, iniectiſq; vinculis ſtatim conſtrinxit. Atque ita captus tunc fuit Campianus Deo ad maiorem ſui nominis gloriam permittente; ſed tantum abfuit, vt animum illius excelſum atque inuictum frangere vel debilitare potuerit audaciſsimorum hominum iniuria, vt ſingulari etiam patientia animique moderatione in verbis, vultu & geſtu in admirationem raperet hoſtium animos atque mitigaret, bonos verò non parùm recrearet & confirmaret. *Capitur Campianus.*

Cùm verò in præfecti comitatus de Barck cuſtodia biduò aſſeruatus fuiſſet, Londinum exindè vnà cum duobus ſacerdotibus, quorum mentionem fecimus, & alijs quibuſdam honeſtiſsimi generis hominibus, abductus eſt. *Londinum ducitur captiuus.*

In itinere varias, eaſque iucundas cum viris nobilibus diſputationes, aliaſque collocutiones inſtituit; varios etiam atque feſtiuos ſermones partim cum ijs, qui ſe captiuum deducebant, partim cum ijs qui amicitiæ vel curioſitatis gratia ſe inuiſebant, contulit: quò fa-

ctum est, vt omnium expectationi satisfaceret,& in admirationem sui plurimos traduceret. Non enim non admirari & obstupescere poterant ij,qui,cùm indignam inimicorum odio & proditione fortunam homines subire contingit, meritò illos pre nimia animi egritudine iucunditatis sensum omnem amittere existiment; hunc omnibus fortunæ telis, nocentissimorumque hominum insidijs obiectum non modò non miseria debilitari, verùm etiam animo læto persistere conspicerent.

Abingtoniæ cùm versaretur, frequens eò studiosorum numerus, vt tam illustris viri conspectu frueretur, Oxonio confluxit; quod cùm Campianus per quendam M. Liedcotum percepisset, gaudere se plurimùm affirmauit,eo nomine,quòd & in illa Academia literis operam aliquandò dedisset,simulque num se concionantem audire vellent,rogauit. Prandij verò tempore,cùm simul Eliotus ille proditor mensæ accumberet,in hæc verba prorupit: D. Campiane hilari vultu,me vno excepto, cæteros aspicis. Causam equidem scio:iam enim te mihi non parùm animo succensere, ob admissum facinus, existimo.Cui Campianus,tibi,inquit, Eliote Deus,eò quòd tam temerarium de me iudicium feras ignoscat velim: ego verò tibi facinoris illius veniam do lubens, & in eius rei testimonium hoc tibi poculum exhauriendum propino. Quinimò si sceleris admissi pœnitentia ductus, de eodem mihi confiteri animus fuerit, absoluã te quidem, pœnam tamen ob facinus à te perpetratum paulò grauiorem iniunxero.

Elioti ad Campianũ sermo.

Ignoscit Elioto Campianus.

Nec id leuiter prætermittendum existimaui, quod Henlei cùm essent, D. Filbio probatæ vitæ sacerdoti accidit ; nam cùm ad eam domum vbi Campianus erat se reciperet, ab exploratoribus interceptus est, & Campiani vinculis atque etiam neci,vt ex sequentibus constabit socius adiunctus.Cuius quidem rei præmonitus fuisse videtur huiusmodi quodam insomnio. Videbatur ei nocte quadam venter secari visceraque erui, tanta phantasiæ commotione, vt subita vociferatione omnes eò loci dormientes excitauerit, quam rem non fuisse inanem somnij ludificationem, euentus & Campiani sociorumque extremo supplicio edocuit.

Filbius Campiano vinculis & neci socius adiungitur in somnio præmonitus.

Iam captiui Londino facti propinquiores, indigniùs quàm antè tractati fuerunt. Præterquàm enim quòd omnium pedes ad equorum ventres adstricti, manusq; post tergum essent reuinctæ:singularem insuper Campiano infamiam, quæ nescio an ab hominum memoria

Indigna ini-

moria mortalium vlli ante conuictum ſcelus inflicta ſit, auctoritate concilij inuſſerunt. Mandarunt enim chartam eius pileo affigi, quæ maiori charactere expreſſa verba in hunc ſenſum contineret: *Campianus Ieſuita ſeditioſus.* Quo pacto imitati videntur Pilati nefarium in Seruatorem noſtrum facinus, cùm is in ſimili cauſa, nõ diſsimili ignominia, huius diſcipuli chariſsimum Magiſtrum, veſte regali, corona ſceptroq; inſtructum atque exornatum in medio inimicorum produxit.

miſerum in Campianum iniuria.

Ad hæc quò magis aduerſarij petulantiſsimam nocendi libidinẽ explerent; decretum eſt, vt magnam diei Veneris partem, totamque noctem Colbruckiæ captiui morarentur; vt inde omnes die Sabbathi per vniuerſam ciuitatem Londinenſem in triumphum duci poſſent: maximè verò per illa loca vbi propter mercatum illius diei celebriorem, maior concurſus populi fore putabatur, populo videlicet, vt placerent quas feciſſent fabulas.

Per Londinũ in triumphũ quaſi ducitur cum ſocijs.

Quæ omnia vt præſcripta & imperata erant, ordine geſta ſunt; vniuerſa propemodùm ciuitate ad ſpectandum effuſa. Et licèt rude imperitumq; vulgus nõ paruam inde caperet voluptatem, prudentiores tamen hinc nacti ſunt patentem mœrendi campũ, quòd Chriſtianorum illam manſuetiſsimam æquitatem & modeſtiam eo barbariei & immanitatis prolapſam conſpicerent, vt tàm probi viri, & ob ſingularem eruditionem apud omnes celeberrimi, innocentiſsima vita iniurioſè peſsimi quiq; abuterentur.

Cùm igitur ad crucem in platea, quæ dicitur Cheapeſide, deuentum eſſet, P. Edmundus eo quo potuit modo, (vinculis enim adſtrictus erat) crucis ſignum pectori impreſsit, & magna cum veneratione corpus inclinauit: quod rudi populo illius loci, & à pſeudoprophetis miſerè ſeducto non exiguam admirationem commouit. Eodem verò die, qui 11. Kal. Auguſti erat, perductus in arcem Londinenſem, cuſtodes carceris & eos à quibus eo vſque captiuus deductus fuerat, intrepido vultu ac generoſo pectore compellans, ait ſe multò grauiùs dolere ob illorum ſtatum longè infœliciſsimum ac periculi plenum, quàm propter quaſcunq; contumelias ſibi per viã illatas, aut quoſcunq; cruciatus, quos ſibi paratos eſſe nõ dubitaret. Atque ita arcis Præfecto traditus eſt: qui præter vſitatas illas alioqui grauiſsimas, quas carcer ſecum adfert calamitates, miſerias illi auxit, ſeu victus rationem, ſeu cuſtodię locum conſideres, idque ob inhumanam quandam feritatem & inueteratum in Catholicos odium.

Crucem palàm veneratur.

In carceribus Londinenſibus acerbius præter morẽ tractatur.

Poſt

Quæstionibus diris subijcitur.

Post varias autem inuestigationes, terrores & minas, partim ab ipso Regni Cancellario, partim à Conciliarijs atq; alijs vrbis admi-nistratoribus propositas; aliquoties in eculeo suspensus est, vt gra-uissimis tormentis excruciatum confiteri cogerent nomina eorum, quorum ædes frequentasset, à quibus sustentatus esset, quos recon-ciliasset Ecclesiæ, quid in Confessionibus (indigna res) audiuisset, quo tempore, qua via, in quem finem, cuius imperio in insulam ap-pulisset, qua ratione, quo in loco, per quem libros typis mandasset & sparsisset in vulgus; aliaque id genus plurima.

Quæstione læsæ Maiestat. falso impetitur.

Et prima quidem vice, qua in eculeum coniectus atque extensus est, non vsque adeò grauia adhibuêre tormenta, visi clementiores: vbi verò eum nulla ratione permoueri, vel tantillum sibi in religio-nis negotio (quod maximè exoptabant) concedere aduerterunt, op-timum fore consilium duxerunt crimina aliquot læsæ Maiestatis excogitare, ad quæ tanquàm ad normam & regulam certissimam, quæstiones dirigerent.

Hæc igitur vt à religiosissimo viro extorquerent, tanta crudeli-tate atque sæuitia duobus diebus in eculeo eum torserunt, vexarunt & distraxerunt, vt post cuidam amico clàm significarit, se tùnc pror-sus existimasse ijs supplicijs sibi animam ereptum iri; simul eidem quęstiones habitas aperuit; erant autem institutæ de auxilio pecunię pręstito Hybernis tumultuantibus, de conspiratione in Reginæ ne-cem, de Regno Angliæ inuadendo, de sententia literarum, quas ad egregium virum D. Pouund scripserat. Ad quæ omnia interrogata nihil, aut certè parum admodum à Campiano responsum est; tantũ fassus est misisse se librum suum Domino Richardsono; articulo-rum verò, de quibus in eodem libro disseruisset, exemplum misisse D. Poundio. Quæ quidem ideò confessus est, quod satis perspectum haberet, illos viros ita contra omnem aduersę tempestatis procellam Dei gratia confirmatos esse, vt nihil eis mali posset ex hac ipsius con-fessione prouenire.

Mendacia in illum sparguntur quasi prodidisset nobiles Catholicos.

Post P. Edmundum ad hunc modum quæstionibus tentatum, mox item eius socij diuersis seclusi locis examini subijciuntur; eo sanè artificio, vt maiore non possent; idque non semel, sed sæpiùs, ijs-dem quoq; interrogationibus subinde repetitis. Quòd si per fraudẽ ab ijs verbum aliquod extortum esset, quod quacunq; leui ratione vel coniectura rapi posset ad nobilis alicuius Catholici accusatio-nem, id verò supra modum exaggerabatur, pasimq; diuulgabatur;

calum-

calumniatoribus vulgò iactantibus, id profectum ex confeßione Campiani per quæstiones extorta.

Qua in re tanta fuit aduersariorum impudentia, vt eorum vnus, qui & Reginæ à consilijs erat, & auctoritate inter primos clarus, asseueraret cuidam equestris dignitatis viro (qui etiamnùm in vinculis tenetur: quoniam aduersus eum ex illo iam tempore per insidias & fraudes occasio captabatur, eum in vincula conijciendi) Campianũ inter quæstiones multa de eo confessum, quæ tamen huic viro ne in mentem quidem vnquàm venerant. Ita hoc sectariorum genus nihil pensi habet conscientiam, fidem, existimationem denique suam mendacijs turpiter coinquinare, dummodò sua speciosa videlicet instituta quomodocunque promoueat.

Cæterùm, Eques ille, tùm quod talium rerum, quantum ad ipsum pertineret, securus esset, recteque sibi conscius; tùm quòd de prudentia & constantia P. Edmundi nihil addubitaret, facilè fraudem illam à se remouit. Nihilominùs mendacißimum illud commentum, nempe P. Edmundum vi tormentorum adactum nobiles aliquot viros prodidisse, tantoperè vulgò inualuit ob summam Reginæ cuiusdam consiliarij authoritatem, vt planè, ac seriò paßim creditum fuerit, vsq; adeò, vt Catholicus quidam nobilis apud quosdam affirmauerit certò se intellexisse Campianum in quæstionibus cuncta quæ nosset esse confessum. Sed idem ille paulò post nimiam suam credulitatem amico cuidam suo ingenuè fassus est, quòd tam facilè in ea re se decipi passus fuisset ab aduersarijs. Eadem cogitatio ac metus inciderat alijs quibusdam Catholicis, ob falsum illum rumorem diuulgatum ac paßim receptũ, adeò, vt imputaretur Campiano incarceratio Baronis de Vaulx, nec non Dom. Thomæ Tresham & Guilielmi Catsbie, quorum vterque equestris ordinis erat. Igitur hac arte malignorum hominum effectum est, vt vir optimus, non modò famæ suæ detrimentum pateretur apud hostes religionis, sed & minùs benè audiret apud Catholicos. *Baro de Vaulx, & viri equestris ordinis incarcerãtur.*

Atque hæc causa fuit, vt D. Poundus, qui per idem tempus in vinculis agebat, per literas eum fuerit exhortatus ad constantiam, atque vt verum ac strenuum Christi confessorem piè consolatus; sed ita vt subindicaret se nonnihil tali rumore ad se perlato fuisse turbatum, atq; ex eo quæreret, nùm in tormentis ita cum eo actum esset, quemadmodùm rumor publicus ferebat. Has literas dum P. Edmundo cupit in manus tradi, ad id perficiendum sui custodis animũ tentat. *Scribit ad Campianum literas Dominus Poundus.*

P Is sol-

Is pollicetur eas se bona fide traditurum, prius tamen acceptis quatuor Angelotis mercedis loco: sed pacti parùm memor, præfecto carceris literas ostendit, quas ille deindè seu suo ipsius arbitrio, seu de mandato Regij Concilij, perferri iussit ad P. Edmundum, eique in manus tradi, perindè atque si à nemine lectæ fuissent.

Infidelitas custodis carceris.

Responsum Campiani.

Edmundus ad eas paucis respondit, significans neque fidiculas, neque vllum aliud tormenti genus apud se effecturum aliquandò, vt quicquam eloquatur, quod damnosum esse posit Ecclesiæ Dei. Hoc responsum literis commendatum peruenit in manus concilij Regij quod cùm illi perlegissent, ex eo suspicati sunt eum inter quęstiones quiddam suppressisse, quod fortè ad Regni totius statum momenti aliquid haberet: quapropter sibi in hoc incumbendú putarunt, vt certum aliquid ex eo cognoscerent; neque vllam prætermiserunt viam, qua id assequerentur.

Campianus verò de literis illis suam sententiam, cùm inter tormenta, tùm pro tribunali atque in loco supplicij explicauit. Quod verò ad alias quæstiones de criminibus constitutas attinet, etiam si distractum illum & dissipatum mille in partes dilacerassent, non ex sacratissimo illo atq; integerrimo pectore vel leuissimam criminis læsæ maiestatis suspitionem extorquere potuissent.

Ardentissimis precibus ad tormentorum patientiam se comparabat.

Porrò in more positum habebat, vt quotiescunque ad illius domus ostium, in qua iam iam torquend⁹ erat, peruenisset, genibus nixus se ardentissimis precibus misericordiæ diuinæ commenda et, eiusq; sanctissimum numen, quo & auxilium & patientiam in tormẽtis subeundis ab eodem consequi posset, imploraret. Similiter in eculeo suspensus, magna cum pietate atque animi lenitate Deum & sanctissimum nomen IESV perpetuò inuocabat.

Ignoscit hostibus et tortoribus pendens in eculeo.

Cùm verò corpus eius ita crudeliter atque immaniter in eculeo distractum, & à suis quasi membris auulsum esset, vt summis pedum manuumq; neruis tantùm hęreret: hic vir sanctissim⁹ ingenti charitate accensus tortoribus, suppliciorumque auctoribus iniuriam ignouit: imò carnifici, quòd lapidem dorso eius supposuisset, gratias egit. Indicauit prætereà carceris custodi, vltima illa in eculeo perpessa tormenta mortis suę prędudia fuisse. Interroganti postridie eidem, quomodò post tanta tormenta manus pedesque sentiret; ille, quòd omnem iam doloris sensum penitùs amisisset, non malè respondet. Quandò itaque omni vsu manuum pedumq; priuatus esset, se Elephanti, qui in terram prostratus surgere non potest, comparabat: deindè

Hilaritas eius & lætitia animi in pæna.

indè cùm tantas recuperasset vires, vt vtraque manu panem, quem comesturus erat, tenere posset, se cum Simia conferebat: sicque ad omnem patientiam, quæ malorum victrix esse solet, eruditus, maximam semper animi lætitiam cum corporis miserijs coniunxit.

Neque tamèn aduersarij hisce supplicijs adhibitis, inexplebilem illam nocendi cupiditatem exsatiarunt; verùm alijs quamplurimis tormentorum generibus excogitatis, clàm, (vt fertur) patientissimi viri corpus excruciarunt. Item ministri Londinenses petulanti ac maledica lingua, canum instar, probris omnibus atque maledictis in vnum congestis Campiano pro concionibus non tam oblocuti sunt, quàm oblatrarunt.

Ministrorum siue côcionatorum Londinens. mendacia impudentissima contra Campianum.

Nunc proclamabant spem positam esse apud multos, fore illum Protestantem (vt vocant;) nùnc fidei suæ ac religioni Catholicæ renuntiare velle, idque celeberrimo ad conciones habendas Londinensis vrbis loco, quem vocant crucem S. Pauli; nùnc Caluinianis interfuisse sacris; nunc in eculeo prodidisse quæ sciret omnia. Quorum mendacissimorum rumorum architectus erat Præfectus turris Londinensis, teterrimus Caluinista, idemque piorum hostis grauissimus. Qui quidem postquàm Campianum omnibus illis tormentis superiorem euasisse conspexit; pro virili contendit, vt eum vel blanditijs, vel dignitatis summæque gloriæ pollicitationibus, ad assentiendum quibusdam saltem Caluinianæ fidei capitibus adigeret. Hinc amplissimis verbis Campiani nomen sæpiùs efferebat, eumq; talem prædicabat, qualem Anglia nunquàm protulisse putaretur, & summa Dei benignitate contigisse, quòd in Angliam redijsset: nec dubitandùm, quin Regia maiestas illum ad amplissima sacerdotia sit promotura. Et ne res omni planè fuco destituta videretur, frequenter eorum Theologi, quò Campianus illis nonnihil cessisse videretur, vocati adfuêre, priuatimque omni conatu, vt vel exiguum illorum opinioni sectæque tribueret elaborarunt.

Præfecti arcis Lôdinens. fraudulenta insidiæ.

Quam viam cùm non ità facilem atq; expeditam cernerent, curarunt sedulò, vt quoniam anteà ad disputationem instituendam publicè à Campiano lacessiti fuerant, non omninò refugere ac tergiuersari viderentur. Res sanè noua atque insolita, & longè diuersa ab eorum côsuetudine, qui olim martyres Christi persecuti fuerût. Nam illi primùm verbis & disputatione seruos Christi aggrediebantur: qua via si min⁹ proficerent, tùm demû ad torméta & supplicia eis infe-

Disputatio Caluinianorum

Theologorũ aduersus Cãpianũ iniquè prorsus instituitur, cum magno tamẽ eorum dedecore.

inferenda confugiebant: isti verò contra, Campianum ex tormentis, quibus præter omne meritum suum miserè excarnificatus fuerat, etiamnum penè semimortuum ad disputationis certamen prouocant; arbitrantes vi malorum, quæ pertulerat, nõ solùm corpus ægrè affectum esse, sed insuper vigorem animi ita oppressum, ac memoriam perturbatam, vt ad disputandum ineptus planè futurus esset, aut certè adeò imparatus ac malè instructus, vt facilem sibi victoriá de eo polliceri possent. Cæterùm ille, qui suis os & sapientiam subministraturum se promisit Christus Dominus, militi suo assistens, tantum pudorem aduersarijs eius iniecit, vt versutissimum quemque eorum huius susceptæ concertationis vehementer pœnituerit.

Auctor historia testis disputationis oculatus.

Illis sanè, qui Campiani gesta magna ex parte literis designarunt, Dei gratia concessum fuit, & si non absque periculo & difficultate, toti huic disputationi, quæ in turri Londinensi habita est, testibus non auritis modò, sed & oculatis interesse. Audiebant equidem P. Edmundum ea facilitate ac promptitudine, quæ ab illis argutè & subtiliter obijciebantur, dissoluentem, vt ipsorum opinione mortalium nemo pleniùs satisfacere posse videretur, id quod ipsi scriptis editis attestantur. Qua in re vir pius tam insigni vtebatur modestia simul ac patientia, ad illorum contumelias, scommata ac ludibria, quæ eius farinæ homines sacris disputationibus & sermonibus miscere solent, toleranda, vt complures ex auditoribus, atque inter eos etiam nonnulli qui religionis causa malè in eum affecti erant, non parùm hanc in eo virtutem mirarentur.

Cãpiani mira in disputãdo modestia.

Disputationis tempus.

In dies quatuor instituta fuit disputatio: idque ante meridiem ab hora octaua vsq; ad vndecimam, ac rursùm ab hora secunda pomeridiana vsque ad quintam producebatur. Conditio porrò Campiano præscripta longè fuit iniquissima; vt nimirùm non liceret ei quidquam interrogare, neque obijcere aduersus eorum placita, sed tantùm ad argumenta & obiectiones aduersariorum respondere. Fuerunt autem, qui cum eo disputationem inierant, Decanus Ecclesiæ S. Pauli Londinensis, Doctor Daius, itemque Vvitakerus, & alius quidam Beelus cognomine: ex quibus Vvitakerus per idem tempus scriptum quoddam adornabat aduersus librum Campiani; quod posteà in lucem editum est: sed facile cuique eum librum, vel confutationem eius à Ioanne Duræo societatis Iesu scriptam legenti, intelligere licet, qua inscitia atque impudentia sit ab eo responsum. Ex parte altera M. Scheruinus & Bosgrauius cum nonnullis alijs

Conditio iniquissima.

Persona.

Ioannes Duræus Scotus, Societatis Iesu, librũ Vui-

alijs aderant Campiano: quanquàm huic ſoli cum Scheruino facta erat poteſtas loquendi. Inter auditores aderant, præter alios nobiles, aliquot viri Catholici, qui in eodem carcere captiui tenebantur.

takeri contra Campiani rationes editā confutat.

Vt autem Campiani eximia in diſputando modeſtia & aduerſariorum contradica x petulantia magis eluceſcat, vnum vel alterum eius exemplum adſcribere non grauabor. Contigit inter diſputandū aduerſarios corruptè quendam ſcripturæ locum allegare: cuius rei à Campiano admoniti, proferri iubent Græca Biblia; allatus eſt codex Græcus, ſed paris fidei, nihiloque ſyncerior. Cùm igitur Edmundus locum citatum ex eo codice legere recuſaret; illi, vt ſunt ad iudicandum temerarij, continuò opinati ſunt eum ne legere quidem Græcè noſſe: quare eum deridere, adeoq; ſeriò triumphare cœperunt, atq; apud vulgus eum traducere, velut Græcarum literarum imperitum, ac ſubinde per ludibrium ſuo more repetere illud vulgatum, Græcum eſt, non legitur.

Cāpiani modeſtia & petulantia aduerſariorum exemplum.

At ille ſecum æſtimans hanc qualem qualem ſuæ exiſtimationis iacturam ad ſummam cauſæ quàm minimum pertinere, haud ægrè eam tolerauit; ſperans interim ratione ſimili interuenturam vltrò occaſionem maculæ huius pertenuis facilè detergendæ; quemadmodum etiam paulò poſt accidit. Nam in progreſſu diſputationis, aduerſarijs cum immodica exultatione, temerè & ſine ordine ad diſceptandum cum eo ſe ingerentibus, contigit proponi quendam locum ex ſcriptis S. Baſilij: cuius gratia poſt aliquantam altercationem allatus eſt Codex Græcus eiuſdem auctoris, cumque illi iam perſuaſum haberent Campianum linguæ Græcæ prorſus eſſe ignarum, codicem ei exhibent ſatis petulanter, inuitantes tantùm vt legeret locum deſignatum, ſi quid Græcè noſſet. Ille accepto libro primùm legere cœpit verba Græca, idq; clara voce & inſigni quadam vultus modeſtia: deindè eadem fideliter Anglicè reddidit; hoc vnum adijciens; vos ipſi mihi teſtes eritis, me legere poſſe literas Græcas.

Poſthæc incidit controuerſia de ſententia Lutheri ſuper auctoritate epiſt. Catholicæ S. Iacobi Apoſt. quam ille impiè reſecat de canone ſcripturæ ſacræ, ſtramineam eam appellans epiſtolam. Et quia ſcripta Lutheri, quibus Angli vtuntur, à poſterioribus ſectarijs recognita, iterumque excuſa diſcrepant ab ijs, quæ primùm edita fuerant; allato codice, & loco quem Edmundus quærebat, non inuento, mirum quàm aduerſarij magnificè triumpharint. Quibus ille ſolummodò reſpondit, recentiores dogmatiſtas ſententiam de qua quæ-

ſtio erat inde ſuſtuliſſe; vt multas alias ex Lutheri & Caluini ſcriptis quòd eas ſuæ ſectæ minùs congruere intelligerent; idq́ue facilè conuinci poſſe ex ijs exemplaribus, quæ primò omnium in Germania prodijſſent.

Hæc etſi ita habere illi non ignorarent, tamen ne hîc quidem eis quod dicerent defuit proteruè eum irridentibus, velut qui libros aut aliud quodcunq; ſubſidium è Germania expectaret. Atque hic fuit exitus huius diſputationis. In qua licèt Edmundus abundè præſtiterit, quidquid in homine doctiſsimo deſiderari poteſt, idq́ue ea modeſtia, qua hominem & Chriſtianum, & Religioſum, & Chriſti Confeſſorem eſſe præditum oportet; tamen totam defenſionis laudem aduerſarij contulerunt in Scheruinum. Quod quidem profectum eſt ex odio ſingulari, quo in Campianum flagrabant: haud ſecus, atque olim Phariſæi titulum Meſsię transferre voluerunt ad Ioannem Baptiſtam, nõ tam quod ei benè vellent, quam quod Chriſtũ odiſſent. Quanquàm non negamus, imò veriſsimè teſtamur Scheruinum fuiſſe hominem eruditum cum primis & in diſciplinis optimè verſatum.

Campiani ob diſputationẽ laus.

Quod autèm ad Campianum attinet, ita ab eo in illa diſputatione habiti ſunt eius aduerſarij, vt conſilium cœperint deinceps cum nullo Ieſuita ampliùs de religione diſputandi. Nam cùm illi nihil in ea præter odium quoddam barbaricum, improbitatem, & ſummam rerum diuinarum ignorantiam oſtendiſſent, vt auditores meritò ſuorum puduerit: ex aduerſo, tanta in Campiano tùnc temporis potiſsimùm virtus eluxit, vt eximiam illius eruditionem, manſuetudinem, patientiam, & animi ſubmiſsionem aduerſarij ipſi plurimùm ſint admirati. Sunt verò hæ diſputationes (vt fertur) ſuo tempore in lucem emittendæ, & fortè iã pridèm typis mandatæ fuiſſent, nî difficultas & periculum imprimendi, prælorumq́ue paucitas, & quam plurimi alij, q iã ab Anglis Catholicis cudũtur libri impediuiſſent.

Porrò aduerſarij, cùm hac via nihil promouiſſent, adeoq́ue cauſam ſuam reddidiſſent deteriorem; tandem ſuo crudeli ac fero ingenio conuenire iudicauerunt, vt ad extremum actum ac totius tragœdiæ cataſtrophen progrederentur; id eſt, vt viros longè innocentiſsimos morte mulctarent.

Sed cùm non eſſent neſcij tàm inhumanum ac barbarum facinus ſpecioſo aliquo prætextu velari oportere; mirum, quàm ſe torſerint, vt huic ſuæ machinationi titulum aliquem reperirent. Tandem viſum

Status accuſationis mu-

ſum eſt omnium ſententia captiuis iſtis nihil eorum obijciendum, quæ ex more alijs Angliæ Presbyteris pro crimine obijci ſolent; velut, quòd confeſsiones pœnitentium excepiſſent, eoſque Eccleſiæ Catholicæ reconciliaſſent; quòd Miſſæ ſacrificium feciſſent, aliaque ſimilia. Etſi enim eos, qui talia faciunt, iniuſtiſsimæ illorum leges læſæ Maieſtatis condemnent, tamèn Catholicorum numero, benignitate Dei, per Angliæ Regnum indies creſcente, huiuſmodi accuſationes odioſæ magis ac magis apud vulgus efficiuntur.

Iacitur; mutata cauſa religionis in crimen læſæ maieſt.

Fuit & aliud, quod eos ab hoc accuſationis genere reuocaret; nimirum inuidia, qua concitabantur aduerſos amicos Dei, ne hoc pacto gloriam Martyrij conſequerentur. Propter has cauſas placuit eos agi reos perduellionis, velut proditionem contra Regiam Maieſtatem machinatos. Quod vt probarent, aſſirmabant hoſce captiuos Sandero, alijſque in Hybernia contra Reginam bellum gerentibus tranſmiſiſſe collectam à ſe pecuniæ ſummam, ad tricies mille libras monetæ Anglicæ. Quæ quidem ſumma æſtimari poteſt ferè ad nonaginta millia coronatorum Gallicorum.

Accuſatio falsò inſtituitur de ſubſidio pecuniario hoſtibus Reginæ trãſmiſſo; ſed quod probari nõ poſſet, deſeritur.

Hæc accuſatio principiò viſa fuit perquàm opportuna, qua & innocentia militum Chriſti opprimeretur, & vel ipſis Catholicis exoſa redderetur eorum memoria, nominatim quidem Campiani; quaſi ſe negotijs inſeruiſſet ab inſtituto ſuæ profeſsionis (quippe qui eſſet ſocietatis IESV) adeò multùm alienis: generatim verò omniũ, quòd tam propenſos & liberales ſe præſtitiſſent erga hoſtes patriæ.

Verùm omnis hæc fabula ijs, qui iuris aliquam cognitionem haberent, adeò improbabilis deprehenſa eſt, vt ab eo commento planè diſceſſum fuerit; quòd impoſsibile videretur, etiàm in quantacunq; corruptela & impudentia teſtium, crimen illud probari iuxta circumſtantias omnes, quas leges Anglicanæ poſtulant: quales ſunt; Quo loco tota ea pecuniæ ſumma collecta fuerit, quis eam receperit, quis in Hyberniam deportauerit, tùm quinam homines ad tam grandem ſummam contulerint, aliaq; eius generis permulta.

Propter hæc, viſum eſt aliud crimen excogitare: de qua re, cum multùm ac diù in Concilio diſceptatum fuiſſet, tandèm placuit tale quid ijs imponi, cuius vel ſola ſuſpicio immenſum captiuis odium apud omnes conciliare, omniumq; animos ab eis vehementer alienare poſſet: vndè fieret vt ne illi ipſi quidem, quibus horum perſpecta ſatis eſſet innocentia, audeant verbo, vel facto, vel vllo alio indicio commiſerationem erga eos aliquam declarare; ne fortè eiuſdem criminis quoquo pacto ſuſpecti habeantur.

Alia accuſatio confingitur, lõge iniquiſsima.

Hoc

Hoc inito consilio, accusatio aduersus eos talis instituitur: Eos Romæ & Remis Campaniæ pari studio & coniunctis animis in Reginæ mortem conspirasse; tum Principes exteros ad occupandum Angliæ regnum inuitasse; denique Anglicanum populum ad rebellionem concitasse. Dum igitur hanc rem consilijs suis accommodatissimam, & Anglicanis auribus admodùm ingratam excogitant; offerunt se ex improbissimorum hominum numero tres vel quatuor, fide nulla, nulla integritate; qui idem Maiestatis crimen in iudicijs iactare, commemorare in senatu, & iureiurando confirmare non dubitarunt; cùm nec Campiani notitiam haberent vllam, nec vnquàm illum vidissent antè, quàm in aduersariorum manus deuenisset.

Cæterùm; (vt genus hoc hominum callidum est & versutum) ne omnes illæ machinæ, doli atque fallaciæ iam in illum fabricatæ, solùm anteactæ vitæ rationem impugnare viderentur, fraudulenter admodùm conati sunt interna animi eius sensa, cogitationesque circa res futuras, per certas quæstiunculas, (quæ omnes ad Bullam excommunicationis, vt vocant, à Pio V. Pontifice Max. in Reginam Angliæ pronuntiatam, vel aliam quamcunque in posterum publicandam dirigebantur) extorquere: vt in quem manifestæ criminationis tela defigere propter vitæ innocentiam non possent, hunc si internas animi affectiones proderet, amentatis traiectû iaculis prosternerent.

Conscriptus itaq; est libellus accusatorius, tùm in Campianum, tùm in alios quamplurimos eruditione, & morum integritate conspicuos sacerdotes. Is omnium accusationem summatim complectebatur, vt quidquid de vno vel altero subdolè atque fucatè dici posset, id ad omnes spectare videretur. Atque cùm ad hunc modum calumniæ compositæ essent, & falsis ac subornatis testibus diligenter instructæ; feria tertia, qui erat mensis Nouembris dies 14. producuntur rei ad tribunal iudicum in aulam nomine Vvestmonasteriensem.

Tribunali sistuntur.

Ibi de more primùm recitantur eorum nomina, quomodò hîc subscripta sunt, Edmundus Campianus, Radulphus Scheruinus, Lucas Chirbæus, Iacobus Bosgrauius, Cothamus & Ionsonus, Presbyteri omnes: item vir quidam nobilis, Orthonus cognomine. Ex his Bosgrauius & Cothamus erãt vnà cum Campiano ex societate IESV. Post hos ex alio quodam carcere productus est Edouardus Richtonus. Hac nominum recitatione facta, lectæ sunt conscriptiones criminum, quas Angli sua lingua vocant, Inditement.

Nomina martyrũ; ex quibus tres fuerunt societatis IESV.

Accu-

Accusationis autem hæc præcipua erant capita: Quòd anno XXII. regni suæ Maiestatis, vltimo Maij, in transmarinis regionibus pestem atque perniciem Angliæ regno essent machinati: Reginam sedibus regnoque exturbare cogitassent, bellum intestinum atque insidiosum comparassent, vastitatem denique Angliæ vniuersæ, exterorum Principum implorato auxilio, adferre proposuissent.

Quibus peractis, postquàm rei singuli (prout habet illius Iudicij consuetudo) breuiter de criminibus obiectis se purgassent, negantes se iustè ac meritò talium facinorum agi reos: Campianus pro consuetudine recepta, manum vnà cum reliquis eleuare iussus est. Verùm quòd ex tormentis illatis brachia confracta & pelliceis inuoluta manicis gestaret, idem cum cæteris, vt exigebatur, præstare non potuit. Quare de socijs vnus, sacras eius manus pro Christi nomine hûc in modum contortas, priùs deosculans, manicas exuit, atque ita manum in sublime tàm altè quàm potuit sustulit, simulque se innocentem & integrum vnà cum alijs pronuntiauit. Nec vlla Ecclesiasticorum hominum priuilegia, quo se purgarent, in medium attulerunt, quòd hæc in tam iniquo iudicio minimè locum habitura perspicerent, sed ad communem patriam Angliam, & Dei tribunal appellarunt.

Ecclesiasticorũ Priuilegia locum non habent in Anglia.

Campianus quidèm in hanc sententiam pro se apud iudices locutus est: Coram Deo profiteor & Angelis eius, coram cœlo, terraq;, coram mundo, & hoc cui adsto tribunali, (quod exiguam mihi horribilis istius iudicij speciem post absolutum hunc vitæ decursum impendentis repræsentare videtur) me nec criminis læsæ Maiestatis, nec perduellionis, nec vllius in patriam coniurationis esse reum: imò nihil eorum, quæ publica iam denuntiauit actio, à me commissum esse; nec fieri vllo modo posse, vt rationibus ex præsenti accusatione petitis, me conuincere vel falso iudicio opprimere valeatis.

Campianus suam innocẽtiam contestatur.

Deindè cum omnium admiratione, & indignatione zelosa vocem extulit, in hunc modum locutus. Estné in hac amplissima vrbe, vel florentissimo regno viros inuenire duodecim tam iniquos & profligatæ conscientiæ, qui nos omnes simul huiusce criminis reos esse iudicent, cùm nulla vitę consuetudo, aut familiaritas vlla priusquàm in hunc locùm adducti essemus, inter nos viguerit?

Ad hæc cùm eodem tempore seorsim à singulis, cuius iudicio stare vellent, rogaretur, respondit strenuus ille Christi martyr Scheruinus, trabe interim sibi obiecta magno animo apprehensa; Dei præ-

Scheruini responsio.

 poten-

potentis, totiusque patriæ iudicio se stare velle; idque omnibus tàm quæ in cœlo, quàm quæ in terra, à diuino vel humano ingenio excogitari possent testimonijs fretum asseuerare: tùm libera voce addidit, reuerà causa tantùm religionis se cum socijs ad Tribunal protractum esse, non autem ob crimen aliquod læsæ Maiestatis: quamuis ab aduersarijs hoc titulo res tota celaretur.

Duodecim viri assignãtur, qui de criminibus inquirant.

Interim mandatur pro more duodecim quibusdam viris ad hoc designatis, vt Lunæ proximo, qui 20. Nouemb. erat, ad Iudices suam de reis sententiam referant; sed tres de illorum numero primarij, ijque nobiles, conscientia procul dubio reluctante, tempore definito non comparuerunt; timentes ne iustitia in causa eorũ, quorum sanguinem tàm auidè sitirent aduersarij, violaretur. Et primæ quidem dici actione finita, Campianus cum socijs ad carceres reducitur.

Nomina eorum, qui altera die producebãtur ad tribunal.

Postera autem die producuntur ad Tribunal alij quidam, quorum hęc nomina: Ioannes Colintonus, Laurentius Richardsonus, Ioannes Hartus, Thomas Fordus, Guilielmus Filbius, Alexander Briantus, Ioannes Schertus, omnes item Presbyteri: quibus tametsi prorsus ab omni culpa liberis, eadem quæ superioribus obiecta sunt crimina. Sed & hi suam innocentiam publicè protestati, atque ijs quæ imponebantur iustissimè reiectis, in custodiam remissi sunt.

Campianus cum socijs iterum sistitur tribunali.

Prohibetur, ne popul' accedat ad tribunal sentẽtiam auditurus.

Insolitus modus procedẽdi suspectus omnibus bonis & prudentibus.

Feria secunda proximè insequenti, hoc est, die 20. Nouembris, denuò citati tribunal accesserunt: quo tanta hominum multitudo contra legem hac de re latam confluxit, quantam nec nostra, nec patrum memoria, ne in maximi quidem Principis accusatione damnationeq; conspicere licuit: nec tantùm ex infima plebe hæc multitudo collecta erat, sed ex ijs quoque viris, qui auctoritate, prudentia, honoribus, opibus, dignitatis splendore cæteris præstabant. Expectatione verò plena erat concio de tam incerto tragœdiæ euentu: iàm enim insolitam illam examinandi rationem, & in eculeo perpessa tormenta; iàm nouum disputandi ordinem, & intortas illas fraudis versutiæque tendiculas; iàm summam in falsis testibus subornandis calliditatem, omnia denique ab ijs turpiter administrata, tanquàm in scænam producta cuilibet intueri licebat.

Plurimi igitur diligentissimè secùm rem omnem expendunt; & dum præsentem Reip. statum ob oculos ponunt, periculum facere student, consistat ne in Anglia, vel adhuc supersit antiquus ille legum honor iustitiæque dignitas, quibus Anglicana gens olim, omni libidine dominandi atque licentia nefaria in exteras orbis regiones

longiss.

longissimè repulsa, præ cæteris floruisse atque eminuisse videbatur: alij etiam sedulò explorant, nùm inter viuos aliquis adhuc Markamus inueniretur, qui pileum illum forensem, quo Iudex indutus erat, exuere, officio se abdicare, atque adeò vitam ipsam profundere maluit, quàm in eos sententiam ferre, quos vel conscientiæ testis locuples, vel inuicta veritas, omni prorsus scelere absolutos pronuntiabat. *Markami Iudicis laus.*

Sed dies illa, illa inquam dies, non præsenti multitudini modò, sed & vniuerso terrarum orbi luculentissimè significauit, vnà cùm Catholica religione omnis iustitiæ, legis, conscientiæ habenas & repagula in Anglia laxata esse atque conuulsa. Nihil enim à Regio procuratore, nihil ab vllo consiliario, vel eius ordinis hominibus, nihil ab ijs, qui quæstionibus tormentisque intererant, nihil deniq; ab ipsis corruptis testibus ad institutam accusationem confirmandam allatum est, quod incorruptam cuiusquam conscientiam perturbare, imò vel minimum etiam scrupulum eidem inijcere posset. *Vnà cum religione Catholica, iustitia pulsa ex Anglia.*

Siquidem testes producti qui aduersus innocentes testimonia dixerant, Georgius videlicet Eliotus, cuius initio meminimus, Crodocus, Sledæus, Mundæus & Hyllæus, omnes erant abiectę conditionis, atque infimæ sortis homines, & qui animam pretio venalem haberent: cæterùm in contexendis mendacijs adeò probè exercitati, vt ad eam rem nati & educati videri possent. *Testes producti contra martyres, homines fuerũt infames.*

Crodocus affirmabat se, quo tempore Romæ tenebatur in vinculis, ab Anglo quodam fuisse visitatum, qui diceret ipsum fortunatum esse, quòd etsi captiuus in extera regione detineretur, tamen quàm longissimè semotus esset à patria sua, in qua breui maximi tumultus exorituri essent, non sine ingenti cæde & sanguine. *Crodoci accusatio.*

Eliotus asseuerabat presbyterum quendam cognomento Paynum (qui etiã id temporis vinctus seruabatur in turri Londinensi) aliquoties ipsi declarasse conspirationem Catholicorum, qua constitutum esset, vt 50. viri sub vestibus armati, & sclopis instructi in Reginam impetum facerent, eamque cum Comite Lecestriæ, Thesaurario & Secretario Vvalsynghamo trucidarent: idq; eo tempore, quo illa, prout aliàs facere consueuerat, regni partem aliquam inuiseret animi recreandi causa. Qua re confecta, quendam primæ nobilitatis virũ, alta voce exclamaturum, viuat Regina Maria. Cęterum, quis ille nobilis esset, à presbytero cognoscere se non potuisse; nec mirum sanè, cùm res esset commentitia. *Elioti testimonium.* *Reginã Scotiæ petunt Caluinistæ Angli.*

Q 2 Sledæ-

Sledei hypocrisis. Sledęum, quò suam personam ageret conuenientiùs, non puduit allegare publicè turpissimam ac detestabilem suam hypocrisim. Fatebatur enim se, quamdiù cum suis conterraneis Remis in Gallia egisset, Catholicismũ callidè simulasse, ac religiosum vultum ac mores prætulisse; interim verò tacitè intentum in actiones singulorum, ea diligentia, vt de ijs etiam commentarios facere posset. Mundæus denique perpauca habuit quæ diceret.

Mundæus nõ habuit multa quæ obijceret.

Cùm testes omnes auditi essent, assurrexére qui Reginæ nomine aderant; nimirùm duo aduocati, Andersonus, & Pophamus, quem prophanum veriùs dixerim, quippe meritò reponendus in numero sceleratissimorum hominum, quos terra sustinet; qui si post captiuorum quæstiones, quibus præsto fuerat, suo voluisset officio satisfacere, & secundùm allegata & probata causam tractasset, iustissimè profectò apud iudices reorum innocentiam asserere potuisset, atque instanter postulare eos ab omni crimine absolutos dimitti: cum ijsdem ilicò surrexit & Egertonus actor Regius: Et hi quidem vna voce ac pari consensu viros innoxios capite damnandos concluserunt.

Andersonus & Pophamus aduocati Regij.

Egertonus actor Regius.

Interim obiecta crimina cùm cæteri omnes sigillatim, tùm Campianus potissimùm tam clarè atque perspicuè, quàm hunc solem lucere constat, falsa esse edocuit atque demonstrauit. Cuius profectò innocentia eiusdemque defensio, vsq; adeò luculenta visa fuit omnibus, vt quæcunque tandem alios damnandi ratio iniri posse videretur; in Campianum nullam omninò excogitari posse omnes existimarent. Hinc illud etiam post duodecim virorum decessum, ab hominibus omniũ disciplinarum & iuris ciuilis eruditissimis, iudicium latum est, fieri non posse, vt Campianus vllo conuictus iudicio, capite damnetur; quanquàm per consequentiam aliquam cæteros reos declarari posse arbitrarentur.

Omnium bonorum iudicio Campianus innocens declaratur.

At Campianus fuit, pro quo digladiabantur aduersarij, quemq; quasi morti consecrarant anteà atque deuouerant; & eius causa cæteros omnes. Quare infelices illi duodecim viri quod à se expectari putabant, præstiterunt; omnesq; reos (quod Pophamus anteà omninò fieri debere significarat) pronuntiarunt; atque ita sententiam, si vnquàm aliàs in Angliæ regno lata fuit iniusta, hanc iniquissimam profectò tulerunt: cuius indignitatem etiam nunc temporis boni omnes non in Anglia solùm, sed etiàm per totum Christianum orbem admirantur; nostraq; posteritas procul dubiò deflebit, ac erubescet re penitiùs perspecta.

Iam anteà statutum fuerat Campianum cum socijs occidendum, quàm duodecimviri proferrent sententiam.

Hæc

Hæc vbi gesserunt duodecim viri, Iudex supremus reos fertur interrogasse, num quid haberent, quod in defensionem sui diceret, quo minùs ipse eandem quoque proferret sententiam. Cui Campianus respondit, nihil aliud, quàm se à Deo immortali precari, vt tùm ipse, tùm accusatores, & cæteri omnes aduersarij in die seuerissimi iudicij mitiorem audirent sententiam.

Tùm Iudices hanc protulere mortis sententiã: Ad locum supplicij pertrahũtor, viscera illis eruũtor & in partes prout crimẽ lęsę maiestatis efflagitat, dissecantor. Qua sententia pronũtiata P. Edmundꝰ hilari vultu, & clara voce pro tanto beneficio Deo gratias agens: Te Deum (inquit) laudamus, te Dominum confitemur, &c. Scherwinus etiam, Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea; Briantus autem sententiæ iniquitatem considerans, ad summum iudicem appellauit his verbis: Iudica me Deus, & discerne causam meam de gente non sancta, &c. Atque ita ingenti animi alacritate discedunt à conspectu concilij gaudentes, quòd digni habiti essent pro nomine IESV contumeliam pati.

Mortis sententia.

Gratias agũt Deo martyres, quod morti sint adiudicandi pro eius nomine.

Sed antequàm discederent ex eo loco, P. Edmundus ita est populum allocutus: Audistis nos tanquàm reos lasæ maiestatis condemnari: sed quàm id meritò factum sit, vos ipsi cogitate: nam si ego tot modis læsissem Reginæ maiestatem, nequaquàm illa & Senatus Regius mihi non modò vitam, sed libertatem etiam, & rerum omnium copiam tàm liberaliter obtulissent, si modò eis in rebus non adeò magnis obsecundassem: imò etiam hic ipse arcis præfectus, qui mihi astat ad latus, hæc eadem & maiora promisit, si vel semel tantùm cum hæreticis templum adijssem. Nec verò ausus ille fuisset tàm magnifica polliceri, nec Angliæ principes id permisissent, si me tale aliquid molitum esse comperissent. Itaque viri optimi, non perduellio, sed veræ religionis zelus ad hoc capitis discrimen nos adduxit.

Campianus apud populũ se innocentem docet.

Hæc autem sententia quanta iniquitate prolata sit, vel ex eo liquet, quòd cùm postmodum cuidam è duodecim viris secretò fuisset obiecta latæ sententiæ absurda iniquitas, is hoc tantùm pro responso dederit, aliter se facere non potuisse, alioquin haud permansurum amicum Cæsaris.

Duodecim viri corrupti.

Post mortis sententiam pronuntiatam ad pristinos carceres reducuntur, & cathenis compedibusq; e ferreis àd finem vsque vitæ grauiter onusti, Dei misericordiam & Reginæ voluntatem expectabant. Die proximo, quotquot ob eandem causam tenebantur in

Martyres reducti ad carceres onerantur cathenis ferreis.

vinculis, eidem iudicio subiecti eandem excepêre sententiam. Qua lata relegati sunt omnes in custodias.

Colintonus liberatur morte, docẽs sententiæ iniustitiam.

Accusabatur Remis cõspiraſſe in mortem Reginæ, cùm tamen eodem tempore Londini fuiſſet.

Nemo autem omnium eius sententiæ executionem euadere potuit, præter vnum Colintonum: qui intelligens se falsò atque iniustè accusatum, quòd certo quodam die Remis participem se præbuisset machinationis suprà memoratæ, cuius causa reus ageretur læsæ Maiestatis; conuertit se ad Iudicem, atque ostendens ex hac vna calumnia eum facilè, si velit, æstimare posse cætera accusationis capita; Deum, inquit, testor, eo ipso die, quo iste dicit talia consilia fuisse Remis agitata, me Londini in domicilio, cui nomen Grayes Inne, cum Lancastrio quodam nobili viro egisse; qui si pręsens adesset, profectò testari posset, vera esse quæ dico.

Vuilhelmus Nicolsonus volens docere Fordũ iniustè cõdemnatum, criminis læsæ Maiestatis per calũniam insimulatur.

Fortè cùm hęc agerentur, Lancastrius aderat; qui interrogatus nùm vera essent, quæ Colintonus diceret, affirmauit verè sic se habere. Atque hoc pacto eum periculo mortis, cui iam erat adiudicatus, exemit. Quod cũ videret quidam Vuilhelmus Nicolsonus presbyter, & certò sciret Fordum, vnum de suprà nominatis, non minùs quàm cæteros, falsò accusatum esse, vrgente ipsum conscientia veritatis, itidem Fordi innocentiam tueri voluit, vt alter Colintoni. At verò tantum abfuit, vt ei conatus suus prosperè caderet, vt etiam ipse eiusdem criminis insimulatus, abreptꝰ sit in carcerem, primùm communem, deinde in turrim Londinensem, vbi sanè quàm malè atque inclementer habetur.

Plura de seminariorum institutione habentur in Apologia pro ijsdem, inferius.

Cur Angli morentur Remis.

Seminaria instituta à Gregorio 13. in commune Ecclesiæ vtilitatem.

Quoniam autem complures, audientes hîc subinde repetitam mentionem vrbis Remorum, fortè sciscitabuntur, cur eò loci se potiùs Angli recipiant, quàm aliò, hanc habeant rationem. Sanctissimus Pontifex, qui hodie gubernacula tenet Ecclesiæ, Gregorius XIII. cùm gregis Christi sibi concrediti necessitatibus ex animo succurrere vellet, potissimùm verò in partibus Septentrionalibus, quòd illæ maiori cura & auxilio opus habeant, seminaria aliquot erexit, quorum alia alijs nationibus & regnis sunt deputata, in quibus liberaliter alit iustum numerum eorum, qui ad hoc selecti sunt, vt hac in parte, quàm optimè suum aliquandò pręstent officium; Informati priùs atque instituti tàm sacra & Catholica doctrina, quàm pietate & sanctitate morum.

Hoc consilio sanctissimus Pater Romæ pulcherrimum Anglorum seminariũ instituit; itemq; Remis aliud frequentissimũ: Laureti quoq; aliud erexit in gratiam eorum, apud quos vsus est Sclauonicę linguæ

linguę,rursumque aliud amplissimum Romæ Germanicæ nationi attribuit: Neque interim ille, quatenus potest, alias nationes pręter-mittit:nam & aliud Romę pro Græcia iuuanda constituit.

Sed vt ad propositam narrationem redeamus,post acceptam mortis sententiã, vincti in carceres retruduntur. Quibus in custodia dies aliquot asseruatis, varius rumor in vulgus spargi cœpit. Alij dicebãt Ducem Andegauensem, qui per id tempus in aula Reginę versabatur, gratiam captiuis apud Reginam impetrasse: alij, fortasse quòd ita factum optarent, malitiosè iactitabant P. Edmundum sibimet manus intulisse.

Dux Alenso-nius siue Andegauensis erat in Anglia, cũ Campianus occideretur.

Aduersarij sparserunt rumorẽ Campianum sibi manus intulisse.

Interim Campianus tàm pijs cœlestium rerum exercitijs, tantaq; patientia, & suauibus colloquijs cum custode carceris & alijs, reliquum tempus transegisse commemoratur, vt ipse carceris custos, qui Nortoni cuiusdam posteà curam habuit (hic verò Norton' cùm ad mortem vsque Campianum eiusque socios persecutus esset, tandem compedes quas fecerat, ipsemet subijt) cùm diuersam vtriusq; viuendi rationem inter se conferret, anteà se virum sanctum in custodia habuisse, nunc verò diabolũ claris verbis testaretur: ob quod etiã dictũ infœlix custos repręhensionis aculeũ euitare non potuit.

Campiani in carcere singularis pietas & patientia.

Aduersarij verò ne post mortis quidem sententiam in eum prolatam, virum sanctum exagitare desistunt; quin si Caluinianam religionem amplectatur, vitam libertatemque promittunt, nulla criminum obiectorum vel sceleratarum coniurationum ratione habita; vel si tantillum etiam illis tribuat: vsq; adeò, vt ipse Londinensis arcis Pręfectus, in hęc verba Campiani sororem, quę triduo ante mortem charissimũ fratrem inuiserat, alloqueretur, si adhuc in animo habeat, mutata religione nobiscum sentire, efficiam profectò, vt singulis annis 100. libras in reditibus numeret. Verùm excellens constantissimi viri animus, eo munere oblato expugnari nõ potuit, cùm nec ipsum Anglię Regnum, nec omnes eius opes atque gloria, cum minima Campiani virtute conferri possint: nedum huiusmodi sint, pro quibus tanti viri anima pretioso Christi sanguine redempta, tam singularibus Dei donis, tot etiam tantisque virtutibus exornata, venalis exponi, vel commutari debeat.

Vita & opes offeruntur Cãpiano post mortis sententiam, si velit religionem Caluinianam amplecti.

Soror Cãpiani eum ante mortem permittitur inuisere.

Eodem die, quo extremo supplicio afficiendus erat, Kalendis nimirùm Decemb. An. 1581. offendit summo manè Scheruinũ & Briantum sacerdotes, qui aduentum suum in Coulharbar, quod carceris nomen est, operiebantur. Hîc verò in mutuos amplexus ruentes, suauis-

Subeũt martyrium Kal. Decemb.

Colloquũtur Campianus,

Scheruin' & Briantus. Præfecti arcis improbitas. suauissimè inter se satis diù colloquebantur: atque hæc mora eò longior fuit, quòd arcis præfectus colobium P. Campiani ex corio confectum, vt eo indutus ad supplicium protraheretur, quæreret: quò maiorem videlicet integerrimo viro ignominiam inureret.

Campianus piè salutat populum. Cùm in conspectum populi fortissimus athleta prodijsset, eum hac voce salutauit: Deus vos saluet, Deus vobis benedicat, & vos omnes efficiat Catholicos. Tum tres præclari suæ fidei præcones, Campianus, Scheruinus, & Briantus, singulari doctrina, pietate, mansuetudine, constantiaq; præditi, per summam iniuriam communi omniũ bonorum lamentatione, in trahas coniecti & crudeliter ijsdem alligati, per vrbem vniuersam à turri Londinensi (quam vocant) ad locum vsque supplicij pertracti sunt. *Trahis alligãtur, & ad locum supplicij trahuntur.*

Edmundus in crate constrictus arctissimè supinus iacebat; reliqui verò alteri superiniecti fuerunt. Et licèt hoc rerum acerbissimo statu, plures viris optimis accederent molestiæ, quæ cùm à corrupti verbi ministris, tùm nonnullis alijs (quorum hoc studium erat, vt nulla interposita mora, è medio tollerentur) inferebantur, non tamen omni penitùs solatio carebant, quod commoda loci illius habita ratione, adferebatur: cùm partim in dubijs conscientiæ religionisque negotijs, etiam id temporis, ad vnum Campianum confugeretur; partim lutum cœnumque, quo illius facies grauitatis plena spurcissimè defœdata erat, abstergeretur. *Beneuolentia quorundã erga Campianum ad mortem protractum.*

Cùm verò ad locum supplicij deuentum esset, vbi Regiæ Maiestatis consiliarij cum plerisque nobilitate, & ordinis dignitate conspicuis, alijsque non infimæ sortis hominibus quàm plurimis fortissimorum virorum operiebantur aduentum, P. Edmundus vinculis solutus, currum pro more paratum conscendit; & vbi aliquantulũ ex vehementi illa corporis agitatione respirasset, strepitusque populi compressus esset, spectatoribus extremum vale dicturus, vultu ad grauitatem composito, plena voce, animoque planè virili hanc B. Pauli grauissimam sententiam pro concione sumpsit explicandam, Spectaculum facti sumus mundo & Angelis, & hominibus. *Campianus parat concionem ad populum. 1. Cor. 4.*

Deinde in hunc ferè modum orationem exorsus est: Videntur in me Auditores, commemoratæ sententiæ verba quàm optimè quadrare, vt qui hodierno die, non modò rerum omnium effectori Deo domino meo, diuinisq; illis spiritibus, verùm hominibus etiàm ludus spectaculumque sim factus. Sed cùm per partes singulari cum modestia, & animi tranquillitate sententiã explicare aggressus esset; in vesti-

in vestibulo statim ipso, silere iussus est per Franciscum Knoles Reginæ Consiliarium, & per Magistratum. Quibus ad hunc modum vir integerrimus respondit. Quantum ad obiectum mihi crimen attinet, quo me confixum, quasi, & euictum ad hunc locum extrema subiturum adduxistis, vos etiam atque etiam rogo, vt meæ integritatis innocentiæque testes esse non grauemini, cùm ab huiusmodi scelere me liberum prorsus atq; immunem ingenuè profitear. *Impeditur à Magistratu.*

Cui cùm alius quidam de numero Consiliariorum obijceret, crimina illa tam perspicuis rationibus atque euidenti testimonio anteà conuicta, iam nulla via refelli vel purgari posse: respondit Campianus. Quomodocunque vir spectate, res habeat, Catholicum me sacerdotem publicè denuntio, Catholicaque fide imbutum me hactenùs vitam degisse, ac postremò pro eiusdem fidei defensione mortem quàm libentissimè oppetere.

Si verò crimen aliquod, ad abuersarijs mihi obiectum, in me confertis, non agnosco: cuius rei testem inuoco Deum Opti. Maxi. qui nec fallere, nec falli potest. Vestro quidem iam, vt apparet, desiderio factum satis, & ad exitum res prouecta videtur optatum: Rogo itaq; vos hanc mihi gratiam vicissim præstetis, vt, cùm non modò persequendi iuris mei, sed etiam deplorandæ calamitatis mihi adempta sit potestas, saltèm aliquid, quo conscientiæ meæ satisfaciam, dicere permittatis. *Non datur illi facultas loquendi ad populum.*

Quod cùm illi abnuerent vrgerentque, vt responderet de obiecta perduellione; denuò grauissimè contestatus est, se ab omni proditionis scelere, & quauis conspiratione in publicam tranquillitatem vacuum, liberum atque innocentem esse: atque vt extremis hisce verbis certa fides adhiberetur, obnixè rogauit. Quòd si ea minùs vera sinceraque esse deprehendi possent, se non solùm ad acerbissimam corporis mortem subeundam, sed etiam ad animam in præsentissimum æternæ salutis discrimen adducendam paratum esse. Quibus addidit duodecim illos viros in hoc negotio labi facilè, errare, decipique potuisse: accusationem etiam falsa criminis suspicione exaggerari posse. Horum tamen nulla ratione habita, omnibus, quemadmodum & sibi fieri exoptabat, ignouit lubens, summamq; iniuriam ex animo condonauit. *Vltima Campiani contestatio de sua innocentia.*

Ad hæc postulauit fidem sibi addictam ab ijs, qui quæstionibus atque tormentis præerant, liberari. Cùm enim ex eculeo suspensus necessariorum quorundam nomina aperiret, iureiurando interpo- *Morti proximus de aliorum fama & salute solicitus est.*

Exponit sententiam literarum, quas D. Pondo transmiserat. sito ei promiserant, nulli inde damni quidpiam accessurum. Prætereà literarum quarundam sensum explicauit, quas in vinculis detentus ad spectatæ probitatis virum D. Pondum, (qui tunc in carcere arcis Londinensis detinebatur) trāsmiserat. Cùm enim in ijs scripsisset arcana quædam se minimè proditurum, palàm contestatus est, se per illa nihil aliud, quàm sacramentorum vsum Catholico ritu peractum, & sacerdotis Catholici functiones insinuasse; iniquam verò in Regiam Maiestatem machinationem (vt temerè aduersarij suspicabantur) nullam prorsus cogitasse, idque vt antè, verissimum esse, animæ etiam interposita salute, & extremo illo iudicio, quo idem coram æquissimo iudice Deo affirmandum foret, asseuerauit.

Deinde D. Franciscum Knoles, & alios quosdam nobili genere natos, obtestatus est, vt se paucula de quodam Richardsono nomine, in quem iam mortis sententiam latam perceperat, dicentem audirent: is enim ob librum quendam Campiani in vulgus dispersum, falsam in criminationem adductus erat, obsecrauit itaque, hominis causam paulò æquiori lance æstimarent, illumque innocentem esse grauissimo testimonio comprobauit; sed frustrà. *Docet Richardsonum iniustè damnatum esse.*

Deinde quidam Hernus Ludimagister in medium prodijt, qui consiliariorum iussu atque auctoritate, nouam populo fabellam in Campianum venditaret, quod dùm fieret, vir ille pius impensiùs orationi, & rerum cœlestium contemplationi vacabat. Porrò cùm aduersarij fabellæ illius vanitatem animaduerterent, integerrimum Patrem vrgebant, vt de Pij Quinti, Pontificis Maximi in Reginam lata excommunicatione, sententiam suam explicaret: sed eorum importunitati minimè satisfecit. Cùm insuper rogatus, num Pontifici renūtiare vellet, respondisset se Catholicis sacris initiatum esse, quidam hoc Catholicæ religionis nomine omne læsæ Maiestatis crimen contineri, ex hoc ipso responso collegit. *Petitur sententia Campiani de excommunicatione Pij Quinti.* *Quid Caluiniani sentiāt de nomine Catholici.*

Vbi iam propiùs vir innocentissimus ad vitæ finem accederet, & ad vltimum illum è calice Christi potum exhauriendum se diligentiùs muniret, à quodam deprauato Euangelij ministro interpellatus est, vt secum, Christe miserere mei, vel similem orationem recitaret. Cui Pater oculis in illum leniter coniectis, magna cum animi & vultus submissione respondit; cùm inter nos de religione dissideamus, me sinas velim, & conquiescas: intellige etiam me neminem ab oratione retardare, vel reuocare velle, sed hoc vnum efflagitare, vt qui mihi fidei consensione coniuncti sunt, in extremo hoc corporis & ani- *Campianus recusat orare cū hæreticis.* *Petit vt Catholici pro se*

& animæ conflictu Symbolum Apostolicum semel recitent; quod quidèm ideò fieri petiuit, vt omnes testarentur ipsum pro Catholicæ fidei (quæ in illo Symbolo continetur) defensione sanguinem profundere. Adhæc quidam illum vernacula vt oraret lingua impellebant. Quibus se lingua vti, quam probè norat, respondit. *recitent Symbolum Apostolorum.*

Tandem, quo finis tragœdiæ imponeretur, vt à Regina veniam peteret, & crimini sibique ignosci postularet mandatum est; ille verò leniter atque mansuetè, qua in re deliquisset, vel Regiam Maiestatem offendisset, percunctatus est, cùm se anteà criminis omnis expertem pronuntiasset; addens hæc extrema esse verba, quibus vt fidem adhiberent, iterum rogabat.

Porrò quòd ad Reginam spectaret, confirmabat se pro illius salute atque incolumitate non orasse modò, sed etiamnum pro eadem preces velle effundere; moxque quàm potuit humillimas Deo preces obtulit pro animæ eius salute. Quæ sanè res multis viris nobilibus, qui præsentes aderant, longè fuit acceptissima. Atque dum hîc curiosiùs inquireret, D. Carolus Houardus, quamnam Reginam intelligeret, Elizabethámne illam, quæ in Anglos imperium obtineret? Quinimò, Campianus inquit, Elizabetham illam puto vestram, atque meam Reginam. Atq; hæc vt locutus est, abducto curru, (collum enim laqueo insertum habebat) & faucibus pressis ex hisce corporis vinculis tanquàm ex carcere ad Christum euolauit. Ad hunc igitur modum religiosissimus pater, ac iuxta nomen suum verus Christi miles, & fortis bellator animam Deo reddidit. *Orat pro salute Reginæ.* *Baro de Houard petit, pro qua Regina oret.* *Mors sancti viri.*

Porrò diuina prouidentia atq; consilio factum videtur, vt Londini, vbi natus erat, gloriosam pro Christo mortem oppeteret: quò videlicet ciuibus, & popularib' suis, quibus vita prodesse minùs poterat ob aduersarios, & eius vrbis incolis, qui tanti viri studijs indefessis, atque laboribus minùs digni tunc fuisse videntur, posset vel sanguine illo innocentissimo inter eos effuso, vel sanctis religiosisq; precibus quas modò haud dubiè tam pro amicis, quàm hostibus capitalibus Christo offert, prodesse. *Consilio Dei Londini occiditur, vbi natus erat.*

Eadem diuina prouidentia factum videri potest, vt capitis condemnatus fuerit eodem die, quo Ecclesia Anglicana festum patroni sui S. Edmundi, Angliæ Regis & martyris, iam olim celebrare consueuerat, hoc est, die, vt suprà diximus, vigesimo mensis Nouembris. Eius autē extremo supplicio tanta interfuit hominū multitudo, quanta nunquā aliàs ad huiusmodi suppliciū visa fuit cōfluxisse, *Condemnat' est capitis, die S. Edmūdi martyris Angliæ, sibi cognominis.* *Inter spectatores fuerunt Comites tres,*

Barones quin que, Equites aurati, et viri quamplurimi primarij.

neque id sine planctu, & gemitu incredibili. Cùm autem pro more carnifices funem, ex quo pendebat incidere vellent, vt ei etiamnum semiuiuo ventrem dissecarent, visceraque conuellerent, id ne fieret obstitêre quidam inter eos qui aderant magni nominis viri, caput tamen eius posteà resectum fuit, & corpus in quatuor partes diuisum.

Campianus autem quamdiu vixit, ea animi constantia, atq; fortitudine semper fuit, vt inter impendentes vndique suis ceruicibus mucrones atque tormenta, idem ei semper vultus, eadem pro fidei Catholicę defensione fuerit oratio. Quod animi inuictum robur cum singulari vitæ innocentia coniunctum, vsque adeò populum ad lachrymas & misericordiam inflexit, vt aduersarij id publicè editis libris supprimere, vel excusare conarentur. Hac itaque ratione vir excellentissimæ virtutis, & admirabili quadam Dei benignitate, Anglorum saluti, Catholicæ fidei propugnationi, ac Reipubl. Christianæ dignitati natus, vitam summa cum gloria finiuit, omnesque illas, quibus obijcimur miserias, Christi præsidio fretus, animo inuicto superauit; fruiturq; iam dubio procul sempiterna illa, cœlestiq; lætitia, singularis constantiæ atq; fortitudinis corona donatus.



VITA ET MARTYRIVM P. EDMVNDI CAMPIANI, CARMINE

scripta à quodam amico & condiscipulo eiusdem, dùm Oxonij studeret.



IT mihi fas Edmunde pater, quia mors tua verè
Sancta est, vita etiam sic meminisse tuæ.
Noui te Oxonij puerum puer; hæret imago
Prima tui, cordi non abolenda meo.
Doctus eras, facundus eras, gratissimus vnus
Omnibus, ob mores, ingeniumq; tuum.
Per quoscunque gradus ires, seu laurea bacca,
Siue magisterij te decoraret honor;
Primus eras, princepsq; gregis, cessêre priores
Partes, & palmam cætera turba tibi.
Post vbi maturis fieres prouectior annis;
Procurator eras: hic honor amplus erat;

Multo-

Multorum intereà prudens, pius atque peritus,
Nobilium doctor: Cætera quid memorem?
Omnia pro Christo reputas quasi stercora, nauem
Scandis, & angustas traijcis exul aquas.
Moxq; Duacena consistis in vrbe, domoq;
Anglorum, cuius Præses Alanus erat.
Totus es in studijs sacris, quorum anteà semper
Penè tibi puero mirus inhæsit amor.
Timotheo similis didicisti valdè adolescens,
Quæ peritura forent non aliquandò bona.
Accessit sacris studijs sacer & gradus: illum
Sacra Duacenæ iura dedere scholæ.
Pergis & ascendis cœlestia versùs, honores
Nec petis humanos ampliùs: alta magis,
Et diuina petis. Domus est celeberrima, IESV
Nomine dicta, illi te sociare cupis.
Is Romam: factus socius de nomine IESV,
Iussus es Arctoas mox peragrare plagas.
Bruna tibi primùm, post est habitata Vienna,
Tertia postremò mansio Praga fuit.
Hic tibi creuit honor, creuit nomenq; decusq;
Famaq; Teutonico grandis in orbe tua est.
Multa doces, scribis, loqueris: Rectore iubente,
Omnia tàm facilè, quàm iubet ille, facis,
Siue perorares Rhetor, facundia qualis?
Seu metra conficeres, quis meliora dedit?
AMBROSIA est testis sic dicta Tragœdia; cuius
Applausu, incessit tota theatra tremor.
Sed tamen excellens inter tua talia multa,
Festo quoque die sermo latinus erat.
Obstupuêre homines docti, quæ maxima turba
Adfuit: attonitus Cæsar & ipse fuit.
Os tibi mellifluum, faciei grata venustas,
Vox dulcis, lenis, plena, sonora, grauis.
Res sacra, eloquium sanctum, diuina loquela.
Spiritus accensus totus amore Dei.
Hesère astantes in te vultuq; manuq;,
Inq; tuas voces pendula turba fuit.

Quid multis? multas animas lucraris ab Orco,
Hussum & Lutherum sæpè valere iubent.
Hos inter varios conatus atque labores,
Iussus es ad patrios ire repentè lares.
Anglia mox repetenda tibi est, quæ relligionis
Causa iam pridem terra relicta tibi est.
Longum iter ingressus pedibus, lateq; patentes
Permensus terras, ad tua vota venis.
Saluus & incolumis Christo duce littora prensas
Formidanda alijs, sed tibi tuta satis.
Hæresis hic regnat non vna aut altera; multos
Multorum errores insula magna colit.
Hanc syluam ingressus variarum hinc inde ferarum,
Te pugnæ contra tot fera monstra paras.
Immò vltrà inuitas, sed nemo restipulatur:
Horror erat, tecum disseruisse palàm.
Scribis adhuc modicum sed magno pondere librum;
Ecce nouus metus, & maior in hoste furor.
Intereà peragrans regionem vltroq; citroq;,
Atque docens veram Catholicamq; fidem,
Omnia traxisti tecum; liquefacta fluebant,
Ligna, petra, montes, ignibus icta tuis.
Magnatum ipsorum mollescunt corda, tuorum
Fulmine verborum; cætera turba magis.
Pœnituit vitæ pariter fideiq; prioris,
Et se tàm miseros antè fuisse pudet.
Ardor inest animis, deuotio pectora complet,
Iamq; colunt mira relligione Deum.
Post annum captus, vinctus, ductusq; triumpho,
Tortus, & in mortem iudicis ore datus.
Denique perpessus quæcunque habet iste libellus,
Inter tot fratres Martyr ad astra migras.
O fœlix vitæ cursus, finisq; beatus:
Fortiter in Domino, pro Dominoq; mori.
Sis mihi quæso tuo facilis patronus alumno,
Nec cesses pro me sæpè rogare Deum.

VITA ET MARTYRIVM
DOMINI RADVLPHI SCHERVINI SACERDOTIS.



Ostquàm ad eum modum, quem diximus, gloriosum de mundo, carne, diabolo, ac hæresi triumphum Campianus retulisset, coronamq; iam diu desideratam esset consecutus: Radulphus Scheruinus sacerdos, tùm summa innocentia vitęque integritate, tùm insigni doctrina, ac singulari prudentia præditus, vestigijs Campiani insistens, ad currum deductus est: homo sic viribus destitutus, sic fract' inedia, sic vigilijs debilitatus, ac omni denique spiritualium rerum exercitatione instructus, vt quotquot ante captiuitatem necessitudinis illi iure deuincti fuerant, virtutes eius admirarentur.

Hic ergo, cùm carnifex cruentas manus ipsi iniјceret, adderetq; ad terrorem: veni Scheruine accipe & tu mercedem tuam, ad tortorem conuersus, læto hilarique vultu eum amplexatus, cruorem manuum, qui ex Campiani corpore effluxerat, osculatus est: quæ res vehementer populũ commouebat. Deinde in curru consistens, clausis oculis, manibusque in cœlum eleuatis, rerum diuinarum contemplationi & precibus paulisper vacabat: cuius interim vultum, gestũ totiusque corporis actionem populus diligenter obseruabat. Post hæc summa cum vocis lenitate ita sermonem exorsus est.

Num populus vt aliquid in medium adferam expectat? acceptoq; responso ab eorum compluribus, nonnullisque nobili genere natis id expectari: animo virili & sonora voce locutus est ad hunc modum: Gratias tibi ago omnipotens & misericordissime Deus pater, quòd me creaueris, ac in hanc lucẽ produxeris: tibi quoq; amantissime & dulcissime Seruator Iesu Christe, quòd grauissimo mortis tuæ supplicio me in perpetuam libertatem vindicaris, tibi denique Sancte spiritus, quòd me gratiæ tuæ diuinæ, & Christianæ sanctitatis participem reddideris, tres personæ, & vnus, immensus ac immortalis Deus. *Agit gratias Deo pro beneficijs acceptis.*

Post hanc gratiarum actionem SS. Trinitati persolutã, ad fidei suę, mortis, atq; condemnationis explicationem se accinxit: sed per Franciscum

Non permittitur fidē suā profiteri. ciscum Knoles & alios è magistratu impeditus, quòd illius fidem iam declaratam satis, eandemque se exploratam habere dicerent; iussus est perduellionis crimen, ac summum illud in Reginam dominamque suam inobedientiæ scelus admissum fateri. Quibus ille animo constanti; Innocens, inquit, sum, ac omnis huiusmodi criminis expers. Cumque acriùs illum aduersarij vrgerent, instarentque vehementiùs, in hæc verba respondit: De me nihil est causæ cur mentiar, cùm hîc salus animæ meæ agatur: & licèt in hoc breui, quo circumscribimur vitæ termino, fœdissimæ turpitudinis notas subeam, nihil tamen de mea salute ac incolumitate dubito in Christo Iesu; in quo omnem salutis spem, gloriamque repositam habeo, & in cuius morte, passione, ac sanguine profuso duntaxàt reuiuisco. Atque ita dulcem hanc ad Iesum orationem emittebat, qua suæ naturæ fragilitatem, miseriam, ac animam prauis cupiditatibus subiectam agnoscebat; & proditionis, coniurationisque crimen modestè purgabat, suam multis argumentis contestatus innocentiam: vnicamque & solam causam, cur ex Anglia discessisset, animæ salutem fuisse confirmabat.

Cōfirmat suā innocētiam.

Fides Catholicorum.

Cur ex Anglia Duacum se contulerit.

Interpellatus denuò à Francisco Knoles, respondit: quomodocunque res habet, hæc missa faciamus: vtriq; enim coram alio iudice quandoq; sistemur; quando innocentia mea clariùs patebit, quamuis etiamnum plerosque vestrum eandem perspectam habere non dubitem. Cui Franciscus: te quidem hanc perduellionem opere non complesse tibi fatemur, cùm non modò rerum bellicarum imperitus, sed ad easdem planè ineptus videaris: per verborum nihilominùs consequentiam patriæ proditor, & criminis læsæ Maiestatis reus censendus es. Ad quæ Scheruinus inuicto pectore, si Catholicis imbutum esse sacris, si perfectum & absolutum esse Catholicum, læsæ Maiestatis crimen æstimatur, ingenuè me reum esse confiteor.

Per verborū consequentiā damnatur.

Hisce dictis plura verba facere prohibitus est. Subiungit itaque: omnibus ignosco, qui vel præsumptione ex toto genere petita, vel particulari errore ducti, mortem hanc mihi gratissimam procurarunt. Porrò effusa magna cum pietate ad Iesum oratiuncula; eademque ad finem perducta, suam de Pij V. Bulla sententiam aperire iussus, recusauit. Exindè pro Angliæ Regina preces adhibere iussus, id se perlibenter etiàm iniussum præstare dixit. Quod audiens Baro de Houard, sedulò, quamnam ille Reginam puter, sciscitatur, an nimirùm illam Angliæ Elizabetham? vix risum tenet Scheruinus, simulque

Ignoscit aduersarijs.

Recusat dicere sententiam de Bulla Pij V.

Orat pro Regina Angliæ.

mulque reſpondet: imò verò pro Elizabetha Angliæ Regina, etiam in præſentia, Dominum Deum meum oro, atque obteſtor, vt velit eam pro ſua immenſa in genus humanum benignitate, nunc quidem in famulam ſuam admittere, poſt vitam verò fœliciter hîc trâſactam, perpetuorum bonorum deſignare cohæredem cum Chriſto Ieſu. Qua oratione abſoluta, quidam ex ea, quæ circumſtabat turba, aiebant Scheruinum Reginam papiſtam fieri velle, idque ſuis hiſce verbis non obſcurè inſinuare: quibus ille, abſit à me procul, vt aliud cupiam: collũ deinde laqueo, vt ſuſpenderetur inſeruit: quod cùm videret populus, magna vocis contentione acclamauit, bone Scheruine Dominus Deus recipiat bonam animam tuam.

His peractis, ſeſe ad orandum componens, magna cum pietate, conſtantia, atque fortitudine extremum vitæ ſpiritum effudit, dulciſsimo Ieſu nomine crebriùs ad hunc modum ingeminato, *Ieſu, Ieſu, Ieſu, eſto mihi Ieſus.* Atque ita vir, caſtis incorruptiſque moribus, corporeis hiſce vinculis expeditus, ac ab omni liber interitu, hinc ad cœlos tranſmigrauit: de cuius vita ſi paucula in medium proferam, non abs re futurum exiſtimo.

Artium liberalium magiſter in celeberrima Oxonienſi Academia creatus, tam præclarum ingenij iudicijque ſpecimen omnibus præbuit, vt ſenioris officio (quod honorificum in ſcholis illis eſt) cohoneſtari meruerit. Quod ille etiam magno cum hominum applauſu, præſentibus Comite Leceſtriæ, alijſque quàm plurimis ſummo loco natis, qui ex aula regia ad hunc actum condecorandum Oxonium confluxerant, obiuit. Ad hæc trium celeberrimarum linguarum, Hebraicæ, Græcæ & Latinæ, haud vulgariter peritus fuit. *Oxonij promotus fuit.* *Peritus linguarum.*

Tandem conſcientiæ ſtimulis ob religionis inconſtantiam exagitatus, Academiam & quam in collegio ſuo adminiſtrabat conditionem deſeruit, ſeſeq; Duacum ad ſeminarium Pontificium, quod ibidem tunc recens excitatũ intellexerat, recepit. Inde poſt aliquot annorum labores ſacræ Theologiæ ſtudio impenſos, ſacerdoſq; XXIII. Martij, Anno 1577. conſecratus cum D. Laurentio Ionſono, qui vnà cum ipſo martyrij coronam poſteà accepit ſub nomine Richardſoni, Romam 2. Auguſti eiuſdem anni miſſus eſt cum D. Richtono, qui eodem cum ipſo die ſententiam mortis accepit. Vbi diuinarum literarum ſtudia in Anglorum ſeminario magna ſedulitate proſecutus, vſque ad annum 1580. vixit. Quo tempore ſe in Angliam, *Duaci ſtudet.* *Sacerdos cõſecratur.* *Mittitur Romam, & inde redit in Angliam.*

charissima patria ad salutem reuocari possit, conferunt. Quæ consiliorum communicatio à tàm graui potissimum ac tantæ auctoritatis viro suscepta, eiusdemque tàm inopinatus pro Anglia inuadenda, vt aduersarij existimabant, aduentus, magnam periculi suspitionem Angliæ consiliarijs attulit, illorumque animos in varias partes distraxit.

Accidit porrò Deo sic prouidente, Reuerendissimum Assaphensem, cùm ob causas alias graues, tùm ob periculosam febrim, quę tussim adiūctam habebat vehementissimam, ab itinere incepto distineri. Quare nonnulli honoris solatijque causa omne illi obsequium, atque studium suum obtulerunt ac præsertim Scheruinus, qui cum eo, dum vires recuperaret, commorari, ac posteà Sacellani subire vices, & itineris Comitem in Angliam se illi præbere constituerat. *Scheruinus expectat Reuerendissimū Assaphensem ægrotum.*

Sed diuinæ bonitati visum fuit, vt ob valetudinem Reuerendissimi Episcopi Assaphensis incertam, Scheruinus iter Rothomagum versus acciperet, ibidemque aduentum eius præstolaretur. Interim Episcopus plurimùm ex morbo debilitatus, nec aliàs ad tantos capessendos labores benè instructus; tum etiam quod non diu aduersariorum manus euadere posse ob certa vultus signa putaretur, mutato consilio in Italiam redijt. *Reuerendissimus Assaphēsis reuertitur in Italiam.*

Sceruinus hoc nuntio percepto, institutum iter ingreditur; ac vbi post superatas viæ difficultates ad Angliæ portum appulisset, ardenti studio ac charitate se ad officia sacerdotij peragenda statim accinxit. Paulò verò post, Londini in Domini Roscarotij conclaui depræhensus, in carcerem Equitis Martij coniectus est. Vbi mensem integrum squalore obsitus, ac ferreis compedibus grauissimè onustus iacuit. *Scheruinus capitur in Anglia.*

Sub id tempus, mense Nouembri, nuntius ab Equite Martio ad custodem illius carceris adfertur, vt num vlli Catholi vinculis ibidem detinerentur, qui auderent vel optarent disputando causam suam tueri, exploraret; & si qui eius animi inuenirentur, vt quæstiones quas defendere cogitarent transmitterent, seseque ad disputandum compararent, mandabat: nam breui illis significandum quo modo, tempore, & loco disceptandum foret. *Ipsi & alijs permittitur potestas disputandi.*

Quæ occasio oblata tàm fuit grata Catholicis, vt Scheruinus cum duobus alij sacerdotibus (qui post simul vna mortis sententia sunt condemnati) D. Harto nimirum & Bosgrauio, se ad certamen incundè paratissimos ostenderēt, & certas quæstiones quā primùm ad

EquitemMartium transmitterent. Verùm cùm sacerdotum nostrorum propositæ quęstiones minùs Equiti arriderent, alias ab eo missas nostri libenter acceptarunt. Læto igitur atque hilari animo diem certamini designatum expectant.

Scheruinus in eculeo distenditur.

Sed ecce, pridiè quàm disputandum erat, Scheruinus in carcerem Londinensem est translatus: vbi diuersis temporibus quæstionibus subiectus & grauissimo eculei tormento distentus est. Et quidem primò interrogabatur, vbinam loci Campianus & Personius societatis IESV sacerdotes agerent; quid molirentur; cur ipse cum ijsdem in Angliam se recepisset; quosnam ibidem haberet necessarios ac beneuolentia sibi coniunctos, peregissetque ne in D. Roscarrotij cubiculo rem diuinam, & an ab ipso pecuniam aliquando accepisset?

His transactis in secretiorem carcerem detrusus, annum ibi traduxit integrum: quo tempore frequenter admodùm cum dogmatis Caluiniani ministris & priuatim, & coram auditoribus, prudentia ac dignitate præclaris, de religione ad summam Dei gloriam, patriæ afflictæ commodum, & multorum hominum admirationem disputauit.

Insignis crudelitas & barbaries.

Post primum in eculeo suspendium, nobilis ille vir cuius in ædibus fuerat Scheruinus deprehensus, in tenebroso atque obscuro collocatus est angulo, quo nimirùm ingenti horrore correptus, miserabiles illos Scheruini gemitus & lamentationes perciperet: fuerat enim vir sanctus è carcere per niues ad eculeum deductus & in eum iniectus non sine summo eius dolore, cuius membra omnia ex præcedenti tortura erant debilitata, artusque corporis vniuersi singulatim luxati.

Ipso porrò die qui D. Ioannis Baptistæ natali sacer erat: anno 1581. ad arcis Præfectum, quemadmodùm & cæteri captiui euocatus est: qui ex commisione quam à regio concilio acceperat, num hæreticorum templa frequentare, aut eorundem accedere vellet officia, ab eo rogauit: quod cùm animo constanti recusaret, Præfectus eum de edicti cuiusdam periculo, in quo versabatur, admonuit, quodque hanc solùm ob causam erat diuulgatum; futurumque vt intra duorum aut trium dierum spatium de eodem, nî conditionem propositam amplectatur, accusetur. Vndè apparet hoc fraudulentum consilium, quod posteà viris integerrimis machinati sunt, nec dum in id tempus erupisse.

Crimen læsæ maiestatis excogitatum falsò in pios.

Huius viuendi ratio, parcimonia cibi & frugalitas, assidua oratio, diuturnæ

diuturnæ vigiliæ,frequens & acerba qua vtebatur corporis castigatio,tantam carceris custodi admirationem attulerunt & stuporem, vt eum semper virum Dei, optimum ac religiosissimum sacerdotem appellaret, nec similem vnquàm se vidisse confiteretur. *Custos carceris admiratur eius sanctitatem.*

Biduò aut triduò ante mortem, cùm aula Præfecti vnà cum socijs exiret, & rem strenuè paulò antè cum quodam verbi ministro peregisset, vtpotè quem in hunc modum exagitarat, vt is pudore præpeditus hominum etiam conspectum (quemadmodum ij qui præsentes aderant, referunt) vix ferret, in hæc verba locutus est: En tibi P. Campiane hûc statim superauero, digito solem demonstrans; tàm fortiter ac animosè, vt quidam hûc (si aliàs vnquàm talem oculis conspexissent) virum inuicti & infracti fuisse pectoris asseuerarent. *Sermo eius ad P. Campianum.*

Eius in arce memoriam nulla vetustas obruet, nulla delebit obliuio, idque ob nonnulla verba, quæ iam iam supplicij locum aditurus, cùm Campianũ, qui in cubiculo paulò remotiori degebat, operiretur protulerat; quæque nec Charko quinti verbi ministro, cùm illi astiterit, recensere difficile fuisset: cùm præcipuè nonnulli eiusdem fortis atque officij homines, eadem à conscientia rea prouenire nequiuisse, planis verbis significarent. *Ipsi ministri hominem innocentem pronunciant.*

EXEMPLAR LITERARVM,

QVAS EX ARCE LONDINENSI, DOminus Scheruinus ad amicos suos transmisit.

Licèt benè agendo defatigatus fortassè vobis videri possem, socij in Christo charissimi; otiari tamen cùm nequeam, vtilius fore existimaui hac literarum ad vos transmissione munus susceptum explere, quàm curis inanibus ac vanis cogitationibus animum relaxare.

Munus vestrũm beneuolentiæ atque liberalitatis plenum grato accepi animo, distribuiq́, tùm in necessarios vsus meos, tùm indigentium necessitates, ita vt omni ex parte mihi satisfactum videatur; Interim confido vos post breuem huius vitæ decursum, quando Deus nos simul in cœlis commorari volet, magno cum fœnore remunerandos. Mortis dilatio animum nonnihil debilitat, nec sine causa à Seruatore nostro dictum puto, quod facis, fac citò. Verum quidèm est; sperabam me ante hunc diem corporis huisce compagibus expeditum, gloriosa dulcissimi Seruatoris mei

ſemper fuiſti,idq; ex debito. Alia grati animi ſigna declarare non potui, ob fortunæ crudeliter in me ſæuientis acerbitatem.

Hodie ſummo mane, qui dies S. Andreæ feſtus eſt, à ſupremo magiſtratu admonitus ſum, craſtino die huius mortalis vitæ curſum mihi conficiendum eſſe; faxit Deus, vt id ad nobiliſsimi iſtius Apoſtoli, & ſerui Dei imitationem præſtare poſſim; vtq; magna cum lætitia ex rheda conſurgens, in hæc verba prorumpam, Salue Sancta Crux. *Innocentia mea ac integritas vnum eſt aduerſus omnes fraudatorum inſidias, ac conniuentitia in me ſocioſq; conflata ſcelera, ſolatium.*

Cùm verò ſupremo illo iudice Deo hæc falſa perduellionis larua remota fuerit, licebitq; virorum Catholicorum ora ac vultus perſpicuè intueri, tunc demùm clarius, qui ſinceri quiue candidi; qui contrà verſipelles ac fraudulenti homicidæ fuerunt, apparebit. Interim Deus omnibus hoſtibus ignoſcat improbitatem; & ſi clementiæ ſuæ ita viſum fuerit, eum illis animum inſtillet, vt ex inimicis ſtrenui veritatis propugnatores euadant.

Cura quæſo amantiſsime patrone, preces vt pro me fundantur. Porrò quamuis extremum illud iter ad tantum principem excipiendum, apparandum mihi ſit & cura mortis benè obeundæ diſtinear, nunquam tamen mentem poſſedi tranquilliorem, aut animum minùs perturbatum: quoniam omnia à me commiſſa ſcelera ipſius pretioſis vulneribus alligo.

Te itaq; plurimum valere, iterumq; valere iubeo; te inquam, quo nullus in orbe mihi charior vnquàm extitit: Deus vtrique gratiam, & inuictum animum ad extremum vſque vitæ ſpiritum concedat, vt quamdiu hic in terra viuimus, numen eius revereamur & timeamus, & dum ſupremus ille vitæ dies aduenerit, hinc ad cœleſtem ac verè beatam gloriam ab angelis tranſportati, ſimul in perpetuum triumphemus: & ſic, mi bone ſenex Ioannes, vale. Salutabis meo nomine omnes ſocios Catholicos. Sic iterum ſine vlteriori interpellatione mi dulciſsime benefactor, vale. Ipſo D. Andreæ. Anno 1 5 8 1.

Tuus nepos Radulphus Scheruinus presbyter.

MARTY-

MARTYRIVM D. ALEXANDRI BRIANTI, SACERDOTIS.

POST duos hos gloriosissimos Christi martyres, in stadium prodijt Alexander Briantus, iuuenis sanè pulcherrimus, (quippè qui vigesimum octauum ætatis annum nondùm excesserat) vultu verè innocens & propè Angelico, in sacris literis haud mediocriter eruditus, & multarum virtutum splendore illustratus: præter enim placidam quandam & lenem, quam in animos auditorum immittebat orationem, diuinam quãdam æmulationem, patientiam, constantiam, ac animi submissionem in pectore gerebat. De cuius admirabili inter cruciatus immanes fortitudine, posteà latiùs dicendi materiam res suppeditabit.

Virtutes Brianti.

Hic dum conscenso curru, mortem iam iam imminentem expectat, suam in Catholica fide & religione educationem primùm incipit recensere, viuendi deinde rationem, quam Oxonij tenuerat: vbi subitò interruptus fuit à quodam, qui in hæc illum verba compellauit: quid tibi negotij cum Oxonio? rem ipsam accede, & te proditórem confitere. Cui Briantus: nec reus sum, nec eiusmodi morte dignus; nunquàm Romæ vixi, nec Remis eo tempore fui, quo Doctor Sanderus se in Hyberniam recepit. Ad hæc verba orationem deduxit, & simul idem se coram Deo responsurum asseuerauit: nec plura.

Innocentia Brianti.

Cùm verò plus cæteris, vt suam de Pij V. Bulla sententiam diceret, vrgeretur; se de illa quod omnes Catholici credunt, credendumque Ecclesia proponit, sentire dixit: & deindè se verum Catholicũ mori confessus, psalmumq́; miserere mei Deus, exorsus, subducto curru suspensus est, maiore pœna, ob carnificis negligentiã, quàm alij duo. Hic verò, quod mirum videri debet, post capitis amputationem, membrorum sectionem, cordis, intestinorum & viscerum exustionem, impositus trunco, cum ingenti omnium stupore, corpus è terra sublẽuauit.

Bulla Pij V. semper obijcitur.

De huius vita ac moribus, licèt ob virtutum singulare studium sempèr spectatus fuerit, nihil dicam; sed pauca de ijs, quas pro fide Catho-

Catholica captiuitatis potissimum tempore sustinuit, calamitatibus, in mediam adferam. Captus fuit à Nortono die 28. Aprilis, sub mediam noctem, in conclaui suo degens; cubiculo spoliato, tribus pecuniæ libris ablatis (hoc enim præcipuè, cum Catholicos aggrediuntur, videntur spectare aduersarij) ereptis etiam vestibus, & alijs non exigui prætij rebus compluribus, ac præsertim arca, in qua calix erat argenteus, & alia huiusmodi, quæ ad Briantum non spectabant, sed tantùm custodiæ eius fuerant commendata. *Capitur bonisque omnibus spoliatur*

Carceri igitur adiudicatus est secretiori, quem Counter vulgò nuncupant; hoc etiam custodibus imposito mandato, vt quotquot eum visendi gratia accederent, ibidem detinerentur; vtque captiuo nec cibus suppeditaretur, nec potus: qui hisce duobus malis grauissimè cruciatus, eousque dum fame propemodum enecatus esset, ibi perseuerauit. Sub finem demum, fauore quorundam, aut nescio qua alia ratione, durissimum pro vnius denarij æstimatione caseum sibi comparauit, & mucidi panis exiguum, cui acris cereuisiæ hemina postremò accessit: ad tantam verò sitim miser aliquando redactus est, vt num extendendo brachio, guttas aquæ ex summo tecto deciden es pileo suo excipere posset frequenter attentaret; sed frustrà. *Fame & siti ab aduersarijs ferè enecatur.*

Postridie Ascensionis ad turrim fuit ablegatus, vbi se fame penitùs enecandum existimauit, quare secum exiguam duri istius casei portionem contulit: quam cùm carceris custos inquirens reperisset, eum Briantus ne tolleret humiliter ac submissè rogauit. Posteà verò potus in prandio cœnaque duo sextarij, fere dabantur, qui tamèn sitim contractam ex priori inedia, explere minimè poterant.

Cùm duorum dierum spacio in turri degisset, ab arcis Præfecto, Doctore Hammono & Nortono euocatus est, qui illum more suo exagitarunt, iusiurandum proponentes, quo ad omnia illum respondere cogant. Cumque fateri nollet, vbi nam loci P. Personium vidisset, quorum esset opera sustentatus, vbi rem diuinam peregisset, & quorum excepisset confessiones; acus sub vnguibus eius infigi demandarunt; quo, tantum abfuit, vt de constantia animi deturbari potuerit, vt hilari etiam vultu Psalmum *miserere mei Deus* recitaret, & obnixè Deum, vt suis tortoribus ignosceret, deprecaretur. *Acus ei sub vnguibus per summā crudelitatē infiguntur.*

Quare D. Hammonus tanquàm importuna aliqua belua, truculentus & concitatus humum pede proterit, oculosque in omnem versat partem, hæcque simul verba profundit, *Hoc quid rei est? ni profectò homo pertinax in religione sua obfirmatus esset, hæc certè aliam illi mentem*

 inijcerent.

iniicerent. Fuit etiam in eculeo fortissimus athleta, ad membrorum vsque diuulsam compaginem miserabiliter dilaceratus ac discerptus; cum vbi locorum P. Personius ageret, prelumque reconditum esset, quosque vendidisset libros, confiteri nollet. Et sic tandem immani illa sæuiendi cupidate expleta, ad carcerem reductus est.

Misere dilaceratur in eculeo.

Postridie verò (prô hominum scelus) neque corporis languor, neq; distracta suis sedibus membra, eodem illum tormento subeundo liberare potuerunt: licèt enim tanquàm vita functus, sensuum munere destitutus esset, & sanguis concretus per artus non manaret (nam hic tormenti illius effectus est) nihilominùs ad eculeum reuocatus est; & maiori crudelitate ac sæuitia, quàm die præcedenti, dilaceratus; sic, vt se tunc in partes omninò discerpendum putaret, & venam in manu ruptam ex qua sanguis copiosissimè dimanaret, arbitraretur.

Immanis barbaries hæreticorum.

Hic itaque vir fortissimus, incredibili patientia armatus, durissimum mortis telum expectare maluit, quàm vlli mortalium iniuriam facere, & in minimo etiam amicos lædere. Porrò dum animus eius in acerbissimæ Christi passionis contemplatione infixus hæret, incidit in animi deliquium, ita vt faciem eius aspergere frigida aqua coacti fuerint, nihil tamen de tormentis infligendis remittentes.

Hic Nortonus cum nihil se ab illo obtinere posse cognosceret, petiuit Regináne supremum esset Ecclesię Anglicanæ caput? cui Briantus. Catholicus sum, & hac in parte quòd mihi prescribit Ecclesia, hoc ipsum firmiter amplector. Quid? inquit Nortonus, aiunt Papam esse summum Ecclesiæ caput: idem se sentire, respondet Briantus.

Agnoscit Papam, non Reginam esse caput Ecclesiæ.

Nec hîc Præfectus arcis insignis Caluinianus, seu atheus, inhumanitatem suam continuit, sed modestissimum virum dum minis ac contumelijs petulantissimè aggressus, simul iniuriosè mentum tundit, ac colaphos barbara quadam immanitate infringit. Surgunt itaque Commissarij, quos vocamus, & abitum parant; vtque vir Dei tota nocte in eculeo relinquatur, imperant: quibus verbis cum nihil eum comoueri vident, ex eculeo depositum ad Vvalesboure, qui locus subterraneus est, & horribilis aspectu, eum reduci mandant, vbi quindecim diebus continuis sine vllo membrorum motu, & vsu, in summis doloribus & angustijs vestibus semper indutus iacuit.

Præfecti arcis inhumanitas.

Carcer horribilis.

Fuit prætereà illud in Alexandro Brianto, dum ad tribunal cum cæteris

cæteris accederet, egregiæ animi fortitudinis indicium, quod tanquam signifer primus ipse præcederet, crucem manu gestans, quam ex ligno quod in carcere sese obtulit, fabricarat: & in eadem, carbone pro penicillo vsus, Christi Saluatoris imaginem expresserat. Cùm autem ab hæretico quodam reprahensus audaciæ, crucem iuberetur abijcere, nequaquàm (inquit) id faciam: miles enim crucifixi sum, ac proinde hoc tam illustre vexillum ad mortem vsque non deseram. Alteri deindè cuidam crucem ex manibus eius extorquenti, sic locutus est: crucem è manibus poteris extorquere, ex corde nullo vnquam modo euelles: quin pro eo sanguinem effundam, qui prior mei causa sanguinem suum in cruce fudit.

Coronam capitis radi curat ad sacerdotium apertè profitēdū.

Capitis etiam coronam radi voluit, quo nimirum se coram verbosis ministris & sacerdotem esse, neque ordinis vel conditionis pudere, neque ob religionem quam sanctißimè colebat, erubescere declararet; præsertim cum illi quidam, dum caperetur eo nomine insultassent, quòd officij ac muneris impositi pudore duci visus esset.

Post mortis sententiā onerātur cathenis.

Post mortis sententiam in illum pronunciatam, statim atque ad arcem deuentum est, non hic solum sed reliqui omnis ferreis cathenis onusti ergastulis inclusi sunt, quas donec ad supplicium subeundum educerentur, perpetuo gesserunt.

Si quis verò huius viri fortißimum animum, & incredibilem in tormentis fortiter pro Christi nomine tolerandis constantiam, cum veterum Christianorum inuicta virtute & grauißimorum cruciatuum perpeßione conferat, haud planè disparem ac dißimilem rationem inuenerit. Siue enim Neronis tempora animo percurrat, siue reuoluat sæuam illam Decij tempestatem, siue demum Diocletiani ferreum repetat sæculum; reperiet, quos vel hic doloris vehementia superasse, vel æquasse doloribus censebitur; quod nunquam humano fretus auxilio præstare potuisset, nî Deus illi singularem quandam ac prorsus diuinam largitus esset fortitudinem, atque animi excellentiam. Quod & ipse testatus est, cùm se per votum quod fecerat, & alia nonnulla exercitia, in rebus aduersis ingentem percepisse consolationem affirmat: idq; cum proprijs verbis clariùs, quàm à nobis fieri posset, in epistola quam ad Patres societatis IESV in Anglia commorantes misit, explicet; illam hic adiungere placuit.

REVERENDIS PATRIBVS SOCIETATIS IESV IN ANGLIA DEGENTIBVS ALEXANDER BRIANTVS.



Voties mecum cogito, Reuerendi Patres, quàm ardenter & quam varijs modis Deus Opt. Max. nostrã quærat salutẽ, nostrũ cupiat amorem, cor nostrũ possidere, & in nobis regnare desideret, toties stupore confundor, quòd nos miseri homines vel beneficijs cõmoti, vel allecti præmijs, vel saltem stricto Dei iudicio perterriti, totis viribus illi nõ obsequamur, nec offeramus ipsi corpora nostra, in hostiã viuentẽ, & holocaustũ perfectum. Nam præter immensa eius erga nos beneficia, creationis videlicèt, redemptionis, conseruationis, iustificationis, & quam speramus glorificationis, præter hæc, inquã, & infinita alia, verbis suauissimis nos adhortatur vt properemus ad ipsum.

Prouerb. 8. *Ego inquit, diligentes me diligo; & qui mane vigilat ad me, inuenet me. Beatus homo qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidiè, & obseruat ad postes ostij mei. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.*

Vbi autem quærendus sit, ipse Dominus ostendit his verbis: vbi sunt duo vel tres

Matth. 18. *congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Ibi vere putandus est esse Christus, vbi multi charitate coniuncti, ideò conueniunt, vt Deum honorent, Deo soli deseruiant, eiusq; præcepta custodiant, & regnum eius gloriosissimum propagent. Qui hoc ipsum audit, veritatem discet; & non ambulabit in tenebris & errorum caligine, sed securus vadet ad fontes aquarum.*

In talibus congregationibus Deo sacratis via recta in cœlum tenetur, non vepribus obsita, sed sanctorum vestigijs incessanter attrita; non flosculis huius amari sæculi ornata, non delitijs aut blandimentis affluens, sed legibus regulisq; sanctissimis munita, vt stulti non errent per eam, nec quisquam in illa deuiet, nisi qui suã salutem prorsus negligeret. Hîc cuncta in numero, pondere, & mensura aptè disponuntur; vt verè ibi sapientia habitare dicatur; cuius opera omnia mirè ordinata sunt. Hic viget cœlestis quædam fratrum correptio suauis, affectuum prauorum castigatio, & mutua charitatis ineffabilis prouocatio.

Ob hæc & his similia ante bienniũ apud me firmiter proposueram, hoc vitæ genus suscipere, si Dominus vellet: & à viro docto & pio, tunc spirituali meo patre, inquisiueram, an si ex patria iusta de causa redirẽ (eram enim eo tempore in trãsmarinis partibus) sperare possem, me patres societatis ad sanctam obedientiam suam admissuros. Atq; cùm is affirmaret ea de re nullatenùs mihi dubitandum esse; aucta

mihi fuit spes, accreuit animus, & hoc biennio dum in Anglia versor, sæpius propositum hoc mente renouaui. Sed quia sperabam laborem meum & industriam in messe Domini, non prorsus inutilem fore; distuli propositum. Nunc autem cùm diuina dispensatione libertate priuer, vt huic vtili labori meipsum diutiùs non possim impendere; iterum renouatur desiderium, iterum exardescit spiritus; adeò vt tandem votum Domino Deo vouerim; idq́ non temerè (vt spero) sed in Dei timore, nec ob alium finem, quàm vt inde sanctius & gratius obsequium Deo præstem, ad maiorem Dei gloriam, certiorem salutem meam, ad gloriosiorem de spirituali meo hoste triumphum. Voui equidem, vt cùm Domino placuerit me liberare (si tamen aliquando placuerit) intra vnum deinde annum patribus societatis me totum resignem, & si Deo inspirante me receperint, libenter & summo cum gaudio in perpetuum voluntatem meam omnem in Dei seruitium, & eorum obsequium penitùs penitùsq́ tradam.

Hoc votum in summis angustiis & tribulationibus meis, magno mihi gaudio & solatio fuit: & ob hoc, maiori cum fiducia impetrandæ fortitudinis & patientiæ accessi ad thronum diuinæ Maiestatis, patrocinio fretus B. Mariæ semper virginis, & omnium sanctorum. Quod quidem à Deo profectum confido; quia in ipso orationis tempore à me factum fuit, cùm mihi videbar cœlestia cogitare. Sic enim res gesta est.

Eodem die, quo primùm tormentis cruciabar, antequàm ad ea ducerer orationibus vacans, & Domino Deo me meaq́ omnia commendans, superna quadam spiritus dulcedine replebar, dum inuocarem sanctissimum nomen Iesu, & B. Virginis Mariæ; dicebam enim Rosarium: hilaris erat animus benè confortatus, & promptus ad perferenda tormenta, quæ tùm certissimè expectabam. Tandem in mentem venit prædictum propositum, & simul occurebat, vt nunc voto firmarem, quod anteà statueram. Peractis precibus, hæc eadem animo reuolui, ratione quà potui discussi, bona iudicaui, desiderium compleui, votum prædicta conditione liberè emisi. Quod factum Deus ipsi mihi videtur statim probasse. Nam in omnibus angustijs & cruciatibus meis, infinita sua bonitate misericorditer mihi affuit, confortans me in necessitate, & liberans animam meam à labijs iniquis, à lingua dolosa, & à rugientibus paratis ad prædam.

An quod dicam mirabile sit, nescio; Deus scit: sed quod verum sit, testis est coram Deo conscientia mea. Hoc dico me in vltima tortura, cùm crudeliùs in corpus sæuirent aduersarij, manibus pedibusq́ violenter extensis, omni tandem ferè doloris sensu caruisse: nec hoc solùm, sed etiã quasi refocillatum à præcedentis torturæ doloribus, sensibus integris, mente quieta, & corde tranquillo perstitisse. Quod videntes Cõmissarij, exeuntes intulerunt me eodem modo iterum in diem posterum cruciari: quod audiens, credebã equidem, & sperabã diuino auxilio me patienter

laturum; intereà meditabar, vt poteram Saluatoris nostri acerbissimam passionem, innumeris doloribus plenam. Quæ dum agerentur, vulneratam putaram sinistram manum in medio palmæ, & sanguinem effluxisse existimaram: sed reuerà nil tale fuit; nec alius tunc dolor præter illum manus grauabat.

Nunc ergo vt innotescat vobis petitio & postulatio mea, cùm nulla spes reliqua sit, nos breui pristina libertate fruituros, sic vt vestras paternitates præsens alloquar; quod etiam an aliquando in terris fieri possit, est mortalibus ignotum: interim humiliter me vobis submitto, suppliciter rogans, vt pro me, de me faciatis, quod vestræ prudentiæ visum fuerit. Et si fieri possit, vt absens in vestram Societatem adscribi & recipi queam, supplici mente, & toto corde exposco: vt sic cum humilibus humiliter sentiam, cum deuotis Dei laudes personem & continuè gratias ei pro beneficijs suis referam, tum etiam plurium suffragijs adiutus, tutius curram ad propositum brauium.

Non ignoro infinitas esse antiqui hostis insidias: tortuosus enim cùm sit coluber mirè simplicium animas, qui fidelem ductorem non habent, sua astutiâ deludere conatur, in Angelum lucis transformans se: vt non sine causa admoneamur, vt probemus spiritus si ex Deo sint. Vobis igitur quoniam spirituales estis, & huic certamini assueti, committo totũ negotium hoc, per viscera misericordiæ Dei obsecrans, vt me vestro consilio & sapientia regere dignemini: & si vtile vobis videatur ad maiorem Dei honorem, Ecclesiæ vtilitatem, & animæ meæ æternam salutem, vt promouear ad hanc Sanctissimi nominis IESV Societatem: in præsenti obedientiam promitto, coram Deo in foro conscientiæ meæ, omnibus & singulis Præpositis & superioribus constitutis, & constituendis; omnibus item regulis, legibúsue in hac Societate receptis, pro mea virili, & quantum me Deus adiuuerit. Testis dies iste, testis & hoc chirographum manus meæ in die iudicij. De corporis valetudine, non est quod dubitetis, quia iàm ferè pristinam fortitudinem & robur Deo donante, recuperaui, & indiès magis magisq́; conualesco. De cætero me vestris orationibus commendans, vos in Domino valere iubeo, sollicitè expectans, quæ sit vestra de me sententia.



ADMO-

ADMONITIO QVAEDAM ET CONCLVSIO PRAECEDENTIS HISTORIAE.

ETSI verum sit, Catholicos carceribus Londinensis castri inclusos, tàm arcta & inhumana teneri custodia, vt nec amicorum aditus, nec aliorum hominũ Societas aut colloquium, multò verò minus libri, charta, aut calami permittantur; tamen, dum haberentur disputationes cum P. Campiano ibidem incarcerato, quarũ mentionem in vita & martyrio eiusdem fecimus, nonnulli eorum qui audiendi causa intrauerant, opportunitatem nacti, digressi sunt ad quorundam sacerdotum inclusorum latibula, vt Christi seruos viderent, & salutarent.

Qua sancta Dei prouidentia factum est, vt nonnulla de illorum statu, & summa consolatione, qua diuina bonitas inter extremas angustias eos reficit ac recreat, intelligerentur. Inter alia verò hæc epistola raptim exarata à Brianto sacerdote afflictissimo, & iterum atque iterum tormentis agitato, dictante profecto (vt videtur) spiritu sancto, in lucem peruenit: vt mortales intelligant, non esse abbreuiatam manum domini, quo minùs nunc quam olim, confessoribus suis in necessarijs opituletur, & intra densas carcerũ cæcitates assistat.

Experitur sane nunc Briantus iste, æternum fœlix, quod de Deo nostro nos docet Apostolus, potentem nimirùm esse illum facere plus, quam petimus aut intelligimus. Petebat ille tantoperè (vt ex ipsius epistola apparet) se vitam suam & omnia Deo consecrare in sæculo, in eorum hominum societate, qui Ecclesiæ, sub Iesu nomine, tanquam sub auspicatissimo vexillo inseruiũt; & ecce iam ipsi Iesu Christo in cœlo iunctus est. Id porrò cum considero, dubitare non possum, quin singularis ei fuerit consolatio, in patris Campiani eius societatis hominis lectissimi consortio, mortem pati, cuius ille societatis membrũ tanto, dum viueret, desiderio effici cupiebat.

Quàm longè autem ab eorum innocentum cæterorumq́; qui post ipsos passi sunt, mentibus, linguis, manibus abfuerit, non modò necessariũ illud proditionis crimẽ, sed omnis etiã parũ ordinata viuẽdi ratio, satis norũt, & testãtur, quotquot vel illos aliquo modo nouerũt, vel aliquã cũ ipsis vitę cõsuetudinẽ habuerũt. Nihil ꝑfecto min⁹, quàm

quàm hæc crimina illorum cùm familiares sermones, tum exhortationes sapiebant; vt qui in vitiorum omnium detestatione, & virtutum, omnisque probitatis commendatione toti versabantur. In ipsis mirus mundi contemptus, cum summa animi submisione ac patientia præclarè coniunctus: incredibile etiam desiderium tribulationes, persecutiones, & denique quiduis pro Christo ferendi: hæc & ipsi summa habebant, & alios, quos poterant, libentißimè docebant; id prætereà addentes; debere Catholicos (qui soli verè sunt Christiani) persecutores suos amare potiùs, & pro ijs Deum ex animo orare, quàm quidquam agere, vel vlla ratione moliri, quod illis noceat, quóue illatas sibi iniurias vt vel maximè posint, vlciscantur. Quod plurimi cuiusuis conditionis homines in Anglia testari possunt, atque etiam testantur.

Fuit prætereà illorum vita in priuata ac domestica conuersatione eius seueritatis, vt ne leuisima quidem eorum criminum suspitio, quæ ipsis in iudicio per summam calumniam obiecta fuére, in vllius hominis mentem cadere posit, qui ipsos familiariùs nouisset. Quorum profectò criminum si vel conscij fuissent, nunquam cum ipsis de religione fuisset disputatum; multò etiam minùs vita ipsis cum libertate promissa, si vel tantùm Ecclesias cum hæreticis & schismaticis frequentare voluissent.

Quam ipsis conditionem ab aduersarijs fuisse oblatam Edmundus Campianus palàm professus est, vno etiam, eoque non infimæ certe auctoritatis viro, qui eam obtulisset, nominato, etiam tùm vt intellexi præsente. Conditionem enim hanc Campiano proposuerat, dira, nî illam acceptaret, minatus; nimirùm nô modò neruorum distentionem, sed vnguium etiam à digitis per aciculas diuulsionem.

Rursùs illa animorum alacritas & ingens gaudium, quo mortis sententiam non audierunt modò libentisimè, verùm etiam auidè acceptarunt immensas Deo propterea gratias agentes: illæ etiam protestationes publicæ tanta orationis grauitate ac vehementia à singulis post latam damnationis sententiam cum pro tribunali starent, constanter facta, luce profectò clariùs demonstrant, purisimas eorum conscientias à tam atrocibus criminibus prorsus fuisse immunes.

Tunc etenim, & illo ipso in loco, Deum ipsum, angelos, cœlum, terram, ipsamque adeò rerum vniuersitatem, & illud ipsum tribunal-

nal, ad quod consistebat, testatus est Campianus (quod aliquam præ se ferre illius tribunalis speciem verissimè dixit, ad quod se breui incredibili suo gaudio sistendum sperabat) testatus (inquam) est æternæ se velle mortis supplicium pati, nisi ab obiectis criminibus penitùs esset immunis; imò etiam nisi omnium ac singulorum capitum prorsùs esset ignarus, quæ in illo accusationis libello continebantur.

Eadem planè grauitate ac constantia, Deum Scheruinus obtestabatur, si quid vnquam huiusmodi, aut per imaginationem cogitasset, aut voluntate proposuisset, aut lingua esset locutus, aut manibus perpetrasset, imò vel perpetrare tentasset contra Elizabetham Reginam dominam & principem suam, vel contra quemuis ex honoratissimo eius Concilio, aut contra Reipubl. Anglicanæ statum; se, inquam, si quidquam tale commisisset, renuntiare suę parti cœlestis illius hæreditatis & gloriæ æternæ; optabatque Deum iustum iudicem, se tum animo & corpore æternis tenebris, & Tartarei ignis cruciatibus addicere.

Hæc cùm grauiter dixisset, mox elata præ gaudio voce exclamat: O fœlicem meæ natiuitatis diem, qui ob hanc causam sic sum moriturus. Idipsum & cæteri, qui mortis sententiam simul acceperunt, eadem libertate professi sunt: omnesque libentitissimè accusatoribus suis, qui tunc aderant, iniuriam condonantes, pro iis etiam Deum orarunt. Ostendat verò, si potest, quisquis horum innocentiam suspectam habet, proditorem aliquem tam grauis sibi criminis cōscium, ad hunc se modum gessisse, tantamque bonę conscientiæ præ se tulisse fiduciam, eo pręsertim tempore, cum sibi moriendum esse certissimè sciret.

Nos interim Deo pro illis ingentes agamus gratias, quod suum ipse nomen, per eos mirum in modum illustrare dignatus sit. Nouit ipse solus, quàm dira tormenta & inauditos ante mortem cruciatus pertulerint: nos pauca auditione tantùm accepimus. Non enim ij erāt (vt res ipsa docuit) qui de singulis iniurijs grauiùs quererentur; quin potiùs, quod de eorū similibus martyribus dicitur, corde tacito, & mente benè conscia patientiam conseruabant; pręclarè secum actum sentientes, si in silentio & patientia à iusto iudice mercedem expectarent. Quædam tamen de singulorum cruciatibus, dum questioni subijcerentur audiuimus; ex quibus facilè est de grauioribus coniecturam haùd leuem facere.

Et ſanè quamuis nihil à quoquam relatum fuiſſet, vel vnus, cùm ex carcere ad tribunal educeretur, Campianus ſatis oſtendit, rei ipſius grauitatem longè rumores omnes ſuperaſſe. Brachia enim ille lineis inuoluta faſcijs geſtabat, adeò tormentorum vi fracta ac debilitata, vt ne chirothecam quidem ex craſsiori panno confectam, qua manus altera tegebatur poſſet detrahere; nec poculum, niſi ab alio adiutus, ori admouere. Nihilominus Deum ſupplices oramus, vt cum ipſis illius tortoribus, dum eos iudicabit, mitiùs agat, quam cum Campiano ipſi egerunt.

Certè niſi prępotentis Dei manus & ſingularis gratia pios homines adiuuiſſet, haùd ſcio, num tam exquiſita ſupplicia tantamq; tot cruciatuum acerbitatem, humana perferre natura potuiſſet. Sed vt ſuis Sathanas miniſtris varia, quibus Dei ſeruos affligerent, tormentorum genera ſuggeſsit; ita martyribus ſuis Deus adfuit nouo planè, & vt ita dicam, extraordinario modo. Id quod ex pręcedente Brianti epiſtola manifeſtè colligitur: de quo Nortonus ille, qui tortorum veluti princeps quaſtioni pręerat, (niſi de eo mentiatur fama & quidem celebris) in aula gloriabatur, longiorem ſe ad vnius certè pedis menſuram feciſſe, quàm fuerat à Deo formatus. Et tamen in medijs, aiebat ille, tormentis penitùs ſecurus moleſtiæ nihil ſenſit; dubium vt minimè fuerit, quin dæmonem, inquit, habuerit. Verùm ſit ne magis dæmoni proprium, inauditos cruciatus ſuggerere, quibus innocentes homines crudeliter torqueantur, an iniuſtè illatos patienter ferre, diſputabunt profectò aliquandò Briantus & Nortonus, cùm multi aſtabunt dæmones teſtes, & iuſtiſsimus ille cùm dæmonum, tùm improborum hominum, qui eorum voluntati ad nutum parent, iudex aderit, extremam laturus ſententiam. Deum intereà ſuppliciter oremus, vt piorum ſacerdotum ſanguinem veluti holocauſtum, acceptum habeat, nobiſque ad placandam aliqua ex parte iuſtiſsimam aduerſum nos ſuam iram velit prodeſſe; imò & ipſis aduerſarijs noſtris, vt ablato ab illorum mentis oculis errorum velamine, clariſsimam Catholicæ veritatis lucem perſpicere valeant, pro cuius confeſsione pios crudeliter perſequuntur, immaniterq; affligunt; ipſo haud dubiè inſpiciente, cuius oculos nulla latet iniuſtitia, quantumuis ab hominibus artificiosè veletur. Illum nos iudicem appellamus, illi noſtram cauſam proponimus, ac cognoſcendam committimus; de ea vti ſtatuat, quidquid & quocunque tandem tempore diuinæ ipſius Maieſtati videbitur conuenire, Amen.

Crudelis vox hominis Calviniani.

Inſignis Brianti laus.

MARTYRIVM D. EVERARDI HANSII SACERDOTIS

31. Iulij, 1581.

DOminus Euerardus Hansius, cùm ageret concionatorem hæreticum (quæ Dei fuit erga ipsum misericordia & prouidentia) incidit in morbum grauem & periculosum; in quo tum doloribus, quibus afficiebatur, tùm singulari & inusitata admonitione Dei excitatus, cœpit cogitare de vita anteacta & execrādo munere, in quo versabatur. Vnde accersito sacerdote in gratiam cum Ecclesia Catholica rediit, statimq; deserto officio atq; sacerdotio, quod iniustè consecut⁹ erat, Remos concessit. Vbi postquàm duos annos vixisset, & multū operę in casibus conscientię, ac munere sacerdotali cognoscendo posuisset, valdè desiderauit sacris ordinibus inaugurari, vt in Angliam reuersus, posset cùm alios, tùm maximè amicos quosdam suos charissimos ad Ecclesiæ Catholicæ complexum reuocare. Obtinuit tandèm quòd petiuit, & in Angliam traiecit.

Martyr deserto ministerio redit in gratiam cum Ecclesia.

Hæretici in Anglia sparserunt illū nō potuisse biennio sufficientem eruditionem comparare ad sacerdotis munia obeunda; & tamē fuit minister apud illos quatuor vel quinque annis anteà.

Quò simùl atque venisset, dum quosdam captiuos in carcere salutaret, comprehensus fuit, & interrogatus, quis esset, & vndè veniret; sine cunctatione se Catholicum esse sacerdotem & alumnum seminarij Remensis confessus est. In vincula statim coniectus, cathenisq; ferreis oneratus, iacuit ad aliquot dies inter medios fures atque latrones. Inde ad tribunal deductus, & de varijs rebus à D. Flitvvood Iudice interrogatus, citra timorem aut dissimulationem respōdit, se Remis fuisse creatum sacerdotem, & in Angliam rediisse, animo iuuandi fratres suos, eosq; liberandi à cæcitate erroris. Ergo, inquit Iudex, tu Papæ subiectus es? Etiam inquit Euerardus. Ergo Pontifex aliquid potestatis in te habet? ita est. Quid? in Anglia? imò in Anglia; nam in rebus Ecclesiasticis & spiritualibus tantam habet modò auctoritatem, quantam vnquàm anteà, & tantam in Anglia, quantam in vlla alia Prouincia, etiam in ipsa vrbe Romana.

In vincula coniect⁹ liberè confitetur veritatem.

Ex hac confessione vera hæretici, quorum studium est, quacunque ratione, seruos Christi in odium populi pertrahere, scriptis libris disseminauerunt Euerardum dixisse, nullum Regem aut Principē, sed solum Pontificem in prouincijs Christianis esse superiorem,

Impudēs hæreticorū mēdacium.

Aliud planè diabolicū, ex quo Catholici poßint colligere quales sunt consciētiæ ministrorum Caluinianorum.

quòd tamen longè à mente ipsius, & bonorum omnium Catholicorum absuit. Cùm porrò ex eo quæsitum esset, num Pontifex possit errare; disertisq; verbis respondisset illum posse errare in vita & moribus, atque adeò in priuata sua doctrina & scriptis: non autem in definitione iudiciali, & decisione controuersiarum; aduersarij nihilominùs in vulgus sparserunt, cum affirmasse Pontificem non posse peccare.

Rogatus an Pius V. in Bulla, qua declarauit Reginam esse hæreticam, & subditos ab eius obedientia absoluit, errauerit? spero, inquit Euerardus, eum non errasse: quò verbo, *spero*, consultò idcircò vti voluit, & non alia asseueratione; quòd ista Pij V. declaratio non sit doctrinalis, in qua affirmauit Papam non posse errare. Quærenti vlteriùs Iudici, vtrum dicta verba protulerit causa persuadendi suam sententiam auditoribus: nescio, inquit D. Euerardus, quid intelligas per verbum istud, persuadendi; vellem tamen omnes vnà mecum Catholicam fidem colere.

Struuntur martyri insidiæ ab ipso Iudice.

Libellus accusatorum in martyrē scribitur.

Tùm scripta fuit iussu Magistratus à quodam Iureconsulto in eum eiusmodi accusatio: Euerardū Hansium alumnum Pontificis, & sacerdotem trans mare factum, reuertisse in Angliam, vt suæ Maiestati subiectos à debita obedientia abduceret; quippè qui dixerit Papam esse suum superiorem in regno Angliæ, tantumque iuris in Ecclesiastica gubernatione habere, quantum vnquam anteà; seque sperare Pium V. non errasse in eo, quòd Reginam hæreseos condemnauit, subditosque à iuramento, & obedientia erga suam Maiestatem vindicauit. Denique se hæc eo fine protulisse, vt alios in suam sententiam induceret.

Cùm ferè omnia, quæ obijciebantur magno animo ita esse confirmasset, iussus fuit tandem more patriæ manum eleuarē; ille autem quia dextera manu teneret compedes atque cathenas ferreas, quibus constringebatur, sinistram sustulit, grauem propterea passus à Magistratu repræhensionem, asserente eum vel ex superbia, vel ex superstitione noluisse dexteram manū extendere; eò quòd sacerdos manum haberet vnctam more Papistarum. Post hęc mortis sententia in eū prolata fuit, quemadmodū in cæteros martyres. Dùm intereà in carcere tenetur, omnes machinas adhibuerunt ministri verbi, vt animum inuictissimi athlethæ expugnarent.

Verùm cùm ille, neque à Romana Ecclesia in vllo puncto vellet dissentire, neque culpam contrà Reginam commissam fateri: vt ei inui-

i inuidiam apud populum conflarent, magnum & impudens mendacium finxerunt, atque adeò typis excudendum curarunt, cum asseueraſſe, crimen læſæ Maieſtatis in Reginam admiſſum, non eſſe peccatum apud Deum. *Aliud mendacium miniſtrorum.*

His ergo criminibus ad modum prædictum excogitatis freti, vltimò Iulij Anno 1581. cum ad locum ſupplicij pertraxerunt, vbi vultu hilari profeſſus eſt ſe eſſe ſacerdotem Catholicum, & libentiſsimo animo vitam naturæ debitam pro hac veritatis teſtificatione profundere. Iuſſus petere veniam à Regina, & ſimùl rogatus, an illam acciperet pro ſua Regina & principe, reſpondit illam quidem ſuam Reginam & principem eſſe; nunquàm tamèn à ſe læſam, niſi fortè crimen læſæ Maieſtatis ſit, conſcientiam grauiſsimo ſcelere non velle contaminare.

Et quoniam ſparſum eſt (inquit) niſi falſus rumor ad aures meas peruenit, me dixiſſe perduellionem peccatum non eſſe coram Deo; ideò conteſtor me nihil aliud aſſeruiſſe, quem hæc noua crimina læſæ Maieſtatis, ſeu potiùs confeſsionis Catholicæ religionis, non eſſe vera peccata in conſpectu Dei, quicquid aduerſarij noſtri in contrarium ſentiant. Paulò poſt, cum recuſaſſet precari cum hæreticis, multumque petiuiſſet Catholicorum precibus adiuuari, tandèm ſe Deo commendans, plauſtro remoto, ſtatimque è patibulo demiſſus, (ó luctuoſum & acerbum ſpectaculum) viuus dilaniatur.


EXEMPLAR LITERARVM
QVAS IDEM AD FRATREM SVVM DEDIT.



Veſo frater, cura parentes meos, & da operam vt relicta falſitate ad veritatem traducantur; certoq́; tibi perſuadeas, ex ſententia, Dei beneficio ſucceſſurum, quicquid in hoc negotio aggreſſus fueris: non deerunt vobis preces meæ. Agite Deo gratias, pro omnibus ijs qui nobis euenerunt. Nolite temere vos in periculum dare, ſed Deum rogate, vt quando adſunt, forti & conſtanti animo perferre poſsitis. Certè conſolationes, quibus animus in huiuſmodi afflictionibus permulcetur ſunt inexplicabiles, & dignitas martyrij longè excellentior, quàm vt eam homo pec-

catis onustus promereatur. Sed Deus misericors est. Si quid ex rebus meis reliquum sit, pauperibus amicis detur. Aes alienum vt nostis dissoluatur, & libri, quibus scitis, restituantur. Salutabis meis verbis amicos omnes, quorum memoria ex animo meo nunquàm delebitur. Ecce natalis meus appropinquat, & magister meus ait, Tolle crucem tuam, & sequere me. Vale in Domino.

Vester Euerardus Hansius, pridiè quàm occideretur.



MARTYRIVM THOMÆ SCHERVVODI IVVENIS LAICI.

Ex epistola de persecutione Anglicana.



Homas Schervvodus Laicus quidèm fuit, & iuuenis, si annos spectes, sed tamèn singulari Dei gratia paternoque exemplo & institutione Catholicæ religioni, pietati & pœnitentiæ mirificè deditus.

Hic cùm se compararet ad traijciendum in Galliam ad Remense seminarium, ad eum, qui sequitur modum comprehensus fuit.

Solebat iuuenis domum frequentare nobilis & generosæ matronę Dominæ Tregoniæ, cuius filius Martinus nomine, matri contrarius Caluino plenus, furebat animo, quòd huius auxilio in domo materna fieri non raro Catholica sacra suspicabatur. Cùm ergo quodam tempore, hunc præclarum iuuenem in platea Londinensi obuium haberet; exclamauit voce perquàm fera, proditorem; heu capite proditorem. (Hoc enim nomine Catholicos appellant ad odium) Ciues audito hoc verbo exiliunt officinis, homini manus inijciunt, & ad iudicum proximum tribunal abripiunt.

Vbi cum venissent, vociferator nihil quod obijceret, præter solam suspitionem religionis Catholicæ habebat, (neque enim de facto valebat conuincere). Iudices tamèn hominem non dimittebant, quia odiosissima est accusatio religionis, & adiuuanda iudicum ipsorum interrogationibus, si quando accusatori desit quod opponat.

Interrogant ergo de fidei capitibus, quid crederet, quídue sentiret? tandèm argumentando extorquent illum sentire Pontificis Romani summam esse debere authoritatem in rebus etiam Angliæ Ecclesiasticis. Quo semel accepto, secutum est illud quod de alio iudicum consessu scribitur, *Quid adhuc desideramus testes? audistis blasphemiam,*

miam, quid vobis videtur? qui omnes condemnauerunt eum esse reum mortis.


Ad castrum ergo Londinense transmittitur, & in abditissimam specum iuxta locum tormentorum reconditur. Interim cubiculum diripitur, quod habebat in ciuitate; & distrahitur quicquid erat bonorum; simul etiam nonaginta plus minus aurei, qui alieni fuerant, & pauperrimo afflictissimoque patri debebantur, in reliquorum societatem abripiebantur.

Ille in carcere tormentis exercebatur, vt indicaret quibus locis audiuisset missas. Post maxima tormenta ingenti animi magnitudine tolerata, protrudebatur in antrum perobscurum & atrum sine veste necessaria. De victu autem licet facilè conijcere, cùm nulla pars suorum bonorum ad vitæ sustentationem permitteretur. Imò quod horret certè animus referre, cùm vir quidam pijssimus fama huius extremæ calamitatis permotus, pecunias quasdam dono misisset, & mediante quodam incluso, particulari huius custodi tradidisset, (habet enim quisque particularem in hoc castro custodem) custos acceptam pecuniam postridiè retulit, affirmans Præfectum castri nolle hunc miserum huius eleemosinæ frui beneficio. Rogatus tamen vehementissimè, vt aliquid in illius opem expenderet, negauit se omninò posse, acceptis solùm duodecim circiter assibus ad stramen comparandum, in quo discumberet: tam infensus erat pauperculo Præfectus.

Hic erat Robertus gener Thomæ Mori.

Hoc est, sex denarijs Anglicanis.

Denique post sex mensium crudelissimam inclusionem, post cathenas & famem, post acerrima eculei tormenta, post constantiam penè incredibilem 7. febru. An. 1578. miserandum in modum viuus mortuusq; mactatus fuit, & ad æterna tabernacula trāsmissus, gloriā & præmium tantorum laborum in omnem æternitatē suscepturus.



MORS ILLVSTRIS ADOLESCENTIS D. TIRVITI ROBERTI TIRuiti equitis aurati filij.

Tiruitus adolescens magnæ & honorificæ familiæ, vtpote filius D. Roberti Tiruiti equitis aurati, vocatus in crimen auditæ missæ, quæ sororis in nuptijs dicebatur celebrata, fugerat quidē è domo paterna, & Londini se abdiderat. Vbi ex labore fugæ, & æstatis (opinor) intēperie in grauē febrim incidit.

Ex epist. de persecutione Anglicana.

Quod

Quod vbi cognitum est aduersarijs, accurrunt statim, euellere volunt ædibus, carceribus inserere, vt erat languidus & afflictus ægritudine. Res visa est inspicientibus cùm inhumana, tum funesta: orant, obsecrant vt hominis ægroti rationem habeant, non addant afflictionem afflictissimo, vitam non effundant generosi, nobilis, & pulcherrimi adolescentis: securitatem offerunt, quantam velint, sistituros in iudicio quàm primùm conualuisset; sed non recipitur.

Adsunt medici, qui affirmant actum esse de salute, si loco moueatur ad carceris incommoda, non curatur: vi rapiunt hominem ad ergastulum; recludunt carcere; moritur biduo; sepeliunt nihil habentes vel pensi vel scrupuli. Atque ita iuuenis & sanguine, & fide clarus aspiciens in authorem fidei & consummatorem IESVM, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, vitam hanc cótempsit mortalem, crucemq; elegit, breuem quidèm & momentaneam, sed quæ supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur, & familiæ Tiruitorum immortale decus est allatura.



MARTYRIVM COPERI IVVENIS LAICI.

Ex epistola de persecutione Anglica.



Operus iuuenis erat loco bono prognatus, & literarum in studijs non leuiter versatus; (doctissimo enim viro Harpesfeldo, qui Christi causa mortuus est in carcere, præceptore & domino fuerat vsus.) Hic religionis & studij causa iter in transmarinas partes designauerat.

Ad quod accinctus iam, collecta quam habuerat vel pecunia vel suppellectili, ad ipsum portum transfretandi causa properabat. Sed re, nescio quo casu, diuulgata, compræhensus est à Magistratu, & Londinum remissus: vbi primùm spoliatus bonis vniuersis, & coniectus in arcem Londinensem, seruabatur arctissimè in ea parte carceris, quæ turris Becheama dicitur, excluso quidem omni solatio humano excepto solo lectulo, qui ægre permittebatur, ab amicis transmissus.

Post aliquod deindè tempus, iuuenis ætate non robustus, liberoque

ic cœlo & flamini aſſuetus, partim inedia & frigoris aſperitate, rtim etiam ſqualore loci & auræ corruptela in capitis quandam erturbationem aut vertiginem videbatur incidiſſe. Qua re Præfe- o caſtri renunciata, mirabilem adhibuit Caluinianus ſatrapa mor- o medicinam. Iuſsit enim auferri lectulum, vt humo nuda diſ- umberet, ad ſanitatem recuperandam.

Quid multa? breui mortuus ſanctiſsimus iuuenis inuentus eſt, rigoris & inediæ conſumptus viribus; cuius rei illud extitit publi- um teſtimonium, quòd cum caligas ei ad ſepulturam detraherent, aro frigore putrefacta adhæſit caligis, & oſsibus auulſa decidebat in fruſta: miſerabile ſpectaculum inhumanæ cuiuſdam feritatis & ſæuitiæ.

MORS ILLVSTRIS VIRI DOMINI DIMOCI.

Ex epiſtola de perſecutione Anglicana.

Dominus Dimocus vir illuſtris & magnanimus, peculiari quadam dignitate armorum ſpectabilis, & clariſſimi Comitis Lincolnienſis gener, cum paralyſi membrorum vehementiſsimè nonnullis iam ab annis laboraſſet ita vt nec domum egredi, nec loco pedem efferre poſſet niſi ſeruorum manibus ſubleuatus; accuſatur tandèm de religione Catholica apud Superintendentem illius prouinciæ, defertur vt auitæ fidei ſuſpectus, & citatur in iudicium tanquàm Catholiciſmi manifeſtè reus.

At homo paralyticus non comparuit; excuſat ſe tamèn diligenter per literas, ſed non admittitur, accurrit domum Superintendens ipſe, perluſtrat oculis hominis impotentiam, ſed nõ mouetur. Comportari vult ad carcerem. Quid multa? nec ætas viri, nec conditionis dignitas, nec generis amplitudo, nec magnatum propinquitas, nec membrorum paralyſis, nec ergaſtuli moleſtia liberare poterant.

Quid ergo? breuiſsimè his incommodis moritur, ſed nec morientem dimittunt. Imò diuexant, & affligunt magis; adſunt enim ægrotanti, adſunt confligenti cum mortis doloribus, adſunt animam agenti, adſunt iam iam ſpiritum efflaturo, quieſcere non ſinũt, mori qua ratione cupiebat non permittunt (cupiebat autem vni-

uerſalis Eccleſiæ conſuetudine) ſed obtrudunt ſe miniſtri, ſuaſque preculas ingerunt, quas ille ſanus contemnebat, ægrotus clamore reſpuebat, iam mutus & ſemimortuus, vultu, ſignis, corporiſq; geſtu deteſtabatur. Quid hoc immitius aut crudelius fingi poteſt? & tamen hæc & his longè crudeliora à manſueti Euangelij Caluiniani profeſſoribus indies committuntur, vt ſcilicet in Catholicis Anglis compleatur quod à Chriſto Domino prædictum fuit; Abſque ſynagogis facient vos; ſed venit hora vt omnis qui interficit vos arbitretur obſequium ſe præſtare Deo.

MORS CHRISTOPHORI VVATSONI ET ALIORVM CIRciter viginti in carcere Eboracenſi.

An cap. 1 lib. ad Perſecutores Anglos.



Hriſtophorus Vvatſonus vir pius & prudẽs cum alijs Catholicis Laicis vtriuſque ſexus plus minùs viginti in carcere Eboracenſi ob religionem incluſi, cum propter ſitum, pædorem, anguſtias, & læthalem carceris tabem in ſummo vitæ diſcrimine verſarentur, nullis precibus tamen impetrare potuerunt ad mortem ceruicibus imminentem auertendam, aërem liberiorem, donec beata mors, ſummis calamitatibus finem imponeret.

MARTYRIVM DOMINI IOANNIS PAYNI SACERDOTIS 2. Aprilis 1582.



Iceſimo Martij An. 1582. ab Odoano Hoptono equite aurato, arciſque Londinenſis Præfecto, è cubiculo ſuo ductus eſt Ioannes Paynus, & ita quidèm repentè, vt nec veſtes omninò induere, nec crumenã, quam intus habebat ſecum ſumere poſſet, ſed eam vxori Præfecti, quæ more ſuo, vt aurata & ipſa eſſet, huiuſmodi prædis inhiabat, relinquere coactus fuit.

A præfecto traditus est ministris Regijs in Comitatum Essexiæ abducendus, tantaque celeritate, vt sago duntaxàt interiori indutus abire cogeretur; nullis tamen vinculis constrictus, quod magni beneficij, humanitatisque non vulgaris loco habuit. Insequenti porrò die Iouis, nomen eius cum nominibus tredecim veneficarum, homicidarum, & latronum proclamatur, eò quòd dixisset cuidam Elioto secum dormienti, circa natalem Domini, (quo tamen anno hoc acciderit nescitur) multa hactenùs consilia mutandæ religionis suscepta esse, nullum tamen ex animi sententia cessisse; inter omnia autem illud optimum videri, quòd aliquandò audiuisset à Comite Vvestmerlandiæ, Doctore Alano, & D. Bristoo commemoratum; vt nimirum 50. viri benè instructi, atque muniti armis & fistulis æneis, tempore opportuno Reginam obeuntem prouinciam aliquam aggrederentur; eamque cum Comite Lecestriæ, & D. Vvalsinghamo de medio tollerent, statimque Reginam Scotiæ renuntiarent Angliæ Reginam; neque enim grauius esse crimen Reginam occidere, quàm gallum gallinaceum.

Sistitur tribunali cū veneficis, homicidis & latronibus.

Hac fraude Caluinistæ nō semel vsi sunt, vt vitæ Reginæ Scotiæ insidiarētur.

Hæc fuit causa condemnationis. Contrà verò D. Paynus obiectum crimen constantissimè negat, & testificatur se semper & animo & ore honorasse Reginam, plusquàm vllam mulierem in vniuerso mundo, seque paratum fuisse sanguinem effundere pro ipsa, neque vnquàm vllam proditionem machinatum esse contra suam Maiestatem, vel Angliæ nobilitatem: imò se pro ipsa non aliter, atque pro propria sua anima Deum precatum esse.

Tunc Dominus Moricius, Reginæ Consiliarius, duobus modis cœpit probare eum esse proditorem, præsumptione, & depositione. Præsumptione quidèm primò, quòd ante quinque annos se contulerit ad partes vltramarinas, indeque citò reuerterit. Secùndò, quia factus sit sacerdos ab Episcopo Cameracensi, obedientiamque spoponderit summo Angliæ hosti Pontifici Romano. Tertiò, quòd in Belgio locutus fuerit cum proditoribus, Comite Vvestmerlandiæ, D. Alano, & D. Bristoo. Quartò, quòd socium itineris habuerit filium proditoris D. Guilielmi Tempest. Depositio verò est ex iuramento Elioti, & confessione D. Payni in eculeo suspensi; quæ duo deinceps recitata fuére.

Accusatio instituta cōtra martyrem.

Ad primam & secundam præsumptionem respondet Paynus, non esse sufficiens argumentum vel signum proditoris, quòd in Bel-

Responsio eiusdem.

gium traiecerit,& ab Episcopo Cameracensi sacerdotio initiatus fuerit,cùm multi alij hoc factitent,quibus nunquàm venit in mentem proditionis: & addidit se nunquàm fuisse Pontificis alumnum,nec ab illo quicquam sumptuum ad se alendum accepisse. Ad tertiùm, negauit se vnquam cum Comite Vvestmerlandiæ collocutum esse,aut audiuisse Docto. Alanum, vel Bristoum de rebus huiusmodi disserentes. Ad quartùm, respondit D. Tempest esse nobilem & honestum virum, qui nunquàm secum de proditione communicauerit,neque se illicitum putare, vti eius familiaritate,qui illustri viro D. Christophoro Hattoni, regalis Maiestatis Consiliario, operam daret. Elioti deniq; depositionem, ita à se remouit,vt Deum & animam suam contestaretur, nunquàm se eiusmodi sermonem cum illo habuisse.

Adduxit deinde duo testimonia ex diuinis literis, & decretum senatus Anglicani ad probandum, neminem esse capitis condemnandum,sine duorum hominum sufficiendi testimonio. *Ioan. 8. Deutero. 17* In ore duorum aut trium testiû peribit,qui interficietur. Nemo occidatur, vno contra se dicente testimonium. Tertiò,ostendit Eliotum non esse legitimum testem, ad hominem pauperem opprimendum,propter rapinam, propter inhonesta facinora cum mulieribus perpetrata, ob contractus violatos, ob pecuniam iniustè ablatam Dominæ Peters,viduæ D. Guilhelmi Peters,ob religionem frequenter mutatam,propter odium sui,propter suspicionem homicidij,& alia id genus.

Mores Elioti hominis improbi, sed tamen testis idonei ad perdendum sacerdotes Christi, secundùm leges Caluinianas.

Tùm designati sunt duodecim viri,qui eum die Veneris à prandio dignum morte iudicauerunt. Die Sabbathi paulò antè prandium, à iudice Gaudæo interrogatus, an quid haberet,quòd pro se dicere posset, respondit contra legem humanam & diuinam esse, vt vnius infamis hominis testimonio,reus condemnetur. Iudici contra dicenti duodecim viros sine dubio facilè potuisse cognoscere,sit dignus morte nécne. Pauperes & simplices, inquit PAYNVS, sunt illi homines, neque intelligunt quid sit crimen læsæ Maiestatis: rogaui simùl à Mauricio & ab illis definitionem coniurationis, quam tamen dare noluerunt:quare si videtur Reginæ & Senatui mihi esse moriendum, ad summi & immortalis iudicis tribunal causam meã reseruo. Pronuntiata sententia, iudex eum ad pœnitentiam, alijq; nonnulli ad mutandam religionem spe veniæ à Regina consequendæ,sed frustrà sunt adhortati.

Ex vnius Elioti testimonio condemnatur Paynus.

Secun-

Secundo ergo die Aprilis,ad locum supplicij raptatus est, vbi per mediam ferè horam genibus flexis attentissimè orauit,deindeq; surgens patibulum vultu subridenti est osculatus. Vbi sensit collo funem impositum, oculis primùm ac manibus in cœlum aliquantisper eleuatis, fidem suā populo declarauit (nam persuasum erat omnibus eum esse ex ordine Iesuitarum ,qui, vt fingunt aduersarij, doceant Christum non esse Deum) & publicè confitetur vnum Deum in essentia, & Trinitatem in personis: Item secundam in Trinitate personam humanam naturam pro generis nostri liberatione sumpsisse.

Orat martyr in loco supplicij.

Aduersarij persuadēt populo Iesuitas negare diuinitatē Christi.

Tum deinde summum Dominum obtestatus est,vt sui misereretur,& anteactæ vitæ crimina condonaret,ac simùl ignouit omnibus ijs,qui illum offendissent,& nominatim Elioto, quem,vt Deus vnà secum faceret æternæ gloriæ participem vehementer rogauit. Tertiò denique professus est, se nunquàm pedes mouisse aut manibus scripsisse,aut ingenio quicquam molitum esse in perniciem suæ Maistatis,sed omnem illi fœlicitatem precari, in hac quidam vita temporariam,post mortem verò sempiternam.

Admirabilis charitas erga persecutorem suos.

Cùm instaret Baro de Rich,vt fateretur se tanquam proditorem occidi; valdè sedato animo respondit, se detestari omnem proditionem, neque velle id, quòd falsum esset,cum immortali salutis suæ detrimento confiteri; se mori tanquàm Christianum &Catholicum sacerdotem;cuius rei,vt ipse tesis esset, Baronem rogauit, simulque obtestabatur, vt Reginam admoneret, ne sanguinem innocentem amplius patiatur effundi. Hoc cùm audiuisset quidam Concionator, ad populum statim conuersus, dixit eum vel his solis verbis insignem se proditorem ostendisse,dum asserit Reginam fundere sanguinem innocentem, si illos videlicèt tangat, qui vncti sunt à Pontifice Romano. Cui Paynus, verè (inquit)tu mecum agis inhumaniter; ego enim hoc non dixi sed rogaui, tantùm D. Baronem, vt moneret Maiestatem Regiam, nec patiatur sanguinem innocentem fundi.

Ministri Caluiniani egregiè produnt sua ingenia proterua.

Tunc alius quidam minister dixit eum proditorem esse, quantumuis id negaret,exemploque P. Campiani probauit,qui quàmuis crimen simile obiectum inficiaretur, sufficienter tamen à duobus aut pluribus testibus fuit conuictus. Cui Paynus, ego quidem à P. Campiano & socijs eius,paulò antè mortem ipsorum petiui, nùm hæc crimina illis intentata vera essent nec ne,qui vna voce contestati

 sunt,

ſunt, idque iuramento interpoſito omnia falſa eſſe atque fictitia. Vrget deindè miniſter quidam, D. Hartum totam coniurationem detexiſſe; Paynus reſpondit, ſe non velle aliorum facta defendere, ſibi propoſitum eſſe pro ſe ſolo verba facere.

Adhæc non puduit eos publicè affirmare, Paynum ipſum vniuerſam coniurationem nobili cuidam fœminæ nimirùm D. Pool indicaſſe; imò miniſter quidam addidit, Payni fratrem ſibi retuliſſe, hæc eadem ante ſeptennium fuiſſe à fratre ſuo ſibi ſignificata. Ad quæ ſic reſpondit Dominus Paynus, vt diceret ſe non cognoſcere fœminam illam nobilem: quod ad fratrem attinet, Bone Deus, (inquit vir ſanctus) quamuis ſciam fratrem meum vehementem eſſe proteſtantem, mihique in fide omninò contrarium, non tamen poſſum mihi perſuadere, eum velle hoc mendacium in mei perniciem proferre. Tùm petiuit aduocari fratrem ſuum, qui præſens erat in oppido, non tamen in loco ſupplicij, ſed noluerunt aduerſarij aduentum eius expectare. Quidam tamen Catholici ad hoſpitium reuertentes à loco ſupplicij, fratremque eius ibidem inuenientes rogabant, vtrum verum eſſet quod dicebatur à miniſtro nec ne? ille admirabundus iurauit eſſe mendacium apertum, ſeque id quàm primùm ſignificaturum Baroni de Riche.

Tandem multis habitis vltrò citroque ſermonibus, de ſcalis deijcitur, & à cruce ad cœlum, à contumelia ad gloriam, à ſupplicio breui ad quietem ſempiternam proficiſcitur. Diu fuit bonus vir in carcere ſeruatus, crudeliter tractatus, & vehementiſsimè tortus. Semel atque iterum interrogatus, num vellet Eccleſiam adire, (hoc enim vno omnia læſæ Maieſtatis crimina expiare potuiſſet) abſolute, inquit ille, me priùs crimine perduellionis, propter quod in cuſtodiam me tradidiſtis, tùm demùm animum meum circa reliqua vobis patefaciam.

Quid multis? blanditijs, minis, tormentis, omni denique modo pugnarunt, vt illud extorquerent, quod in rerum natura non erat. Poſt habitam enim in eculeo quæſtionem, ad diligentiorem inquiſitionem, ſiue potiùs afflictionem, miſit ad illum præfectus arcis famulum cum calamo, atramento, & charta, qui iuberet illum literis mandare, id, quod dixerit apud Eliotum & hoſpitem ſuum Londinenſem de Regina & ſtatu eius; caueret ne falleret aut recuſaret, alioquin futurum, vt illum cogeret cum extremo ſuo periculo ad reſpondendum.

RESPONSIO DOMINI PAYNI.

ETsi clarissime Domine, satis multa me dixisse puto ad ea quæ obijciebantur, si modò putetis me vel animæ meæ salutem, vel Christiani nominis habere rationem; tamen quia sic placet, non recuso iterum quod sentio his literis scriptis nomine meo à famulo Dominationis vestræ (nam mihi hoc præstare non licuit ob manuum infirmitatem ex tormentis contractam) Dominationi vestræ explicare. Primùm quod ad Maiestatem suam attinet, Deum obtestor, vt eam ad nominis sui gloriam tueatur incolumem & florentem; id quod hactenùs semper optaui, & vsque ad mortem optabo. Si non placet, vt viuam & seruiam ei tanquàm principi meæ, libenter moriar, vt subditus eius fidelis, & seruus Dei verus. Quod ad statum, protestor vt anteà sæpè protestatus sum coram Regiæ Maiestatis Commissarijs, me & modò esse, & semper hactenus fuisse liberum à conscientia cuiuscunque coniurationis, aduersus regni statum susceptæ: cuius rei Deum ipsum, qui intimas animorum latebras intuetur, testem inuoco. Illucescet profectò, illucescet aliquandò ille dies, cùm veritas, quam modò repudiatis & opprimitis, in lucem clarissimam coram diuina Maiestate proferetur. Vale.

Suæ Maiestatis fidelis subditus, & vestræ Dominationis humilis captiuus, Ioannes Paynus sacerdos.

QVÆ

QVÆSTIONES PROPOSITÆ

SEPTEM SVBSEQVENTIBVS MARtyribus 13. die Maij, Anno 1582. & ipsorum ad easdem responsiones.

I. *Vtrum Bulla Pij V. in Reginæ Maiestatem lata, sententia sit legitima, cui parêre omnes Angliæ subditi teneantur?*

II. *Vtrum Regina sit legitima Regina, cui omnes Angli obedire debeant, non obstante Pij Quinti, aut quacunque alia Bulla, siue sententia à Pontifice Romano lata, aut in posterum contra Reginæ Maiestatem ferenda?*

III. *Vtrum Romanus Pontifex modo possit aut potuerit Comitibus Northumbriæ & Vuestmerlandiæ, alijsq; subditis suæ Maiestatis, rebellandi facultatem concedere, armáue sumendi contra Maiestatem suam: Præterea vtrum Doctori Sandero, aut alijs quibusuis copiam facere potuerit, inuadendi Hyberniam, aut alias suæ Maiestatis ditiones, bellúmue ei inferendi, & vtrum illis hoc facere nec ne licuerit?*

IIII. *Vtrum Papa habeat potestatem absoluendi suæ Maiestatis subditos, aut alicuius alterius Christiani principis ab obedientia, & iuramento præstito suæ Maiestati, aut principibus suis, vllam ob causam?*

V. *Vtrum prædictus Doctor Sanderus, in libro suo de visibili Monarchia Ecclesiæ, & Doctor Bristous in libro suo de Motiuis (scriptis in approbationem, commendationem, & confirmationem Bullæ Pij Quinti) verè falsèue docuerint quoad hoc, ac sustinuerint?*

VI. *Si Papa Bulla sua vel sententia pronuntiaret Maiestatem suam non esse legitimam Reginam, subditosq; ab obediendi vinculo liberos declararet: item si Papa, vel quispiam alius ab illo designatus, eiusq; auctoritate fretus regnum inuaderet, quam partem sequeretur, aut quam sectam potissimum bono ac fideli Christiano Angliæ regno subiecto sequendam esse putaret?*

RESPON-

RESPONSIO LVCÆ CHIRBAEI.

LVcas Chirbæus ad primum respondet, huius articuli dissolutionem pendere à generali illa quæstione, Vtrum Papa posſit vllam ob causam Principem deponere; circa quam quæstionem fatetur se illius esse sententiæ, quòd ob aliquot causas Papa legitimè poſsit Principem exuere regno suo, atque huiusmodi sententiæ esse obsecundandum.

Ad secundum, putat in aliquibus casibus (vt est infidelitas, &c.) non esse Maiestati suæ præstandam obedientiam contra Pontificis Bullam, siue sententiam; illamque potestatem sæpiùs à Pontifice in Principes vsurpatam confirmat.

Ad tertium, ait se non posse respondere.

Ad quartum, respõdet Papam ob infidelitatem habere huiusmodi potestatem, cuius fit mentio in hoc articulo.

Ad quintum, putat tam Doctorem Sanderum, quàm Doctorem Bristoum potuisse in his punctis falli: an verò decepti fuerint, nec ne, Deo relinquit.

Ad vltimum, ait se tunc primùm debere consilium capere, quid sibi faciendum foret, cùm illud quod proponitur, accideret.

Lucas Chirbæus.

Ioannes Popham. Da. Levves.
Thomas Egerton. Ioannes Hammond.

RESPONSIO THOMAE COTTAMI.

THomas Cottamus ad primum ait, se in his & omnibus alijs quæstionibus credere, quemadmodùm Ecclesia Catholica (quam Romanam intelligit) eum docet, nec aliam responsionem dabit ad reliquos articulos.

Per me Thomam Cottamum sacerdotem.

Ioannes Popham. Da. Levves.
Thomas Egerton. Ioannes Hammond.

RESPONSIO LAVRENTII RICHARDSONI.

LAurentius Richardsonus ad quintum articulum respondet se approbare doctrinam Doctoris Sanderi, & Doctoris Bristoi, in quibus conuenit cum doctrina Ecclesiæ Romanæ.

Ad primum articulum & reliquos omnes ait se profiteri, obedientiam suæ Maiestati in omnibus rebus, quæ non repugnant Catholicæ religioni, esse præstandam, in alijs se non aliud quàm quod Romana Ecclesia doceat sentire.

Laurentius Richardsonus.

Ioannes Popham. Da. Levves.
Thomas Egerton. Ioannes Hammond.

RESPONSIO THOMAE FORDI.

THomas Fordus ad primum, ait se non posse respondere, quia non intelligit circumstantias Bullæ; quòd si videret Bullam publicatam à Gregorio 13. suam de illa sententiam explicaret.

Ad secundum, respondet Papam habere auctoritatem deponendi principem, ob quasdam causas: cùm ergo talis Bulla in suam Maiestatem pronuntiabitur, tunc se responsurum ait, quod sit officium subditorum, & quod ius suæ Maiestatis.

Ad tertium, ait se esse hominem priuatum, nec velle ad illas quęstiones respondere.

Ad quartum, dicit Pontificem habere potestatem eximendi subditos ab obedientia principi debita, ob causas quasdam, quas ipse nolit in præsentia recensere.

Ad quintum, respondet Doctorem Sanderum, & Doct. Bristoum esse viros doctos; qui vtrum rectè in libris suis nominatis in articulis docuerint, néc ne, respondeant ipsi, sibi non esse propositum pro alijs, sed pro se solo loqui.

Ad postremum, ait se non antè responsurum, quàm illud, quod proponitur, euenerit.

Thomas Fordus.

Ioannes Popham. Da. Levves.
Thomas Egerton. Ioannes Hammond.

RESPON-

RESPONSIO IOANNIS SHERTI.

IOannes Shertus ad omnes articulos respondet se Catholicum esse, nec in vllo puncto à Catholica fide discrepare, aliter negat se responsurum ad articulos propositos.

Ioannes Shertus.

Ioannes Popham. Da. Levves.
Thomas Egerton. Ioannes Hammond.

RESPONSIO ROBERTI IOHNSONI.

RObertus Iohnsonus ad primum, negat se posse respondere.

Ad secundum, dicit se nescire, quam potestatem habeat Papa circa puncta proposita in hoc articulo.

Ad tertium, putat Papam posse in aliquot casibus dare subditis potestatem sumendi arma contra principem suum.

Ad quartum, putat Papam certis de causis posse liberare subditos ab officio, & obedientia alioquin debita principi.

Ad quintum, dicit respósionem ad hunc articulum pendere à iustitia & æquitate causæ, ob quam summus Pontifex in illam tulerit sententiam, nam si causa iusta fuerit, existimat doctrinam D. Sanderi, & D. Bristoi, veram esse. Vtrum verò causa fuerit iusta, nec ne, non esse suum iudicare.

Ad sextum respondet, si huiusmodi priuatio aut inuasio fieret pro re temporali, se adhæsurum Regiæ Maiestati, eiusque partes secuturum, sin autem pro negotio religionis, existimat sibi necessariò ab summi Pontificis causa standum esse.

Robertus Iohnsonus.

Ioannes Popham. Da Levves.
Thomas Egerton. Ioannes Hammond.

RESPONSIO VVILHELMI FILBII.

VVilhelmus Filbius ad primum, respódet Pontificem habere authoritatem quemcunq; de principatu deijciendi, eiusq; sententiæ, si promulgaretur, subditos Principum obedire oportere. Quod verò ad Bullã Pij V. attinet, dicit se nihil asserere posse; si tamen eiusmodi erat, cuiusmodi affirmatur esse, se illã approbare, eiq; parendum esse.

Ad ſecundum, reſpondet quæſtionem eſſe difficilem, & proptereà negat ſe poſſe reſpondere (niſi rem diligentiùs perpenderit) aliter quàm ad primum.

Ad tertium, neſcit quid dicat.


Ad quartum, reſpondet Papam non poſſe dare ſubditis facultatem ſumendi arma contra Reginæ Maieſtatem, aut non præſtandi obedientiam illi, quamdiu Regina manet; ſi autem illam ſpoliaret Regno, aut deponeret, tunc poſſe abſoluere ſubditos ab obedientia, quam illi anteà debebant.

Ad quintum, reſpondet ſe non acturum de doctrina Sanderi, vel Briſtoi.

Ad ſextum, dicit ſe tunc reſponſurum, cùm fuerit oblatus caſus. Et ſi fuiſſet in Hybernia, cùm D. Sanderus ibidem adeſſet, ait ſe facturum fuiſſe, quemadmodùm decuiſſet ſacerdotem feciſſe, nimirùm oraſſet, vt æquitas ſuum locum occuparet.

VVilhelmus Filbius.

Ioannes Popham. Da. Levves.
Thomas Egerton. Ioannes Hammond.



MARTYRIVM DOMINI THOMAE FORDI SACERDOTIS, 20. Maij. 1582.



TRahebantur tres Chriſti Sacerdotes, Thomas Fordus, Ioannes Shertus & Robertus Iohnſonus, Sledis alligati (eſt aũt ſleda carri humile genus ſine rotis, ſuper terram equis trahentibus lapſans) à turri Londinenſi per plateas ad Tyborne (qui locus eſt ſupplicij) inter horam ſextam & ſeptimam antemeridianam. Quò cùm ventum eſſet, Dominus Fordus primus in currum leuatus, poſtquàm ſe ipſe crucis ſigno muniuiſſet, prę nimia corporis infirmitate in curru decidens, denuoque erectus, hęc ad populum verba habuit: Catholicus ego ſum, & in Catholica fide morior; quæ verba interrumpens D. Martinus, qui Magiſtratum gerebat, inquit: tu hûc non veniſti, vt religionem tuam confitereris, ſed velut

Martyr non permittitur fidem ſuam profiteri.

velut proditor, & maleficus pœnam luiturus, eò quòd Regiam Maiestatem, Regnumque vniuersum tumultibus & seditionibus excitandis offendisti: proindè agnosce crimen tuum, teque Reginæ submitte, eiusque misericordiam implora; quod si feceris illa sine dubio ignoscet tibi.

Ad quæ, ille in hæc verba: crimen illud commentitium, de quo eram accusatus, & ob quod sum condemnatus capitis, dicitur fuisse coniuratio in mortem suæ Maiestatis Romæ & Remis suscepta: cuius criminis ego nequaquàm conscius sum, siquidèm illa dicitur fuisse facta, anno 22. regni suæ Maiestatis, quo tempore ego in Anglia morabar, & multò etiam anteà: nam sex vel septem continuos annos hoc in regno vixi, nec vnquã sum ex eo egressus; cuius rei testes possem centum, imò quingentos cum quibus vixi, producere: quorumque nomina si prodere voluissem, fuissem in ipso tribunali à iudicibus absolutus: quod tamèn facere nolui, ne illis pericula mea procurarem libertate.

Hic Martyr nũquàm fuit Romæ aut Remis; vt infrà patebit in Apologia.

Erat in Anglia, cùm coniuratio dicitur facta Remis & Romæ.

Insignis charitas martyris eligentis potiùs mori, quàm prodere innocentes fratres.

Tum D. Martinus: ecce manus tua, & testimonia spectatorum virorum, Regij nimirum Procuratoris, Doctoris Hammonis, Doctoris Levves, & aliorum; quæ si non sufficiũt, ecce adest socius tuus, Pontificis olim alumnus, qui & ipse contra te testimonium dicet. Ad quæ Fordus: Ego quicquid vel ipse dixerit, vel vos scripseritis, innocens sum. Magistratu intereà, aut alio quopiam illi loquente, ipse ferè cum Deo precando colloquebatur.

Obijciunt multa, sed nihil probant aduersarij.

Lecta fuit deinde à quodam verbi ministro schedula, quæ eius examinationem continebat. Ad quosdam articulos ille nihil respondit, ad alios verò confitebatur iustis de causis Principem posse à Pontifice, de statu suo ac dignitate deturbari, atque omni obediendi necessitate subiectum populum relaxari. Est enim, inquit, hæc quæstio agitata Oxoniæ ante quatuordecim annos à Theologis ibidem præsente Regina, fuitque apertè demonstratum posse principem imperio suo spoliari.


Theologi Caluiniani docẽt Principẽ posse imperio suo priuari, sed non desiniunt à qua; vt fortè fuit ministris reseruent authoritatem.

Hic rursus interpellatur, Pontificisque Alumnus Mundæus, in medium productus testatur D. Fordum, istius accusationis affinem fuisse, quamuis non posset affirmare, se vnquàm eum vidisse in regionibus transmarinis. Cuius testimonium D. Fordus per mortem suam falsum esse asserebat. Interrogatur deinde, quid de Maiestate regali existimet, moneturque vt ab ea, atque adeò vniuerso regno concitatæ seditionis veniam petat. Cui ille agnoscere se ait eam Do-

Mundæus testatur Fordũ, quẽ nunquã vidit Remis

 minam

ant Romæ ibidem con iuraſſe. minam ſuam atq; Reginam, neq; vnquàm in vita ſua, vllo crimine eius Maieſtatem abs ſe læſam; atque ita ſecretò Deum precans, rogat præſentes, vt vnà ſecum cœleſte numen implorent, illaque tandem *Vox vltima martyris.* voce, *Ieſu, Ieſu, Ieſu, eſto mihi Ieſus*, vitam terminauit. Pependit tantiſper in patibulo, dum eum ſocius eius M. Shertus intueretur, quem maiore illius aſpectu timore perculſum iri ſperabant aduerſarij.



MARTYRIVM DOMINI IOANNIS SHERTI, SACERDOTIS.

DOminus Shertus è Sleda ſublatus, cùm videret ſocium ſuum D. Fordum coram ſe pendentem, magno animo, vultu hilari, ſublatiſque manibus, his eum verbis compellat: *O fœlix Thoma, fœlix profectò, qui curſum tam fœlicem confeciſti: O beata anima, nã tu iam in loco bono es, tu ſancta anima, pro me pacem ac veniam à Deo pete.* Tranſlatus deinde in plauſtrum, Catholicos omnes rogat, vt pro ſe Deo ſupplicent; tum conuerſus ad locum ſupplicij, iubente Magiſtratu, videnſque ſocij ſui ceruicem præciſam, & viſcera euulſa, genibus nixus, exclamat: *O Thoma, ô fœlix Thoma, ô fœlix anima, tu beata es, anima tua ſancta pro me oret.* Cùm autem reprehenderetur, quòd eos, qui mortui eſſent, inuocaret; *O ſancta Domina*, ait, *mater Dei, ora pro me, & omnes Sancti Dei, intercedite pro me.* *Inſigne veritatis teſtimonium.*

Magiſtratui porrò rem iſtam cèu falſam, plenamque erroris condemnanti, Shertus doctrinam ait hanc ſolidam eſſe & veriſsimam, ſeque eam ſanguinis ſui effuſione velle confirmare: itaq; *Oratio digna martyre Chriſti.* cœptam proſequitur orationem: O ſancte Domine, tibi omnis honor, & laus debetur. Ago tibi gratias ex animo, quòd me ex nihilo condidiſti ad imaginem tuam, quòd me liberaſti à tyrannide Diaboli, morte chariſsimi filij tui Ieſu Chriſti; quòd me pauperem clientem tuum ad tàm fœlicem terminum perducere voluiſti; mundanis quidem hominibus contumelioſum & execrandum, mihi verò glorioſum & magnoperè expetendum; pro quo immortali beneficio, gratias tibi ago quantas maximas animus meus capere poteſt.

Cæterùm ne vlterius progrederetur, Magiſtratus vetuit admonuitq́;, vt à Regina pro criminibus læſæ Maieſtatis, de quibùs iam condemnatus eſſet, ſibi ignoſci peteret: cui ille, veniæ, inquit, petitio crimen commiſſum arguit, vt autèm ego me ipſe, cùm innocens ſim, ſcelere aſtringam, adduci non poſſum, cùm longè hoc abſit ab officio meo. Fuimus in eculeo extenti, grauiſsimiſq́; tormentis exagitati, nihil tamē à nobis extorqueri potuit, qa criminis in nobis erat nihil: ſumus prætereà bis à mortis ſententia lata examinati, quod hactenus malefico, præter nos contigit nemini. Iſta ergo commēntitia læſæ Maieſtatis crimina, propter quæ morti ſum adiudicatus, relinquo Deo iuſto iudici conſcientiæ meæ; mortemq́; meam conteſtor, me ab illis eſſe prorſus alienum: ideoque recuſo penitùs iſtorum criminum, quorum ſum damnatus, veniam petere. Si autem in aliquo alio deliquerim, & ab illa, & à toto mundo veniam peto: nam in me nulla ratione poteſt competere Remenſis, aut Romanæ coniurationis crimen, cùm longè antè, quàm illud committi debebat, in Anglia fuerim, neque poſteà vnquàm hinc vel latum digitum diſceſſerim, quod Mundæus accuſator non negat, qui publicè confeſſus eſt ſe nunquàm vidiſſe me Remis aut Romæ. *Suam docet innocētiam.*

Mandauit deinde Magiſtratus Miniſtro cuidam verbi aſtanti, vt legeret examinationem D. Sherti; qui quamuis reſponderet eum more ſuo fuiſſe præfractum, nec quicquam lectione dignum protuliſſe, legit nihilominùs præfationem libelli (examinis) ea continentem, quæ poſſunt ibidem videri: qua perlecta iterum Magiſtratus eum rogat, vt peccatum ſuum, cùm tàm manifeſtum ſit, confiteatur, veniamq́; petat à Regina, ſuam Maieſtatem acturam cum illo clementer: ſibi quippe datam eſſe poteſtátem, ſi culpam agnoſcat, executionem impediendi, illumq́; reducendi. Et quemadmodum, inquit, paulò antè, tibi à Deo ignoſci poſtulaſti, ſic nunc, obſecro, de facinore tuo fatearis, deq́ue eo ex animo doleas. Tum ille, quid? pro vili hoc cadauere conſeruando, perdam animam meam? abſit. *Offertur vita, modo velit crimen fictitiū agnoſcere, veniāq́ue petere.*

Rogatus autem, quid de Maieſtate regali ſentiret: agnoſcere ſe ait, illam clementem ſuam Dominam ac Reginam, proq́ue eius fœlici gubernatione florentique fortuna, ſe perpetuò tàm vinculis conſtrictum, quàm libertate fruentem, Deum precatum eſſe.

Interrogatus vlteriùs, num putaret illam eſſe ſummum Eccleſiæ Anglicanæ caput ſecundum Chriſtum: Dabo, inquit, Cæſari, quę ſunt Cæſaris, & quę ſunt Dei, Deo: illa nec eſt, nec eſſe poteſt ſupremū *Negat Reginam Angliæ eſſe ſupremū*

caput

caput Ecclesiæ Anglicanæ.

caput Ecclesiæ Anglicanæ: sed ille solus, qui toti Ecclesiæ à Christo est præpositus. Quem intelligis, (inquit Magistratus,) num forte meretricem illam Babylonicam Pontificem Romanum? Caue D. Martine, inquit Shertus, erit, erit enim tempus, cùm graue admodùm erit animæ tuæ verbum illud, teque magnopere pœnitebit summum Christi in terris Vicarium, appellasse meretricem Babylonicam. Tunc (inquam) te pœnitebit, cùm tu & ego ad vnum tribunal coram iudice integerrimo consistemus, qui omnia ex æquo iudicabit, & ego cogar in te testimonium proferre.

Carnifici largitur pecuniam suam.

Hic carnifex intempestiuis populi clamoribus prouocatus, sanctum Dei virum vrget ad supplicium, cui D. Shertus sudariolum suum cum duobus solidis pecuniæ Anglicanæ, pro mercede esse voluit. Tum hanc, tanquàm cygnæam sententiam perpetuæ suæ voluntatis & constantiæ testem, vniuerso populo audiente, clarissima voce pronuntiauit: *In damnatorum sedem sine vlla dubitatione præcipitem deturbari, quisquis extra Ecclesiam Catholicam à vita discedit*, statimq; manibus expansis, in hanc sententiam est precatus: *Domine Iesu Christe, fili Dei viui, pone plagas, crucem & mortem tuam, &c.* Cui precationi, cùm orationem Dominicam, Angelicam salutationem, & alias nonnullas addidisset, corpore solutus, ad Creatorem suum lætus euolauit.

Quàm falso hæretici calũniãtur Catholicos in proprijs operibus spẽ collocare, non in meritis Christi, hic licet videre.

Insulsa & malitiosa interpretatio.

Accidit, cùm plaustrum subtraheretur, vt manus, quas sublatas tenebat, in funem inciderent; cui mordicùs, donec eas lictores detraherent, adhærescebant. Hic Commissarius, ecce (inquit) quam vellet vitam retinere, qui sua sibi pertinacia mortem conciliauit. Alijs tamen videtur manus casu & fortuitò, cùm illas demitteret, funem appræhendisse, firmiterque retinuisse, sicut in hoc casu quiduis aliud compræhensum arctissimè retineri solet à morientibus.



MARTYRIVM DOMINI ROBERTI IOHNSONI SACERDOTIS.



Ostquàm Dominus Iohnſonus ſocium ſuum D. Shertum, eiuſque carnificinam, iuſſu Magiſtratus de plauſtro intuitus eſſet, ſeſeque crucis ſigno, cum ſanctiſsima Trinitatis appellatione armauiſſet, iubetur ſe quàm citiſsimè expedire, & ſedato animo loqui: Ego verò, inquit Iohnſonus, perinuitè tuam Domin. verbis meis offenderem. Nihil ego, (inquit ille) verba tua moror, ſi Deum ipſum non offenderes.

Iubētur martyres ad maiorem horrorē intueri ſociorum ſuorū euiſcerationē & lanienā.

Tum Iohnſonus: Ego, inquit, Catholicus ſum, coniurationis crimine cum cæteris ſocijs meis condemnatus. Teſtificor me nunquàm vidiſſe eorum quoſdam, quibuſcum coniuraſſe dicor, antequàm tribunali ſiſteremur; neque vnquàm ad illorum quenquam literas dediſſe, vel vicisſim ab illis accepiſſe. Quod verò ad læſam Maieſtatem pertinet, profiteor etiam atque etiam, nec facto, nec cogitatione crimen illud à me commiſſum. Tua (inquit Magiſtratus) manus examinationi ſubſcripta, (quam acceperunt viri bonæ conſcientiæ Deique ſerui Dominus Pophamus procurator generalis, D. Egertonus ſolicitator, Doct. Levves, & Doct. Hammon, iuris ciuilis Doctores) grauiſsimo nobis eſt aduerſum te teſtimonio. Quòd ſi res iſta te non cõmouebit, prodibit Mundęus quidam, alumnus olim Pontificis, veſter ſodalis, q viua voce de veſtris conatib⁹ teſtimoniũ dicet.

Martyr nunquàm vidit quoſdam eorum, cũ quibus diceba tur cõiuraſſe.

Mũdæus producuntur veres lui commune refugiũ, quãdo deſunt veri teſtes, & cauſa iuſta.

Tum leguntur à Miniſtro reſponſiones eius ad quæſtiones anteà propoſitas, cumque ad quintum & ſextum articulos ventum eſſet, quòd videlicèt doctrinam D. Sanderi, & D. Briſtoi, in libris eorum expreſſam comprobaret: minimè gentium (inquit Iohnſonus) ita reſpondi (nec in libro illa reſponſio habebatur) ſed me neſcire confirmaui, quid feceritD. Sanderus & Briſtous, neque vnquàm de huiuſmodi negotijs cum illis communicaſſe, quare non poſſe doctrinam factaque illorum probare, vel condemnare: hæc inquam, tum teſtificatus ſum, & etiam nunc præ me fero.

Miniſter verbi corrumpit martyris reſponſiones.

Interrogatus iterum de vltima quæſtione, quid ſentiret, reſpondit breuiter ſe in ea ſententia, quã primò dixerat, velle ad vltimum

Conscientia Mundæi hominis vanissimi & mendacissimi.

vſquæ vitæ ſpiritum perſeuera. Eſt quidem (inquit Magiſtratus) hoc ipſum perduellionis crimen manifeſtum; producetur nihilominùs tuus olim contubernalis Mundæus, cognoſceſque, quid in te dicturus ſit; quo accedente propriùs ad currũ, túnc inquit Iohnſono Mundæus, nunquàm fui tecum in illis locis; conſcius tamen ſum perduellionis tuæ ſceleratiſsimæ, cuius manifeſtè conuictus es: hæcque dico integra conſcientia. Nónne ad eum finem ſacerdotes miſsi fuerunt Auinione? Vtinam inquit Mundæus, faciat Deus Opt. Max. huius vt ſceleris te pœniteat Iohnſone, bonuſque ciuis moriaris. Mundæe (inquit D. Iohnſonus) Deus tibi mentem inijciat, vt huius grauiſsimi ſceleris te pœniteat, nam verè te hominem valde proteruum eſſe demonſtras, ſed non eſt locus modò tecum de his rebus diſputandi; quare hoc vnum reſtat, vt coram Deo reſtificer me ab iſto nefario crimine eſſe alienum.

Negat martyr Reginam eſſe caput Eccleſiæ.

Tunc Magiſtratus, agnoſciſne, inquit, Reginam legitimam tuam principem? Fac te pœniteat proditionis, & nos pro facultate nobis à Regina conceſſa, te ad vrbem reducemus. Ego, inquit Iohnſonus, agnoſco illam Reginam æquè legitimam, atque Mariam: nõ poſſum aliud dicere, niſi vt Deum orem pro ſua Maieſtate, vti manus ipſius contineat ab effuſione ſanguinis innocentum. Agnoſciſne (vrget Magiſtratus) illam ſupremum caput Eccleſiæ in rebus Eccleſiaſticis? Ego, inquit Iohnſonus, fateor eam tam plenam atq; amplam habere poteſtatem, quàm vnquam habuit Regina Maria, plura non poſſum illi tuta conſcientia concedere. Hîc Magiſtratus & alij conclamant: Tu es proditor, & homo obſtinatus. Si ego, inquit ille, proditor ſum, quia hãc religionem propugno; Regem Henricum, & omnes, qui ante ſeculum noſtrum Regni huius clauum tenuerunt, cum tota antiquitate, eodem crimine condemnetis, neceſſe eſt: quippe qui eãdem quam ego religionem coluerunt. Quid? inquit Magiſtratus, videris velle pro concione crimen proditionis venditare, ſi tibi permitteretur. Ego nihil, inquit Iohnſonus, præter Catholicam fidẽ doceo.

Proditores in Anglia ſunt Catholicæ fidei aſſertores.

Percontanti cuidam, quid intelligeret per Catholicam religionem? reſpõdet ſe illam intelligere religionem, cuius ſummus paſtor eſſet Pontifex Romanus: cumq; eodem tempore quæreret Miniſter quidam, vtrum Athanaſius eſſet Catholicus, quidúe ille docuiſſet; non adeò ſe, ait, in Athanaſij libris verſatum, vt omnes eius opiniones poſsit recenſere. Quid, inquit ille, non legiſti ſymbolum Athanaſij? *Quicunq̃, &c.* Legi, inquit Iohnſonus, credoque ſymbolum illud

Ex hoc argumento licet

lud esse bonum,& Catholicum. At,inquit Minister, in illo non inueniens Pontificem, vel semel nominatum. Non esse necessarium, inquit Ionsonus, vt Pontifex in omnibus scriptis nominetur pertinentibus ad Catholicam religionem Hinc statim resti collo iniecto, iussus est orare, quòd quidèm fecit latinè; Illi cōtrà hortantur eum, Anglicè vt oret,& simul quid dicat testari. Tunc ille,oro, inquit, illam orationem,quam Christus me docuit, idque in lingua, quam benè intelligo. At nos,inquit Magistratus, non intelligimus. Ego verò,inquit Iohnsonus,existimo D. Vestram me intelligere.Etsi ego, inquit Magistratus,te intelligo,sunt tamen alij,qui non intelligunt, quapropter Anglicè ora, vt alij tecum orent, deque tua oratione testentur.Alij cuidā Ministro vociferanti, vt oraret, quemadmodum Christus docuisset, quid ? inquit Iohnsonus, tunè Christum existimas Anglicè docuisse?Cum itaque orationem Dominicam, & salutationem Angelicam latinè recitasset, & spiritum suum Deo verbis vsitatis commendasset,è vita cessit & in quatuor partes,quemadmodum reliqui omnes, diuisus est.

colligere ignorantiā ministrorū Caluinianorum in Anglia,

Insignis stultitia ministri verbi.

MARTYRIVM DOMINI VVILHELMI FILBII OXONIensis. 30. Maij 1582.

DIE Mercurij,qui fuit 30. Maij. quatuor venerabiles sacerdotes D. Vvilhelmus Filbius, D. Lucas Chirbæus, D.Laurentius Richardsonus & D. Thomas Cottamus quemadmodum suprà dicti, trahebantur per platæas à turri Londinensi, ad Tyborne, circiter horam septimam antemeridianam;quò cùm ventū esset, D. Vvilhelmus cæteris iunior(quippe qui annum septimum & vigesimum non excessisset) primus ex rheda in currum tollitur:vnde,cum inuocata sanctissima Trinitate,crucis signum formasset, sociosque rhedæ alligatos, vt se Deo commendarent cohortatus esset; ad populum sic locutus est: ego,inquit,sum Catholicus, & coram Deo omnipotente protestor me innocentem,& immunem esse ab ijs criminibus, quorum causa capitis sum damnatus:spero etiam me salutem consecuturum meritis & morte Seruatoris nostri Iesu Christi,ipsumque rogo.atque obtestor,vt mei misereri,ac peccata mea mihi condonare velit.

Fides martyris.

Proclamatum deinde fuit edictum regium, quo mandabatur pax seruanda;in cuius fine,cùm cuncti vociferarentur,Deus conseruet Reginam,adiecit D. Vvilhelmus,Amen. Sciscitanti populo, pro qua Regina deprecaretur,respōdit se pro Elizabetha Regina precari, vt diu & quietè regnum suum gubernet,vt ei Deus gratiam cœlestē impertiatur,vtq; eam ab hostibus omnibus sartā tectam conseruet.

Charitas & innocentia martyris.

Porrò cùm Dominus Topcliffus & alij hortarentur eum, vt diceret:Deus conseruet Reginam à Papa,respondit,Papam non esse hostem Reginæ. Notate,inquit Minister S.Andreæ,quod dicit,Papam non esse hostem Reginæ. Imò,(inquit concionator quidam, Charkus appellatus) proditor es,quia iurasti in verba hostis regalis Maiestatis.Quid est hoc?inquit D.Vvilhelmus,ego in vita mea nunquàm tale præstiti iusiurandum. An non tu sacerdos es? inquit Charkus, Erras multum,ait D.Vvilhelmus, votum est, non iuramentum.

Ministrorum inhumanitas, & stulta argumentatio.

Post hæc vnus ex famulis magistratus, qui cum viro Dei stabat in curru, quid habes, inquit,in sudario? & simul eripiens illi ex manibus,cùm crucem ligneam paruam in eo inuolutam inuenisset, ecce, inquit, sceleratus proditor crucem secum portat, quod cùm frequēter multis ex populo idem conclamantibus inculcaret,D. Vvilhelmus subridens tacuit.


Proditores sunt in Anglia,qui crucem apud se retinent.

Recitantur deinde articuli, cum præfatione libri impressi publica auctoritate,& responsiones D. Vvilhelmi ad eosdem. Vrgebant quidam ex astantibus, num vellet illud tueri, quod lectum erat, quod si defenderet, non posset non proditor esse & haberi,conuictusque læsæ Maiestatis, eò quòd Pontifex Reginam deposuerit, si Bulla eius vim haberet. Fortè,inquit D.Vvilhelm9, illa Bulla Pij V. reuocata est à Gregorio 13. Ad sextum articulum respondit, si fuisset id temporis in Hybernia,se facturum fuisse, quod sacerdotem facere decuisset,hoc est,orasset vt æquitas vinceret.

Quærentibus alijs, num Sanderus rectè fecisset in negotio hybernico,nescio,inquit, quoniam consiliorum Sanderi prorsus sum ignarus atque insolens, hominem nec sum allocutus vnquàm, nec vidi:respondeat ipse pro se. Tum Magistratus mandauit carnifici, vt se expediret, qui statim funem collo sancti viri imposuit. Regina, inquit Magistratus,offert tibi misericordiam,nosque potestatem habemus te reducendi, si veniam volueris ab illa petere, & peccatum tuum confiteri:noli repudiare oblatum beneficium, pete veniam à Regina. Ille verò ait, se Reginam nunquàm offendisse.Benè, transfigas

Innocentia martyris.

figas ergo negotium, ait Magistratus; quod cùm audiuisset D. Vvilhelmus, recitata oratione Dominica, Angelica salutatione, & anima sua in manus cœlestis Patris tradita, dum currus subduceretur, *Domine*, inquit, *suscipe animam meam*, atq; ita pependit tundens frequenter pectus suum, donec quidam manus ipsius detraherent. Et hic fuit finis sancti huius viri.]



MARTYRIVM DOMINI LVCAE CHIRBAEI, SACERDOTIS.

POst D. Vvilhelmi suspendium, productus est D. Lucas, vt socium suum pendentem respiceret, statimque in plaustro collocatus, sic loqui cœpit: *O amici mei, ô amici mei*, adductus sum hûc, nescio, pro quo cōmentitio læsę Maiestatis crimine, cùm reuerà conscientiæ & religionis negotium agatur. O generis humani conseruator Iesu Christe, cuius morte & acerbissimis cruciatibus me saluum fore confido, condona mihi homini contaminatissimo scelera mea multiplicia atque peccata. Iussus deinde conuertit se ad locum, vbi socij caput à ceruice auferebatur, quod cùm carnifex, vt mos illius ferebat, sublimè teneret, exclamaretque, Deus conseruet Reginam: adiecit D. Chirbęus, Amen. Interrogantibus, pro qua Regina oraret, respondit pro Regina Elizabetha se rogare, vt eam Deus longo ac fœlici regno dignetur, simulque ab hostibus saluam & incolumem tueatur. *Oratio martyris.*

Cùm Charkus Minister iuberet illum addere, vt Deus conseruet eam à Pontificis execratione & potestate. Si, inquit D. Lucas, Pontifex illam iniustè bello affligeret, vel execraretur; rogo vt Deus conseruet eam ab illo; talemque illi mentem largiatur in hac vita, vt religionem Catholicam tueatur atque propaget, & in altera vita cœlesti regno cum cæteris Diuis immortalibus patiatur. Solenni deinde ritu de sua innocentia testificatus est circa ea, de quibus condemnatus erat, & ad extremum addidit: si quisquam mortalium me iustè possit accusare, vel in vno puncto eorum, quorum sum condemnat⁹, paratus sum me ipse clementiæ suæ Maiestatis submittere. *Eiusdem contestatio de sua innocentia.*

Cùm autem videret Mundæum præsentem, postulauit, vt in medium procederet dicturus quæcunque posset contra se; qui paulò post introductus, testatus est D. Lucam conatum fuisse sibi, cùm

Accusatio Mundai.

Romæ esset, & alteri cuidam iuueni, nomine Robinsono, persuadere, ne in Angliam reuerterentur, eò quòd breui tumultus aliquis vel perturbatio rerum ibi esset futura; cumque nulla ratione discessum ex vrbe impedire posset; tandem sibi suasisse, vt saltem amicos suos hortaretur ad fidem Catholicam retinendam.

Contra D. Lucas improbabile valde esse ait, eum, qui sciret quàm malè Mundæus erga religionem animatus esset, antequam ex vrbe discederet, huiusmodi verbis vsum fuisse, populo vt ipse persuaderet Catholicam fidem. Est, inquit Mundæus, verisimile quòd dico, quoniam & tu imagines quasdam consecratas mihi dedisti, quas in Angliam deportarem. Ego, inquit Chirbæus, propterea quòd mihi nomine religionis suspectus esses, imagines tibi nec dedì, nec vnquã dare cogitaui; dedi tamen duos Iulios, quibus ipse tibi, si velles, imagines comparares.

Nę tu ergo homo es insigniter ingratus, qui eum accusas, qui non solum tibi, verumetiam omnibus popularibus tuis commodauit, tametsi cognosceret aliter vos erga religionem, quã seipsum, affectos esse. Quid? quod causam vestrã apud primarios quosdã summi Pontificis Officiales egi, etiam cũ periculo proprij fauoris & beneuolentiæ? quid? quod indusiũ cuidã, quo ipse vtebar donaui? quid? quod cum alijs quadraginta millia passuũ confeci, vt eos præstarẽ securiores? Quid? quod inscio te, literas ad amicum quendam meum Remis commorantem dedi, vt quindecim solidos tibi numeraret?

Nicolaus cecinit palinodiã de qua infra in literis huius martyris.

Agedum nunc Mundæe, proposito tibi timore & amore Dei, fateare veritatem, imitare Ioannem Nicolaum, qui cum multo plura in me, quam tu in lucem protulisset, stimulante tandem conscientia, paucis abhinc diebus, ad meum in turre Londinensi cubiculum accessit, & præsentibus quatuor testibus (quorum vnus fuit custos ipsius carceris) de omnibus ijs, quæ contra me in libello suo diuulgauerat, παλινῳδίαν cecinit. Vnde scis, (inquit Topcliffus) Nicolaũ cecinisse παλινῳδίαν? Quoniam (inquit Lucas) ad meũ in turri cubiculum venit, & coram testibus verba hæc est effatus. Quemadmodum ergo ille (inquit Magistratus) errorem suum agnouit & correxit: sic tui quoq; te facti pœniteat. D. Lucas surda veluti aure verba eius prætergressus, docet Mundæum professum esse coram D. Odoano Hoptono & alijs, se non posse D. Lucam Chirbęum de vllo crimine postulare. Quod cum Mundæus inficiaretur, Lucas iterum cõfirmat, & addit quendam tunc præsentem dixisse, ex illa Mundæi cõ-

fessione

fesione posse D. Lucam aliquid commodi percipere. Quærenti Magistratui, quis ille fuisset, respondit D. Lucas fuisse quendam Coudrigum.

Lecta fuit deinde responsio eius ad articulos suprà commemoratos. Ad quorum primum dixit iterum interrogatus excommunicationem Pij V. fuisse rem, in qua Pontifex potest errare; vtrum tamen re ipsa errauerit, illi, inquit, vt pro se respōdeat, relinquo: fuisse olim hanc quæstionem in scholis disputatam, & etiamnum disputari, Vtrum Papa posit principes deponere. Rogatus deinde à Topcliffo an vellet mortem obire pro quæstione dubia, respondit se suā sententiam ea de re exprompsisse. Ad secundum addidit præterea se existimare, aliquos ex doctis viris præsentibus secum sentire. Hic multis vna voce reclamantibus, Lucas semel atq; iterum quendam Croulæum postulauit.

Argumenta ministrorum Calumnianorū cōtra primatum Romani Pontificis.

Interea alius quidam Minister locum Salomonis opponit: *Per me Reges regnant & exaltantur tyranni.* Et illud Christi: *Non haberes aduersus me potestatem vllam, nisi datum tibi esset desuper.* Ecquis ergo homo principēs spoliabit potestate, quam à Deo acceperunt? Ad idem conuincendum alius quidam Minister huiusmodi vsus est ratiocinatione: *Omnis anima debet esse subiecta potestati Superiori, ergo Papa cùm homo sit subiectus est alicui potestati; ergo non potest alijs potestatem eripere.* Hic Lucam respondere conantem, alius quidam Minister interpellat; in primitiua Ecclesia, Christianos, etiam Ethnicis principibus, quibus subiecti erant, obedire debuisse. Alia, inquit D. Lucas, est ratio in Ethnico principe, qui Christianam fidem nunquam est complexus: alia in Christiano, qui susceptæ religionis integritatem hæretica prauitate corrupit. In hunc enim ius habet, in illum verò minimè.

Regina Angliæ ex sententia ministrorum, cum sit anima subiecta potestati superiori, non potest esse supremum caput Ecclesiæ.

Ad quartum tantum, inquit, agnosco potestatis, & imperij in principe mea atque Regina, quantum quilibet Francus, Hispanus, aut Italus in suo Principe agnoscit, tantumque subiectionis Elizabethæ tribuendum censeo, quantum vnquam Reginæ Mariæ detuli: plus illi, nec debeo nec possum præstare. Quid si omnes illi, inquit Topcliffus, sint proditores, visne tu etiam proditor esse? Nequaquàm, inquit D. Lucas, omnes illi sunt proditores; alioquin omnes nostros maiores perduelles & proditores fuisse, dicere oportet. Quòd verò ad D. Sanderum & D. Bristoum attinet, potuerunt illi in suis priuatis opinionibus hallucinari; quas ego, inquit, eatenus defendo, quatenus cum iudicio Catholicæ Christi Ecclesiæ consentiunt.

Omnes mortales, qui obediunt Catholicis principibus, proditores sunt, si ministris noui Euangelij credendū sit.

Interro-


Interrogatus, an putaret Reginã esse summum Ecclesiæ Anglicanæ caput, respondit tantum se iuris ei concedere, quantum Principi debetur sęculari, plus se non posse bona conscientia tribuere. Misericors (inquit D. Martinus) est Regina, mihique potestatem reliquit te domum reducendi, si deserto Pontifice illo Romano, te suæ Maiestati obedientem præstare volueris. Minimè (inquit D. Lucas) pro vita conseruanda Pontificis auctoritatem, cùm sit articulus fidei, negabo: certissimum enim hac ratione, animæ meæ exitium compararem.

Vita martyri offertur, si auctoritatem Papæ negare velit.

Agnoscas saltem (inquit D. Martinus) peccatum tuum, veniamq; à Regina pete, misericordiam suam illa tibi non negabit. Conscientia mea, inquit Chirbęus, clarissimum mihi dat testimonium innocentiæ, quòd nunquàm offenderim Reginam. Nolo ergo id confiteri, quod nunquàm feci, nec ab ea petere veniam, quam læsi nunquàm. Tùm populus, tollatur, inquit, è vita. Cumque latinè orantem hortarentur ministri, vt Anglicè oraret, se cum illo velle precari: negauit se facturum, quòd non eiusdem secum religionis essent; Catholicos autem, vt secum precarentur, rogauit. Absoluta oratione Dominica, subducto curru, sanctam animam Creatori suo reddidit.

EXEMPLAR LITERARVM
MISSARVM A CONSTANTI CHRISTI
Confessore, D. Chirbæo, ad quosdam amicos.

Ioannes Nicolaus, vnus ex præcipuis proditoribus; fatetur õnia crimina obiecta martyribus falsa esse.



I quid, charissimi amici, ad me mittere velitis, festinandum vobis erit, mors enim nobis, vt intelleximus, appropinquat: quamuis vehementer timeam, ne nostra indignitas, & coronæ proposita nobilitas vitam nobis longiorem pariat. Paucis ab hinc diebus Ioannes Nicolaus accessit ad fenestram cubiculi mei, & demissè sibi ignosci à me petiuit, quòd tàm multa nefariè, & iniquè contra nos commisisset, & simul confessus est libros concionesq; famosas in nos scriptas, falsas, impias & detestabiles esse coram Deo & hominibus, spe dignitatis, fauoris nobilium, & munerum acquirendorum à se confictas, cuius facinoris se magnoperè pœnitere, & millies mortem oppetere malle, quàm huiusmodi crimine se iterum alligare: ad hæc, sic se stimulis conscientia

entia agitari, ex hac iniusta nostra condemnatione præter spem suam & expectationem facta, vt vix sciat quò se vertat.

Præterea confitetur accusationes & testimonia in nos allata, nullam habere speciem veritatis, mera malitia & importunitate aduersariorum extorta; se paratum esse Sledaum & Mundaum, summa huius impietatis, vita impurissima, aliorumq; grauissimorum scelerum, quorum ipse conscius sit, accusare. Et addit, vt omnes videamus, quantoperè & suam & aliorum iniquitatem detestetur, in posterum nunquàm velle suggestum ascendere, aut de negotijs religionis tractare; se iam ministerium deseruisse, ac propterea alias vestes comparasse, quas mihi ostendebat tectas adhuc habitu Concionatoris hæretici.

Ego vicissim illi suasi, vt aliquò profectus, debito dolore & pœnis, peccata commissa expiaret: at ille se nec modò nec vnquàm anteà, omnia religionis nostræ dogmata sequi confirmauit, sed vt Romæ olim, ita modò in Anglia hypocrisi quadam religioneq; ficta nunc Catholicum, nunc egisse Caluinistam. Quare si ex Anglia discederet, se non posse pœnam ignis effugere. Dixit se paratum Præfecto arcis Londinensis, & Domino Secretario VValsinghamo declarare (vt suam conscientiam falsitatis scelere soluat) quàm iniquè ego & reliqui omnes condemnati simus. Quem ego hominem, vt meam de illo sententiam expromam, existimo breui ad infidelitatem prolapsurum, nisi eum Deus pro sua infinita bonitate ad Catholicam Ecclesiam, quibusdam rationibus reducendum curet. Iam re ipsa comperio verum esse id, quod vulgò dicitur, aues potius patefacturas homicidium voluntarium, quàm Deum, vt in tenebris iaceat, passurum. Ego apud me statui hanc eius confessionem Domino VValsinghamo aperire, si non intellexero interim eum id præstitisse, quod mihi promisit.

Hypocrisis Ioannis Nicolai.

Sententia martyris de Ioanne Nicolao.

D. Richardsonus & D. Filbius, qui post condemnationem, semper super asseres dormiuerunt, iam tandem lectos impetrarunt. D. Hartus, qui diù multumq; hactenus cum hostibus est conflictatus, hodiè manè, qui est X. Ianuarij, in custodiam quandam subter terram est detrusus; eò quòd in nullo articulo D. Reginaldo cedere voluerit. Valdè quieto & pacato animo fert illam calamitatem. Deus illum consoletur. Dominus Reginaldus quamuis doctissimus sit illius ordinis, & frequenter huc concionaturus accesserit, & collaturus nobiscum, quantò vehementius cum illo agitur, tantò indoctiorem se esse ostendit. Cæterùm rogamus, vt vestris suffragijs nos apud Deum adiuuetis, quibus nunc vel maximè indigemus: nos vicissim vestri non erimus immemores. Valete 10. Ianuarij, 1582.

Lecti sanctorum asseres sunt nudi.

Constantia D. Harti sacerdotis & confessoris Christi.

Vester vsque ad mortem & post mortem Lucas.

MARTYRIVM DOMINI LAVRENTII RICHARDSONI, CVius nomen proprium erat Iohnſonus; & Thomæ Cottami ſacerdotum.



I duo ſimul adducti ſunt, vt intuerentur D. Chirbęũ tunc pendentem; & poſtquàm fune præciſo deiectus fuit è patibulo, illi ſublati ſunt: vbi cùm ſe crucis ſigno, vultu hilari, communiuiſſent, ad populum ſe conuertens D. Cottamus, *Deus*, inquit, *vobis omnibus benedicat, Deus vobis omnibus benedicat*. D. Richardſonus iuſſus à Magiſtratus famulo aſpicere ſocium ſuum D. Chirbæum, cuius tum viſcera extrahebãtur, membraq; diſſecabantur: O, inquit, fiat voluntas Dei.

Tùm quidam Fieldus, concionator hęreticus, Expedias, expedias inquit: Vtrum, ait Cottamus, tu carnifex es, an cõcionator? Vah, vah, quidam Miniſter aſtans, relinquas (inquit) iocos iſtos, non iam tempus iocandi; concionator iſte eſt, non carnifex, qui, vt te ad benè moriendum hortaretur, hùc acceſsit. Certè (inquit ille ſubridens) verba eius videbantur declarare illum potiùs eſſe executorem iuſtitiæ quà concionatorem. Tùm Fieldus Concionator: non eo animo verbis iſtis ſum vſus, ſed tantùm volui, vt illi, qui erant circa ſocium veſtrum, quietè agerent. Peto, inquit D. Cottamus, veniam à Domino Deo pro verbis meis otioſis: teque D. Martine obteſtor, ne mihi iraſcaris; nam priùs me pedibus equi tui conculcandum ſubijcerem, quàm T. D. offenderem.

Collocatus deinde D. Richardſonus in loco, vbi ſuſpendendus erat, à multis ſimul fuit appellatus. Quibus ille, quæſo, inquit, ne me obtundatis. Si quas mihi vultis proponere quæſtiones, ſint de illis rebus, propter quas ſum condemnatus, non de illis, quarum hactenus mentio nulla facta eſt. Conuerſus deinde, vt videret D. Lucam in partes diuidi, hæc verba addidit: Ego hùc ſum productus, vt pœnas lęſę Maieſt. perſoluam: teſtificor tamen coram Deo, me non plùs participem eſſe perduellionis, aut læſæ Maieſt. quàm omnes Catholicos Epiſcopos, qui à primo Chriſtianæ religionis ſatu in hoc regno fuerũt, qui ſi modò eſſent in viuis, eodẽ iure poſſent necari, quo ego.

Innocentia Richardſoni.

Non

Non est similis causa,inquit Minister præsens,nam tunc sacerdotes Papistici,viuebant sub principibus Papisticis,quibus parebant,atque ideò Maiestatem minimè violabant. Cùm interim multæ sententiæ à D.Cottamo prolatæ essent, inter cætera Minister quidam eum est hortatus,vt confiteretur impium illud facinus,quod designauerat in foro piscario ante quatuor annos:quid hoc rei est, inquit Cottamus ? Respondit D. Martinus Ministrum iubere, vt confiteatur facinus illud turpißimum, quod iam pridem perpetrauerat in foro piscario.O bone Iesu,inquit Cottamus, sit nomen tuum semper benedictũ: hoccine mihi modò obijcitur?Nos, inquit Minister, te hoc crimine non oneramus,tantùm volumus,vt te liberes suspitione,si quid huiusmodi commissũ sit.Tùm alius quidam Minister: Non iste,inquit,crimen admisit, sed frater eius Cottamus. Deinde Ministris ait: Audite quæso;quomodo vos me nefarij sceleris ante annos quatuor perpetrati,accusare potestis, cùm ego septem his annis Londini non fuerim ? Et si tale quid commisissem, quî vobis in mentem venit, vt illud mihi hoc loco,& hoc tempore obijciatis? *Ministri grauant Cottamum facinore quod nunquam cõmisit.*

Hoc dicto, vnus atque alter confirmauit non eum,sed fratrem eius fuisse sceleris authorem. Intereà temporis dùm alij cum D.Richardsono agerent, arripuit Cottamus brachium carnificis, illique in hanc sententiam est locutus;parcat tibi Deus,teque seruum suum faciat;consulas tibi precor in tempore,& gratiam Dei implores, sine dubio exorabis. Ego te per Deum obtestor atque rogo, vt carnificem illum imitari velis,qui Paulum occidit, quiq; vnica gutta sanguinis ipsius,instar lactis in vestem decidentis,sic ad se reuocatus dicitur,vt pœnitentiam ageret,& vir bonus deinde euaderet.Quid ais (inquit Minister S. Andreæ) fuitne saluatus virtute sanguinis decidentis in ipsum?non ita est, dixit Cottamus, miror sanè quid tibi in mentem venerit,vt hæc in medium proferas. *Insignis charitas Cottami.*

Lectis deinde articulis,& responsionibus,addidit se comprobare doctrinam D.Sanderi, & D. Bristoi, quatenus conuenit cum vera Catholica Ecclesia Romana.Calumniantibus quibusdam Ministris, eum ædificare fidem suam supra Sanderum ; Respondit se non ædificare fidem suam supra vllum hominem,quicunque ille sit, sed super Ecclesiam Catholicam.

Tum posteaquàm laqueos vtrisque imposuisset carnifex; si volueris,inquit Magistratus, Richardsone culpam tuam agnoscere, & Pontifici nuntium remittere,Regina pro sua humanitate, tibi veniã

dabit, nosque te reducemus. Habeo gratiam, inquit Richardsonus, suæ Maiestati pro misericordia oblata, eamque libenter amplecterer si liceret mihi, aut religionem meam deserere, aut id quod falsum est confiteri.

Innocentia Cottami.

Hæc dum aguntur cum Richardsono, totus in oratione positus D. Cottamus cum Deo loquitur, & tandem oculis in cœlum sublatis sic locutus est: *Domine Iesu, tu vides innocentiam nostram; tuq; optime nosti quàm libenter culpam confiterer, si aliquam in me cognoscerem.* An verò si conscij essemus, nullus nostrum vi tormentorum metuque mortis compulsus fassus esset? non puto id posse vobis persuaderi. Quod ad me attinet, ingenuè fateor, Deumque testor, me nihil magis in votis habuisse priusquam in Angliam venirem, quàm vt ad Indos proficiscerer, idque tàm seriò cogitabam, vt ad illud iter me omninò comparaueram; Et certè si libertas mihi concederetur, nunquàm quiescerem donec eò venirem.

Si Reginæ misericordiæ non obstaret; Caluiniani ministri sua ingenia in tormētis excogitādis & infligendis egregiè exercerent.

Mors Richardsoni.

Inter hæc, Magistratus nomine Reginæ vitam offert & misericordiam, modò velit culpam agnoscere; cui Cottamus postquàm gratias egisset Reginæ, facite, inquit, mecum quod vobis libuerit. Tùm Magistratus soluto fune eum in terram deponi iubet. A Cottamo iterum ad Richardsonum se conuertunt, iubentque vt à Regina veniam petat: quibus ille se nunquàm suā Maiest. offendisse respondit. Nunquā ꝑfectò, ait Topcliffus; tāta misericordia principis est oblata malefactori: næ, si tu in alterius potestate esses, ab equis ferocissimis in partes decerpereris. His auditis Richardsonus rogauit Catholicos præsentes, vt vnà secū orarēt, dū diceret orationē Dominicā, salutationem Angelicā, & Symbolū Apostolorū. Dū autē currus amoueretur: *O Domine*, inquit, *accipe animam meam, ô Domine Iesu, accipe animam meam.*

Stratagema planè Caluinianum.

Stabit interim Cottamus humi cum Magistratu gestans laqueum in collo, cumque videret socium pendentem, in hæc verba prorupit: *Optime Laurenti, ora pro me, Christus Iesus recipiat animam tuam.* Magistratus interim ne otiosus videretur, illi persuadere conatur, vt à sua fide deficiat, eumque in hunc modum aggreditur: Facilè, inquit, Cottame, intelligimus te non eo consilio, quo socij in Angliam venisse, vt nimirum populum concitares ad seditionem, sed vt valetudinem afflictam recuperares. Verè te fœlicem iudico, quòd huiusmodi facinorosis hominibus socium te ipse non adiunxeris. Non est quòd dubites de misericordia Reginæ, illa enim se clementem erga te principem præstabit. Quæ cùm audiuisset Cottamus, seque solutum

tum

tum conspexisset, verè existimans vitam sibi esse donatam, gratias egit, quas potuit maximas Regiæ Maiestati.

Cæterùm vbi à Magistratu intellexisset, illud vnum adhuc restare, vt nimirum se apud populum de criminibus intentatis purgaret, palamque testaretur se non ob easdem causas in Angliam venisse, ob quas cæteri ante ipsum capitis damnati accessissent, sibique in hoc instituto, Pontificis Romani consilia vehementer displicere; tanta libertate pro sua sociorumque suorum innocentia dixit, vt facilè videre fuerit Deum Optimum Maximum in hoc conflictu, & gratiam, & lumen militi suo præstitisse, quo nimirum fraudem aduersariorum depræhenderet, & foueam iam sibi paratam declinaret. Inter alia verò hæc tunc temporis dixit: *Nunquàm vel latum vnguem à fide mea vllius rei gratia discedam, & si mille vitas haberem, malim omnes profundere, quàm vel in minimo articulo à Catholica religione discedere.* Expediatur, inquit Magistratus, quando est tam præfractus. Cumque iussus esset se conuertere, vt socium suum in partes diuidi cerneret, *Domine* IESV, (inquit) *miserere illorum, Domine* IESV, *miserere illorum; heu, quale est hoc spectaculum? Domine* IESV, *digneris mihi seruo tuo, largiri gratiam perseuerandi vsque ad finem.*

Insignis constantia martyris.

Interim, dum sic oraret Cottamus, carnifex pro more suo præcisum caput Richardsoni populo ostendit, simulque exclamauit, viuat Regina; cui Cottamus, Deum, inquit, obtestor, vt eam saluam atque incolumem diu conseruet, suaque benedictione sancta muniat; cui ego, vt Reginæ meæ omnem exopto felicitatem & pacem.

Tum incitauerũt eum, vt diceret, Reginam esse supremum caput Ecclesiæ Anglicanæ, quibus ille, si voluissem, inquit, hoc confiteri, iam ante biennium vinculis solutus fuissem. Næ tu proditor es & perduellis, inquit Magistratus, si hoc illi negas? Non ita est, inquit Cottamus, agitur hîc religionis & conscientiæ integritas, qua vna causa excepta, nunquàm me memini Maiestatẽ suam offendisse, & simul cœlum suspiciens: *In te Domine*, inquit, *speraui, nõ confundar in æternum. Domine tu multò plura pro me passus es.* Etiam nunc, inquit Magistratus, Cottame implora misericordiam Reginæ, crimenque confitere, sine dubio præbebit se misericordem. At ille, nullius, inquit, mihi conscius sum sceleris commissi in Reginam, imò verò omnia ista, & longè maiora pro salute suæ Maiestatis libenti animo paterer, & exopto, vt sempiterna tum animi, tum corporis incolumitate perfruatur. Deum verò Opt. Max. quem solum meis sceleribus of-

Proditor dicitur quia negat Reginam esse caput Ecclesiæ.

Insignis charitas martyris erga Reginam.

 fendi,

ſendi, rogo per amorem dulciſsimi filij ſui, vt mei miſereatur, mihique inſpiret, ſi quid prætereà conueniat dicere, quod nondum ſit dictum. Tùm ab omnibus præſentibus atque adeò à toto mundo veniam petiuit, ſi quenquam offendiſſet, dicens ſe omnibus ex animo ignoſcere. Et quamuis, inquit, Regni huius peccata iuſtam Dei iram, & pœnas grauiſsimas promereantur, Deum tamen, vt furorem ſuum ab Anglis auertat, eoſque ad bonam mentem reducat, etiam atque etiam rogo. Quæ cùm dixiſſet, laqueo vitam finiuit. Dùm autem in patibulo penderet, veſtib⁹ omnibus ſpoliatus, viſus eſt ad carnem veſtem cilicinam geſtare: quæ res eò maiorem iniecit admirationem ſpectatoribus, quò huiuſmodi rerum vſus in Anglia eſt rarior.

Cæterùm, vt omnes perſpiciant, quàm fuerit D. Cottamus alienus à proditionis & læſæ Maieſtatis crimine, perſtringam breuiter ordinem & modum, quo fuit compræhenſus; quod quidem Catholicis conſolationi, & voluptati; aduerſarijs verò ſummo dedecori, & ignominiæ eſſe debet. Cùm infamis ille proditor Sledæus, ne dicam ſceleratus homicida, animum induxiſſet memorabile aliquod facinus edere, Roma diſceſsit cum alijs nonnullis Anglis, quorum & nomina & ſigna cùm diligenter animo compræhendiſſet, venit Lugdunum, vbi Cottamum offendit; quem vt intellexit in Angliam cogitare, nomen & ſigna quoque eius, quibus cognoſci poſſet, diligenter obſeruauit; eaque cùm Pariſios veniſſet, detulit ad Oratorem Reginæ Angliæ, qui ad Conſiliarios Reginæ tranſmittenda curauit, quæcunque à Sledæo accepiſſet: Conſiliarij confeſtim inſpectoribus nauium, quos in ſingulis portubus habent, tradidère.

Sledæus prodit Catholicos ſacerdotes.

Vbi ergo D. Cottamus Remis eſſet ſacerdos creatus, cognouiſſetque quoſdam in Angliam velle traijcere, valdè deſiderauit cum illis nauigare, cùm valetudinis curandæ gratia, tùm verò maximè, quòd ſingulari iuuandarum animarum deſiderio flagraret. Cùm autem appulſus eſſet Dorobernium 16. vel 18. Iunij, Anno 1580. cum D. Ioanne Harto, & D. Edoardo Richtono ſacerdotibus, & quodam Laico: Cottamus propter manifeſta ſigna, quæ in ipſo apparebant, capitur: & laico illi, qui vnà ex Gallijs venerat, traditur ducendus ad Baronem Cobhamum.

Cottamus fit ſacerdos Remis.

Appræhenditur Dorobernij, & continuò liberatur beneficio ſocij ſui.

Simul-

Simulatque verò nonnihil ex oppido egressi fuissent, non possum, inquit ille Laicus, cùm ipse sim Catholicus, te sacerdotem Catholicum bona conscientia tradere Baroni, sed placet rectà proficisci Londinum; quò cùm peruenerimus, tu tibi, vt poteris, consulas, ego mihi prospiciam. Quàm primùm itaque Londinum ingressi essent, Cottamus se ad carcerem contulit, & cuidam amico suo, quemadmodum ex manibus aduersariorum elapsus esset, narrauit: Ille suadet, vt se iterum tradat captiuum, non posse eum tuta conscientia sic euadere. Quod tamen consilium, quia à quodam præclaro viro magnoperè improbabatur, non est secutus. *Londinũ ingreditur.*

Intereà venit Londinum caupo Dorobernienſis, in cuius domo captus fuerat D. Cottamus, qui cùm incidisset in Hauardum (sic enim vocabatur Laicus ille) expostulauit cum illo, quòd captiuum non duxisset eò, quò promiserat; se ob eam causam ferè perditum fuisse: quare necessarium esse, vt huius rei rationem reddat D. Andręæ Baronis Cobhami vicario. Hac ille commonitione perculsus: quid si, inquit, tibi reddam captiuum tuum, nónne satisfecero? Omninò, inquit Caupo, trade mihi alterum, & ego te missum faciam. Quòd cùm Hauardus Cottamo indicasset, tu nosti, inquiens, Cottame statũ meum, & facilè intelligis, qua crudelitate me sint tractaturi aduersarij, si in illorũ potestatem venero; nosti etiam statum tuum: nunc ergo vter nostrum iturus sit, tuæ voluntati & arbitrio permitto. Priùs enim quiduis patiar, quàm te, vt istud facias, cogam. Hic Cottamus oculis manibusque in cœlum sublatis, nunc, inquit, benedictus sit Deus: nunquàm enim in vita mea pacata conscientia fuissem, si ex isto periculo euasissem, itaque paucis horis negotijs suis confectis, eodem die, se tradidit captiuum in manus Andręæ: à quo non proditionis, sed religionis causa in custodiam datus, primùm crudelissimis tormentis affectus est, quòd sua interna & priuata peccata nollet aduersarijs aperire, quemadmodum publicè pro tribunali est protestatus, deinde morte ad eum modum, quo diximus, vitam finiuit.

fendi, rogo per amorem dulcissimi filij sui, vt mei misereatur, mihique inspiret, si quid prætereà conueniat dicere, quod nondum sit dictum. Tùm ab omnibus præsentibus atque adeò à toto mundo veniam petiuit, si quenquam offendisset, dicens se omnibus ex animo ignoscere. Et quamuis, inquit, Regni huius peccata iustam Dei iram, & pœnas grauissimas promereantur, Deum tamen, vt furorem suum ab Anglis auertat, eosque ad bonam mentem reducat, etiam atque etiam rogo. Quæ cùm dixisset, laqueo vitam finiuit. Dùm autem in patibulo penderet, vestib⁹ omnibus spoliatus, visus est ad carnem vestem cilicinam gestare: quæ res eò maiorem iniecit admirationem spectatoribus, quò huiusmodi rerum vsus in Anglia est rarior.

Sledæus prodit Catholicos sacerdotes.

Cæterùm, vt omnes perspiciant, quàm fuerit D. Cottamus alienus à proditionis & læsæ Maiestatis crimine, perstringam breuiter ordinem & modum, quo fuit compræhensus; quod quidem Catholicis consolationi, & voluptati; aduersarijs verò summo dedecori, & ignominiæ esse debet. Cùm infamis ille proditor Sledæus, ne dicam sceleratus homicida, animum induxisset memorabile aliquod facinus edere, Roma discessit cum alijs nonnullis Anglis, quorum & nomina & signa cùm diligenter animo compræhendisset, venit Lugdunum, vbi Cottamum offendit; quem vt intellexit in Angliam cogitare, nomen & signa quoque eius, quibus cognosci posset, diligenter obseruauit; eaque cùm Parisios venisset, detulit ad Oratorem Reginæ Angliæ, qui ad Consiliarios Reginæ transmittenda curauit, quæcunque à Sledæo acceperat: Consiliarij confestim inspectoribus nauium, quos in singulis portubus habent, tradidêre.

Cottamus fit sacerdos Remis.

Vbi ergo D. Cottamus Remis esset sacerdos creatus, cognouissetque quosdam in Angliam velle traijcere, valdè desiderauit cum illis nauigare, cùm valetudinis curandæ gratia, tùm verò maximè, quòd singulari iuuandarum animarum desiderio flagraret. Cùm autem appulsus esset Dorobernium 16. vel 18. Iunij, Anno 1580. cum D. Ioanne Harto, & D. Edoardo Richtono sacerdotibus, & quodam Laico: Cottamus propter manifesta signa, quæ in ipso apparebant, capitur: & laico illi, qui vnà ex Gallijs venerat, traditur ducendus ad Baronem Cobhamum.

Apprehenditur Dorobernij, & continuò liberatur beneficio socij sui.


Simul-

Simulatque verò nonnihil ex oppido egreſsi fuiſſent, non poſſum, inquit ille Laicus, cùm ipſe ſim Catholicus, te ſacerdotem Catholicum bona conſcientia tradere Baroni, ſed placet rectà proficiſci Londinum; quò cùm peruenerimus, tu tibi, vt poteris, conſulas, ego mihi proſpiciam. Quàm primùm itaque Londinum ingreſsi eſſent, Cottamus ſe ad carcerem contulit, & cuidam amico ſuo, quemadmodum ex manibus aduerſariorum elapſus eſſet, narrauit: Ille ſuadet, vt ſe iterum tradat captiuum, non poſſe eum tuta conſcientia ſic euadere. Quod tamen conſilium, quia à quodam præclaro viro magnoperè improbabatur, non eſt ſecutus. *Londinũ ingreditur.*

Intereà venit Londinum caupo Dorobernienſis, in cuius domo captus fuerat D. Cottamus, qui cùm incidiſſet in Hauardum (ſic enim vocabatur Laicus ille) expoſtulauit cum illo, quòd captiuum non duxiſſet eò, quò promiſerat; ſe ob eam cauſam ferè perditum fuiſſe: quare neceſſarium eſſe, vt huius rei rationem reddat D. Andrææ Baronis Cobhami vicario. Hac ille commonitione perculſus: quid ſi, inquit, tibi reddam captiuum tuum, nónne ſatiſfecero? Omninò, inquit Caupo, trade mihi alterum, & ego te miſſum faciam. Quòd cùm Hauardus Cottamo indicaſſet, tu noſti, inquiens, Cottame ſtatũ meum, & facilè intelligis, qua crudelitate me ſint tractaturi aduerſarij, ſi in illorũ poteſtatem venero; noſti etiam ſtatum tuum: nunc ergo vter noſtrum iturus ſit, tuæ voluntati & arbitrio permitto. Priùs enim quiduis patiar, quàm te, vt iſtud facias, cogam. Hìc Cottamus oculis manibuſque in cœlum ſublatis, nunc, inquit, benedictus ſit Deus: nunquàm enim in vita mea pacata conſcientia fuiſſem, ſi ex iſto periculo euaſiſſem, itaque paucis horis negotijs ſuis confectis, eodem die, ſe tradidit captiuum in manus Andrææ: à quo non proditionis, ſed religionis cauſa in cuſtodiam datus, primùm crudeliſsimis tormentis affectus eſt, quòd ſua interna & priuata peccata nollet aduerſarijs aperire, quemadmodum publicè pro tribunali eſt proteſtatus, deinde morte ad eum modum, quo diximus, vitam finiuit.

MARTYRIVM DOMINI GVLIELMI LACII SACERDOTIS.

Iuramentum quod præstãtij, qui officiũ capessunt in Anglia.



Vlielmus Lacius nobilis ante quindecim annos munus ciuile satis & honorificum & quæstuosum gessit in patria: qui ad maiorem etiam dignitatis locum in Republ. euehi debuisset, si iuramentum præstare voluisset (quod fit ab omnibus, qui Magistratum seu officium aliquod capessunt in Anglia) quòd Reginam supremum Ecclesiæ caput in causis spiritualibus haberet. Sed ille, cuius pectus rerum cœlestium & æternarum cupido iam olim incesserat, maluit omnibus huius vitæ opibus honoribusque carere, quàm animam suam tàm nefandi sceleris conscientia polluere.

Lacius hospitio excipit & fouet Sacerdotes Christi.

Fuit is vnus eorum (& quidem inter primos & præcipuos) qui sacerdotes ex transmarinis regionibus in Angliam reuertentes, vt populum cæca errorum caligine obductum fidei Catholicæ splendore denuò illustrarent, hospitio excepit ac fouit, negotiumque sua & opera & authoritate multùm promouit. Illud verò in primis seriò curauit, vt nec ipse nec quisquam suorum ad profanos hereticorum conuentus ampliùs accederet.

Quod cùm à perfidis hominibus animaduersum fuisset, cœperunt non solùm ipsi alieno in eum animo esse, sed & alijs, si quos nouerant illi aduersarios esse, impensiùs fauere, incitareq́;, vt quem nunc sponte sua paulatim ruiturum videbant, iunctis viribus vrgerent impellerentque.

Quam rei suæ benè gerendæ opportunitatem non omittendam esse ducens quidam vir nobilis, qui eius officium iam diu ambierat, quodam die, cùm Lacius curiam suam aditurus, & quorundam hominum causas pro muneris sui ratione cogniturus esset, Archiepiscopum (quem vocant) adijt, eique supplex fuit, vt accitis viatoribus continuò mandaret, vt Papistæ patrijs legibus non obtemperanti manus inijcerent.

Sed Lacius, re priùs intellecta, quàm executioni mandari potuit, quiduis potius faciendum esse existimans quàm vt in manus aduer-

sariorum veniret, officio cessit vltrò, vt sese innumeris, quas indè sibi imminere prospiciebat, molestijs periculisque liberaret. Nec tamen hac ratione efficere potuit, quò minùs omnibus omnium hominum iniurijs obnoxius esset. *Officio cedit.*

Nam primùm, cùm viderent, quòd & se & suos omnes ab eorum synagoga subduceret, illud effecerunt, vt Magistratibus quàm sæpissimè sisteretur, qui mulctam pecuniariam ei legibus impositam singulis mensibus irrogarent, pro numero eorum, quos domi suæ alebat. Deindè pecunijs in hunc modum exhaustis, sequi homines tanta eum improbitate continenter diuexarunt, vt, cùm creberrimos eorum insultus alia ratione declinare se non posse videret, relicta etiam domo, cum vxore & liberis fugam inire, & latebris sibi suisque consulere coactus sit. Vixque domo excesserat, cùm illi statim more grassatorum irruunt, famulos ad custodiam domus relictos exigunt, bona omnia non aliter, quàm si ciuium & patriæ hostis declaratus fuisset, diripiunt possidentque impunè, illud solùm causantes, quòd templum cum cæteris ciuibus non adiret. *Mulctatur grauissimè, quod se à Synagoga Caluiniana subduceret.* *Fugam init, relicta domo cum vxore & liberis.* *Bona eius diripiuntur.*

Sed nec his Catholici viri calamitatibus satiati, fugientem insequuntur, latitantem instar canum venaticorum magna sagacitate inuestigant, nec miserum vllo in loco consistere patiuntur. Simul enim atq; illum alicubi esse comperiunt, eius loci Episcopum continuò certiorem faciunt, vt captū in carcerem & vincula coniiciat. *Fugientē insequūtur aduersarij.*

Atq; in hoc quidem rerum statu ac varietate vixit quatuordecim annos cum familia sua: nunc hac, nunc illac diffugiens, prout sæuissimorum hominum malitia fugientem vrgebat, fueruntq; istæ quasi velitationes & præludia, quibus fortis Christi athleta se ad magnum illud certamen præparabat, quod nunc demùm, Deo vires & animos subministrante, tàm fœliciter ac gloriosè peregit.

Quodam die Lacius Beuerlacum veniens, ad quendam cognatum suum diuertit. Apud quem non est commoratus, sed statim relictis equis & famulo, ad amicum quendam se contulit non procul habitantem. Egressus verò vix è conspectu subductus erat, cùm Magistratus oppidani iam pro foribus adsunt, domum cingunt, vndiq; omnia rimantur.

Sed Lacio non inuento, equos capiunt, famulum abducunt, & in carcerem coniectum examinant seuerissimè de domino: quorum virorum nobilium ædes frequentaret (erant verò illius prouinciæ præcipui quique illi affines) & quò se nunc contulisset. Atque

hæc quidem omnia Sacerdos quidam Lacij cognatus, ob professionem fidei Catholicæ in carcerem inclusus, ea nocte vidit per somnium vel per reuelationem diuinam, eo planè modo & ordine, quo gesta fuerunt.

Persecutiones Lacij diuinitus reuelantur cognato eius captiuo.

Dum hæc in Laciũ fiunt Beuerlaci, vxor matrona lectissima, quę viro suo non solùm fidei, sed & ærumnarum comes erat indiuidua, dum propria domo extorris incertis sedibus vagari cogitur cũ suis, partim suis, partim viri sui malis & incommodis supra vires afflictata, in morbum incidit grauissimum.

Vxor viri sancti cũ marito vagatur incertis sedibus.

Quam tamen Superintendens (sycophantarum indicio de ea certior factus,) etiam decumbentem & lecto planè defixam citauit & in foro comparere iussit. Statuerat enim impurus adulter piam fœminam domo eductam omninò carceri emancipare, nulla nec sexus nec infirmitatis habita ratione. Quam etiam rem mox effectam dedisset, nisi DEVS ipse hominis malitiam præuenisset, ac mulierem hisce malis omnibus exemptam in æterna tabernacula transtulisset, quò nec malum accedere, nec flagellum appropinquare potest.

Superintendentis crudelitas.

Vxore defuncta, Lacius eas statim cogitationes suscepit, vt se diuino cultui totum addiceret, consecraretque. Quo fine, relicta patria, se Remos contulit in Campania, sacris literis operam daturus. Ibi verò constitutus, se continuò iuuenibus in collegio Anglicano primum in Theologia tirocinium agentibus socium adiungens, tiro ætate ac canicie venerabilis, scholas quotidiè vnà cum illis frequẽtabat, Magistrorum dictata scripto similiter excipiebat, literarum scientiam iuuenili prorsus ardore hauriebat, ipse interim humilitatis & cæterarum virtutum exempla senili maturitate sic depromens, vt plus quiddam erogasse quàm accepisse videretur.

Vxore defuncta Lacius Remos se cõtulit.

Theologiæ operam nauat.

Cumque se in hunc modum Remis aliquamdiu exercuisset, Mussipontum in Lotharingia cessit, vt cœpta studia prosequeretur. Vndè etiam demùm profectus est Romam, vt loca sacra inuiseret. Quod cùm singulari quodam religionis affectu præstitisset, in collegio Anglorum, quod est in vrbe, commoratus est ad aliquot dies, vt exercitio spirituali vacaret.

Romæ vacat exercitijs spiritualib', & sacris initiatur.

Quo similiter finito, sacris initiatus, breui post tempore in Angliam redijt, vt in vinea domini excolenda suam quoque operam nauaret. Id quod ab eo vti quidem strenuè ac summa fide, ita etiam fœliciter maximoque cum fructu ad biennium præstitum fuit: quo licèt

In Angliam reuertitur.

licèt exiguo temporis spatio multas Christo & Ecclesiæ Catholicæ animas lucratus est.

Post duos annos in hunc modum exactos, Lacius hac occasione captus fuit. Vicesimo secundo Iulij die, vnà cum aliquot alijs etiam sacerdotibus, ad carcerem Eboracensem accessit (quod frequenter faciebat) vt vinctos Christi Iesu inuiseret ac consolaretur. In eo autem sacerdotum numero duo erant; inclytus Gulielmus Hartus, qui paulò post viuus in quatuor partes immaniter diuisus, veritati Catholicæ illustre testimonium dedit, & Thomas Bellus confessor eximius, qui præter ceteras omnes carceris ærumnas atque etiam tormenta, quibus per sex annos integros inuicto animo perfunctus est, pedibus cippo iniectis & in sublime contortis, tres dies continuos sic pependerat, vt nulla totius corporis pars terram attingeret, nisi solæ humerorum & dorsi crepidines. *Capitur ab hæreticis.* *Gulielmus Hartus.* *Thomæ Belli inuicta virtus.*

Quam cruciatuum atrocitatem cùm is virtute diuina superasset, magnus eius animo incessit ardor, vt Deo Optimo Maximo, qui tormentis subiecto & opem & consolationem ineffabilem contulerat, sacrificium laudis & gratiarum actionis ipso in carcere, vbi hæc expertus fuerat, offerret. Quod etiam ex voto præstitit, missamque in camera cuiusdam viri Catholici ritu solenni sic cantauit, vt captiui omnes, quotquot adesse poterant, se mira quadam dulcedine ac spiritus iucunditate perfusos agnouerint. *Sacrū in carcere cātatum.*

Sacrum verò vix iam finitum erat, cùm quidam ex concaptiuis, qui loco, non affectu ab hoc sancto sacerdotum conuentu aliquantò remotior erat, cupiens & ipse consolationis esse particeps, quemadmodum passionum socius iam fuerat, summo mane antequàm dies illucesceret, è cella prodijt, & ad suos pia quadam alacritate contendens, festinantiùs incedebat. Atque ita pedem in quippiam fortè offendens (nox enim adhuc erat, & viam bonus vir non satis exploratam habebat) talem edidit strepitum, vt excubitores & carceris ministros excitarit. Qui statim armati conuolant, & accensis facibus locum obsident, vbi strepitum audierant, existimantes aliquem ex captiuis fugam moliri. Sacerdotes igitur, qui rem diuinam peregerant, extinctis lucernis, sese in quandam cubiculi latebram subducentes, anxiè expectabant in singula momenta, vt custodes manus in ipsos inijcerent.

Sed Lacius maiorem euadendi spem esse ratus, in ipso statim tumultus principio, quàm deinceps expectari poterat, se continuò in fugam coniecit. Qui mox pro viro Catholico agnitus ab vno excubitorum, sub ipsis castri mœnibus captus fuit, & cum illo quinque alij, omnes etiam Catholici.

Sacerdotes verò & cæteri, qui cum eis in camera morabantur, sedatis tandem turbis, ad suum quisque locum reuersi sunt, præter Bellum solum, cuius capiendi tanta perfidis hominibus erat cupido, vt, clausis omnibus ciuitatis portis, omnia diligentissimè perscrutati sint, vbi hominem latere posse existimabant.

Sed Catholicis viris contrà pij Sacerdotis curam gerentibus, illud intereà quorundam hominum industria effectum est, vt ille, instar Apostoli Pauli, per murum demissus, sacrilegas corũ manus hac vice effugerit in nomine domini. Quemadmodum & alio quodam tempore in Comitatu Lancastriæ fecit: vbi, cùm ædes circiter quinquaginta virorum nobiliũ eadẽ nocte perquirerentur, Bellus lecto exiliens fugam inijt nudis pedibus & tibijs, ac penè toto corpore (cùm tamen intensissimũ esset frigus:) Quo itinere vniuersam plantarum non solùm cutem vulnerauit, sed & carnes miserabilem in modum ita dilacerauit, vt posteà spatio duorum mensium nec incedere nec pedibus insistere potuerit.

Sed vt ad Lacium redeamus, cùm se videret eas in angustias redactum esse, vt nullus esset euadendi locus, marsupium quoddam, in quo erant sacrorum ordinum literæ testimoniales, à se proiecit. Quod tamen postero die repertum, maiorem ei offensionem conflauit, & in causa fuit, quòd multò seueriùs ab illis & obseruatus & habitus fuerit. Captus, quod reliquum erat noctis, apud carceris præfectum egit. Manè verò ad prætorem Vrbanum & Checum (vtrosque consiliarios) ductus erat. A quibus multis de rebus diligentissimè examinatus, ad arcem remissus & ferreis vinculis magnæ molis constrictus fuit. Quę Lacius à custodibus oblata vltrò complectens, multa cum animi tranquillitate ac dulcedine etiam osculatus est.

Examinatus carceri additur & ferreis vinculis oneratur.

Mox cum omni hoc vinculorum apparatu Thorpam, domum vtique Archiepiscopi, quæ duobus penè miliaribus distabat, ad terrorem alijs incutiendum summo cum probro perductus fuit. Quid Archisynagogus Christi cultorem interrogârit, quídue ille responderit, nos nullo modo assequi potuimus. Erat enim in specum quãdam subterraneam detrusus, & ab omni reliquorum non modò captiuo-

In lacũ subterraneũ detruditur.

captiuorum, sed & hominum cõtubernio sic remotus, vt nobis nulla vnquàm hominis adeundi vel etiam aliqua ratione conueniendi facultas fuerit.

Quæ tamen omnia tetri carceris incommoda pium Sacerdotem prohibere non potuerunt, quò minùs ad virum quendam nobilem scriberet, quem in magno defectionis discrimine versari audierat; argumenta ducens & ex sacris literis & ex antiquis patrum Catholicorum libris, quæ sufficere poterant ad confirmandam alicuius hominis mentem, qui non esset salutis suæ planè incurius. Sed vir ille sanis Lacij monitis & cohortationibus non obaudiens continuò ab Ecclesia Catholica desciuit, eaque re & sanctum confessorem & Catholicos omnes ingenti mœrore affecit.

Eo temporis spatio, quo in carcere degebat, à Senatu frequenter accersitus, & multa interrogatus fuit; primùm de conspirationibus quibusdã in Reginam & Regnum initis. Respondit ille, se nihil horum conscium fuisse, nec in tota profectione nec in reditu.

Interrogarunt, an esset sacerdos. Respondit intrepidè, se sacerdotem esse. At illi; quo modo id fieri posset, cùm esset bigamus. Respondit, impedimentũ illud suæ Sanctitatis authoritate ac dispensatione sublatum esse. Quibus verbis vehementer irati Senatores, eum continuò ad carcerem reduci iubent; affirmantes, non esse opus, vt pluribus examinetur: ipsum enim satis multa iam dixisse, quibus læsæ Maiestatis conuinci posit.

Vndecimo Augusti die ad tribunal iudicum perductus fuit & in crimen vocatus, quòd sacris Romæ initiatus fuisset. Sed & sacrorum ordinum literæ, quæ in marsupio repertæ fuerant, productæ & probri causa publicè perlectæ fuerunt. Tum & pyxidem quandam in sacculo isto similiter repertam aperuerunt; & ex ea grana quędam (quæ vocant) indulgentiarum auctuario dotata promentes, iudici porrexerunt. Quæ ille mox populo, tanquàm res nugatorias, ostentans, pyxidem id genus rebus plenam esse dicebat.

Ad tribunal perduct⁹ grauiter accusatur quòd Catholicus sit sacerdos &c.

Post hæc interrogauit eum iudex, quibus rebus adductus fuisset, vt, relicto patrio ac natali solo, in alias regiones se conferret. Respondit Lacius, se quidem à patria desertum fuisse, eoque & patriam deseruisse. In alias verò regiones eo fine se contulisse, vt Deum ritè coleret.

Porrò & illud interrogatus, quamobrem sacrorum ordinũ literas secum retulisset, respondit, ea de causa fecisse, ne cuiquàm dubiũ

esse posset, cum legitimè ad sacrum sacerdotij munus vocatũ fuisse.

Quæstio lethalis proponitur. Demùm quæstionem illam lethalem ei proposuerunt, quidnam de primatu Reginæ sentiret, an eam supremum Ecclesiæ caput agnosceret. Ad quod ille: Equidem, inquit, de hoc negotio cæterisque rebus omnibus cum Ecclesia Dei Catholica & pijs omnibus sentio.

Iudex igitur, cùm hęc ab ipso sacerdotis ore ac deindè duodecimuirorum suffragia ex more accepisset (qui sententiam rogati, criminationis intentatæ reum statuerunt) mortis sententiam in eum pronuntiauit. *Morti adiudicatur.* Qua perlecta beatus Lacius vultu constanti & animo planè inconcusso: Deus, inquit, sit æternùm benedictus. Ego enim iam senui, & per ætatem diu viuere non poteram. Hoc mihi nihil aliud erit, quàm censum suo tempore pendendum paulò ante diem reddere. Lætor ergò in ijs, quæ dicta sunt mihi, in domum domini ibimus, & sic semper cum domino erimus: multaque alia in hanc sententiam dixit.

Anno Domini 1582. vigesimo secundo Augusti die, venerabilis senex in storea viminea stratus & funibus constrictus fuit, vt per terram ad locum supplicij raptaretur. Huius confragosæ viæ & sacri demum agonis comitem habuit Ricardum Kirckemannum etiam sacerdotem. In itinere verò constituti, licèt catastæ succusio grauis admodùm & molesta esset, illud tamen sibi præstiterunt inuicem Christi sacerdotes, vt suum vterque apud alterum conscientiæ pondus deponeret, quo fieret, vt, excussis omnibus, quantumuis leuis noxæ impedimentis, in pugna, quam mox inituri erant, expeditiores alacrioresque inuenirentur. *Sacerdotes sibi mutuò confitentur in storea viminea dùm ad suppliciũ raptantur.*

Sategerunt quidem fæculenti Ministri, Catholicæ puritatis ac nitoris inuidi, vt supremum hoc sacri ordinis officium obganniendo impedirent. Sed pij Christi cultores, qui iam olim studuerant sine offendicula conscientiam habere ad Deum & ad homines; in eam rem nunc solùm intenti, quemadmodum sanctificationem perficerent in timore Dei, importunas & insanas eorum voces nec auscultare quidem volebant.

Cùm iam ad patibuli locum ventum esset, Lacius, posteaquàm se per orationem præparasset ad futurum certamen, scala conscensa cœpit verba facere ad plebem (vti ferè solent, qui morte afficiendi sunt) & seriò hortari, vt hæreticam pestem fugerent. Quibus in verbis Ministri timentes, ne, si cœptam orationem prosequeretur etiam

ipsos

ipsos perstringeret, illud egerunt apud carnifices, vt vir Dei scala continuò deturbatus, & sermonis & vitæ præsentis quidem filum fœliciter abrumperet, futuræ verò telam cum Deo in Christo multò fœliciùs inchoaret, quam nulla vnquàm nec hominum iniuria, nec temporis diuturnitas abrumpere poterit.

Ministri Caluiniani, quia sunt socij carnificũ & coadiutores ex officio, non possũt incurrere aliã irregularitatẽ.

MARTYRIVM DOMINI RICARDI KIRCKEMANNI SACERDOTIS.



ANno Domini 1582. octauo Augusti die, D. Ricardus Kirckemannus Sacerdos duobus ferè miliarib⁹ à Vailefilda captus fuit à quodam Vorteleio viro nobili & publicæ pacis conseruatore. Is cum multa interrogauit; quo loco natus esset, qua occasione iter hâc faceret, & alia quædam eius generis. Ad quæ Sacerdos respondit: se Adingamiæ natum esse, serijs negotijs vrgeri, vt hâc iter institueret, & similiter ad singula. Demùm conseruator Kirckemannum & famulum ad arcem Eboracensem destinandos esse iudicauit, hanc eis criminationem intentans, quòd essent ganeones erratici certa sede carentes, qui huc illuc discurrerent, vt pugnas miscerẽt, & proborum ciuium pacem atque tranquillitatem perturbarent.

Capitur Sacerdos Dei cũ famulo.

Sed vir bonus, cùm videret aliter fieri non posse, quin omninò ad carcerem destinandus esset, vt circumcellio & pacis ciuicæ perturbator, postulato calamo sua manu scripsit, se sacerdotem esse Catholicum. Quo facto, conseruator nullis ad eum ampliùs verbis vsus est: sed ijs, qui aderant, iussit, vt eorum omnia perscrutarentur. Quod ab eis satis curiosè præstitum fuit. Inter alia verò etiam calicem & cæteras res ad rem diuinam faciendam necessarias repererunt.

Tum cõseruator, cũ reliqua hominũ multitudine, q aderant, vt eũ ad comitia generalia comitarẽtur, statim ꝓfect⁹ est, captiuis suorũ curę ac custodiæ relictis. Qui mox parati & cõscensis equis, vesperi Tadcastriam appulerunt (vbi captiui nudis tabulatis strati pernoctarũt.)

Eboracũ ducuntur.

Pro lecto vtuntur nudis tabulatis.

Ac po-

Ac poſtero die Eboracum peruenientes, ſacerdotem continuò & ſine vlla interpoſita mora pro tribunali iudicum ſtatuerunt. Vbi multæ illi ac variæ quæſtiones propoſitæ fuerunt.

Examinatur.

Primùm interrogatus fuit, quo loco literarum ſcientiam aſſecutus fuiſſet. Reſpondit, in ſcholis.

Quo in loco moram faceret in Anglia. Reſpondit, apud Dimmocum virum nobilem, cuius & liberos inſtituerat: (Dimmocus is erat, qui ob profeſsionem religionis Catholicæ in carcere mortuus eſt.)

An vnquàm ad regiones tranſmarinas ſe contuliſſet. Annuit.

Quot annos & quibus in locis. Reſpondit, ſe Rhemis duos annos verſatum fuiſſe.

An ciuibus ſuaderet, vt ſeſe à Reginæ obſequio ſubducerent. Reſpondit, ſe id non agere, ſed ciuibus veræ religionis ſuſcipiendæ ſuaſorem eſſe, ſuſcipientibus verò ſancta Eccleſiæ ſacramenta adminiſtrare pro locorum & temporum opportunitate.

An vnquàm miſſam celebraſſet in Anglia. Reſpondit, ſe in Northumbria miſſam celebraſſe: ſed de locis & perſonis nihil indicare voluit.

Inſtituitur libellus criminationum. Declaratur ſacerdos reus mortis, tum quia ſacerdos eſt, tum quia Hæreticos ad Catholicā religionem reuocat.

Ex hiſce rerum capitibus libellus criminationum inſtitutus fuit, & conſcripti duodecimuiri: qui ſtatim duas ob cauſas eum mortis reum declararunt: primùm quòd eſſet ſacerdos ex ſeminario Rhemenſi, deindè quòd Reginæ ſubditis author fuiſſet, vt Catholicam religionem ſuſciperent.

Secundò examinatur Chriſti confeſſor, & conuicijs appetitur.

Poſt lata duodecimuirorum ſuffragia, rurſum examinatus fuit à Vorteleio & Manuerio pacis conſeruatoribus. Qui cùm nihil ab eo earum rerum, quas volebant, extorquere poſſent, Vorteleius iratus Papiſtam & proditorem appellauit, multiſque eum verborum iniurijs & conuicijs inſectatus eſt. Ad quem ſacerdos: Eodem iure, inquit, ipſos etiam Apoſtolos in crimen proditionis vocare licebit, qui eadem planè docuerunt, quæ ego nunc doceo, eadem fecerunt, quæ in me tantoperè vituperanda eſſe exiſtimatis.

Sententiam mortis accipit.

Demùm ad tribunal rediens, ſententiam mortis accepit, ea verborum forma latam, qua in homines facinoroſos læſę Maieſtatis reos ferri ſolet. Quam cùm audiſſet, ſumma cum animi tranquillitate & vultus modeſtia iudicem intuitus: obſecro te, inquit, vt eam conſiderationem ineas, qui vir ego ſim, homo impurus & peccatorum ſorde totus immerſus, adeoque hac tam ſublimi vocatione planè indignus.

dignus. Ad quem index: Ex legum præscripto, inquit, lata est in te sententia: quamobrem nihil aliud nunc restat, quàm vt te ad supplicium præpares.

Humilitas serui Christi.

Sed vir Dei iudici rursum supplex fuit, vt rem altiùs perpenderet: esse enim hoc supplicij genus sacro martyre dignum, quo proptereà se prorsus indignum agnosceret. Ad quod iudex cum indignatione: Est hoc, inquit, supplicij genus tuo sceleri consentaneum. At humilis Christi seruus & imitator tertia vice: Nihil ergò est remedij? omninò faciendum est, vt ad hoc sacræ dignitatis fastigium euehar? Optime Deus, ego quidem agnosco, me hoc præcelso loco prorsus esse indignum; sed posteaquàm tuæ diuinæ bonitati sic visum est, fiat sanctissima voluntas tua sicut in cœlo & in terra. Atq; ita, effusum animi gaudium continere non valens, illum Diuorum Ambrosij & Augustini hymnum læta admodùm & sonora voce pronuntiauit: Te Deum laudamus, te dominum confitemur.

Quomodo tractatus fuerit post acceptā mortis sententiam.

Lata in eum mortis sententia, ad carcerem reductus fuit, & in turri quadam admodum angusta inclusus cum Lacio: vbi aliquamdiu mansit. Quatriduò quàm mortem sacram subijt, à præfecto prouinciæ & duob' Ministris accersitus fuit. Qui cùm eum secretò conuenissent, (quibus de rebus cum eo egerint, nobis constare non potuit) à Lacio separatum in carcerem quendam subterraneum & tetrum coniecerunt, in quo homines facinorosi asseruari solent: vbi strato, cibo, & omnibus huius vitæ adiumentis destitutus fœlicem exitus sui diem cum patientia expectabat.

Vltima verba martyris.

Vigesimo secundo Augusti die, sacerdos sanctus raptatus ex more ad furcas vnà cum Lacio, & fraterni certaminis spectator effectus est & socius. Quo consummato, iussus fuit à Ministris iustitiæ, vt propiùs accederet (erat enim in oratione defixus.) Quod eorum imperium perlibenti animo suscipiens, scalam alacriter conscendit, & verba habuit ad populum, qui frequens aderat. Sed cùm de schismate aliquid dicturus videretur, diutiùs ferre non valentes, silentium ei continuò indixerunt. Tùm beatus martyr scalam adhuc altiùs aliquantò conscendens; Heu mihi, inquit, quia incolatus meus prolongatus est: habitaui cum habitantibus Cedar, multùm incola fuit anima mea. Atque ita, fixis in cœlum oculis, animam deo creatori fœliciter reddidit.

MARTYRIVM DOMINI IACOBI TOMSONI SACERDOTIS.

Examinatur pius Christi confessor.

IAcobus Tomsonus Sacerdos Eboraci captus fuit vndecimo die Augusti, Anno domini 1582. & ad Senatum continuò perductus. A quibus interrogatus, quinam vir esset, respondit sine vlla hæsitatione, se sacerdotem esse. Quæ res senatores in admirationem adduxit. Dicebant enim, eum aliquot iam annos in vrbe versatum, ciuibusque passim & probè notum & iam pridem visum fuisse. Ad quod ille, sese ex Anglia in regiones transmarinas concessisse, ibique sacris initiatum fuisse respondit.

Interrogarunt, quantum temporis in illis partibus versatus fuisset. Respondit, non vnum annum integrum.

Quam ob causam tàm citò redijsset. Respondit, se graui admodùm morbo laborasse, eaque re coactum fuisse, vt citiùs rediret, quã animo destinauerat.

Iusserunt, vt bona fide diceret, an eius in patriam reditus non fuisset, vt homines reconciliaret. Meus, inquit, reditus non alius fuit, quã quẽ iam dixi; morbo enim acerrimo conflictatus fui ab ipsa Purificationis festiuitate vsque ad principium mensis Maij. Et tamen ingenuè fatebor, me eo fine redijsse, vt patriæ prodessem.

Interrogarunt, an vllos vnquàm homines reconciliasset. Respondit, quoties aliqua oblata esset opportunitas, se muneri suo nunquã defuisse.

Tum & illud petierunt, quot homines & quos reconciliasset. At ille: Neminem, inquit, in crimen vocabo.

Sanguinaria quæstiones.

Quæsierunt, an Reginæ Maiestatem supremum Ecclesiæ caput agnosceret. Respondit se non agnoscere. Rectè, inquiebant: non est, quòd plura loquaris: satis enim multa iam dixisti. Tum ille: Benedictus Deus.

Sed his rebus non contenti, porrò interrogabant, an in Papam arma sumere vellet, si is regnum inuaderet. Ad hoc Sacerdos: Cùm illud tempus venerit, ego me probum ciuem ostendam.

Tum

Tum & illud ſubiunxerunt, an iam nunc contra Papam militare vellet. Minimè verò, inquit.

His ita peractis, cùm multis eum verborum contumelijs (vti ferè ſolent) inſectati fuiſſent, ganeonem, Papiſtam, proditorem appellantes, Tomſonum carceri addixerunt, & mandarunt, vt vincula ei duplicia iniÿcerentur. Atque hæc quidem fuit pij ſacerdotis conditio ad ſpatium ſeptendecim dierum. Quibus exactis, eò quòd, exhauſta iam omni pecunia, neceſſarios illius carceris ſumptus ampliùs ſoluendo non eſſet, ad caſtrum transferri oportebat. Quò cùm ducendus eſſet, tantùm abeſt, vt compedes illi vel ſaltem alterum eximere voluerint, (id quod legum violatoribus quantũuis facinoroſis ferè concedi ſolet) vt etiam duplici vinculorum mole onuſtum per plateas publicas ſummo cum probro ducendum eſſe exiſtimauerint, raro prorſus & inuſitato exemplo. Tam atrox eſt flagitium nunc in Anglia, fœminei præſulatus dignitatem non agnoſcere. *Cõuicia examinatorum.* *Carceri mancipatur martyr & vinculis oneratur.* *Exhauſta pecunia miſerè tractatur.* *Per plateas ducitur vinculis onuſtus ad maiorem contumeliam*

In caſtro conſtitutus, eum carceris locum ſortitus eſt, vbi ſicarij & homicidæ, cæterique atrociſsimorum criminum conuicti detinebantur. Nec meliora impetrare potuit, donec tandem carceris præfectus non tam commiſerationis affectu, quàm lucri ab amicis emungendi cupiditate permotus, permiſit ei, vt alio quodam in loco eſſet, vbi & aliquãto humaniùs tractaretur, & ſocios haberet duos ſacerdotes, eandem ob cauſam in vincula coniectos. Atque in hoc ſtatu vixit, vſque ad illum diem, quo iudicibus ſiſtendus erat, qui fuit vigeſimus quintus menſis Nouembris.

Quo die, cùm obſeruata iudiciorum forma, iudex in eum mortis ſententiam tuliſſet, omnemque tormentorum ac necis inferendæ ſeriem conceptis verbis (vti fit) quaſi oculis ſubieciſſet, tanta fuit ille lætitia perfuſus, vt doloris & morbi, quo intenſiſsimè laborabat, planè oblitus eſſe videretur. Poſt acceptam mortis ſententiam dies ac noctes vel orationi & meditationi vacabat, vel in eam rem incumbebat, vt animas Deo & Eccleſiæ Catholicę lucrifaceret. Quod etiam ex occaſione loci, Deo opem ferente, fœliciſsimè præſtitit. Nam in priſtinam illam flagitioſorum hominum cuſtodiam rurſum detruſus, partim cohortationibus, partim præclariſsimarum virtutum exemplis illud apud concaptiuos egit, vt aliquos ex illis ab errorum tenebris ad lumen veritatis Catholicæ ac demùm vnà ſecum ad cœleſtem gloriam inuitis dæmonibus & dæmonum miniſtris traduxerit. *Damnatur capite.* *Exercitia eius in carcere poſt acceptã ſententiam mortis.* *Cõuertit aliquot concaptiuos ſuos.*

A viris fide dignis accepimus, cum ab illo tempore, quo sacerdos factus est, lineis vestibus ad cutem nunquàm visum fuisse. Filios spirituales, cùm eum inuisebant, hortari solebat, vt in fide firmi essent ac constantes, nec vlla rerum aduersarum procella concussi vacillarent. Tempus enim breue, præmium ineffabile, & victoriam penè iam partam esse asserebat.

Cùm fœlix ille ac faustus dies adesset, quo Sacerdos sanctus sacram sui corporis hostiam Deo immolare debebat, & storea raptatoria, in qua ad furcam pertrahendus erat, in conspectu posita esset; interrogatus à quodam, quo modo se haberet, an videlicet præsenti esset animo: respondit, se in omni vita nunquàm tàm lætum ac iucundum extitisse. Tùm Minister quidam sese ingerebat, vt eum alloqueretur; sed Sacerdos profanum hominem tanquàm pestem reiecit, nec alloquio dignatus est. Quod eius exemplum imitati sunt & alij, qui similiter (licèt non simili de causa) mortem subituri erant, illud Ministro denunriantes, se nullo modo adduci velle, vt eius doctrinam auscultarent.

Lætitia eius sub mortem.

Cùm iam ad locum supplicij ventum esset, se continuò dedit orationi, multumque ac vehementer precatus est. Tùm scalam conscendens, & ad plebem conuersus, hæc verba Latinè habuit: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum siue malum.* Sed antequàm sententiam absoluerat, Lindesæus Minister cœptę orationis filum interrumpens: Tomsone, inquit, lingua vernacula loquaris, vt populus te intelligat. Ad quem Sacerdos mitissimè: Quæso, inquit, vt dicentem patienter audias. Atque ita, quæ iam anteà Latinis verbis dixerat, Anglicè reddidit. Cumque demùm ad explicationem vocum illarum venerat (referet vnusquisque propria corporis) subiunxit: Et ego omnium primus: iam vtique morti addictus, ob crimen læsæ Maiestatis, vti quidem ęstimatur, sed re ipsa ob religionis Catholicæ professionem.

Verba facit ad populum.

Tùm rursum importunus Minister, eas voces non ferens: Tuæ, inquit, proditiones & in principem patriamque machinationes nobis satis compertæ sunt & exploratæ, de quibus etiam duodecimuirorum suffragijs conuictus es. Minimè verò, inquit Sacerdos. Ego Deum testor, me nihil vnquàm nec in principem nec in patriam machinatum fuisse.

Ministri petulantia.

Tùm Maudus Comitatus præfecti vicarius: Tomsone, inquit, consentaneum est, vt à Regina veniam petas. Cui Sacerdos: Quorsum,

ſum, inquit, veniam petam à Regina, in quam nihil vnquàm admiſi? hoc ſi facerem, ipſe mihi crimen inferrem. Sed ego teſtem Deum inuoco in animam meam, Reginam nulla vnquàm in re à me læſam eſſe. Atque in hanc ſententiam plura dicturus erat: ſed inſulſus Miniſter obſtrepuit, & ad circumfuſam multitudinem clamans: Auſcultate, inquit, auſcultate ſceleſtum hominem. Quemadmodùm ab ineunte ætate vitam nequiter & impiè inſtituit, ita & nunc in impietate ſua perſiſtere ac mori decreuit. Ad hæc Sacerdos (cùm vicarius Miniſtro ſilentium indixiſſet:) Tu, inquit, ad me accedis, (vti quidem præ te fers) vt patientiam in morte doceas, non exerceas; ſed contrà facis: Deus tibi ignoſcat.

Miniſter Satanæ idē videtur eſſe qui & Caluini.

Quibus dictis, ad furcam conuerſus, ſcalam paulò altiùs conſcendit. Cumque ſe & ſacrum, quod mox ſubiturus erat, certamen Deo per orationem commendaſſet, capite ad plebem pauliſper retorto: Vnum, inquit, oblitus eram. Vos omnes oro obſecroque vt mihi teſtes eſſe velitis, me hoc loco in fide Catholica mori. Atque ita ſcala excuſſus, omnia cum matura quadam deliberatione ſic peragere videbatur, vt non in cruce pendentem, ſed in lecto decumbentem & integris ſenſibus præditum agnoſceres.

In ipſa enim laquei præfocantis prima conflictatione, manus ad cœlum magno cum affectu ſuſtulit, illud vtique tacitis membrorum motibus loquens: Auxilium meum à domino, qui fecit cœlum & terram. Deindè pectus manu dextera tundebat, ſuam hoc ſigno indignitatem infirmitatemque, vt poterat, oſtentans; vt virtus Dei infirmitatem perficiens agnoſceretur.

Geſtus martyris pendentis à furca. Manus in cœlum eleuat. Pectus tundit.

Demùm è corpore iam migraturus, ſacrum Crucis ſignum manu ſenſim ducta perfectiſsimè formauit (non ſine magno aſtantiū omnium ſtupore) præclaro ſe Chriſti trophæo præmuniens aduerſus ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus, quorum cohortes mox cum illuſtri triumpho tranſiturus, & coronam auream legitimè certantibus propoſitam de manu Chriſti accepturus erat: cui omnis honor & gloria.

Signat ſe ſigno crucis.

AMEN.




MARTYRIVM DOMINI IACOBI LABORNI NOBILIS LAICI.

Ex lib. 3. de schismate Anglicano.




Acobus Labornus nobilis Laicus postquàm varias carcerum molestias Carleoli, Londini, Lancastriæ, Mancastriæq; perpessus esset, tùm ob Catholicæ fidei confessionem, tum etiam quòd Elizabethæ pontificatum fœmineum inficiaretur, palamque negaret ei obedientiam præstandam esse, partim quòd eius natales illegitimos esse diceret, partim, quòd esset Pij Quinti Pontificis maximi sententia prætenso iure regnandi priuata: tandem Mancastriæ sanguinem, omnibus admirantibus eius constantiam, patientiam, ac rerum humanarum contemptum, lubentissimè ac mitissimè fudit, Anno 1583.



MARTYRIA DOMINI IOANNIS BODAEI ET D. IOANNIS SLADI.

Libro 3. de schis. Anglicano & lib. ad persecutores Anglos.



Ominus Ioannes Bodæus & D. Ioannes Sladus honestæ conditionis Laici bis varijs temporibus per sententiam Iudicis (inaudito apud Anglos exemplo) morti adiudicati sunt; quam paulò post fœlicissimè obierũt, non aliam ob causam damnati, quàm quòd penes Reginam summam in causis Ecclesiasticis authoritatem proximè & secundùm Deum esse negarint.

MARTYRIVM DOMINI GVLIELMI HARTI SACERDOTIS.



VLielmus Hartus adolescens Oxoniæ in Collegio Lincolniensi literis operam dedit, breuique rara ingenij fœlicitate, suos æquales reliquosque eiusdem studij socios benè dicendi facultate superauit. Inde Flandriam petens Duacum se contulit, vbi non pœnitenda in literis iacta iam fundamenta promouendo prosecutus est; quàquàm verò humanitatis studiorum magnus, maior tamen virtutum profectus extabat: cuius, cùm in Deum pietas singularis fuit animique modestia, tùm verò in continuis calculi doloribus perferendis incredibilis quædam patientia, vt non dubitarent prudenter de rebus iudicantes affirmare, diuina prouidentia eò loci hominem missum, non magis vt bonas literas animo capesseret; quàm vt tantum æquabili & sedato animo dolorem ferendo, reliquos ad sui imitationem prouocaret. Quam doloris acerbitatem cùm aliàs semper æquissimè, tùm verò maxima cum omnium admiratione pertulit, cùm è Belgio tumultibus bellicis fremente Remos cum suis collegis profectus est. Quod iter totum, licèt maximis ac propè intolerabilibus premeretur doloribus, pedes tamen confecit ea mentis & animi æquitate, vt è comitibus eos, qui præ reliquis in rerum æstimatione prudentiores erant, in sui rapuerit admirationem. Menses deinde aliquot Remis, secundo auditorio & fructu Dialecticam professus est. At verò morbi vi indies ingrauescente, nulloq; remedio ad leniendam doloris magnitudinem suppetente, qui tùm literarum studijs præfecti erant, id consilij cœperũt, ad aquas Spadanas, (quæ amaræ & salubres è fontibus Spadanis fluũt) eum vt mitterent, rati earum potu vim morbi si nõ extinctum, saltẽ remissum iri; qua re cùm nihil promotũ esset, decernunt Medici experientia clariores, sola sectione tantum malum posse curari. Nihil Hartus tàm acerba denuntiatione fractus, etsi mors optabilior videretur, tamen in Medicorum consilio conquiescendum putauit, si fortè vita sibi prorogaretur, viresq; pristinę darẽtur, quò plures Christo & Ecclesię Catholicæ animas lucrifaceret; hoc itaq; modo se animũq; suũ firmans, illud vnicè à Deo contendit, vt quales tandem cunq; in hac sectione subiturus esset dolo-

Insignis Harti in calculi dolore ferendo patientia.

Harti animi magnitudo.

dolores,in vitæ anteactæ expiationem acciperet. Ac nihil moratus corpus secandum Chirurgo promptè offert. Cui cùm tàm amplum vulnus ille fecisset;quantū satis esset, ad manum in omnes viscerum partes commodè versandam, vt calculus educeretur;hic intereà tàm altè in oratione defixus Deo preces offerebat, vt quæ secum agerentur, vix animaduertere videretur; quam rem non fine ingenti admiratione tum Chirurgus, tum qui spectaculo aderant, notarunt. Ex hoc vulnere vtcunque recreatus mox Remos reuertit: ac non ità multò pòst de Præceptorum voluntate Romam profectus est, vbi eodem animi ardore in literarum studia & virtutum incumbens, progressus fecit amplos, seque multis imitandi reliquit exemplum. Sacris initiatus in Angliam mittitur, quod in eò iam inde à principio singularis quædam in Deum religio, eximia in Patriam pietas,incensum fidei Catholicæ propugnandæ studium cerneretur; quod munus & impigrè obijt, & sibi concreditum talētum in multorum vtilitatem expendit. Erat autem Hartus moribus facilis (quo erat omnium hominum ordinibus gratior)sermonis copia disertus,in perorando vehemens & incensus, vt eam ob rem alter Campianus fuerit appellatus. Ei sacris operanti (vt obseruatum est) & tremenda mysteria pertractanti, vis lachrymarū, suæ pietatis testis, sæpè oborta est. Hic vt omnibus affabilis, ita præcipuè eiusdem fidei socios, quos eam ob rem vinculis ac carceribus constrictos teneri sciebat, verbis, quibus poterat, consolari gestiebat:ad quos vt perueniret, nullum neque laborem neque periculum recusabat; licèt ipse non nesciret, si in hoc charitatis officio depræhenderetur, grauiores sibi, quàm cuiquam eorum, quos inuiseret captiuos, pœnas esse dependendas, sed suppliciorū metum iuuandi proximi desiderio vincēs non intermisit, quin quotidie captiuos adiret; verbis excitaret;opem ferret,eorum confessiones exciperet;cœlesti cibo reficeret,& quos agere animam nosset,oleo sacro inungeret. Nam id temporis Eboraci plerique inedia,pędore,alijsque carcerum incommodis & squalore confecti miserandū in modum extinguebantur. Qua nocte Bellus sacerdos sollenni ritu sacra mysteria in custodia peregit, & Lacius, alijq; nonnulli intercepti sunt,adfuit & Hartus;sed hic ex arcis muro desiliens, in stagnum quoddam cœnosum se ad mentum vsque coniecit,itaq;(immunda quidem, at non turpi fuga)saluti suæ consulens permeauit, sed tandem Deo visum est, athletam suum pro tot exantlatis laboribus, copiosè remunerare, quare

Doloris acerbitatem precatione vincit.

In Angliam mittitur.

Eius in captiuos officia.

Manus lictorum effugit.

quare in hunc maximè modum eſt captus. Poſtera nocte natalitiorum Chriſti, apparitores in eius cubiculum irruentes decumbentem in lecto, & (vt veriſimile eſt) dormientem depręhendunt; quorũ ſtrepitu repentino excitatus, nonnihilque turbatus ſic eſt eos allocutus: Cauete quiſquam veſtrûm violentas in me inijciat manus; Sacerdos ego ſum ſacro chriſmate delibutus, quin ſinite me ipſum colligam, induamque, vos ego deinde comitabor. Quem illi veſtibus indutum mox ad Præfecti Prouincialis ædes, (vbi reliquum noctis in vigilum oculis egit) poſtridie verò ad Præſidẽ duxerunt, à quo pluribus interrogatus eſt: cuiuſmodi autẽ illa aut quæ fuerint, pro certo nihil habemus dicere, id tantùm ad aures noſtras peruenit, quod ad extremum vir nobilis qui examini intererat, Præſidem Harto crimen læſæ Maieſtatis obiectantem ita ſit allocutus: Omninò, Illuſtriſsime, homo iſte ab iſtiuſmodi criminibus videtur immunis. Vt vt ſit tamẽ, Hartus in carcerem Eboracenſem abductus eſt, & cuſtodiæ Præfecto id in mandatis datum, vt non aliter eum atque perduellionem tractaret. Hartus ergo in quandam ſubterraneam ſpecum includitur, nec alium, dùm vixit, locum ſortitus eſt. Altero autem die quàm eſt captus, (is dies erat D. Ioanni Euangeliſtæ ſacer) duplici vinculorum pondere onuſtus & preſſus eſt, vt vel internum animi gaudium, quod vultus & verba prodebant, hic ſaltem dolorũ ſenſus quoquomodò temperaret. Sed multò ſecùs accidit, nã cum dolorum, quos propter Chriſtum ferebat, acerbitate, conſolationum magnitudo contendebat. Vt verò dies aliquot huius cuſtodiæ moleſtias, compedumque graue onus conſtanter & ſedatè pertulit, à Senatu accerſitur, à quo cùm multa relatu indigna, tùm illud audit, nihil eum in medium afferre poſſe, quo ſuæ cauſæ patrocinetur. Ad quod cùm ſic reſponderet, vt librorum inopiam cauſaretur; fit ei poteſtas, omnes D. Auguſtini tomos ſecum in cuſtodiam aſportandi, è quibus cùm ea breui temporis ſpacio excerpſiſſet, quæ ad ſuę cauſæ defenſionem accommodata viderentur, binas literas ſcripſit: vnas ad Senatum, alteras ad Huttonum maioris Eccleſiæ Decanum; nam homines prophani quemadmodùm Eccleſiaſticorum virorum bonis fruuntur, ita & antiquos ordinum titulos adhuc in Eccleſijs vſurpant. Literarum porrò hæc erat ſumma, ſe Doctoris ſacri libros (quantum res exigebat) percurriſſe; Auguſtinum verò in ea eſſe ſententia, vt credat verè & re ipſa Chriſtum in Euchariſtia eſſe præſentem, Sacrum Miſſæ ſacrificium ad numen diuinum placandum vale-

Vt poſteà captus.

Innocentia Harti.

In carcerem Eboracenſem ducitur.

Diuina conſolatione perfunditur.

Ad Senatum vocatur.

Carcerem repetit.

Summa literarum Harti ad Decanum.

Auguſtin' cũ Catholicis in omnibus conſenſit.

re contendat, Sanctos esse inuocandos astruat, traditiones Maiorum affirmet esse retinendas, Dei mandata obseruari posse doceat, omnia deniq; , quæ à nobis docentur, probet, & quæ ab aduersariis dicuntur, planè respuat & damnet; ex quibus illud manifestum euadat, fidem nostram non esse nuper repertam, nec religionem esse falsam, nec doctrinam illis erroribus aut implicatam aut peruiam, quemadmodũ passim aduersarij calumnientur; sed & illud ab Huttono contendit, vt si, quæ Ecclesia de Purgatorio, Sanctorum inuocatione, precationibus pro mortuis, iustitia piorum operum, & id genus aliis verè docet, à veritate aliena omninò esse vellet, doceret ipse, vel ex Patribus, vel historiis, vel aliquo vetustiore monumento, quo tempore, qua hominum memoria, quo modo, quibus authoribus errores isti, (quos vocat) primũ in Ecclesiam irrepserint; simul etiam quinam illis temporibus spectatæ pietatis homines extiterint, qui sese vt murum opposuerint pro domo Israel, & periculum à populo Dei arcere modis omnibus studuerint. Quòd si Huttonus id præstari posse diffideret, tùm sanè daret, quæ proposita essent & D. Augustini verbis comprobata, non pro damnatis erroribus habenda, sed esse pronuntiata toto orbe Christiano decantata.

Nullo teste doceri posse contrariũ iis quæ tenet Ecclesia.

Hæc cùm literæ leguntur in Senatu, eòdem vir sanctus accersitur, vt coram de quęstionibus propositis ageretur cum Decano, qui (quemadmodũ Christi martyr, deinceps cæteris captiuis carcere dimissus ipse scripsit) palàm confessus est Augustinum à parte Catholicorum esse, & cum eo omnem antiquitatẽ de vera Christi in Eucharistiæ sacramẽto præsentia, item Purgatorio in errore versari (sic enim libuit homini profano in illo consessu de fidei nostræ articulis & sentire & loqui) quãuis posteà & ipse, & suæ perfidiæ asseclæ in vulgus sparserint, Christi seruum facilè ad Caluinum & Angliæ Pontificem, id est, Reginam transfugiturum; cuius rumore permotus pius Martyr, ea de re literas ad quosdam Catholicos, suos amicos in hæc verba scripsit.

Ad Senatum accersitur.
Fatetur hæretic⁹ D. Augustinũ à partibus Catholicorũ esse.
Hominis arrogantissimi contumelia in Sanctos Patres & fidem Catholicam.
Familiare hæreticis.
Literæ Harti ad quosdam Catholicos.

QVò maiore vos prosequor amore (dilectissimi fratres, amiciq; charissimi) hòc grauiorẽ de vestra calamitate doloris sensum percipio. Sed gaudete, quæso, in Domino, & alacri animo, vt generosos milites decet, hoc certamẽ prò Christo suscipite. Domini est terra, & plenitudo eius, nihil is proinde nobis deesse patietur, Dominus adiutor noster, vt non sit, quãobrem

obrem nobis timeamus. Si namq; Deus pro nobis, quis contra nos? Salutate omnes meo nomine, eisq; meis verbis significate, Ministros verbi (quamlibèt de victoria sua & mea defectione, falsissima quæq; in vulgus sparserint) ita postremò inscienter & imperitè mecum esse congressos, vt dubitem, magis ne sit admiranda ipsorum malitiosa ignorantia, an verò deploranda malitia densissimis ignorantiæ tenebris obducta. Quid porrò hac in concertatione sit actum, efficiam, ex secundo examine intelligatis, nunc quidem id solummodò dixero, pauca mecum, alijs præsentibus Decanum contulisse, qui licèt subiratus me hallucinari dictitaret, ad extremum tamē ipse cum reliquis Senatorij ordinis viris benè respondisse fassus est, vt non sit difficile coniectare ex hoc congressu nullam ei victoriam, nullamq; ex victoria partam esse coronam. Ex eo tempore complures eorum, atque adeò ij ipsi, qui sua opinione doctrina cæteros anteibant, me conuenerunt, & benè longum de Missæ sacrificio, itemq; vera Christi corporis in Eucharistiæ sacramento præsentia, mecum sermonem habuerunt, & varia, vt cuiusq; ferebat ingenium, contra eadem obiecerūt. Quidā naturalis corporis proprietatibus allatis effici volebant, vnum & idem corpus pluribus in locis simul esse non posse: accidētia verò sine re subiecta neque consistere neque nutriri posse; quam ob causam Christi corpus re ipsa in sacramento esse nec posse nec debere. Ego veram ipsorum esse rationem respondi, quo ad vires, vsum affectionesque corporis naturalis: sed Dei præpotentis infinitam virtutem, Christique sanctißimam voluntatem hic spectandam esse affirmaui, cuius immensa potestate corpus vnum pluribus in locis esse & accidentia nullo subiecto nisa non modò esse, verùm etiam hominē sustentare posse certius esse testatus sum, quàm vt ab ipsis poßit euerti. Alij Augustinum & hoc antiquiorem Tertullianum in medium attulerunt, quorum ex sententia dicebant Christum non quidem verè suum corpus, sed corporis figuram & signum dedisse. Ad hæc id responsi datum, & verum corpus porrectū, & simul figuram ac signum esse datum: quod ipsum reuerà Christi corpus sub figura siue specie panis ac vini delitescens, tùm olim discipulis, tum nobis modò porrigatur. Alij vt D. Bunnius noui Euangelij vel suo iudicio non infimus præco istiusmodi ratiotinationem contexuit: Qui credunt in Eucharistia se integrum Christum & Deum & hominem percipere, eiusq; omnium meritorum atq; paßionis participes esse, abundè satis credunt ad salutem æternā consequendam.

Falsus de Hario rumor.

Respondet varijs hæreticorum obiectionibus.

Nos verò & Christum totum Deum & hominem in Eucharistia percipi credimus, satis ergo abundè ad consequendam æternam salutem credimus: neque necesse est vt credamus Christi corpus reuerà & cum essentia sua nobis sub panis vinique forma porrigi. Quæ ego ita dissolui, multa licèt imperitè & captiosè proferrent, tamen ipsos Christum verum Deum atq; hominem Eucharistię sacramento contineri aut sibi porrigi credere negarẽ, vel hoc argumento, quòd Eucharistiam percipiendo suis in corporibus Christum inesse, aut pluribus in locis reperiri posse non crederent: quę sic tamen cum eiusdem Christi corporis sumptione coniuncta sunt, vt ab ea seiungi separarísue non possint. Hanc nostram rationem silentium mirũ est consecutum, nec qui eidem occurreret, quisquam fuit: vt proinde quoq; non fuerit, quamobrẽ de me se triumphasse iactarent. Deinde verò alij in arenam mecum descenderunt, inter quos ipse Palmerus non ignobilis Minister, qui hoc palmario, vt sibi videbatur, vsus est argumento ad euincendum Missæ sacrificium minimè esse actionem cum Christi instituto congruentem. Missa, inquit ille, actio publica non est; non igitur cum Christi instituto cohæret. Ego verò, & publicam esse actionem, & quod ipse sibi sumeret, falsum esse respondi. Premit ille, non omnes, inquiens, cum vestro sacrificulo Christi corpore participant, quare & eius actio publica esse non potest. Non id, inquam, ex illo efficitur, quòd Missæ sacrificium non eò dicatur actio publica, quòd omnes qui sacro intersunt, sacra mysteria percipere vel soleant vel debeant; sed quòd sacrificium sit vniuersè tùm pro viuis, tùm mortuis Deo oblatum. Ille verò profert decretum Anacleti sic loquentis: *Qui communicare nolunt, à sacris templis eliminentur.* Vnde concludens nascentis Ecclesiæ eam fuisse consuetudinem asserebat, vt qui sacris interessent, sacra quoque mysteria perciperent. Cui ego: Tua, ô Palmere, ista ratio non id quod cupis, euincit: nimirum, ideò sacrificium Missæ publicam actionem non esse, quòd aut omnes aut plurimi cum sacerdote sacrificante ad sacrã non accedant synaxin. Illud adieci olim Christianos, in Ecclesiæ nascentis exordio, quòd maximè cum fidei hostibus sibi congrediendum esset, singulari quodam religionis & pietatis ardore, sacro se Christi corpore & sanguine quotidie confirmasse, cùm nulla tamen ipsi ad id præstandum lege tenerentur. Atq; vt illa consuetudo vim quasi legis habuerit tum, cùm Christianorum ardens pietas innumeris vitæ insidijs petebatur, nunc tamen vel ipsa desuetudine vim pristinam

Alius cũ hæreticis congressus.

Cur olim Christiani toties synaxin frequentarẽt.

nam & robur amittit; quod nullo modo ijs, qui de rebus verè sentiunt, mirum debet videri, nonnulla temporum causa, & ratione locorum in Ecclesia subinde variari. Nam & id in Republ. videmus vsu venire, vt quæ vim legis antè, & non tantùm rata habebantur, posteà rerum vicissitudine facta, in legibus esse desierint, pristinumque robur perdiderint. At verò hanc meam de Missæ sacrificio sententiã illos calumniantes ita posteà in vulgus iactasse intellexi, vt me dicerent fateri hoc nostrũ sacrificium non idem esse cũ illo, quod in Ecclesiæ orientis primordio vsurpabatur, sed aliud longè diuersum. Quod profectò non modò nõ dixi, sed ne animũ quidẽ eius vel tenuissima subijt cogitatio. Verùm hinc coniectare satis licet eos, si minimè doctos, at malitiosos in benè dictis detorquẽdis esse calumniatores; vtque pestilentissimam Caluini opinionem, quo tandem cumque possunt modo, probabilem reddant. Idem porrò Chrysostomum sic loquentem protulit: *Quisquis mysteriorum Dei particeps non est; aut impudens est, aut ignarus.* Ex quo effici volebat omnibus hoc sacramento participandi necessitatem impositam esse. Ego verò virorum ex doctorum iudicio hanc imbecillam esse rationem dixi; posse namque quemlibet Orthodoxum non modò sacramento & reipsa diuinorum mysteriorũ participem esse, verùm animo quoq;, quoties firma fide interest diuinis, eaque percipere pia mente desiderat. Chrysostomo subiectus est Gratianus, qui Caluino planè & disertè aduersatur. Verba Gratiani in medium adducta hæc sunt: *Edimus,* inquit, *Corpus Christi sub forma panis, & bibimus sanguinem Christi sub forma vini.* Sic tandem vir bonus velut triumphans Deum contestatus est, Missæ sacrificium & scripturæ sacræ, & Patribus antiquis aduersari. Ad extremũ cùm ego ex epistola 37. S. Ambrosij ad Sororem & sermone 25. B. Augustini de Tempore, & alijs antiquissimis Patribus Missæ & nomen & actionem ostendissem; tum Palmerus: do, inquit, Missam in vsu fuisse Patrum istorum temporibus, at longè aliam, atque modò Papistæ vsurpant. Hoc autem responsum quàm esset indignum homine suo sibi iudicio benè docto, auditoribus iudicandum reliqui. Hæc vt gesta sunt, charissimi in Christo fratres, sic à me bona fide commemorantur, vnde & ipsi vos perfacilè colligere potestis, quàm iniquus de me fuerit ille rumor, quasi victas dederim manus, aut ad eorum argumenta respondere non quiuerim. Sed neque istiusmodi falsis rumoribus & mendacijs vllo pacto moueor. Nam, vt verè D. Gregorius Martinus ostendit


Calumnia in Harium.

Gratianus Caluino aduersatur.

in eo libro, quem de Detectione falsæ translationis Bibliorum in Linguam Anglicanam inscripsit, sacra scriptura miserandum in modum ab ijs deprauata est; mirum vt non sit, si hominis captiui verba pro sua libidine adulterent, & malitiosè interpretentur. Adde, iniquam esse meam cum illis pugnandi rationem; primò quidé, quod quæ sunt obijcienda, præmeditati & parati, suasque bibliothecas in certaminis locum adferant, tùm vt fumum populo vendant, tùm, ne succubuisse videantur, nos verò authoritate Magistratus premant. Prætereà de nostra concertatione & dicere & scribere, quæ volunt, liberè possunt, cùm ipsis repugnare audeat nemo, vel nostras partes tueri. Hisce præsidijs cùm simus destituti, animum tamen non despondemus. Siquidem, vt piè speramus, ipse Deus, & noster Dux & antesignanus Christus per paruum Dauidem, ipsum licèt immanem Goliath prosternet, & per pauperem suum seruum Stephanum aduersariorum fundamenta euertet. Valete & Deo pro me preces fundite.

Quàm iniqua sit Catholicorum in Anglia cōditio disputandi cū hæreticis.

Gulielmus Hartus.



Ad tribunal sistitur.

AT iam tempus instabat, quo diuina Martyris virtus subeundo certamine clarior, & Iudicis Caluiniani crudelitas sanguinaria sententia nobilior ante omnium oculos ponenda erat. Causam igitur pro rostris dicere, & de ea, quæ in ipso erat, fide rationem reddere iubetur, cuius confessione libera cœlestis regni futurus erat hæres. Hunc sanguinarius rogat Iudex, quamobrem patria deserta exteras nationes petijsset? Solius, inquit, eruditionis & virtutis comparandæ causa; vbi cùm syncerè coli religionem, studiumque virtutis florere comperissem, sacris initiatus (quòd eò me impulsu diuino ferri sentirem) mundo nuntium remisi, quò expeditiùs Deo creatori meo vacarem. Posteà dicere iubetur, quemadmodùm tempus omne, ex quo in Britanniam redijsset, ipse insumpsisset. Tum Martyr: Vbicunque, ait, & quomodocunque res ipsa tulit, rudiores informaui, quò & ipsi instructiores paratioresq; accederent ad suam de Catholicorum religione dicendam tuendamque sententiam. Eosdem prætereà cœlesti cibo refeci, quo confirmati bonam vitæ conscientiam habere laborarent, & pia

Vide quā grauia crimina in mediū Iudex proferat.

Pius Harti in Patriam animus.

& pia religiosaque viuendi consuetudine calumniantium ora comprimerent. Tùm Iudices, quasi parùm iniustè adhuc cum illo actum esset, & suam & accusatorum personam grauiùs & accerbiùs induunt, & vna voce, quasi antè conspirassent, Martyrem Dei, perduellionis reum esse conclamant. Primùm quidem propterea quòd absque Regiæ Maiestatis facultate Britannia excesserit, & eiusdem capitali hosti Pontifici Romano se adiunxerit; deinde verò quòd Ioannem Vvrightum & quendam Coulingiũ induxerit, vt abijcerent & relinquerent Principis obedientiam, hoc est, cum Ecclesia Catholica in gratiam redirent, quasi Principis obedientia cum fidei professione cohærere non posit. Sed fortasse impuri isti Puritani Catholicæ fidei synceritatem interpretantur de more seditiosissimæ doctrinæ Caluinianæ, quæ diutiùs Reges aut Principes ferre non potest, vbi turbulenti Ministrorum ingenij, & inquieti animi desierint esse quasi satellites & administri. Cæterùm ad hæc Martyr ita respondit, vt diceret, quam obedientiam, summo Pontifici Christique in terris vicario præstaret, se non modò nihil detrahere de integra suæ Principi obedientia præstanda, sed illam vel maximè confirmare, atque adeò augere; Deum deinde, omnesque cœlites contestatus est, se ne cogitatione quidem in Elizabetham Reginam (quam Principem suam veram agnosceret & Dominam) vnquàm molitum esse quicquam, quo vel eius authoritas, vel subditorum obsequentia minueretur. Quod autem ad Dominum Vvrightũ & Coulingium attineret, nec illos, nec quemquam alium posse affirmare dicebat, se vel vllum verbum protulisse, vel authorem illis fuisse, quo minus Regiæ Maiestati obtemperarent. Quibus dictis Martyr Iudices compellans ita est exorsus: Nullum mihi dubium est (Domini clarissimi) quin ex ijs, quæ à me dicta sunt, quid velim, quidque sentiam, intelligatis, & vos ipsi non iudices modò, verùm testes etiam meæ integritatis esse positis. Tum his ille quædam sacrarum literarum & veterum Patrum testimonia interposuit, quibus docuit, nec se, nec alium quemquam propterea in crimen vocari debere, quòd constanter fidenterque veritatem fatendo tueretur. Hæc cùm ita disseruisset, aliquamdiu silentium fuit, quo non solũ, sed clara etiam voce Iudices sunt confessi, se quod ad ea responderent, non habere. Intereà verò ne altum silentium & Iudicum iniquitatem, & Martyris accusationẽ populo suspectam faceret, prodijt è Ministris quispiã perfidæ synagogæ (sunt autẽ hi rabulæ, qui carnificũ lictorũq; latus dex-

Iudicũ iniquitas et peruersitas.

Damnatur Harum iniustè.

Commenta sunt hæc & nota fabula vulgo.

Criminationes diluit Martyr.

Martyr Iudices suæ integritatis testes appellat.

Innocẽs Martyr Iudicum testimonio iudicatur.

Ministrorum verbi stultissima infamia.

dextrum semper claudunt, quò Christi seruos exagitent, suisque verborum lenocinijs auditorum oculos fascinent)hic in voces nihil ad rem facientes prorupit, quibus & suam stultitiam, & in Christi martyrem, suum ostendebat furorem. Sed his vocibus cùm nihil admodùm populum moueri, martyris innocentiam magis testatam fieri, & tribunalis authoritatem imminutum iri cerneret è Iudicibus quidam, statutorum accipit librum, docet inde, eum, qui ex Anglia, absq; bona Principis venia discessisset, à Romano Pontifice auxilium petisset aut accepisset, perduellionis reum & tanquàm Patriæ proditorem esse puniendum. Cui vir sanctus: Clarissime D. ait, Litera, si ad verbum accipiatur, fateor, occidit; Sin autem, Dominatio tua, statuti sensum, meumque propositum, vti decet, & considerare, & rectè voluerit interpretari, non obscurè videbit, hoc statuto iugulum meum non peti. Vt enim iam antè fassus sum, non eò Angliam reliqui, quasi quicquam in Principem aut in Patriam dulcissimam tanquàm proditor patriæ voluerim ipse moliri, sed vti bonus ciuis operam darem literis, & virtutibus, quibus vos liberosque vestros iuuarem & siqua ratione possem, ad æternæ fœlicitatis viam reducerem. Tum Iudex: fateor, inquit, Harte, tuam voluntatem minimè malam fuisse, quin & studium literarum virtutisque comparandæ bonum esse agnosco. Hoc tamen scias temporibus Henrici 8. sancitum esse, vt qui sine Principis bona venia ex Anglia proficisceretur, perduellionis reus haberetur. Nec plura. Iudices ad se duodecimuiros accersunt, mandant, vti re maturè considerata, secundũ Patriæ leges de Harto sententiam ferant. Ita duodecimuiri de more secedunt, non vt innocentis causam iusta legum statera examinarẽt, vel iudicum iniquam accusationem eadẽ trutina ponderarent (iam enim antè, quàm dicere sententiam deberent, edocti erant) sed sanguinem innocentem esse effundendum, iniquissimorum Iudicum iam antè calculis, nunc & ipsi suis comprobarent; abeunt inquam è conspectu Iudicum, & tanquàm alienata mente, neq; cœlum ipsum intuentur, neq; iusti iudicij recordantur. Mox deinde aduolãt, & velut amentes ore nefario virũ innocentem & iustũ neci dandum exclamant, primò quidem propterea, quòd nulla Principis venia ex Anglia discesserit, & Romani Pontificis auxilio sit vsus; deinde verò, quòd Reginæ subiectos ab officio sibi parendi reuocarit. Quibus ita dictis continuò vir sanctus illas Iobi voces vsurpauit: Dominus dedit, dominus abstulit, sicut Domino placuit, ita factum est, sit

Frustrà causam quærit, qui vel iniustè cupit occidere.

Laudat causam, improbat factum.

Nota insignẽ legum iudiciorumq; iniquitatem.

A duodecimviris in martyrem mortis sentẽtia fertur.

Gaudet martyr sibi moriendum.

nomen Domini benedictum: addit ſpe bona ſe eſſe, vt vitæ mortalis, ita miſeriarum breui finem fore, gaudium autem verum conſecuturum. Inde in priſtinam cuſtodiam abducitur, qua ad vitæ diem poſtremum ſemper vſus eſt, vbi licèt conſolatione mortaliam careret, cœleſti tamen nullo modo priuatus eſt; nam qui Danieli leonum in ſpecu, Petro in carcere, Pauloque in profundo maris opem tulit, is ſuum quoque Martyrem non deſeruit, neq; enim Deus ſuos deſerit vnquàm. At verò fortis & generoſus athleta extremum ſubiturus certamen in hunc maximè modum ſe comparauit. Totos ſex dies ipſos, qui mortem proximè anteceſſerunt, nihil cibi potioníſue ſumpſit, præter intritam panis & ceruiſiæ; cui nonnunquàm pomum crudum, paniſque leuioris particula addebatur: noctes quoq; aliquot duxit inſomnes orationi vacans, & quaſi iam corporis domicilio relicto, cœleſtem patriam incoleret, hoſpitis & peregrini depoſita perſona, tanquàm ciuis Sanctorum & domeſticus Dei mentem perpetuò defixam in cœlis habebat, eamque auidiſsimè horam expectabat, qua omninò vinculis corporis exutus Domino iret obuiam, quem palàm in terris confeſſus, incredibili quodam animi deſiderio videre cupiebat in cœlis.

Aderat ſuprema vitæ dies optatiſsima, qua ſeruus Chriſti, tanquàm ſponſa corona redimita, è thalamo, in quo ſuauiſsimis Chriſti ſponſi ſui complexibus fruitus erat, (quẽadmodũ ex eiꝰ literis, quas è carcere ad ſuos dedit, poſteà patebit) aderat, inquam, dies illa expectatiſsima, qua Martyr producebatur in lucem, & hominum conſpectũ auidiſsimè cupientium viri ſanctiſsimi vultum intueri. Extremùm itaque alloquitur Catholicos, qui in eadem cuſtodia vinculis propter Chriſtum conſtringebantur, rogat obnixè, vt ſuum hoc poſtremum certamen ſuis precibus Deo velint commendatum. Deinde carceris cuſtodem (à quo gratiæ vel benignitatis nihil aut parũ acceperat) iubet valere, eidemq; pro hoſpitio & victu gratias agit: tùm veluti agnus rhedæ illigatur, & cum oculis intereà in cœlum defixis, & alto ſilentio, & animo attento diuinam implorat opem. Iam propiùs ad ſupplicium ventum erat, cùm ecce tibi, duo rabidi canes è conciliabulo Caluiniano prouolant (Bunnio & Pacio vtriq; nomen erat) virum ſanctum allatrant, ſceleris in Regiam Maieſtatem conuictum plenis faucibus clamant, eamque ob rem ad populum de more verba faciunt rabulæ, & Hartum extremo ſupplicio, (quod iuſtiùs ipſis debebatur) afficiendum vociferantur. Contrà Chri-

Educitur ad ſupplicium.

Martyris modeſtia & humanitas.

Bunnij & Pacij in Martyrẽ rabies.

Modeſta calumniarum refutatio.

Christi Martyr Deum, vt cui intima quæq; pectoris cognita penitus essent, palam testatus est, nunquã se vel tenuissima cogitatione quicquam in Regiam maiestaté molitum esse, sed nec vllius conspirationis aut machinationis cuiusquam se conscium esse aut fuisse aliquãdò: addit, à suo munere longè alienissimum esse, istiusmodi consilia vel inire vel tractare, ac multò etiam magis ab officio suo abhorrere, vel negotia Reipubl. attingere, aut se ijs immiscere, quid pertui bare velle? Dùm hęc ita differit, ad locum, vbi extremo supplicio afficiendus erat, peruenit, nulla mora scalas hilari animo conscendit, qui tacitus secum veluti orans interrogatur, num pro Angliæ Regina preces fundat? Ego verò, inquit Martyr, & ad hanc dié pro ipsa Deum rogaui, & dùm vixero, orare non desinam: quam & libens Principem meam agnosco, eique parere prompto & alacri animo me velle profiteor omnibus in rebus, quas res Ecclesia Catholica eiusdé potestati concesserit. Vix finierat, cùm Bunnius in medium prosilit (est auté hoc hominum genus adeò ad maledicendum, execrandum, sanguinem fundendum, pudorem omnem atque adeò humanitatem exuendam paratum, vt idem & accusatorem & testem, & Iudicem, atq; adeò lictorem & carnificem agat) Bunnius, inquam, in medium prouolans, qua potuit voce clarissima Pij Quinti Pontificis maximi literas excommunicationis legit, ratus harum lectione non modò populo persuasum iri, Angliæ Reginæ omni piorum cœtu, bonorumq; communione interdictum esse à Pontifice Romano, verùm Martyrem quoque eo animo in Britanniam redijsse, vt, quoscunque posset, Reginæ seruitute & obediendi necessitate liberaret, propter quod facinus iustas perduellionis pœnas modò pendere deberet. Ad quæ paucis Martyr: Et verò, inquit, pro Reginæ incolumitate regnique fœlici statu rogaui: cui eadem opto, quæ animæ meæ saluti vel hoc temporis articulo maximè necessaria desiderare possum. Tum alter Symmista Pacius: Id verò, inquit, vt re ipsa præstes, quod dixisti, etiam atq; etiam desideramus. Tu ergo Deum roga, vt omnes suę Maiestatis confundat inimicos. Cui vir sanctus leniter: Quis, ait, adeò est imprudens, vt non facilè videat quid tu hac oratione velis? Nimirum id impius Symmista cupiebat, vt suis precibus Martyr id Deum rogaret, vti Pontificé Romanum tanquàm hostem Reginæ capitalem de medio tolleret. Cæterùm in viro sancto vel extrema vitæ hora exercendo duo isti hæretici præsertim elaborarunt, videlicet Bunnius & Pacius, qui socios habuerunt Senatores duos Brockum

Martyris alacritas in perferenda morte.

Calumniæ in Martyrem iterantur.

Variè Martyr ab hæreticis exercitus maximè

ckum & quendam alium, item Prætorem Vrbanum Dominũ Gudricum, & alios complures viros primarios, vt quod in Christo tanquam capite olim à Iudæorum principibus factum legimus, id in Martyre veluti membro perspicuè cernamus; nimirùm principes populi in viri innocentissimi necem conspiraſſe. Insignis autem & maximè omnium Pacij inhumanitas & in sanctum virum contumelia patuit: quo namque Martyrem ad palmam capiendam magis propinquare cernebat, hòc furore vehementiùs agitabatur, linguãq; venenatam in ipsum acuebat, non iam, vt antè populo fucũ fauens, sed palàm in Martyrem conuicia & contumelias homini Christiano indignas ore impuro & prophano euomens. Verùm tantã verborum acerbitatem patiẽtissimo vir animo ferens, nec conuitia probris, aut calumnias contumelijs refellens, sæpè & modestè à Ministro, omnis humanitatis experte contendit in hunc modum. Quæso, optime D. Paci, vel hanc per te liceat extremam horam esse mihi quietam. Qua oratione fractus homo barbarus tantam animi submiſsionem non ferens, & veluti furijs agitatus ad populũ conuersus: Vellet hic proditor, inquit, vestra simplicitate abuti & candore, velletque vobis persuasum se hanc turpiſsimam mortẽ causa religionis subire; quod longè secùs se habet, nam vt Patriæ proditor & perduellis nefarius, non vt religionis aſſertor crucem aſcendit. Intereà vir sanctiſsimus rerum à se gestarum conſcientia probè fretus, suamq; innocentiam Deo non factorum modò & dictorum, verùm cogitatorum etiàm iudici æquiſsimo notam testatamq; minimè dubitans, mox oculis in cœlũ sublatis ei se commendãs: Ad te, inquit, leuaui oculos meos. Sed & hac oratione Martyris interpellata à frementibus ministris & vociferantibus, vti vnà secum oraret. Ego, respondit Martyr, nec fidem, nec Ecclesiam vobiscum habeo communem, ac proindè, nec possum nec volo vobiscum orare. Id vnum tamen ab omnibus Catholicis obnixè cõtendo, vt & pro me Deum orent, omnibusque testentur me & Catholicum & pro fide Catholica, non pro admiſſo vllo scelere aut proditione sanguinem fundere. Hac oratione finita innocentiſsimus animus relicta corporis mole, cœleste domicilium petiuit, & ad iustum iudicem profect⁹ gloriosi certaminis ab eo tropheum & coronam accepit sempiternam. Fuit autem sancti Martyris vita varietate virtutum, tanquàm stellarum sic illustris, vt eam non amici tantùm, sed ipsi etiam hostes admirarentur, & amarent; quare factum est vt quibus Martyris viuendi ratio perspecta erat & cognita

verò à Pacio & Bunnio.

Communem cum hæreticis orationẽ Martyr negat se habere velle.

Animã Deo reddit.

Martyris varia virtutes fuerunt.

Propter Martyrem nonnulli

Nulli malè tractantur. cognita, à Magistratu duriùs haberentur, imò in custodiam dati & vincula coniecti, quòd eius subindè virtutem & innocentiam prędicarent. E duodecim viris is, qui de sanctissimi viri morte sententiam pronuntiarat, quòd collegis dixisset, in fures & latrones, qui Rempubl. perturbant, non in homines innocentes & probos animaduertendum esse, rogaretque vti deinceps sibi molesti esse desinerent, in talium virorũ causis examinandis, ire in vincula iussus est, vir alioqui boni & nominis & existimationis. Sed & ianitor carceris vir aliàs ingenij duri & immitis, cùm virum innocentissimum ad suppliciũ tanta barbarie & crudelitate raptari videret, sibi à lachrymis temperare non potuit. Caluiniani porrò Ministri, Anglicanæ Reipubl. pestes, item Prætor Vrbanus cum reliquo Magistratu crudele carnificis ministerium in Martyris corpore frustatim dissecando eo animo spectabant, ne quis quid è sacris reliquijs domum secum asportaret; sed grauia licèt auferentibus interminarẽtur, plus *Martyris sacræ reliquiæ, vel inuito Magistratu asportantur.* tamen bonorum & astantium pietas, plus virtutis amor & Martyris innocentia apud hos valuit, quàm Magistratus authoritas: quo spectante & vestium particulæ, & sanguis & ossa colligebantur, & vi quodãmodò (nescio qua diuina gratia horũ animos instigante & roborante) è carnificis manibus auferebantur: sacras deindè reliquias quisque læto animo domum asportant, atque ad hunc vsque diem summa veneratione conseruant, & pro tanto tamque sacro munere *Duo nobiles, quòd Martyris reliquias haberent, in vincula cõijciuntur.* Deum laudant. Duobus tamen nobilibus, qui & virtute & vocatione diuina erãt insignes, quòd sacri Martyris aliquod monumentum haberent, iniecta vincula sunt pluresque molestiæ illatæ.

EPISTOLA MARTYRIS AD SVOS *filios spirituales.*

FAcit meus in vos singularis amor, fratres charissimi filijq; dilectissimi, facit etiam desideriũ salutis animarum vestrarum & in spiritu progressus, vt candidè vobis aperiam, quo animi mœrore angar, doloreque discruciar, vt eo cognito non so- *Negligenter Deo seruisse omnium maximè Martyr dolet.* lùm vestris me precibus iuuetis, verùm deinceps etiam ne quid simile vobis eueniat, etiam atque etiam caueatis. Omnium dolorum, molestiarum, & cruciatuum, quos ad hunc diem vel etiamnum patior, hic mea sententia est maximus, qui ex eo in partem omnem

nem animum meum versat & torquet, quòd ego vilissimus homuncio, peccator miserrimus, Deo, Domino, Creatori meo, Magistro, Saluatori, & Redemptori adeò remisse & negligenter inseruierim. Conscientia annorum, quos inutiliter & scelerate transegi, sic discruciat, angitque mentem, vt ex imo pectore suspiria ducere, lachrymas fundere, lamentari & præ animi dolore clamare cogar; qua re & corporis robur, quo me nonnihil solabar, labefactatur, mentisque tranquillitas perturbatur. Væ mihi, væ misero & abiecto mancipio, qui vocationi meæ non responderim. Hæc doloris, hæc mœroris, hæc afflictionis meæ causa est, & nulla præterea; quam quia corrigere non valeo (nam mihi vitæ dies paucos superesse coniecto) ideò vos, (suauissimi ciues mei) his literis hortor, vt vel meo exemplo magnam temporis rationem habeatis; vosque per Deum obtestor, & obsecro, vt dùm ætas, corporis robur, & temporis fert opportunitas, ita vitam instituatis vestrã, vt quando illa dies extrema illucescet, tranquillo pacatoque animo consistere possitis. Ne velitis, oro, falli aut fallere, aut aliud vobis persuadere, atque ego modò re ipsa experior; animus namque sibi benè conscius tum, cùm tremendus ille dies aderit, pluris erit, quàm tota huius mundi vniuersitas, quæque ipso continentur. Quòd si mihi in tot menses vita prorogaretur, quot annos ipse vixi, alias profectò, Deo benè iuuante, alias, inquam, vitæ meæ atque hactenus feci rationes inirem; verùm minimè futurum spero, quin cupio dissolui & esse cum Christo. Quare vos iterum atque iterum per Christum oro, vt meis verbis vestræ pateant aures, sensum aliquem capiatis, vitamque sic ex hac hora instituatis, quemadmodum vixisse desideraretis, quandò iustissimus Iudex omnium rerum à nobis rationem reposcet. Id nunc hoc tempus exposcit, quod æternæ saluti parandæ datum est; hac luce nobis erepta, non est benè agendi vllus relictus locus: nunc itaque tempus laborandi: nunc tempus Deum placandi, nunc tempus merendi, cœlestemque patriam acquirendi. Dùm conceditur, vtendum est tempore: citò præteruolat, seraque temporis est malè transacti pœnitentia, cùm, quemadmodũ mihi, viuendi meta ante oculos posita est. Vtinam dies præteritos fructuosiùs transegissem; vtinam, quod potui, quodque debui facere, fecissem ipse. Nec hæc eò dico, quasi vestrûm quemquam velim animum despondere: satis enim temporis etiamnum superesse noui, vel nunc, obsecro, vos mihi date, mihi quæso benè consulenti parete. *Quibus rebus parentur cœlestes opes.* Vitæ morumque emendatione, cupiditatum frænandarum studio, sensuum

Nulla virtus sine sacramẽtorũ frequentatione potest acquiri aut seruari.

sensuũ tàm corporis,quàm mentis custodia, assiduis precationibus, ingenti charitatis ardore; quodq́ue omnium est caput, quotidiano sacramentorum vsu cœlestes opes vobis comparate. Verè namque (fratres optatissimi) verè,inquam,vel Deo teste, meiq; animi conscientia, possum affirmare, nullam virtutem, nullam vitæ integritatem aut innocentiam, nullam perfectionem neglecto sanctissimorum sacramentorum vsu constare posse vel acquiri. Quare ad ea ceu ad fontes cœlestis gratiæ sitibundi accurrite:haurite,dùm licet,quàtum potestis, & Deum pientissimum iuxtà ac munificentissimum Patrem rogate, vt Orthodoxos & integræ vitæ Sacerdotes ad vos mittere dignetur, qui suæ fluenta gratiæ vobis propinare religiosissimè possint. Facit autem huius diligenter inculcanda necessitas, meaque negligentia, propter quam nunc eo, quo frui possem hoc tempore,cómodo & subsidio careo, facit vt aliquantò mea longiùs excurrat epistola. Equidem si mihi decem mundi essent, non grauatè imò libens eos darem,modò Catholici sacerdotis priùs conueniendi fieret potestas,quàm è vita migrarem. Quamobrem, fratres charissimi,cum primis elaborate,vt integritas,sanctitas,& charitas in pectoribus vestris altas agant radices, quod frequenti sacramentorum perceptione potissimùm assequemini. Quamdiu mihi potestas & integrum fuit, nunquàm in hac re tàm necessaria vobis quicquam à me deesse passus sum,imò in id quàm studiosissimè incubui, vt quibuscunque rebus possem, opitularer;nunc quandò tàm sacri muneris obeundi mihi omnis potestas adempta est, monitos saltem vos cupio, vt quam potestis rationem & viam ineatis frequentissimè hisce diuinis mysterijs participandi, vosq́; cótra inimicorum vestrorũ insidias, & impetus ijsdẽ muniatis.Hìc videtis, dilectissimi fratres,quibus ego molestijs afficiar, quamq; multa ad virtutem mihi desint, quæ eò sunt à me commemorata, vt vel meo vobis velitis esse cautum exemplo.Iterum valete, vt Deum ardenter pro me exoretis, etiam atq; etiam rogo,vix enim mihi per aduersarios licet esse quieto. Illud à vobis magnoperè contendo,ne vel tristitiæ vel mœroris vllam significationem detis, si forsan me vel ad tribunal trahi, vel ad patibulum raptari cernatis: si namque vestrûm quemquam mea causa vel lachrymantem vel tristiorem conspicarer, mihi credite,nó parùm ego mouerer ipse: quare aut intra vestra vos latibula continete, ne me videatis; aut hilari fronte & exporrecta me contuemini,

emini, vt reliqua fœlicem exitum sortiantur. Hæc raptim, iterum atque iterum valete.


Vester indignus in Christo Pater
Gulielmus Hartus.

ALIA AD EOSDEM.

AMicorum ea est consuetudo, vt in exteras nationes abituri, aliquod mutuæ beneuolentiæ & amicitiæ monumentum relinquant: ego quoque, quoniam, vti spero, non ita multò post, in regionem maximis terrarum spatijs ab hac disiitam profecturus sum, vnicè percuperem, votisque omnibus desiderarem, vobis (ciues mei dilectissimi, amicique charissimi,) aliquod mei in vos amoris pignus dare, quo mei absentis apud vos memoria viuat, sed, miserum me, quid dabo? quid relinquam? vtinam istiusmodi possem relinquere monumentum, quod quanta vestri ardeam charitate, quamque vos incredibili beneuolentia complectar, luculentè perfecteque ante oculos ponat; cæterùm votis, quoniam res ipsa deest, spirituali quodam munere vos ego donabo. Vos per IESVM CHRISTVM, quàm possum obsecro maximè, vt vitam vestra vocatione dignam agatis. In Catholicorum numerum asciti estis? piorum ergo Catholicorum, vti decet, vitam moresque sectamini. Vincula quoniā sic Christo visum est, eius causa patimini, date operam, vt Christi milites veros vos quiuis agnoscat, agite, vt pios homines ac religiosos decet, animum in cœlum attollite; sic tamen vt de cœlo, Deo, rebus cœlestibus atque diuinis cogitetis. Este vobisipsis amici, mortalium nemo poterit vobis nocere, & quoniam varijs molestijs affecti estis, & ab improborum societate vos vltrò discessistis, eius consilio parete, qui vobis optima quæque & optat & precatur, atque ita eritis beati. Quæ porrò diuina prouidentia vobis dedit ferenda, patienter & tranquillè ferte, neq; sanctissimæ Dei voluntati repugnetis vnquàm, quid namq; sit è re vestra, is omnium optimè nouit: quare par est, vt vos eius arbitrio, piæ sanctæq; voluntati committatis. Sensus cohibete, linguam frænate, pacē seruate, & charitatis vinculo iuncti Deo seruite; hæc vobis animi tranquillitatē parient, & posthac fœlicitatē æternam. Velim hac de re pluribus

pluribus coràm mihi agere liceret; sed quoniam aliter visum est Deo, vos ex animo omnes eidem commendo, rogoque vt vos dirigat & gubernet. Orate pro me, ego vicissim ero memor vestri: hilares in Christo estote, nam in cœlesti patria non ita multò post summo gaudio perfundemur, quod nemo tollet à nobis. Intereà me vobis semper amicissimum fore promitto. Iterum atq; iterum valete; gaudium meum & corona mea.

Gulielmus Hartus.



EIVSDEM EPISTOLA AD AFFLI-
ctos Catholicos.

SOlent pij parentes peregrè profecturi tristes de suo discessu liberos consolari: solent Duces egregij ac Imperatores, quandò iam in aciem descendendum est, & cum hoste confligendum, suos milites ad omnia præclara facinora, & pericula pro Reipubl. salute obeunda cohortari: quod præstare, & mihi nunc operæ pretium, & officij ratio videtur postulare, vt ego licèt minimè dignus pastor vester spiritualis, priusquàm pro immortali gloria certamen extremũ subeam (quod propedièm futurum spero) vobis documentũ aliquod relinquã, quo mei recordemini, quandam consolationem capiatis, & vestro hoc in sancto certamine & pugna gloriosa magis magisque confirmemini. Quod itaque D. Paulus olim

1. Corint. 16. Corinthijs, hoc ego modò vobis afflictis Catholicis scribo: State in fide, viriliter agite, & confortamini; estote intrepidi, constantes, animoque excelso & inuicto; nolite labi, timere, deficere à fide, professione aut vocatione vestra. Si qui suadeant, ipsorum vt templa adeatis, illud memineritis: Væ illis, qui in contradictione Chore abierũt,

Epist. Iudæ. Væ illis, qui abierunt in consilio impiorum, & hæreticorum protestantium. Quòd si fuco verborum aut lenocinijs, si flosculis Rhetoricis, aut simulatis protestationibus, vos à fide abducere conentur, veniat in mentem, quod ab Apostolo seuerè grauiterq; dictum est:

Ad Galat. 1. Licèt Angelus de cœlo euangelizauerit vobis præterquàm quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Si Saudus Ministrorum antesignanus, si Bunnius, si Decanus, imò si Angelus de cœlo aliam vos docuerit fidem ac religionem, atque accepistis, anathema sit, dirisq; deuotus, & hunc à vobis repellite. Sin autem vos patrimonio, facultati-

cultatibus atque libertate ſpolient, illud Chriſti Saluatoris mox ſubeat mentem: *Qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſsidebit.* Si vincula, ſupplicia, mortem denique minitentur, illud Prophetæ ſuccurrat: *Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?* nunquid forſan loca illa tenebroſa & ſubterranea, tetros, inquam, carceres extimeſcemus? at hos ex animo deſideramus: abſit, vt cùm de fide agitur, vim hoſtium, aut multitudinem, aut vllos cruciatus perhorreſcamus. Quare, filij mei chariſsimi, ſtate in fide, fortiter pugnate, veſtra vos fidei cauſa ſoletur ac roboret; ſtate, inquam, neque ſuccumbere velitis, forti infractoque animo eſte, non abiecto, vel fluctuanti. Is namque ſuccumbit, qui hæreticorum inſtitutis ac moribus ſeſe accommodat; fluctuat is, qui ſuppliciorum nomine perculſus, aut verborum blanditijs allectus hæreticorum adit templa, vel ſe aditurum promittit, quamuis aliud animo verſet. Vos verò per Deũ obteſtor, vti conſtantes in fide perſeueretis, hoc eſt, ne vllo metu hoſtium, vlla peruerſorum adulatione, vllis amicorum ſuaſionibus, vllis denique rebus proſperis vel aduerſis adducti ad impuras Caluiniſtarum, cæterorúmue hæreticorum ſynagogas eatis. State, fratres mei, ſtate, inquam, fortes in illa fide, quam Chriſtus plantauit, Apoſtoli prædicarunt, Martyres confirmarunt, totus denique mundus approbauit & ſecutus eſt: ſtate fortes in illa fide, quæ vt eſt antiquiſsima, ita etiam veriſsima & certiſsima, quæ & ſacræ ſcripturæ & omni antiquitati maximè congruit: ſtate conſtantes in illa fide, quæ habet cultum omni honore & reuerentia dignum, ſacramenta ſanctiſsima, abundatq; conſolatione. Si namque conſtantes in hac fide manſeritis hoc eſt, in Eccleſia Catholica, in arca Noë, in domo Raab, quanto gaudio, quantoque animi ſolatio perfundemini: vobis pœnitentiæ ſacramentum ad animorum veſtrorum expiationem impartietur, vobis ſacramentum corporis & ſanguinis Saluatoris noſtri ad reficiendos animos veſtros porrigetur; eritis adhæc omnium Chriſti perpeſsionum atque meritorum participes, ſocietatis ſanctorum, ſuffragiorum, orationum, ieiuniorum, & eleemoſynarum omnium iuſtorum, quos ſuo complexu vniuerſa per orbem terrarum diffuſa coërcet Eccleſia. O beatos illos, iterum & ter beatos, qui in Chriſti fide, iuxta Apoſtoli admonitionẽ fortes ſtant, præſertim hoc deploratiſsimo tempore, quando Deus blaſphematur, Sacerdotes Chriſti ſuſpen-

Matth. 19.

Pſal. 26.

ſpenduntur,ſacraméta concũlcantur;etenim hi omniũ earũ gratiarũ participes erũt & ſempiternę fœlicitatis: verè vel teſte Deo, ex animo loquor, malim in familia Chriſti vel poſtremus eſſe, quàm in Proteſtantium grege primus ſalutari. Quamobrem iterum per Chriſtum vos oro, vt in veſtra vocatione, in fide Catholica fortes ſitis atque conſtantes. Hoc ego primum, hoc poſtremum, hoc ego ſolum peto, vt & adhuc rogaui, & deinceps proponam: meum ergo deſiderium explete, vocem audite, conſilio ſtate. Sed quid ego miſer & infœlix peccator à vobis contendo, vt hoc exulceratiſsimo tempore, & bonis omnibus infeſtiſsimo, fortes & in fidei cõfeſsione cõſtantes perſeueretis, cùm idem ipſum à vobis, Angeli, Archangeli, Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Virgines, mundus vniuerſus, & ſempiterna veſtrarum animarum ſalus, imò Deus ipſe Opt. Max. petat, vt firmi, forteſque permaneatis in ſemel ſuſcepta fidei veſtræ veritatiſque confeſsione? Id vt præſtetis, Deus pro infinita ſua miſericordia faciat, & ego infirmus & ſpiritualis veſter pater, infinitis peccatis obnoxius, neque in hac neque in vita futura pro vobis Deum precari deſinam. Quare vos ego, quibus modis poſſum obteſtor, vti mei memores ſitis, quoties pias ad Deum fuderitis preces, ne inſtar candelæ cæteris præluceam, ego ipſe verò mihi velut inutilis abſumar. Iterum atque iterum mea deſideria valete.

Omnium & ſingulorum Gulielmus Hartus.

QVoniam ad fidei conſtanté profeſsionem hac mea epiſtola vos cohortatus ſum, operæ pretium duxi duas rationes huic attexere, quas in promptu habeatis, ſi quandò prement aduerſarij, vrgebuntque, vt ſana & integra ſanctiſsimæ Eccleſiæ Catholicæ doctrina, legibuſq; neglectis ad impia ipſorum dogmata velut ad caſtra confugiatis. Ne autem vllam cum hęreticis communionem habeatis, hac prima ratione perſuaſum ſit vobis, quoniam ipſorũ doctrina Dei verbo expreſſè repugnat; verbi gratia, illi docere conantur ſolam fidé iuſtificare, quod D. Iacobo aduerſatur aſſerenti hominem non ex fide tantum, ſed ex operibus iuſtificari: impiè illi docent Dei mandata obſeruari non poſſe, quæ tamen D. Ioannes non eſſe grauia confirmat: Maiorum traditiones velut aniles & impias pleno ore exterminandas clamant, quas B. Paulus nos vult conſtanter tenere. Deniq; aſſerũt quemq; de ſua ſalute certũ eſſe, cui & vniuerſa ſcriptura ſacra, & omnis antiquitas reclamat.

Iacob 2. *1. Ioan. 5.* *2. ad Theſ. 2.*

Cur

Cur autem nolim vllum cum hæreticis vos habere commercium, hæc est ratio altera, quòd huius temporis Protestantes superioribus iam sæculis damnatas & S. Patrum doctrina confutatas hæreses ab inferis quàm plurimas reuocarunt, cuiusmodi est hæresis Arrianorum, Manichæorum, Iouiniani, Vigilantij, & eiusdem farinæ hominum. Quæ duæ rationes, cùm Deo teste atque hominibus, verissimæ sint, vt ne ipsi quidem veritatis & religionis hostes ijs in concertationibus, quas mecum inierunt, satis audacter eas potuerint negare; quam obsecro afferre poterimus excusationem, si leui persecutione fracti fidem Catholicam vel in speciem deseramus? si nouam, inanem, & insanam doctrinam amplectamur? Quamobrem in fidei cœptis vestigijs fortiter insistite, tàm enim certum est fidem vestram veram esse, synceram & Apostolicam, quàm est verum, animam vobis, cœlum, & Deum esse. *Gulielmus Hartus.*

ALIA EPISTOLA, QVAM EODEM tempore scripsit.

QVoniam visum est diuinæ bonitati (ciues mihi charissimi & in Christo Iesu filij dilectissimi) me indignũ famulum suum pro nominis sui confessione vinculis honorare, & me iucundissimo vestro aspectu priuare (qui semper eratis, vt etiamnum estis, gaudium meum & corona,) spem quoq; nonnullam mihi facere martyrij subeundi pro veritatis propugnatione: meas partes esse duxi, (quoniã ad hunc diem vestri amantissimus & pater & pastor extiti,) vos paucis postremùm alloqui, extremùm, inquam, vt arbitror, vos nunc alloquor; quare vos rogatos volo, vt hæc, fratres optatissimi, animis vestris mentibusque mandetis. Estis gens sancta, populus à Deo singulariter delectus, vt participes sitis æternæ hæreditatis: populi estis in Arca Noë, in statu fœlicissimo, supra montem nulli casui obnoxium, ergo procedite in aciem Dei, vt cœpistis, in sancta vocatione veluti in statione vestra constantes permanete, ad finẽ vsq; fortiter dimicate: & cœlũ, cœlũ, inquã, gaudiũ immensum, nullisq; verbis explicanda fœlicitas vestra erit. Vnicũ sit hoc solũq; vestrũ studiũ, Deum colere & timere, & nihil deerit vobis. Ille est omnipotẽs, qui vos defẽdet, misericors qui gubernabit, diues qui pascet, suauis qui cõsolabitur atq; roborabit. Vestris in dubijs experiemini eũ doctorẽ peritũ, in periculis ducẽ fidelẽ, in laborib⁹ pręsentẽ adiutorẽ; in reliquis deniq; quibuscunq; molestijs consolatorẽ velocissimũ. Illũ igitur amate & colite; nã ego, vt fatear, quod sen-

tio,omne illud tempus mihi perire existimo, quod in Deo colendo eique seruiendo non insumitur. O vtinam vel ad exiguum tempus adesse vobis mihi liceret,vt animi mei sensa vobis aperirem,quę nulli mortalium adhuc explicaui: verùm cùm id fieri nequeat, absens aperiam ea,quæ coràm dicere desiderarem. Sitis vobis ipsi amici,& eritis beati. Mirum quàm Deus vos extulerit, quàm honorata vocatione vos euexerit, qui vobis eam gratiam impertiuit, quam multi Reges & Prophetę habere desiderarunt,nunquàm tamē obtinere potuerunt. Vos ergo pro Christo vincti, & à mundo separati, non estis subiecti illis tentationibus, quibus huius sæculi filij sunt obnoxij: proinde meliora semper charismata sectamini, & spiritualia æmulamini, vestra merita augere conamini, & noua charismata & gratiarum dona comparare,præmia vestra reddere auctiora. Eum vitæ cursum tenete, qui vobis apud Deum vel minimis in rebus sit fructuosus. Temporis habete rationem,nullusque vobis dies abeat sine fructu; vestra omnis cogitatio atque meditatio sit de cœlo, rebusque cœlestibus. Ardentes sint vestræ precationes, actiones verò consilio & consideratione suscipiantur, molestiæ quietè ferantur. PerChristum vos oro,vt ita viuatis rebusque in omnibus ita vos geratis,vt fidei hostes vos non pro dissolutis, sed modestis & religiosis habere cogantur. Ante omnia verò sollicitè seruate vnitatem spiri-
1. *Petri* 4. tus in vinculo pacis, charitatem fraternitatis inuicem diligentes, nullæ sint inter vos dissensiones, nullæ discordiæ: sic enim Deus vos amore complectetur,& Angeli deprędicabunt. Vos item per Christū obsecro,fratres charissimi,vt quotidie,imò singulis horis pro me misero & egente peccatore velitis orare, quò cœptū vitæ cursum ad Dei gloriam, animæ meæ salutem, proximorumque commodum ego absoluā.De me verò sic habete, me nec velle nec posse in precationibus meis vestri obliuisci: vt enim præsens pro virili vos solari, & iuuare studui, sic numine benè propitio idipsum multò cumulatiùs in cœlo præstabo. Valete filij mei charissimi, quicquid in vos vel offensione vel negligentia peccaui, obsecro id mihi condonate: mihi sic ignoscite, vt ego vobis ignosco. Orate pro me, quemadmodùm & ego oro, & orabo pro vobis. Hæc somno ferè oppressus, multumq; fatigatus, summa celeritate ad vos scripsi. Animis excubate, firmam fidem tenete, fortiter decertate, confirmamini,& omnia ex charitate inter vos fiant.


Gulielmus Hartus.

ALIA

ALIA EODEM EX LOCO AD *amicum scripta.*

NOn est illa, fili charissime, quam optarem, ad te scribendi occasio. Id nunc vnum tibi cupio significatum, me in magni momenti negotio vehementer rogare, tuum vt auxilium mihi ne deesse patiaris. Deliberatum namque mihi est agrum comparare, qui decuplo pluris æstimatur, quàm licet. Si dicta dies seruetur, si patibulum non ruat, si funis non rumpatur, si mea culpa, quod constitutum est & decretum, non cadat in irritum, absque dubitatione ager meus erit. Ora quæso ne mea me spes fallat; quod à te factum si sensero, agrum non dissimilem, minoris licèt pretij, tibi fortè procurabo. Nunc quidem venale cœlum habetur, at quo quæso precio? paupertate opes, contemptu gloria, requies labore, vita morte comparatur. Vtriq; nostrûm Deus suam gratiam largiatur, qua cœlestem hunc agrum breui comparemus. Extremùm vale: si perseueres, hic tibi parabitur ager. Omnes meo nomine saluta.

Gulielmus Hartus.



ALIA AD VINCTOS PRO *Christo.*

INgratus planè & inhumanus est ille pater, qui ne semel quidem filios suos salutat; in quam notam ne ego incurrram, en ego vos, filij charissimi, saluto, & postremùm saluere iubeo. Vtinam, quod olim Elias in aërem raptus Elizæo præstitit, aut quod idem Sunamitidi, à qua fuit hospitio exceptus, fecit, id ego modò possem. Quod si aut verbo exprimere, aut re ipsa testari meum erga vos animum possem, efficerem profectò, vt vestri amantissimum, quamuis hoc nomine indignum patrem videretis, cogitaretis, diceretis. Sed à fele, quid præter pellem exigas? sic à me inope & rebus omnibus nudo Harto quid amplius, quàm cor ipsum integrum expetere possitis? at, ex quo vos primùm noui, semper illud possedistis, nunc habetis, & deinceps in perpetuum vestrum erit, neque tantùm dùm vixero, sed tùm etiam, cùm in cœlestem beatorum cœtum infinita

In suo ludit nomine, Hart namque cor notat.


Dei bonitate admiſſus fuero. Veſtra vos interim fide & confirmate, & ad conſtantiam excitate. Neque per Chriſtum obſecro pro magnis eos labores iudicetis, quos illius cauſa ſuſtinetis, non vobis moleſtiæ diuturnæ videantur. Mihi namque credite, amici dilectiſsimi, præmium & laureola multùm longeque merita noſtra ſuperabunt, dictuque incredibile, quàm facilè & quietè cœlum nobis emamus. Velim coràm liceret mihi benedictionem vobis impertiri, ſimulq; amplexari: id quoniam facere prohibeor, preces pro vobis fundam. Deus vos in omnem æternitatem ſeruet. Si placet cœlum moleſtijs & cruciatibus, tanquàm fune conſcendere, itineris ſocium me breui habebitis.

Gulielmus Hartus.



ALIA AD FILIVM SPIRITVALEM.

TEmpus, locus, calamus, atramentum & papyrus deſunt, inopiam hanc bonam in partem accipite. Fauſtum & fœlicem, auſpice Chriſto Deo, vobis cæteriſque ſocijs annum precor: quem eundem oro, vti vos exhilaret & compleat gaudio. De me ſic accipite, pede ſum malè affecto, in his compedibus & loco tenebricoſo, quoad vixi, nunquàm tanto ſum delibutus gaudio, vt mihi paradiſum incolere videar: alia ſunt tamen, quæ me nonnihil premũt. O fallaces aduerſariorum inſidiæ, quibus ſimplicium animos circumſcribere nituntur. Velim, ſi fieri poſſet, pro reliquis in fraudem pellectis omnia perpeti: ſum enim animo forti & infracto, licèt mihi corpus infirmum ſit & imbecillum. Vale mi fili, meiſque verbis ſaluta omnes R. P. & clariſsimum Dominum M. cui in perpetuum ſum deuinctus. *Gulielmus Hartus.*



ALIA SCRIPTA AD NOBILEM quandam Matronam.

PRopter tuam in me charitatem tibi gratias habeo, quòd me ignotum, & indignum peccatorem ipſa ignota de facie, inuiſere dignata ſis: hunc laborem, vt & reliqua beneficia, ex quo hûc veni, in me collata Deus & miſericordiſsimus & beneficentiſsi-

centiſsimus ſuo tempore tibi copioſè remunerabit, te conſolatione perfundet, & benedictione cumulabit. Tuo quidem aſpectu plurimùm in Domino ſum recreatus, verùm ex tuis verbis nonnullo mœrore ſum affectus. Quid enim cauſæ, Domina mea, vt tu, aut alius quiſquam me captum eſſe moleſtè ferat? an non ſeruo gloriæ datur & laudi, ſi Dominum ſequatur? an non honori eſt filio patrem imitari, & illi ſimilem eſſe? an non aliqua dignitas & decus, ſi è regis poculo ſubditus bibat? quantam igitur mihi gloriam, honorem, ſplendoremque conciliant hæc gemina mihi circumiecta vincula, moleſtiæque pro Chriſto ſuſceptæ. Nihil ea cauſa, quam ego defendo, honeſtius; nihil præmio, quod expecto, maius: quis ergo tàm iuſtá cauſam tamq; honeſtam non animo libenti quiduis perferendo tueatur? quis pro tanta laurea non modis omnibus decertet? Si iure gaudio pauper exultaret, quòd aliquam vim auri reconditam inueniſſet: quanta par eſt me lætitia perfundi, qui pretioſiſsimum & inæſtimabilé reperi theſaurum. Vt quid igitur, ó Domina, de tanto meo & honore & gloria doles? quin imò exulta licet, ó lectiſsima fœmina, cum amico tuo. Cuius vires ad extremum vſque ſpiritum vt Deus confirmet, eum etiam atque etiam precare. Deus Opt. Max. te liberam ſeruet bonis omnibus, ſuauem ſanctamq; conſtantiam largiatur. Vale. *Gulielmus Hartus.*



ORATIO, QVAM SANCTVS CHRISTI MARtyr compoſuit, & quam, vt filij eius ſpirituales pro ſe quotidiè dicerent, enixè rogauit.

DA, dulcis IESV, gratiam ſeruo tuo miſerrimo Harto ſuum perficiendi curſum ad nominis tui gloriam, & æternam ipſius ſalutem; eius verba, cogitationes & opera dirige, vt omnia eiuſdem vocationi ſacerdotali, ſunctionique diuinæ reſpondeant. Da illi patientiam in aduerſis, humanitatem in verbis; ſapientiam, prudentiam, & conſtantiam in omnibus rebus ſuis, vt hoc pacto nomen tuum glorioſum celebretur, noſtraque fides extollatur: hoc concede dulcis IESV per acerbam tuam paſsionem. Qui viuis & regnas cum patre & ſpiritu ſancto in ſæcula ſæculorum, AMEN.

MAR-

MARTYRIVM DOMINI RICARDI THRILKILLI SACERDOTIS.

Comprehenditur à lictoribus sanctus confessor.



Icardus Thrilkillus Sacerdos Eboraci captus fuit 24. die Martij, dùm noctu virum quendam Catholicum inuiseret, qui ob fidei martyrium in carcerem supra pontem situm coniectus fuerat, à lictoribus prætoris vrbani ministris. Dùm enim Sacerdos cum captiuo sermones misceret, tres ex eorum numero in cameram irruerunt: qui viro conspecto, statim id, quod res erat, suspicati sunt, adeoque vnus ex lictoribus: Profectò, inquit, tu es Sacerdos.

Fatetur se sacerdotem esse.

Ille nihil cunctatus, confestim annuit dicebatque: Vocationem meam nullo vnquàm tempore inficiabor, quicquid vos & omnes aduersarij de me statueritis. Simulque palmam vni lictorum in humerum impegit (quod fieri solet ab ijs, qui in re mala non solùm ipsi præsenti sunt animo, sed & alios animare volunt.) Quid, inquit lictor, me etiam cædis? Minimè verò, inquit ille, nihil minùs cogitaui. Sed diuina gratia fretus, illud tibi vobisque omnibus edicere volui, me sacerdotem esse, nec vllis vnquàm vestris seu verbis seu verberibus, seu carcere seu vinculis, seu cruciatibus absterrendum esse, quò minùs causam hanc tàm gloriosam ad mortem vsque tuear.

Tum lictores seorsum ducens, eos precari, eamque, quam apud se habebat, pecuniam polliceri cœpit, illud solùm ab eis contendens, vt locum, in quo captus erat, celarent, nec dicerent alicubi, in domo aliqua priuata seu camera depræhensum fuisse. Quid illi polliciti fuerint, resciri non potest. Sed fama est, eos pecuniam acceptasse, hominemque ad domum prætoris abduxisse. Cui cùm sisteretur, mira quadam & Christiana audacia se sacerdotem esse professus est.

Sistitur Prætori.

Prætor verò illum ad domum Standeueni Comitatus præfecti ea nocte misit. Qui eum denuò de hospitio multa sciscitatus est, eo quidem animo, vt equum, &, si quæ illic haberet, bona diriperet. Sed vir prudens nulla ratione adduci potuit, vt quicquam indicaret, vndè alij cuipiam periculum creari posset. Itaque præfectus, qui

erat ad rem valdè attentus, ministris imperauit, vt eius omnia diligenter perscrutarentur. Qua ratione claues cubiculi, in quo dormierat, consecuti, & earum indicio se reliqua omnia consecuturos sperantes, fabros ferrarios per vrbem partim adierũt, partim accersiuerunt. Cumque demùm hominem reperissent, qui claues agnosceret, & à se factas esse diceret, præfectus eo duce ad domum viduæ, quæ sacerdotem hospitio exceperat, perueniens, magnam in cubiculo sacerdotis & librorum & rerum sacrarum supellectilem inuenit, inuentamque sacrilegus absportauit. Postero die in carcerem Kitcot dictum coniectus fuit, ibique locum solitarium planè & horridum sortitus est. Vbi tamen se in victu parcum & austerum, in oratione ac meditatione ardentem assiduumque, in officijs charitatis, si quandò se offerebat opportunitas, continenter attentum præbebat.

Præfect⁹ inuadit cubiculum sancti viri, & omnem supellectilem aufert.

Venerabilis Sacerdos priori die, quo reus agebatur, (qui in 27. Maij diem incidit) ex carcere, qui Kitcot dicitur, ad arcem ductus fuit, præfecto comitatus seu prouinciæ Eboracensis & satellitibus eum vndiq; stipantibus: eam in incessu & vultu præferens magnanimitatem & in tuenda Catholicæ fidei causa constantiam, vt filijs suis spiritualibus, transeuntem spectantibus magnam attulerit lætitiam & voluptatem. Erat is veste indutus sacerdotali, quæ res maiorem ei venerationem conciliauit etiam apud alios plurimos, qui raram hominis modestiam, suauitatem, maturitatemque non sine admiratione contemplabantur.

Veste sacerdotali indut⁹ sistitur tribunali, & omnes in sui amorem rapit.

In quibus erat vir quidam nobilis, & ipse captiuus, non quidem ob religionis Catholicę professionem, sed quòd in eam rem propensior esse videbatur. Is sacerdotem iam paratum, vt tribunali sisteretur, conspicatus, eius & benedictionem & preces submissè flagitauit, & sese in cameram rursum subducens, in hæc verba prorupit: Quid hoc est? Viri innocentes morti addicuntur, & nos vilissimi homunciones in miserijs viuere permittimur?

Cùm tempus iudicio præstitutum iam adesset, pergebat bonus senex ad tribunal. Quo in loco quid dixerit, à nobis resciscí non potuit: tanta importunitate irruebant captiui, homines planè rudes & tumultuarij, vt in eum defigerent oculos & tanquàm rem nouam & inusitatam spectarent. Sed illud tandem definitum est, eum omninò morte dignum esse, ob res quasdam, quas iam anteà illi per examinationes elicuerant.

Adiudicatus morti in vilissimam carceris partem detruditur.

Itaq; in infimam carceris partem detrusus, vnà cum ijs, qui vt le-

gum violatores mortis sententiam acceperant, vultum ac vocem cũ modesta quadam & matura alacritate ad Catholicos sustollens, supra ipsum, quo erat, locum è regione constitutos, hæc ad eos verba habuit: Orate pro me, filij charissimi, nunc enim ipse orare non valeo. Equidem magna afficior voluptate, quòd hoc tandem contubernio mihi frui liceat. Etsi mihi mille essent vitæ, quam libenter, vt hanc causam astruerem, vitam etiam millies profunderem. Atque ita totam illam noctẽ transegit, illos publicæ pacis perturbatores morti iam addictos & alios docens, disserensque de ratione benè moriendi.

Oratio eius ad Catholicos.

Postero die, qui fuit Maij 28. D. Thrilkillus ex eo loco, in quo totam noctem duxerat & concaptiuis salutis documenta proposuerat, manè hora octaua in publicum productus fuit, vt rursum iudicibus sisteretur. Cumque sub dio constitutus aliquantulum subsisteret, quatuor viri Catholici, qui & ipsi captiui ducebantur ad subsellia, de criminationibus quibusdam eis ex Parlamenti decretis priùs intentatis iudicij discrimẽ subituri, viro sancto in transitu supplices fuerunt, vt eis faustam precationem impertiret. Quod ille ad eos conuersus continuò præstitit, & manu sublata benedixit.

Catholici iudicibus sistẽdi petunt à martyre benedictionem.

Tum se ad rostra contulit, ibique cubitis innixus aliquantum prominebat, facie iudici planè obuersa, & totus (vti æquis spectatoribus videbatur) in contemplatione defixus. Sed cùm Catholici nominatim euocati rei iam peragendi erant, ipse se retrò paululum cõuertit, vt audiret, quæ ab eis responderentur. In ijs verò vetula quædam, quæ & ipsa accersita fuerat, vt iudicio sisteretur (erat enim ob fidei martyrium in arcem coniecta) simulatque ad eum locum peruenerat, vbi Sacerdos erat, antequàm quicquam honoris Magistratibus deferret, genibus in terram flexis, benedictionem ab eo postulauit: quam ille confestim suauiter subridens impertiuit.

Pia quædam matrona benedictionem petit à martyre in conspectu Iudicum.

Quod cùm conspicerent aduersarij, quidam ex illis in calumniam trahebant, dicebantque: etiam benedictionem impertit. Et vnus ex assessorum numero disertis verbis aiebat: etiam Christi munus vsurpat. Cui venerabilis senex: Minimè vero, inquit, sed habeo potestatem à Deo, & quod mei est muneris, facio. Sed illi vrgebant dicebantque: tu teipsum Christo comparas. Quibus ille respondit: Iudicet Deus inter me & vos, authoritate mihi à Christo concessa ego hanc mulieri benedictionem impertio.

Tùm iudicio subijciebatur vir quidam nobilis (magni apud suos nominis & authoritatis) vnà cum vxore, eo quòd eorum Ecclesias, schismaticorum vtique conuentus non frequentaret: quam etiam ob causam ambo posteà in carcerem coniecti fuerunt. Is verò cùm non tàm clara voce loqueretur, quàm vt à Magistratibus commodè audiri posset (erat enim omninò infirmus ac debilis) vnus quispiam ex astantium multitudine dicebat: ille sacerdotem respicit. Qua re audita, vnus ex assessoribus in hæc verba erupit: Hic ille est proditor, qui horum omnium ei author est & suasor.

Vir nobilis cũ vxore iudicio subijcitur, quòd Ecclesias hæreticorum non velit adire.

Tùm alius quidam, qui etiam assessor erat, virum nobilem, (vtpote aliquo sibi cognationis vinculo coniunctum) sic allocutus est: Cogita apud animum tuum, cognate, seriò de negotio; nunc tempus est, in quo possis rebus tuis prudenter prospicere antequàm duodecimuiri rem definiant: post latam ab eis sententiam, sera erit omnis tua submissio. Noli bona tua & possessiones spontè proijcere. Porrò & illud adiecit: Si non adesset proditorius ille Sacerdos, dubium non est, quin se cognatus meus satis tractabilem & morigerum ostenderet.

Ad quæ verba statim Thrilkillus: Satius, inquit, est bona proijcere, quàm vt anima periclitetur. Itaque ad virum nobilem conuersus: Valeant bona, inquit: adhæreas Deo, & sanctissimum eius nomen magno animo confitearis. Tum ad Iudices: Ingenti, inquit, lætitia & voluptate perfundor, cùm eos video in tuenda hac causa tàm fortes & constantes: & facere non possum, quin horter, vt progrediantur, (nam iudices silentium ei indixerant) meique muneris omninò est, inquit, vt huiusmodi exhortationis verba decertantibus impendam.

Cõfirmat sacerdos Catholicos in ipso tribunali.

Tum vnus ex Magistratibus ira vehementer excandescens, quòd Catholicos in hunc modum ad constantiam hortaretur, & quòd illos ex eius verbis plurimùm animatos esse conspiceret, eum nomine compellans: Ricarde Thrilkille, inquit, ad rostra accedito; quidnam pro te dicere vales quò minùs morte affici debeas, cùm sis hîc reus actus, & de crimine læsæ Maiestatis damnatus.

Ad hæc ille: Quinque, inquit, rationes heri ex sanctis Patribus allegabam, quibus illud clarum effeci, me læsæ Maiestatis reum non esse. At illas rationes nunquàm legisti, dicebat vnus ex magistratib9.

Imò verò, inquit: proferantur libri, & nisi ostendero, nulla mihi imposterum fides habeatur. Minimè verò, dicebant, nec tu illud vnquàm præstare poteris.

Sentētia mortis pronunciatur in Martyrem.

Ac tum sine vlla interposita mora, sententiam mortis in eum tulerunt, ea nimirum verborum forma, vt continuò abduceretur in eum locum, vndè venerat (nam Catholicos ex eius verbis & præsentia multùm confirmatos esse existimabant) atq; indè ad locum supplicij traheretur, ibique suspensus tamdiu laqueo præfocaretur, donec corpus redderetur semimortuum: atque ita fune inciso viuus in terram demissus, in quatuor partes dissecaretur, quatuor verò corporis partes in quatuor locis ad eam rem destinatis per vrbem Eboracensem spectandæ affigerentur.

Martyr agit gratias Deo.

Hac sententia à Iudice perlecta, ille continuò flexis in terram genibus dicebat: Hæc est dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea, Deoque gratias de ea re toto cordis affectu agebat. Itaq; confestim & sine vlla prorsus mora ad infimam carceris lacum abductus fuit.

Die subsequenti, qui fuit Maij. 29. cùm ex sententia iudicis ad furcas raptandus esset, sancto viro, contrà quàm fieri consueuerat, permissum est, vt Blondum præfecti vicarium pedes & sine strepitu vsque ad portam arcis sequeretur, antequàm in catasta sterneretur. Id quod ab eo non alia de causa concessum esse creditur, quàm ne Catholici, qui ob fidei professionem diuersis cellulis inclusi detinebantur, benedictionem à sacerdote (in hostiam sanctam & Deo placentem iam immolando) clamoribus & vociferationibus (vti eorum mos erat) expeterent.

Post hæc quid actum sit, quæ verba in patibulo constitutus habuerit, quo modo cursum in domino consummauerit, nos nihil adhuc certum habemus, eò quòd ex ciuibus vix quisquam adesse potuerit: tum quia in portis magna adhibita fuit cura, ne cuiquā aditus pateret, tum etiam, quia Prætor eo die delectum militum & arcigerorum pro Regina haberi imperauerat, cui ciues penè omnes interesse oportebat.

Ciues nō permittuntur adesse sancti viri glorioso certamini & morti.

Atque hæc quidem omnia non aliò spectabant, quàm vt populus hisce rebus intentus, fœlicem sancti & inuicti martyris exitum non spectaret. Illud verò nobis compertum est, nec ipsos quidem aduersarios, cùm de eius cruciatibus, & morte verba faciunt, quicquam turpe, pusillum, aut sacerdote Catholico indignum referre: licèt

licèt affirment nonnulli, quibus fides haberi poteſt, eum adhuc ſemiuiuũ à furca in terram decidiſſe, ac priùs exenteratum & in quatuor partes diſſectum fuiſſe, quàm ſpiritu vitali planè deſtitueretur.

Et certè nobis, quos ille præ cæteris familiariter adhibuit, non erit difficile perſuadere, eum hæc omnia fortiter ſuperaſſe, qui ex ſacro ipſius ore non ſemel accepimus, eum in vita per totos octo annos illud à Deo precibus enixè contendiſſe, vt demùm tali vitæ fine dignus haberetur. Nec ſanè æſtimare debemus, quin pius Sacerdos, qui talem orationem tanto cum fidei ardore toties repetierit, nec aliam omninò rem ſibi propoſitam habuerit, quàm ſolam Dei voluntatem & gloriam, precationis ſuæ fructum eo die longè vberrimum lætiſsimumque retulerit.

Per totos octo annos rogauit Deum, vt dignus haberetur, qui pro fide ſanguinē effunderet.

Is quodam die, cùm iter faceret ab eo loco, vbi ſacris initiatus fuerat, manibus in cœlum cum admiratione ſublatis, ad quendam ex ijs, qui eum comitabantur, hæc verba habuit: O Deum immortalem. Tum ſubiunxit: Deus, inquit, ſolus nouit, quale ſit hoc munus, quod nobis hodierna die collatum eſt.

Conſiderabat ille, quàm eximium & ſingulare donum eſſet, pretioſum agni immaculati & incontaminati Chriſti ſanguinem quotidie pro ſua & totius populi ſalute Deo offerre, & ex frequenti huius doni meditatione maiores in dies ſingulos & amoris ſtimulos & animos ſumebat: adeò vt nihil ei iam eſſet in hac vita antiquius, quàm vt ſuum viciſsim in Chriſto & pro Chriſto ſanguinem profunderet.

Deniq; carnifices ſummam in eum exercuerunt immanitatem, indigniſsimeque tractarunt. Ac ne quid ſacri eius cruoris ad piorum ſolatium ſupereſſet, homines impij rogum ingentem congeſto ſtramine ſtruxerunt, & quicquid toto corpore ſanguinis effluxerat, penitùs abſumpſerunt. Sed & faciem illam hominibus Angeliſque amabilem aqua feruenti diu coctam macerarunt, ne poſteà conto affixa (vti moris eſt) aliquam ſaltem ſoliti decoris ſpeciem referret, ſuique memoriam filijs caput paternum frequenter pio ſtudio ſpectaturis refricaret.

Cautum fuit, ne Catholici quidquā ſacrarum reliquiarum haberent.

LITERÆ AD CATHOLICOS EODEM IN LOCO CAPTIVOS SCRIPTAE.


Ax & charitas vobis omnibus, quibus hoc in loco affligi, supplicijs affici, carceribus mancipari datum est, propter dulcißimum redemptorem vestrum, propter tàm illustrem & gloriosam causam, quàm est fides & religio Catholica, propter defensionem dignitatis, tituli, ac iuris sanctæ ac beatæ matris vestræ Ecclesiæ Catholicæ: pax, inquam, vobis omnibus & gratia à Christo Iesu dulcißimo amatore & redemptore vestro, per virtutem illius purißimi & delicatißimi sanguinis, quem copiosè pro vobis effudit, quem, vehementer cupio, imò toto cordis affectu desidero, ne frustrà suscipiatis, sed vt sic augeatur in animis vestris, intellectum sic illuminet, voluntatem & affectus sic ad se attrahat, vt primùm acceptare, suscipere, amplecti velitis hasce cruces & tribulationes quascunque mentis internas alijs ab alijs prouenientes; deindè vt ex charitatis affectu calamitosam hanc & miserabilem sororum vestrarum ruinam toleretis, quæ nuper ad conuentus hæreticos accedentes animabus quidem suis pestem perniciemque, hostibus verò Ecclesiæ exultandi & gloriandi materiam dederunt. Demùm vt patienter feratis hanc captiuitatem vestram, has afflictiones, & quicquid aduersarij vestri suggerente diabolo hoc ipso tempore in vos excogitare & imposterùm infligere poterunt ob hanc causam, ob religionem Catholicam, ob eam, quam in Domino habetis, conscientiæ tranquillitatem. Magnos & viriles animos gerite in hac causa, qua nulla est gloriosior, nulla res maioris aut momenti aut meriti, nulla vitæ actio, quæ magis propriam habeat virtutis vim & rationem.

Quis vos in carceres vel nunc coniecit, vel etiam conijcere potest sine magna Dei prouidentia? Cuius est hæc causa, quam vos tuendam suscepistis, nisi Christi? Cuius estis vos milites, nisi Christi?

Cuius est hoc vexillum, sub quo Christo meretis, nisi spiritus sancti? Quis est militiæ vestræ dux, nisi Christus? Quis est, qui mercedem & honorarium emeritis largietur, nisi Christus? Quis est, qui victores coronabit, nisi Christus? Quis est, qui vos sanctis Dei viris, qui hæc ante vos prælia gesserunt, sociabit, nisi Christus? Quis est, qui vos ad illustres martyrum palmas euehet, nisi Christus? Quis est, cuius ope & beneficio vos æternæ gloriæ fœlicitatem consecuturos & possessuros speratis, vnà cum beato Lacio, Kirckemanno, Tomsono, & Harto, cæterisque vestris recentis memoriæ patribus, nisi Christus.

Cùm igitur & causa, quam asseritis, & bellum, quod à vobis geritur, Christi sit, isque militiæ vestræ dux, defensator, & agonotheta: quæ vos vnquàm tormenta & cruciatus, quæ minæ & terrores, quæ blanditiæ & rerum præsentium pollicitationes abducere debeant, quò minùs talem causam tueri, talem ducem sequi, tale præmium consequi velitis, quale est beatißimos illos martyres socios & contubernales habere? Ita vos cum Christo & Ecclesia colligetis, vt nulla vos persecutio diuellat, nulla vnquàm tentatio efficiat, vt cedatis. Imò verò potiùs optare debetis, vt ipsos inferni cruciatus toleretis ad tempus, vt æstuosam illam Purgatorij fornacem subeatis, vt omnia diaboli membra instàr dæmonum in vos sæuientia perferatis, quàm vt præclaram hanc, quam suscepistis, causam deseratis.

Constantes igitur estote, nec vlla vnquàm tormenta, cruces, afflictiones illud efficiant, vt animum despondeatis. Si prætor arctiori custodiæ vos hìc addici curauerit, Christus dux vester vos in libertatem asseret, dabitque pro suo arbitratu, vt in sua voluptatum regia longè lateque pro libito exspatiemini. Si consules & Magistratus bona vestra iniustè occupauerint, Christus imperator vester faciet, vt pro minimo quoq; quadrante centuplum accipiatis in hoc sæculo, & in futuro vitam æternam, fœlicitatemque nullo vnquàm tempore finiendam consequamini. Si custodes vos subinde coërceant, continenter diuexent, frequenter perscrutentur ac diripiant: hæc omnia nullum vobis stuporem, nullam mentis perturbationem adferant, nec propterеà quicquam de cultu diuino remittatis. Ità fiet, vt Christus vos celeriùs inuisat, consolationes in dies singulos maiores tribuat, animis vestris frequentiùs libentiusque insideat.

Quamob-

Quamobrem bono animo estote, charissimi, plaudite manibus, omnia, quæ intra vos sunt, lætitia perfundantur, sed & singula corporis membra gestiant & exultent, eò quòd causam habetis tàm præclaram, ducem Christum, consolatorem spiritum sanctum, causæ procuratores virginem Mariam, Angelos, diuos Apostolos, martyres, confessores, virgines, sanguinem patrum vestrorum iam recèns profusum, qui validè clamat, & vim diuinis auribus quodammodò facit, vt vobis solatium, fortitudinem, & sanctam in finem vsque perseuerantiam obtineat.

Itaque, filij in Christo dilectissimi, cùm esset mihi planè incertum, quàm velox sit depositio tabernaculi mei, quàm citò patre vestro (indigno quidem & misero, licèt etiam solo iam superstite) priuandi sitis: nec omninò constaret, quem imposterum locum sim hîc sortiturus, tanta crucium, tentationum, afflictionum multitudine etiam nunc obsitus, vt ipsos corporis pilos æquare vel magis superare videantur: an verò in lacum aliquam infimam & obscuram (diuina prouidentia sic statuente) detrudendus, & beatis eo in loco ac dulcibus vinculis demùm fruiturus sim (nam hæc omnia vt benedictiones & præcipua quædam diuini amoris signa habere statui) cùm, inquàm, ignorarem, quàm citò hæc omnia mihi euenire possint, vt præuenirem, quæ accidere poterant, hanc qualemcunque meæ in vos propensę volútatis significationem priùs dare volebam, simplici quidem stilo, sed ita, vt Deus (vti spero) animum permouebat, conscriptam, ad consolandos excitandosque animos vestros, vt plures adhuc & maiores afflictiones pro Christi saluatoris vestri causa perferatis, qui vos ipso sanguinis sui pretio redemit.

Quæ res si alicui vestrûm in bonum cedat, ita vt vires aliquantulùm auctas, animosque confirmatos sentiat ad pergendum in eo, quod à vobis cœptum est, negotio: nihil aliud mihi restabit, quàm vt flexis in terram miseris genibus, indignisque manibus ac oculis in cœlum sublatis, aliquas ex pectore peccatis obnoxio precationes & gratiarum actiones profundam domino meo & dulci saluatori Iesu Christo, benigno ac præpotenti Deo nostro, qui gratiæ suæ influentia & consolatione supernaturali seruos suos in afflictione positos inuisit, eorum gemitus & suspiria contemplatur, dolorum ac lachrymarum miseretur: cui longè dulcissimo redemptori nostro Iesu Christo secundæ in trinitate personæ, cum patre & sancto spiritu omnis gloria, laus & honor in sæculorum sæcula. Amen.

EXEM-

EXEMPLAR LITERARVM, QVAS P. THRILKILLVS AD AMIcum quendam contristatum de eius captiuitate scripsit.

Doleo ex animo, esse aliquid, quod te post captiuitatē meam augat. Si ex eo prouenit, quòd illo in loco captus fui, doleo potuisse inimicum eiusmodi tristitiæ affectum animo tuo inijcere, maximè verò ob rem, quæ nullam in te (quod equidem sciam) habebat peccatum. sed magis (vti res accidit) ingentis gaudij, lætitiæ, consolationis materiam. Voluit quidem benignus Deus noster me ad aliquod fidei meæ experimentum clementer educere; ad aliqualem cum hostibus conflictationem, ad fortius aliquod prælium spirituale.

Quantum verò me Deo Opt. Max. debere existimem pro beneficio, quod nox illa secum allatura videtur (& quidem fieri benè potest, vt ferat) nulla vnquàm lingua explicare, nulla mens capere poterit. Nulla igitur tibi dolendi causa est, sed magis mecum ex animo gaudendi & gratias communi domino agendi, qui omnia tàm suauiter disponit. Si aliud quippiam est, quod te molestat, illud consideres velim, an eius rei causa peccatum sit: (quæ vtiq; sola atq; vnica tristitiæ causa esse deberet.) Quòd si ita esse deprahendas, tùm cum prudenti quadam moderatione doleas: est enim peccatum diuinæ voluntati contrarium: Sin verò peccatum non est, eoq; nec Dei voluntati aduersetur, quam habes causam dolendi, lamentandi, aut etiam lugendi? An ob illam rem lugebis, quæ gaudij & solatij causa est? Nescis subbisce animi doloribus, diuexationibus, cæterisq; angustiis dulce Manna, si cum patientia & læto animo à nobis suscipiantur, tanquàm calix, quem Christus nobis bibendum porrigit ob salutem animarum. Confortetur igitur cor tuum, & esto robustus, amplectere crucem tuam, quæ fructus tàm vberes edere poterit: fœlix enim necessitas, quæ ad meliora compellit.

AD QVANDAM FOEMINAM PIAM, QVAE fuit filia eius spiritualis.

INcipit nunc mundus, filia charissima, videri insipidus, omnesq; eius voluptates instar fellis amarescere,& quæcunque offert grata spectacula aut oblectamenta, vana prorsus esse & infructuosa.


Nunc quidem videtur, nullum esse verum gaudium, nullum obiectum spectatu iucundum, nullam voluptatem,quæ delectationem solidam adferat, nisi vnam, qui est Christus. Cum illo sermones miscere summam esse voluptatem,gaudium,solatium experior; tempus breue,iucundum, delectabile. Ea verò, quæ ille ad me vicissim verba facit,sic animum meum penetrant, sic spiritum supra se sustollunt, sic affectus carnales temperant & immutant, vt carcer iste meus,non iam carcer,sed paradysus quædam terrestris, cruces meæ leues omninò ac faciles, terreni consortij priuatio cœleste gaudium ac fœlicitas esse videatur.

O fœlix carcer, ô beata clausura,ô solitudo solatij plena, ô carcer multo tempore optate, vbi tàm diu moram traxisti? O cruces vbi hactenus fuistis? O solitudo, quamobrem non es passa, vt aliquem tui gustum iam anteà haberem.

Sed me miserum,nunc video,meam indignitatem in causa fuisse, (quæ etiamnum eadem est) nec permisisse, vt tali honore, qualis est hic carcer,potirer: meam in vitia propensionem non passam esse, vt tam insignis benedictio mihi obueniret,quàm sunt hę cruces: meam iniquitatem atque peccata esse, quæ me iure ac merito remorarentur impedirentque,quò minus ad hunc statum opulentum promouerer,quem adfert solitudo.

Atq; has quidem tanti pretij gemmas ac diuitias Deus Opt. Max. mihi in te, ô carcer, constituto conferre voluit. Equidem hæc omnia illi accepta refero, eiusque solùm donum,misericordiam, pietatem agnosco, nec mihi quicquam tribuo. Illi igitur sit omnis laus, honor, & gloria, de hoc beneficio tàm inenarrabili in seruum suum inopem, miserum,ac planè immeritum collato.

Ricardus Thrilkillus.



AD QVOSDAM AMICOS, DE IIS QVAE accciderunt ei in examinatione.

QVod ad duas examinationes meas attinet, in vtraq; multa interrogatus fui de serie annorum iam elapsorum. Respondi ad omnia directè, nisi fortè cùm periculum esset, ne alijs aliqua in re nocerem: tum enim nihil volebam dicere, nec Deo volente vnquàm dicturus sum.

Illi functionem meam multis verbis prosecuti sunt, illud petentes, quæ res me permouisset, vt ad partes transmarinas me transferrem, & qua de causa in patriam reuersus essem. Respondi, me conscientiæ causa hæc fecisse, vt vitam meliùs instituerem, vt Deo rectiùs strictiusque inseruirem, vt animas Catholicæ ac Romanæ Ecclesiæ lucrarer, exhortans, reconcilians, monens, quàm graue scelus esset, eorum conuentibus interesse: porrò & missas celebrasse, omniaque præstitisse, quæ mei muneris ratio postulabat.

Illi de personis, locis, & alijs id genus rebus sciscitabantur. Respõdi, peccatum esse in illis, quòd ea postularēt, similiter & in me peccatum fore, si responderem, eoque frustrà illos talia à me petere. Tum quædam alia ex obliquo interrogabant de primatu Reginæ: quod ego quodammodò absolutè negabam, & diuini spiritus ope fretus apud animum meum statuo me imposterùm planè ac disertis verbis omninò negaturum.

Sed Decanus (quis eum impulerit, nescio) rem moderatus est, & videbatur, (vti ego quidem existimabam) non libenter permittere, vt ista quæstio proponeretur in ipso statim examinationis meæ exordio. Ille capta occasione nonnihil dicere velle videbatur de spirituali Reginæ potestate, de pastoribus Ecclesiarùm ordinandis disponendisque. Quod cùm ego ab ea exerceri debere planè negarem, is sermonem protinùs abrumpens ad priora se contulit.

Post examinationem meam (nam sic existimare debetis, toto eo tempore neminem interfuisse præter solum Decanum & tres consiliarios, vt mihi quidem videbatur) ego pro tenui facultate mea quędam dixi in eam sententiam, quòd Ecclesia Catholica, quam illi sibi libenter vendicabant, nullo modo esset aut esse posset apud eos.

Cumque Decanus annuiſſet, fidem Catholicam in Eccleſia Romana viguiſſe ad aliquot annorum centurias, eiſque exactis demùm defeciſſe: ego illud ab eo petij, quo anno, quo pontifice, quo imperatore, hæc mutatio acciderit, quinam illi fuerint, qui fidem iſtam primùm oppugnarint, an verò etiam omnes, qui tum temporis apud ſedem Apoſtolicam degebant, ita muti & elingues fuerint, vt nemo eorum Catholicæ fidei defenſionem ſuſceperit: eius ad hæc reſponſum mihi tenue admodùm videbatur. Dicebat enim errorem hunc ſenſim & ſine ſenſu ita irrepſiſſe, vt initio benè aduerti non potuerit: nõ aliter quàm in arbore videre eſt, quam licèt creſcere ſentiamus, qua tamen ratione augmentum ſumat, videre non poſſumus: atque huiuſmodi ſimilibus ad rem confirmandam vſus eſt.

Tum ille inuocationem Sanctorum conuellebat: ego verò contrà affirmabam, velle me in diſcrimen vocare etiam fidem meam, nî eam rem ex D. Auguſtino aſtruerem. Quam ille conditionem primò quidem arripuit, illud fortè ſperans, ſeſe effecturum, vt à ſententia reſilirem. Sed cùm ego aſſeueranter dicerem, me omninò præſtiturum, tum ille reſiliens dicebat, eſſe quidem opinionem, quę ſub ipſa D. Auguſtini tempora recenter in Eccleſiam Dei emerſerat.

Demùm quædam verba in ſanctiſsimum Papam præter charitatis rationem pro ſua libidine effudit. Ego verò omni timore depoſito, eius ſanctitatem audacter confeſſus ſum: cumque ille Antichriſtum eſſe aſſereret, ego contrà id fieri non poſſe, nec expectandum eſſe, vt is aut ſuorum quiſpiam eam rem rationibus addiceret neceſſarijs. Eſt verò Papa, aiebam, Chriſti in terris vicarius, & ſupremum Eccleſiæ caput. Tùm ille vehementer ira commotus loco ſurrexit, dicebatque ea ſe verba nullo modo ferre poſſe. At ego reſpondi, me obfirmato eſſe animo, nec ab huius cauſæ defenſione, quoad viuerem, deſtiturum eſſe. Itaque ceſſatum eſt, nec ille nec quiſquam ex illis verborum meorum opportunitatem arripere, & in fraudem torquere velle videbatur. Ad hoc verò Dei vicarij priuilegium & authoritatem agnoſcendam aſtruendamque, magnam vſque in me ſentio ſpiritus promptitudinem & alacritatem.

Atque hæc quidem breuiter de examinationibus meis: in quibus ſi qua in re recti fines ſupergreſſus ſum, me ſuperiorum meorum iudicio humiliter ſubijcio. Valete, & Deum Opt. Max. (vos omnes oro obteſtorque) pro me continenter orate, vt pro immenſa miſericordia ſua & gratia, eam mihi ſpiritus fortitudinem impertiat, vt

quæ

quæ à me dicta sunt, non solùm verbis fortiter asseuerare, sed & ad solam diuini nominis gloriam illustrandam, ad causam hanc nostram tàm eximiam ac gloriosam aliquotenùs promouendam, ad filios meos spirituales in Ecclesia sancta instruendos corroborandosque, ipso sanguine meo ad extremam vsque guttulam profuso consignare valeam.

Ricardus Thrilkillus.

AD QVENDAM, QVI PROPENSVS ERAT ad desciscendum à Deo & Ecclesia Catholica.

DVlci Domini Dei mei prouidentia & dispositione in carcere constitutus, ita vt ad te in persona accedere & coràm alloqui non possim, Catholice amantissime, (quisquis es) mei erga Deum & eius Ecclesiam officij planè esse duxi, cùm de ruina pericliteris, te seriò monere, vt maturè consideres, antequàm de huiusmodi negotio quicquam statuas: quod si præstiteris, non minori quàm animæ tuæ pretio constabit. Periculum ergò prius mente perpendas, quàm vsu experiaris.

Quid facies? Deum Opt. Max. auersaberis, qui te tàm amanter creauit, qui te proprij filij passione & morte acerbissima redemit, qui te sacramentis suis toties sanctificauit, qui sua in te dona sanctitatem conferentia in finem vsque conferre paratus est, qui nullo vnquàm tempore te deseret, nisi priùs à te deseratur?

Si Deum esse credis (qualem se tibi benignè, liberaliter, solo amore adductus exhibuit) quid est nunc, quòd eum deseris? An non idem est in te benignus Deus qui solebat esse? An manum eius in te solitò magis abbreuiatam experiris? An non eandem tui curam gerit, quàm iam olim gerebat? An non conseruat, fouet, nutrit, vestit, tectum præbet eodem planè modo, quo facere consueuit? Atq; hæc quidem corpus spectant.

Iam verò nónne & animam similiter supernaturalibus suæ gratiæ donis munit, tuetur, pascit & fouet? Illud tibi denuntio, dilecte fili, quòd si vlla in te supersit diuinæ gratiæ scintilla, nullo modo tibi committendum esse ducas, vt eum deseras, renunties, ad iracundiam prouoces. Caue, ne iusta eius indignatio & iudicium capiti tuo immineat: curam age, ne impurus dæmon cum suis satellitibus

de te triumphum agat. Noli facere, vt honestißima Ecclesiæ Catholicæ causa per te tàm insigni dedecore afficiatur. Noli in causa esse, vt Catholici omnes per vniuersum, quà latè patet, orbem dispersi ruinam tuam miserabilem in modum deplorent ac lugeant. Et an sis vllo vnquàm tempore denuò in pedes erigendus, cùm sit talis ingratitudo tua & lapsus planè turpis ac miserabilis, eam verò rem diuinæ solùm prudentiæ ac prouidentiæ relinquo.

Rursum dico: credis te Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ membrum esse, & ex participatione sacramentorum paßionis Christi merita tibi applicari; quamdiu in statu gratiæ perseueras, vitam nimirum peccati lætalis expertem degis, omnes precationes tuas, eleemosinas, ieiunia, cæteraque pietatis officia propter Christum facta valere ac meritum habere, teque sacrificiorum, orationum, ieiuniorum, in pauperes largitionum, quæ per vniuersum prorsus orbem in Ecclesia Catholica fiunt, participem fieri?

Si hæc ita se habere credis (credere verò omninò oportet, cùm sint nobis ab Ecclesia Catholica pia vtiq; ac benigna matre in hunc modum proposita) quid tibi vis, aut quis malus dæmon ita te fascinauit, illexit, superauit, vt nunc fieri velis transfuga & filius adulterinus ac in matrem spiritualem ingratus, quæ ex mammillis suis te lactauit, quæ te ipso spirituali carnis Christi alimento sæpè nutriuit, quæ cùm paruulus adhuc in Christo esses, materna te cura à leone rugiente & lupis rapacibus, ab ipso nimirum dæmone, & tota caterua infernali immunem atque illæsum custodiuit.

Dico igitur & obtestor, ob acerbißimam Christi saluatoris nostri mortem & paßionem, ob merita beatæ eius matris & omnium Sanctorum in cœlis degentium, ne perdas animam tuam ob libertatem aut voluptatem aliquam inanem, quam mundus ostendere potest: nec ob suppliciũ aut cruciatũ aliquem, quem carcer infligere, nec ob persuasioné aliquam fallacem, quam hostis animo tuo ingerere valet. Magnos animos resume (quisquis es) & vt humani generis hostem omnesq; ei obsequium præstantes despectui habere te ostendas, dic ex animo: O pater misericors, qui me creasti, O dulcis fili, qui me redemisti, O sancte spiritus, qui me sanctificasti, O beata trinitas, tres personæ & vnus Deus serua, defende, guberna me in Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ vnitate, vt in ea viuere ac mori, & demùm ad perfruendam diuinæ Maiestatis tuæ gloriam peruenire merear. *Ricardus Thrilkillus.*

ALIAE LITERAE AD *captiuos.*

FIeri poteſt, nec ſine diuina prouidentia, chariſsimi & amantiſsimi filij, quòd aliqui veſtrûm (licèt non omnes) onus crucium in carcere ſentiant, quæ fortaſsè maiorem vobis, quàm par eſt, moleſtiam adferant.

Quam ob cauſam, ad vos conſolandos (cùm donum aliquod opulentius non habeam) hos paucos verſus ſimplici quidem ſtilo compoſitos nec ſibi ſatis cohærentes mitto. Quod vti fieri poteſt, vt ſit meum ad vos vltimum vale, eò quòd hæc tempora ſint periculoſa & alterationibus valdè obnoxia, ita cupio, vt apud vos permaneat, tanquàm aliquod mei in vos affectus memoriale ac ſignificatio. Quem vtique affectum efficaciùs oſtendere non poſſum, quàm ſi vos eodem, quo & meipſum, amore proſequar.

Ego verò mihi magis magiſque in dies ſingulos opto, vt cruces habeam pro benedictionibus, carceres ac vincula pro libertate & otio, ſpiritus afflictiones pro ſingularibus beneficijs. Idem igitur & vobis, qui cruces nunc portatis, precor, vt Deus vobis omnibus vires & conſolationem & perſeuerantiam in finem vſque tribuat.

Dicite mihi, quis eorum omnium, quos Deus amat, ſine cruce viuit? Quis vnquàm victoria ſine prælio, quis mercede ſine victoria potitur? An ad cœlum peruenire ſperatis ſine concertatione, tot hoſtibus iter vndique obſtruentibus? An via faciliori incedere cogitatis, quàm, quæ ipſius domini exemplo monſtrata eſt & ſeruorum eius beatiſsimorum virorum, qui eum ſubſecuti ſunt & ob labores piè ſuſceptos nunc beata eius ſocietate in omnes temporum æternitates fruuntur? An hîc voluptates quæritis doloris expertes, an ſcelerum veniam ſine pœnitentia? Nullo modo, chariſsimi mei: ea res nec cogitanda quidem vobis, multò minùs ſperanda eſt. Sed contrà illud vobis optandum, ſperandum, & à Deo toto cordis affectu flagitandum eſt, vt vobis cedant cruces, cruces, cruces; ita tamen, vt nec diuinæ voluntati aduerſentur, nec veſtro ſpirituali vel etiam temporali profectui impedimentum adferant.

Sunt

Sunt fortasse cruces istæ aliquibus vestrûm nimis graues, maiorique afficiunt molestia & perturbatione quàm conuenit, eò quòd eas fortiter ac magno animo ferre nescitis. Non id volo, vt fortè minores vobis cruces obueniant, sed vt eæ, quæ vobis contingunt, leuiores fiant & faciliores. Nam si, cùm aliquid voluntati vestræ contrarium contingit, (quæ res proprio nomine crux est) illud continuò perpendatis, propriæ voluntatis firma & perpetua renunciatio quantum vos promouere poßit in amore Dei, quantumque attrahere, vt arctiori vinculo cum illo voluntate ac spiritu colligemini, atque ita ob solum Dei amorem, & vt diuinæ eius voluntati satisfaciatis, crucem oblatam libenter acceptare & de ea ex animo lætari (etiamsi ad hanc rem præstandam vim aliquam vobis ipsi inferre debeatis) in eaque mentis lætitia (quantum in vobis est) perseuerare velitis: illud vobis vsu veniet, quòd tristitia, quæ ex cruce oriri debebat, recedet, hostis copias suas reuocabit, nec eam vobis tentationem inijciet, vt maiorem de re aduersa dolorem sentiatis: quod facere solet ijs, qui de crucibus quibuscunque gaudere nolunt.

Et quidnam esse existimatis in causa, cur hostis vires suas contrahat nec exerat ad nocendum? nisi quòd probè videt, (perspecta, quę in vobis est, ad omnes cruces perferendas constantia & alacritate) si tentationes & cruces addat, fore, vt maioris vobis meriti occasionem præbeat, quod ille libenter non faceret.

Quamobrem si vultis, vt perfecta patientia cordibus vestris inferatur (quam rarò humilitas incomitatam esse permittit) in ipso statim initio totis viribus contendite, vt clamare, dicere, ac cogitare in hunc modum poßitis: O cruces longè gratißimæ, veriùs benedictiones, dona cœlestia, spiritualia beneficia, & mentium solatia.

Iam verò quemadmodùm cruces semper consolationis, ita voluptates semper doloris materia esse debent. Nam quia tàm sæpè in Deum peccastis, diuinam eius voluntatem violando; idcircò nulla prorsus in re voluptatem capere debetis, nec quidem in cibo, nec in potu, nec in somno, nec quæcunque sunt eius generis, quæ aliquam ferè voluptatem habent adiunctam: sed omnis voluptas vestra in eo esse debet, quod ad Dei gloriam & diuinam eius voluntatem perficiendam spectat. Eoque cibus, & potus, & somnus, in quibus vt plurimùm aliqua latet voluptas, sumi debent, non vt sensuum appetitionibus satisfiat, sed quia voluntas Dei est, vt sumatis; quo fiat, vt ei posteà meliùs inseruiatis, viresque reficere poßitis ad

tis ad aliquam rem prestandam, quæ ad Dei gloriã spectet. Christum vobis in exemplum proponite, qui cùm à peccato immunis esset, propter nos tamen malè tractari voluit, omniaq; oblectamenta planè contempsit, vt nobis author & magister esset, cruces quidem expetendas, voluptates verò fugiendas ac detestandas esse. Si nos in singula momenta internas sensuum nostrorum appetitiones probè cõsiderare vellemus, eisq; benè cognitis ac perspectis, statim ac sine vlla prorsus mora persequi, seu potiùs prudentia quadam reprimere satageremus, quicquid non à Deo profectum vel ad eius gloriam non spectare conspiceremus: vel etiam si semper primo loco res, quæ aduersæ & voluntati repugnantes videntur, diuina prouidentia nobis oblatas expetere, libenter amplecti, & de eis lætari vellemus: dubiũ non est, quin breui perueniremus ad perfectam obedientiam, mortificationem, spiritus fortitudinem, & sanctum nostri odium, quæ quidem recta est via ad consequendum perfectum Dei amorem, amor verò Dei virtutum omnium finis.

Sed fortaßè dicet aliquis vestrûm, hoc arduum esse ac difficile, fateor ita esse: sed quid est, quod amor, bona voluntas, strenuus labor superare non poßit? Vndè, quæso, est, quòd cruces læto animo ferre non potestis, nisi ex amore, quẽ erga vosmetipsos geritis, & ex mente aliena, quæ sanctum illud vestri ipsorum odium abhorret, nec vlla ratione induci potest vt admittat? Vndè est, quòd peccatum in vobis existit, & virtutum inopia laboratis, nisi quòd vosmetipsos amore & non odio prosequimini, eo ipso, quòd aliquid amatis aut concupiscitis, quod Dei præceptis, consilijs, aut inspirationibus aduersatur? Quid est, quòd Deus cruces & tribulationes vobis immittit, nisi vt per eas de peccatis in eum perpetratis satisfaciatis?

Cùm ergò satisfactio vestra peccatorum malitiæ respondere debeat, illud velle videtur Deus, cùm cruces tribuit, vt non solùm ipsi vos oderitis, sed & optetis, vt omnes omninò homines vos odio habeant, (quantum quidem sine peccato & Dei offensa fieri poßit) vt ea ratione diuinę voluntati satisfiat, cùm id alio modo fieri nequeat.


Iam verò si cruces, quæ meritò vobis ob peccata in Deum admissa obueniunt, in hunc modum læto & alacri animo ferre, & vosmetipsos odiendi occasionem continenter arripere, eaq; re amorem vestrî expellere velletis, continuò amor Dei amori vestrî, virtutes vitijs, voluntas Dei (quæ nihil allud quàm Deus est) voluntati vestræ succederet.

O quàm fœlices sunt ij, qui in dies singulos magis magisque expetunt, & non minori studio efficere conantur, vt ex sancto isto sui odio philantia illa cordibus exigatur. Et quidem multò fœliciores, qui rebus aduersis conflictati, haustum indè amarū cum gaudio bibunt, vt dulci Dei amore potiantur. Sed longè omnium fœlicissimi, qui diuturna & continua exercitatione ita in plenum quoddam sui odium pertracti sunt, vt quamuis naturaliter sentiant, tribulationes esse quidem perpessu duras admodùm & acerbas, ipsi tamen propter desiderium & Dei amorem eas tàm gratas reddant & iucundas, quàm quicquid anteà illis in vita maximè expetendū esse videbatur.

Quamobrem cruces amate, easque habete in beneficijs potioribus, & ex animo optate, vt accedant, eò quòd fructus tàm eximius sub ipsis lateat. Hæc vera est ratio, qua vos ipsos syncerè diligitis. Hic fructuosus ille & gloriosus amor est, quem Deus in vobis esse vellet. Hæc, inquam, via est, quæ ducit ad amorem diuinum, ad pietatem, ad gloriam cœlestem, & ad cætera omnia, quæ ad eam consequendam conducunt. Hic amor nullum admittit peccatum, quamuis in illud natura propensi sitis.

Quæ cùm ita sint, vos hortor, vt cruces diligatis, philantiam pellatis, vos ipsos oderitis, & ab alijs odio haberi desideretis. Ita fiet, vt amor Dei corda vestra perfectè & integrè possideat: quod vobis, & mihi, & alijs omnibus concedatur ex merito Christi Iesu saluatoris nostri, cui omnis honor & gloria in sæcula. *Ricardus Thrilk.*

CARMEN SACRI MARTYRIS AD CONCAPTIVOS.



Vi mecum, amici, sicut oues neci,
Hoc, destinatæ, carcere degitis;
Durate constantes, & aures
His adhibete animosq; dictis.
Spectate, mentis luminibus pia
Considerantes interioribus,
Quàm vera, quàm constans voluptas,
Quanta quies mihi, amorq; mortis.

Qua

Quæ fraudulenti nulla potentia
Mundi, nec vllæ præstiterint opes,
Nec quotquot ostentator idem
Vanus habet species bonorum.
Perstate fortes fortiter in fide,
Diri Dathanis cedite semita,
Differt; suum tandem fidelis
Sed reparabit ouile Christus.
Quæcunq; terra res habitant globum,
Sunt terra & ipsa, puluis, inania,
Mundi potestates, honores
Gloria, fastus, opes inanes.
Quo mundum inanem hunc intueor magis,
Inaniorem comperio, mihi,
Erga hunc amor quò maior, ipsi
Crux mihi maior & ægritudo.
Vstus puellus Mulciberum canet,
Vsto puello vir mihi cautior,
Vitare quem non priua damnum,
Sed docuêre aliena damna.
Perstate fortes fortiter in fide, &c.
Iam tempus, vt me respiciam, monet,
Cur lachrymosam missus in hanc homo
Vallem, vt recorder, tempus, ex quo
Missus ego, vna dies, diebus
Si conferatur, cuique suas Deus
Quas additurus, siue perennibus
In gaudijs, in sempiternis
Seu malè supplicijs agendas.
Perstate fortes fortiter in fide, &c.
Cur missus essem, nempe erat, vt Dei,
Mente, ore, facto, legibus obsequi,
Placare vt iram Christianæ
Legibus ex Solymæ studerem.
Illius, astris cœlicolûm manu
Fundata, mater quæ pia filijs
Ecclesia à nobis vocari
Nomine nunc meliore gaudet.

Non ista carni scilicet huic placent.
Repugnat, at non vincet, origine
Limus, fimosum vas, breui escam
Vermibus aut auibus datura.
Ipsa antè sisti tunc anima optimum
Et maximum se sentiet; arbitro
Reddenda poscenti anteacta
Cui ratio irreprahensa vitæ.
Ad Christum amorem, vestra igitur, meum
Sponsumq;, pro me sollicitæ preces
Surgant: meis vestras, eodem
Dante, preces precibus rependam.
Perstate fortes fortiter in fide,
Diri Dathanis cedite semita.
Differt; suum tandem fidelis
Sed reparabit ouile Christus.
Vicina cursus meta mei, mei
Finem attigerunt penè suum dies,
Vni vt rei, rebus relictis,
Prospiciam, reliquis, iubentes.
Saluete; vita æterna Dei in domo,
Datore, vos & me maneat, precor,
Deo, sodales, cum beatis
Cœlituum ordinibus Quiritum.
Perstate fortes fortiter in fide,
Diri Dathanis cedite semita,
Differt; suum tandem fidelis
Sed reparabit ouile Christus.



MARTYRIVM DOMINI EDOVARDI ARDENI.

Ex lib. 3. de schisma. Anglicano.

DOminus Edouardus Ardenus, familiæ nobilitate clarus, sed Catholicæ fidei confeßione multò clarior effectus, gloriosum martyrium hoc ipso anno, quo prædicti martyres, consummauit.

VT

VT GVLIELMVS CARTARVS TYPOGRAPHVS ACCVSATVS CORAM PSEVDOEPISCOPO LONDINENSI, CONSULE SEU PRÆTORE VRBANO, MULTISQUE ALIJS REUS MORTIS PRONUNTIATUS.



Edente pro tribunali Pseudoepiscopo Londinensi, iudicisque rerum capitalium personam agente (quòd nunc temporis istiusmodi animarum custodes & præsules absque periculo, vt vocant, irregularitatis & reos accusare, & capitis damnare, iuxta noui Pontificatus canones, quorum in Anglia summa est obseruatio, suo iure possunt; quamlibet olim id fuerit nefas, vt loquitur D. Augustinus, vt reus Episcopi suggestionibus occidatur, qui veniæ, si pœnituerit, reseruatur.) hoc, inquam, Pseudoepiscopo iudiciorum Præside Gulielmus Cartarus ex vinculis & carcere productus, pro rostris constitutus est; id crimini datur, quod anno 1583. in necem Reginæ coniurarit, religionisque mutationem cogitarit: quod vt faciliùs pro arbitratu executioni mandaret, cũ typis mandasse, & in lucẽ edidisse librũ quendam seditiosum hoc nomine: Tractatus quidam de schismate; in quo inter alia seditionis plenissima, quæ subiectorum in Reginam amorem & parendi voluntatem abalienare possunt, hæc non seditiosi modò, sed & Regiæ Maiestatis proditoris verba haberentur: Iuditha deinde sequitur, cuius piam constantemque prudentiam, si Catholicæ nostræ, nobilesque matronæ imitarentur, nullo negotio Holofernem hæreticorum antesignanum de medio tollerent, eiusque copias omnes, & satrapas velut attonitos in fugam conuerterent; neque sanctam suam fidem, religionem, animúmue contaminarent, si quo in articulo vel minimo perfidæ hæreseos cum illis sentiunt. Adijt quidem Iuditha Holofernem, vt ei placeret, cui ne tantillum quidem de sua religione concessit, vt vel vnà ijsdem cibis vesceretur, sed quos secũ attulerat, eis duntaxàt vescebatur: deinde verò quamuis vtrique idem tectum fuerit commune, palàm tamen professa est Deum verum se colere, quamobrem id potestatis ab eo

Pseudoepiscopus sanguinarium iudicem agit.

August. epi. 184. ad Bonifacium.

Quam ob eam fam Cartarus perduellionis reus.

sibi concedi petijt, vti quotidie ad eum adorandum tutè liceret exire. Non potero, (inquit) manducare ex his, quæ præcipis mihi, ne veniat super me offensio. Et iterum: Ego Ancilla tua Deum colo, etiam nunc apud te, & exiet ancilla tua & orabit Deum.

Iudith c. 12.
Iudith c, 11.

Hac animi fortitudine atque constantia ceu vnico medio (mirabile dictu) sanctißima & castißima Mulier Tyranno caput abstulit, nihil sentientibus Assyrijs, quorum per excubias & exploratores, quasi de more ad orandum exiret, pertransijt.

Venerat in eam spem Holofernes, optimæ Matronæ mentem immutare se posse, eaq; non modò ad suam libidinèm abuti, verùm ipsius quoque animum in sui amorem rapere posse; at numine diuino sic piæ Matronæ religione imbuta mens est, vt & neque prophanos contingeret, nedum gustaret cibos, & fideli ancilla comite, Holofernem cum suis summo pudore suffunderet. Et verò vna Iuditha constans & interrita multas eiusdem generis pedissequas poterit informare, quod in Anglia in educatione nobilium virginum maximè optandum est, vbi alioquin ab Holoferne & impuris sceleratisque ipsius satellitibus in perpetuum pudicitiæ periculum vocantur. Atque hæc sunt, quæ illo in libro ad Regiæ Maiestatis dignitatem prodendam continentur.

Cartar' prouocat ad Duodecimuiros.

Hanc autem tàm iniquam accusationem vbi Cartarus audiuit, eamq; minimè legitimam iudicauit vel satis iustam, propter quam mortis sententiam subiret, se innocentem clamat, & ad duodecimuiros prouocat.

Northon' in Cartarum corã duodecim viris dicit.

Tum Northonus, quò de re tota duodecimuiros faceret certiores, sic eos est allocutus: Tametsi, inquit, minimè decet, hoc præsertim loco, quæ ad proditionem spectant, quam molitur Cartarus, vniuersa commemorare, nec si deceat, cùm satis manifesta sint notaque omnibus, nihil sit necesse; tamen nihilominùs paucis quæ hûc faciunt, præcipuè perstringam, nihilque dicam de nonnullis inauditis & execrandis proditionibus, quas machinantur ij, qui ab eadem Religione sunt, Papæ dico asseclas, & Angliæ proditores.

Dictu procliue, sed probationis indiget.

Ac primò quidem omnem illi viam inierunt, qua impias illas & execrationibus plenißimas Pij Quinti literas vulgarent: quibus scelaratè & nefandè non tantùm Reginæ subiecti omni fide iurisiurandi & officij absoluuntur, sed diris quoque deuouentur, quotquot deinceps eidem obtemperarint: quarum literarum publica lectione in Septentrione tumultus exortus, sed Deo præpotente

benè

benè iuuante sceleris authoribus victis in irritum cecidit.

Hac ergo spe deiecti, aliam rationem easdem literas promulgandi excogitarunt, atque ex omnibus hæc commodissima visa est, vti per nescio quos Sacerdotes Seminarios, Sacrificulos, Iesuitas, certis in angulis delitescentes id agant, vt subditi suæ Principis obedientiam abijciant, eos ab officijs abducant, ad omnem seditionem, si se dederit occasio, promptos paratosque reddant, ac demùm nos & regnum hoc florentissimum, lucis Euangelicæ claritate illustratum, ad Pontificis & Antichristi Romani idololatriam ac tenebras errorum fœdissimas reuocent.

Quod vt assequerentur, in id doctor quidam Gulielmus Alanus, totius tragicæ huius actionis inuentor & architectus ac publicè proditor elaborauit, in nostram Britanniam intra hos tres annos superiores ducentos Sacerdotes ac eò ampliùs mittendo, qui aliud nihil moliuntur, quàm populum ad tumultum & seditionem excitare, & à Regiæ Maiestatis obedientia auocare.

Quos verò contingit capi, (vt sæpè fit) quæstionibus subijci, & interrogari, quid de literis excommunicationis aliquot ab hinc annis à summo illorum Pontifice Pio Quinto in serenissimam Reginam nostram Elizabetham latam sentiant, non satis inter se conueniunt: alij namque posteà pro irritis habitas respondent, alij, vt Campianus, asserunt non quidem irritas esse, sed Pontificem suam sic mentem explicasse, vt ijs nihil voluerit Catholicis incommodari, neque ijs sic obstringi, vt Elizabetham pro Regina habere, eique obedientiam, si necessitas ferat, præstare non possint: si tamen commodum sit intereà causam Pontificiam promouendi, eius sententia liberè vti posse, & executioni mandare.

Et quidem sententiam hanc excommunicationis contra Elizabetham pro Regina Angliæ in speciem habitam, contraque eos, qui à partibus eius essent, fuisse latam: quoniam verò Catholici nec partes eius tuentur, nec Religionem probant, eo nomine inter eos non haberi, quare ab ijs execrationibus tantisper esse immunes, dum se offerat occasio.

Intereà verò ne otio Papistæ diffluant, in id sedulò incumbere, vt quæ excogitarunt malitiosè, quæque seditiosa consilia coxerunt, primo quoque tempore proponant, quemadmodùm patet ijs ex characteribus & figuris literarum ignotis, eò ab ipsis excogitatis, vt sua inter se consilia tectiùs & habeant & communicent. *Quasi id necesse.*

Cæte-

Cæterùm quoniam religiosi sunt, morsumque conscientiæ reformidant, eam ob rem duo illis doctores dati D. Bristous & D. Vvebbus; qui non solùm quemadmodum ijs figuris vtendum sit, doceat, verùm proditores etiam reliquos instituant, vt eadem via progredi debeant, ne qua se religione obstringant. Est & alius admodùm exitiosus scribendi & voluntates explorandi modus, verbi gratia, si literarum initia sint: Omnibus ex animo salutem, &c. tum is cui scribitur, in suscepto negotio progredi tutò potest. Sin autem literæ sic inchoentur: Fidelis & dilectissimè amice, &c. tum est argumentum suscepto negotio supersedendum esse. Quis vnquàm obsecro, has proditorum fraudes & inuenta intellexisset, nisi ij ipsi qui excogitarunt, eadem aperuissent, numine diuino ita benè iuuante, cuius beneficio, omnia proditorum consilia in irritum cadunt, & Reginæ salus eiusdem munere integra manet? Id, vt adhuc fecit, deinceps quoque faciat Deus, obnixè rogamus omnes. (Quibus dictis tum à iudicibus, tum ab omni populo succlamatum est, Amen.) Ad hæc isti proditores varia & nefaria contra Regiam Maiestatem moliti sunt, & sceleratiora, quàm quæ vel me deceat hîc commemorare, vel de homine obscuro talia in vulgus spargere. Quorum tamen omnium architectus & commendator est, & hactenus fuit Cartarus iste, quem nunc reum peragimus, quod ex eius vita nullo negotio intelligetis. Fuit hic, vt satis constat, primùm quidē famulus Caroodi viri non solùm hac hæresi infecti, verùm eidem quàm maximè addicti: deinde idem Doctori Harpesfeldio proditori nobili inseruiuit, eiusq; Amanuēsem egit, librosq; seditiosos scripsit, quos post heri obitum abscondit, secumque asportauit, donec tandem adhibita diligentia quæsiti & inuenti sunt; inter hos & Harpesfeldij historia est, in qua nonnulla seditiosè scripta sunt, quęque Reginæ salutem produnt: est & alius pestilens quidam liber, pro defensione Reginæ Scotiæ inscriptus, vnà cum Historia Genebrardi multa lectione egregiè attrita, quamuis ea sit seditiosissima, quippè quæ probet impias & ter execrandas Pij Quinti literas; vbi verò agit, quemadmodū Regina ad Regiam dignitatē euecta sit, eam nominat Elizabethā Boulenam, nomē ei matris asscribens; tacitè nimirum indicans eam thoro minimè pudico natam, sic enim loquimur, cùm quē legitimè natum non esse volumꝰ significare. Quibus ex omnibus videtis quàm scelerata fuerit hominis retroacta vita. Verùm vt ad proditionem, cuius agitur reus, propiùs aliquandò veniamus, diligenter obseruandum, quòd seditio-

Hæc è cerebro Caluiniano figmenta deprompta sunt.

seditiosum admodum librum, cui titulus, Tractatus quidā de schismate, typis excudi & in lucem edi curauit; qui quidem liber eò in apertum prolatus est, quò eius lectione subditi Regię Maiestati subesse deinceps recusent, seditionem adferant, & neci Reginam dare non pertimescant. Sin autem scire desideratis, à quo, & cui scriptus sit, quidque tractet, paucis aperiam. Habet is liber auctorem Gregorium Martinum perduellionem celebrem eumque Anglum, qui partes Norfolciæ Ducis, cui caput præcisum, secutus est, inde ad Seminarium illud proditorum ac perduellium confugit, vbi multa contulit cum Francisco Engelfeldo equite aurato Anglo, homine perfidissimo, & ob proditiones celeberrimo. Postea Licentiam, vt vocant, Theologiæ accepit, atque ita Licentiosus ista licentia factus Martinus hanc tumultuosam & seditionis plenam de schismate tractationem & scripsit & vulgauit; quam tamen priùs sua manu confirmauit Doctor Gulielmus Alanus proditor nefarius & vniuersę Anglię nimiùm notus. Est autem is liber nostris Anglis proditoribus, qui nobiscum agunt, dicatus & donatus. Authoris porrò ea mens est, eoque refert omnia, partim vt Regiæ Maiestati subiectos à parendi studio auocet, eosq; tumultuosos & seditiosos efficiat, partim vt ipsa Regina tollatur è vita. Primū verò vt assequatur, affirmat subditis nequaquàm licere cum Regina cōmunicare in ijs, quę vel ad officiū diuinū, vel ad sacramentorū participationē spectant, quòd ea oīa schismatica sint, & ab Ecclesiæ Catholicæ more prorsus aliena, licèt Angliæ legibus in speciem pijs confirmentur. Ego, vt verum fatear, cum multis huius farinæ hominibus egi, neque tamen adhuc audire contigit, in nostro libro rituali, ex quo diuina peraguntur, inesse quicquam, quod in repræhensionem venire posit; quòd omnia vel sint scriptura sacra, vel ex scriptura, aut ex libris eorum desumpta, nisi fortè, quòd à Romano Pontifice non sit liber auctoritate donatus. At verò Pontifex Romanus hunc librum probaturum, eiusque vsum confirmaturum se recepit, si eò sese Regia Maiestas demittat, vt Pontificis authoritatem admittat: non est igitur, quamobrem isti tantoperè contendant à subiectis, ne in Reginæ authoritate esse, ne sacris de more nostro celebrandis, ne sacramentorum administrationi interesse vllo modo velint. Aliquandò huius scholæ hominem interrogaui, quid ita cœtus nostros refugeret, cur Ecclesias non adiret? à quo id responsi tuli, tria illa verba Cruci Christi affixa, Latinè, Græcè & Hebraicè fuisse scripta. Roganti deinde mihi,

quis illum titulum cruci affixisset?Iudæi, inquit, & scripserunt, & affixerunt:tum ego, vestram ergo religionem, Iudæis acceptam refertis.

Ille verò se hac oratione conclusum videns ad Pilatum confugit, asserens eum scripsisse. At hoc est, dixi ego, Religionis vestræ fontem agnoscere Pilatum. Hic à Pilato deinde ad Ecclesiam se transtulit, affirmauitque illa verba ab ipsa fuisse Cruci-affixa. Quod in ipsum mox retorquens: Hinc,inquam,efficitur Ecclesiam occidisse CHRISTVM, etenim qui titulum scripsit, CHRISTVM etiam cruci affixit.

In has animi angustias ille coniectus religionem causatus est dicens religioni sibi esse, eas Ecclesias, in quibus omnia schismatico more & prophano peragantur,accedere. Ad hæc interrogaui, num aliquo sui ordinis Sacerdote in nostro templo sacrificante, eodem accedat? negat. Quid si, inquam, è nostris ministris more vestro rem diuinam agat, eóne venturus? minimè, ait, præsertim vestrum hominem esse si norim. His & generis eiusdem ludicris ridiculisque rationibus vtuntur, si rogentur, quamobrem nostras Ecclesias non adeant.

Iam verò eorum, quæ paucis è libro hoc prompturum me dixi, extremum est, vt quis auctor neci Reginæ tradendæ, aperiam; verùm planum id est vel ex eo,quòd nobilibus fœminis Anglis Iuditham, quæ caput Holoferni ademit, proponat exemplum (hic iterata sunt verba superiùs asscripta.)Quid enim per Holofernem,nisi Reginam,quid per Iuditham intelligit,nisi eos omnes,qui eius oratione adducti in necem Reginæ conspirant? Id nuper sceleratus ille Someruilus tentasset, nisi, quibus furijs in caput & vitam Reginæ agebatur, ijsdem antè sibi fauces laqueo fregisset; is fassus est eam se cogitationem in Clementissimam suam Principem ex istiusmodi librorum lectione cœpisse.

Et verò adeò perspicuum est hoc Iudithæ & Holofernis exemplum, vt vel nullo interprete rudiores de Regina capiant, vixque aliorsum accipi poßit. Id enim auctor libelli exoptat, vti Catholicæ nostræ, ac nobiles fœminæ in Holofernis capite auferendo nequaquàm Iuditha segniores existant, Quod obsecro caput à Catholi-

tholicis fœminis excidendum aliud, quàm Reginæ caput? Dæmonis, inquiet Cartarus, nam eo nomine se excusando nos ludere voluit. Quid verò tàm inauditum, quàm Dæmoni caput auferre, dæmonem occidere? Neque tu Cartare poteras hæc ignorare, qui minimùm quinquies ea ipsa relegisti antè, quàm in vulgus proferres. Liber enim, vt vides, exiguus est, paucaque folia continet: tutè prætereà fassus es, characterum ordines quatuor desiderasse, vt proinde necesse fuerit ad singulas paginas typos compositos dissoluere, quod sanè laboriosi est, diligentisq; lectoris, suasquoque ordine literas locantis & distrahentis. Citiùs namque quinque schedas exararo, quàm vnam typis mandaro.

Hic ad Christi Confeßorē se cōuertit furiosus orator.

Adde, eum ipsum librum iam excusum à te mendis esse purgatum, qua in re negligens esse non potuisti, necesse vt sit agnoscas minimùm quinquies te librum, antequàm prodiret in lucem, relegisse, ac proinde ignorare non potuisse, quid in eo ageretur. Sed & ipse interrogatus affirmasti typos te collegisse, singulas schedas excudisse, correxisse, & ad duodecim millia exemplarium expedisse, quanquàm hunc posteà tantum numerum ad mille duntaxàt reuocasti; hęc autem omnia nónne plus satis arguunt, animum tuum Reginæ salutis proditorem? Denique vsus es, ijs in libris distrahendis cuiusdam opera Cooperi; si negas, tua ipsius confeßione ego probabo. Verùm hæc omnia integritati & iudicio duodecimuirûm diligentiùs examinanda relinquo, vt pro rei grauitate, quod æquum est, sentiant & iudicent. Hactenus Northonus.

Crimina obiecta Cartar' refellit.

Adhæc Cartarus: Multa, inquit, Northone hac benè longa accusatione à te congesta sunt, quæ me omninò ad hanc horam latuerunt, quæque ad id, quod agimus, nihil faciunt: cuiusmodi sunt Pij Quinti literæ, Iesuitarum coniurationes & Sacerdotum, proditiones patriæ & Principis, quibus criminibus me affinem esse omninò nego, nec mortalium quemquam esse arbitror, qui horum alicuius verè me insimulare poßit.

Fateor verò ingenuè me librum de schismate in lucem edidisse, neque tamen hoc scripto Regiam Maiestatem læsisse aut lædere voluisse. Nam quòd te offendit nomen Holofernis, non ego Reginam, vt tu calumniaris, sed peccatum & Dæmonem accepi: atque hanc meam & non aliam fuisse mentem DEVM

ego teſtor, cui ſum rationem de his omnibus extremo illo iudicij die redditurus, quemq́ue omnium mearum cogitationum iudicem agnoſco, niq́ue ita ſit, vt loquor, diris me meumq́ue caput deuoueo. Ne verò aliquam duodecimuirûm animis religionem oblatam non exemiſſe videar, quoniam ijdem de me ſententiam laturi ſunt, de eodem libro pauca dicam. Eſt is liber eo animo à me ſcriptus, excuſus & in lucem prolatus, quo ij ſchiſmatici, qui communionem habent cum ijs, qui à ſua veraque religione ſunt alieni, ab hoc errore ſuo ad vnius Eccleſiæ Catholicæ cultum obedientiamq́; reuocarem. Hoc libri argumentum ēſt, eò exempla referuntur allata, eò diuinis è literis prompta teſtimonia ſpectant; non autem vt Reginę parendi voluntatem cuiuſquam alienarem, qua in re quis obtemperare debet. Sed vrget D. Northonus, Iudithæ & Holofernis exemplū. Ego verò, vt antè affirmaui, ita conſtanter ego nunc dico, non eò à me adductum, quaſi quemquam à Principis obedientia cupiuerim auocatum, aut ad ei vitam eripiendam excitatum; verùm quòd optarim homines à ſchiſmate & peccato abductos, vt cæteris patet exemplis ibidem à me allatis, vt de ſchiſmatę Ieroboam & decem tribuum Iſrael, de Elia & Elizæo, Oſea & Amos; qui licèt inter decem tribus ſchiſmaticas viuerent, vt eas verum Dei cultum & religionem docerent, nunquàm tamen ſacrificia cultuſq́ue alios cum illis communes habere voluerunt, ſed ab ijs quoad fieri potuit, omnes auocarūt. Hinc Amos 5. & Oſeæ c. 4. dicitur: *Nolite ingredi in Galgala, & ne aſcenderitis in Bethauen*; fuit autem Galgala templum Idolorum. De Tobia, qui cæteris aſcendentibus in Bethel vitulum adorare, ſolus aſcēdebat Hieruſalem adoraturus in templo Domini, nec vnquàm polluebatur cibis aliorum. Quibus exemplis id ſolùm commendatur, & proponitur imitandum, quod ad Idololatriam & impium cultū fugiendum ſpectat, quemadmodùm & in ipſo Iudithę & Holofernis exemplo, quod tantoperè in mei & inuidiā & perniciē trahitur: cùm tamen hoc toto triennio, ex quo hunc me librū euulgaſſe faſſus ſum, nihil quod contra me faceret, inde vnquàm ab aduerſarijs potuerit excerpi. De me, Deo teſte, vt antè, dico, eam mihi mentem, huncq́; ſenſum fuiſſe, Holofernis nomine Cacadæmonem ſcelusq́ue deſignare: quod genus Allegoriæ Theologis eſt non infrequens. Et verò, niſi mea me fallat opinio, non poteſt alius ſenſus ex eo libro erui, cùm ibi & prudentia & fortitudo Iudithæ laudetur in eo, quòd Holoferni pręciderit caput, quod facinus tàm præclarum vt nobiles fœminæ

Tob. 1. cap.

minæ imitentur,idem liber hortatur, fuerit autem summum scelus, non animi virtus,maxima imprudentia,non sapientia Reginam velle de medio tollere:quòd si quem ita in eam animatũ nossem,Deum testor,cum vltrò proderem. Adhæc Holofernes non ipse Rex, sed Princeps militiæ Nabuchodonosoris; sed neq; Juditha illi subiecta, quo fit vt minùs appositè notent Reginam,sibiq́ue subiectos.Denique dicuntur in eo libro nobiles virgines, quæ Catholicè non educantur, in periculo versari, ne ab Holoferne, eiusq́ue ministris iniuriam capiant, quod in Reginam aut Protestantes minimè conuenit:qui namque cum his vitę societate iunguntur,& à periculo & omni damno absunt, quare de peccato & scelere sunt ea verba capienda.Quod porrò D.Northonus premit,ne quid ignoratione fecisse videar, eundem librum quinquies me lectitasse:dico,licèt quingenties illum euoluissem, non posse tamen,aut potuisse aliter aut intelligere aut accipere,atq; modò aperui,quapropter rem totam vt cognoscatis,vestra fuerit religio, de me quod lubet, statuere potestis. TumNorthonus:Benè longum,(inquit)sed inanèCartarus instituit sermonem, quo quamuis sese purgasse videatur, re tamen vera si altiùs expendatur, nihil dixisse videbitur. Etenim, quod principio sanctè affirmauit,non alio,atque à se modo exposito Iudithæ & Holofernis exemplum accepisse, nostrûm non est, quid ad se purgandum nunc adferat,sed quid verè dictum sit,considerare. Neminem namque arbitror esse tam hebetem, qui non ad sceleris sui defensionem facilè quid excogitet. Sed & multarum literarum expertes, & imperiti,qui in hunc locum incident, nunquàm has allegorias cogitabunt,quibus Cartarus ait Diabolum occidi, caput ei præscindi, eius asseclas prosterni & fugari, & id genus alia. Insuper cætera licèt exempla, quæ ibidem in medium adferuntur,de schismate & impio cultu vetando intelligantur, hoc tamen non euincit eodem pacto Iudithæ capiendum exemplum:neque valet, quod Cartarus ait, eos, qui cum Regina & Protestantibus versentur,periculo carere,nullaq́; à suis iniuria premi.Sat namq; fuerit nobis, vt quod volumus,euincamus, si ipsa similitudo,quamuis in reliquis differat, saltem vel in vno consentiat,quod patet exemplis.Regnum cœlorum grano sinapis comparatur, non quidem in omnibus, sed in eò duntaxàt, quòd quemadmodùm exiguum semen crescit in arborem proceram; ita Ecclesia Christi,cuius initium tenue & exiguum,magnis incrementis postmodùm aucta est:qua solùm in re ipsa similitudo consistit &

Northonus excusationem Cartari refellit.

absoluitur, non item in reliquis eandem vim obtinet: neque enim dicas regnum cœlorum esse nigrum, quòd granum sinapis sit nigrū.

His ita dictis vel potiùs interruptis in pedes surgit Elmerus verbi Minister Londinensis, homo parua eruditione & modestia; sed egregiè improbus & proteruus, iste verò sic exorsus est: Video, (clarissimi viri) hunc hominem & nostro tribunali & vestra hūmanitate suis nugis & ineptis sophismatibus abusum esse, quamobrem mihi constitutum est paucis de ipsius vita & moribus dicere. Priùs tamen quàm ad dicendum aggredior, sanctè affirmo tibi Cartare, me nō eò hæc dicere, quasi tuę vitæ insidiatum velim, aut reddere Duodecimuiris exosum, vt qui antè ne sciuerim quidem te hîc à me vidēdum, nec suspicatus sim talia, quæ modò in te dicta, in medium afferenda.

Alloquitur Cartarum.

Primum itaq; (viri clarissimi) homo iste semper seditiosus habitus est, & ad tumultus clàm excitandos admodùm paratus. Nam & ad me frequenter, nec non ad quosdam commissarios Regios delatus, nostra pro humanitate leuiter punitus abire iussus est, qui nunc quoque impunè abire posset, si suorum verborum memor & factorum, se legibus Regni communibus obnoxium esse profiteretur, verùm ita suum semper animum ad moliendum proditiones adiecit, vt, si spectemus annos, possit videri omnem in ijs ætatem suam consumpsisse. Principio quidem famulatus est seniori Ioanni Caroodo, viro cæteroquin honesto, sed ob religionem admodùm suspecto, quòd ea infectus esset. Deinde ad D. Harpesfeldium se contulit, hominem & mihi benè notum, improbum, suæ opinionis tenacissimū (cum quo mihi vehemens publicè concertatio fuit, quo anno primùm Maria regnare cœpit.) Huius Amanuensis fuit iste Cartarus, nec solùm scripsit libros, quos dum viueret, edidit in lucem, verùm etiam vehementer elaborauit, vt post obitum sui Heri eius scripta in vulgus manarent. Præterea clàm Papistarum libros typis mandauit, (nam in eum vsum duo sibi retinuerat præla, quę post diligentem inquisitionem ablata sunt,) quibus libris vulgus ad seditionem inuitabatur: neq; verò improbus hic vllo modo potest docere à se vnquàm bonum aliquem librum typis excusum.

Memini olim ad me quendam librum pestilentissimum perlatū esse, quo Reginæ Scotiæ gesta defendebātur, hic autem liber, sub huius Sycophantæ ceruicali repertus est: quem cùm perlegissem, iniecta animo religio est, eum nec ne bona fide seruare possem, quem sanè retinuissem nunquàm, nisi eiusdem seruandi grauissimus quidā

Consili-

Consiliarius author mihi fuisset, affirmans iuste officij mei ratione me facere posse. Septem sunt anni cùm in hac cathedra Episcopali Ecclesię Londinensis ago, sed adeò multa de hoc improbo intellexi, vt, si tempus pateretur, aut non satis iam multa in eum dicta essent, possim ego cuiusq; anni viginti minimùm flagitia proferre, quod non obscurè, si paulò diligentius obseruastis, eius peruicax ingenium ostendit. Etenim in hac tota sui purgatione, præter verbosa, vana, seq; digna sophismata & verborum ludibria, nihil omninò quod ad rem faceret, in medium protulit, quod fortasis illi condonandum, quod hîc de capite & vita sua agatur.

Et quoniam fallacias duntaxàt texere, hoc iudicio vestraq́; patientia abuti mihi visus est, paucis ad ea, quæ sui purgādi causa dixit, ipse respōdebo. Negat exemplum Iudithæ atq; Holofernis de Regina intelligi posse, quòd qui conuenienter legibus in Anglia viuunt, & quandam cum Protestantibus habent cōmunionē, securi sint, nullaq; ijs vel à Regina vel ab eius ministris iniuria fiat, & hæc quidē speciosè dicuntur; verū si quò res spectet, attendamus, nullo negotio ipsam proditoris artem agnoscemus. Totius libri argumentum est de schismate, qua voce vel diuisio vel separatio ab Ecclesia Christi notatur, quo fit vt Iudithę exemplum & quę eodem libro continentur, omnia eò referātur, vt caput Reipub. Anglicanæ à mēbris separetur, subiectorumque obedientia & religio, à Reginæ religione dissideat, quòd si absq; capite corpus esse nequit, tum nos qui corpus constituimus, ex huius libri sententia schismatici sumus, sed & eodem modo caput, schismaticum sit oportet.

Quamobrem, viri honoratissimi atq; clarissimi, vos pro vestra prudētia iudicate, vtrum in re tam perspicua dubiū esse posit, sit nécne Cartarus ex legum præscripto perduellionis reus. Præterea cùm neget Holofernem regē fuisse, qua id authoritate neget, audire velim, aut etiam sicubi id legerit. Regis vices obijsse satis constat, quemadmodùm & nos Reginæ partes hîc obimus. Non ero vobis prolixiùs differendo molestus, ita hæc à me de huius Sycophantæ vita in medium allata sunt, vt intelligatis, nisi huic malo occurratis, fore, vt hactenus semper, sic deinceps talia facinora perpetrare non desinat.

Ad ea Cartarus: Longè abest hęc oratio (R. Domine) ab ea modestia & lenitate Christiana, quā hæc tua dignitas præ se ferre deberet. Non enim decet tàm grauem Episcopi personam, hoc in foro & tribunali istiusmodi habere sermonem, quo vel in odium trahar, aut vitæ discrimen iniuria subeam. Qui porrò libri dicuntur à me sæpiùs aut

semper

ſemper recuſi, ſi quiſquam eſt mortalium, qui doceat ex eo tempore quo captus ſum, me eos denuò typis mandaſſe, aut prælum habuiſſe, nolo capiti meo parcatis, mori non recuſo. Hîc Procurator generalis, qui etiam pro tribunali tanquàm commiſſarius & Iudex delegatus ſedebat, Cartari ſermonem interpellans, adiecit hunc librum de ſchiſmate, Anglicè à proditore patriæ ſcriptum, à proditore confirmatum, & proditoribus Anglis dedicatum eſſe; neque aliam certè ob cauſam, quã vt ſubiecti & à Principe alienentur, & ab obſequendi voluntate retardentur. Ad hæc ita Cartarus reſpondit, vt affirmaret authoris eam voluntatem fuiſſe, vti Anglis ſuaderet, ne hæreticorum ſacris intereſſent, néue ipſorum ſacramentis participarent. Et generalem Procuratorem compellans: Noſtrûm eſt, ait, Cartarus, vidèré, vt cæteri hoc exemplum intellexerint, non quemadmodùm tu illud interpreteris, taceo tuam interpretationem ſenſu carere, qui dicis abſciſsionem capitis Diaboli ſtuporem allaturam aſſeclis eius, quin contrà mors sereniſsimæ Reginæ, ſi ab hominibus migraret, ſtuporem adferret omnibus bonis ciuibus atque ſubditis, neque eſt quiſquam qui dubitet. Vix finierat, cùm Scriniarius, qui & iudex aſsidebat: Nunquàm, ait, legi diabolum occiſum vel ſubmerſum, quamuis immiſſum in gregem porcorum, qui præcipites in mare abierunt. Verùm ex Iudicum reſponſis quid illi ſentirent, facilè coniectans Cartarus, Benè, inquit, habet, Deus mihi ſit propitius, ſatis veſtra ex oratione intelligo, me extremum ſuppliciũ manere. Tùm Magiſter, qui iudex etiam erat, rogat, num Cartarus probet librum nec ne? quo reſpondẽte ſe probare, Scriniarius mox duodecimuiros alloquens: Audite, ait, vos iurati & tu pręcipuè, qui primas tenes, aduerte hũc illũ ſeditioſum & ſeditionis plenũ librũ probare. Ne verò ab his nihil dictũ eſſe videretur, primarius Iudex & quidam Schuttus, virum beatum interrogant, cuius caput à Iuditha, eiuſque pediſſequa ſit elatum, reſpondet, Holofernis: tum illi, benè eſt; ex tua ergo ſententia caput alicuius efferendum. Tandem ſupremus loci communis Iudex Anderſonus: Hæc, ait, peregrina tua interpretatio ſi habeat locum, liceat tum vobis ſcribere, quamlibèt ſeditioſiſsima, eaque pro arbitrio modò in hanc, modò in illam ſententiam detorquere. Quęlibet etiam explicatio veſtra licèt vaniſsima & ſtultè ficta, cuiuſmodi eſt ſomnium de Purgatorio, pro vera tamen & iuſta ſit habenda, cui quiſquis tandem aduerſetur, aut aliter quàm vos accipiat, hæreticus ſit atque ſchiſmaticus, & à veſtra communione ſeparandus,

randus, quæ quàm ſint abſurda, & nulla ratione toleranda, nemo non videt. Hæc & id genus alia quamplurima cùm Anderſonus Iudex, ſimul & teſtis & accuſator in Chriſti martyrem dixiſſet, ei loquẽdi poteſtatem dedit, qui in hunc modum reſpondit: Tua verba, honoratiſsime Domine, non tàm præiudicium, quàm ipſum iudicium eſt, & ad ſententiam ferendam duodecimuirûm animos acuiſſe vidētur: quos, quemadmodùm Deo viſum fuerit, vt de meo capite decernant, nihil moror; veniet aliquandò illud tempus, & illuceſcet ille dies, quo mihi, illis, cæteriſque omnibus coram iudice Deo huius rei, vt & aliarum ratio reddenda erit. At verò Scriniarius ſuum diutiùs furorem, perturbatamq; mentem comprimere non valens, Heus, exclamat, heus bone vir, num tu hûc adductus es, vt agas concionatorem? His ita peractis Duodecimuiri in iudicium ire iuſsi, de cauſa Cartari cognituri, qui intra horę quadrantem reuerſi, ſanctum virum mortis reum pronuntiarunt: intereà Cartarus expiat ſua peccata apud Sacerdotem, qui vnà pro tribunali aſtabat, eundem vitæ exitum expectans. Hoc ergo modo Chriſti martyr iniquè damnatus primùm ſuſpendio, deinde viſcerum auulſione mortalem hanc vitam cum immortalitate commutauit, palmã verò martyrij adeptus eſt tertio Idus Ianuarias, Anno ſalutis, 1583.

MARTYRIVM DOMINI
GEORGII HADDOCI.

GEorgius Haddocus nobili loco natus fuit in prouincia Lancaſtriæ. Eius pater, poſt mortem vxoris, mari tranſmiſſo, Duacum ſe contulit: vbi, licèt ætate confectus, bonarum literarum ſtudia repetijt, ac demùm ſacris initiatus in Angliam reuerſus eſt, & magno cum fructu per aliquot annnos in vinea Domini laborauit, vitamque in ijſdem ſanctiſsimis laboribus tandem finiuit.

Pater Martyris vir nobilis, ætate cõfectus, mare transmittit Duacum, ſtudia repetit, fit Sacerdos, & demùm in Angliam reuerſus ſtrenuè laborat in vinea Domini vſq; ad mortem.

Et quemadmodùm ſatagebat pius ſenex, vt omnes homines ſalui fierent & ad agnitionem veritatis venirent, ita præcipuè in eam curam incumbebat, vt filij quàm optimis & moribus & diſciplinis imbuerentur. Eaque de cauſa Georgium, & cum eo Ricardum natu maiorem (qui nunc etiam Sacerdos eſt, doctrina & morum grauitate

Ll admo-

Pi? senex filios trāsmisit Duacum, vt Catholicè instituantur.

admodū venerabilis) Duacū misit, vt eo in loco Catholicè educati, auiti non solùm patrimonij hæredes, sed & pietatis successores fierēt.

Martyr noster Georgius Romā petit.

Georgius igitur, cùm Duaci bonarum literarum & pietatis studijs aliquamdiu incubuisset, Magistrorum imperio Romam profectus est, ibique easdem studiorum rationes aliquot annos prosecutus est. Sed demùm aduersa valetudine miserum in modum conflictatus (quod iuueni ex noxia illa cœli intemperie & inusitatis caloribus obueniebat) cùm iam sacrum Diaconatus gradum suscepisset, relicta vrbe in Franciam concesit: ac Remis Sacerdos effectus, continuò in Angliam redijt, vt pro suscepti muneris ratione animas Christo lucrifaceret.

Redit in Frāciam, & fit Sacerdos Remis.

In Angliam reuertitur.

Atq; hoc animo iter ingressus, omnia quidem terræ, & maris & exploratorum pericula fœliciter euasit, sed demùm Londinum appulsus, & in ipsa terra constitutus, in scopulum impegit, quem minimè suspicabatur. Habitabat iuxta cœmiterium D. Pauli quidam Haukinsonus ex eadem Lancastriæ regione oriundus, eoque notus, qui eum iam olim, cùm in Flandriam profectionem meditabatur, consilio & opera iuuerat (fuerat enim Catholicus.)

Proditur ab Haukinsono, quodam ciue Londinensi.

Hunc ergò propter veterem amicitiam inuisit vir bonus, vt de multis in eum præstitis officijs gratias agat: & eundem hominem esse ratus, quem reliquerat, narrat ei fidenter de omnibus, quæ acciderant, de itineribus, de periculis terra mariq; superatis, de studijs Duaci & Romæ susceptis, de afflicta valetudine, de reditu, de Sacerdotio; quo animo in patriam redeat, quorum hominum consuetudine & hospitio vtatur.

Haukinsonus verò, qui eandem adhuc personam, sed longè aliū gerebat hominem, cùm ab eo elicuisset, quæ ad fraudem struendam opportuna esse videbantur, clàm egit cum Norricio & Sledo, duobus vtiq; pessimæ notæ sycophantis, ex eo hominum genere, quos Pursuiuantas appellant, vt prope domum ipsius præstolarentur, & in sacerdotem foras prodeuntem manus inijcerent. Quod illi confestim promptissimè fecerunt, & captum abduxerunt in templum D. Pauli, quod non procul erat.

Comprehenditur à duobus Sycophātis.

Quo in loco accesit ad eum quidam Caluinianæ sectæ Minister, & cum eo alijs atque alijs de rebus aliquamdiu disputationem inire voluit. Ac demùm post multa verba vltrò citroque habita, communi omnium consensu illi concessum est, vt, si vellet Papę renuntiare, abscederet, quocunque liberet. Quod cùm ille se facturum constantissimè

Libertas ei offertur, modo velit Papæ renūtiare.

tissimè negaret, hominem rectà ad eam domum ducebant, in qua cibum sumere solebat. Vbi & alium quendam Sacerdotem D. Arthurum Pittum repererunt in prandio, & vnà cum illo vescentem D. Gulielmum Ginisonum iuris municipalis studiosum. Erat verò D. Pittus Sledo statim agnitus, nam Romæ eodem tempore, hic bonis literis, ille malis artibus studuerant. Itaque manus sacrilegas primùm in Pittum, deindè & in Ginisonum (ne Sacerdotes incomitati incederent) inijcientes, omnes Pophamo aduocato regio sistendos abducebant. *Duo alij capiuntur, Pittus Sacerdos, & Ginisonus Laicus.*

Intereà verò temporis, dum Pophamus expectabatur, confluentibus vndiq; Templarijs, qui in illo collegio legibus Anglicanis studebant, ad vnam ferè horam acriter vtrinq; disputatum est in causa religionis. Quo temporis spatio quemadmodùm omnia erant in Haddoco insignia, ita duæ res in eo conspiciebantur valdè illustres. Altera erat in professione fidei Catholicæ studium planè accensum: altera, rara quædam animi humilitas, qua rerum omnium, quæ in medium afferebantur, definitionem & iudicium non sibi, sed Domino Pitto ætate & exercitatione prouectiori summa cum modestia semper deferebat. Demùm accedente Pophamo in hunc ferè modum examinatus fuit: quemadmodum ipse posteà à quodam concaptiuo rogatus scripsit. *Examinatur à Pophamo aduocato Regio.*



LITERÆ D. HADDOCI AD QVENDAM CONCAPTIVVM de examinatione sua.

PAx tecum. Breuitèr, quod ad examinationem meam attinet, interrogabant me, quisnã essem. Respondi, me sacerdotẽ esse.

Quærebant, quo patre natus essem. Indicaui.

Quo loco esset Pater. Respondi, eum vita excessisse.

Quo loco vita excessisset. Respondi, me nescire.

Tum illi: mentiris, aiebant. Respondi, me non mentiri.

Quamdiu in regionibus vltramarinis versatus fuissem. Respondi, octo annos.

Quibus in locis fuissem. Respondi, me Duaci quatuor annos, Remis tres menses, ac Romæ tres & ampliùs annos transegisse.

Quibus rebus ijs in locis studuissem. Respondi, me Duaci grammaticæ, Romæ dialecticæ ac philosophiæ & ad sex menses Theologiæ operam dedisse.

Quo loco Sacerdos effectus essem. Respondi, Remis.

Quamobrem non etiam Romæ. Respondi, eò quòd propter afflictam valetudinem coactus fuissem vrbe relicta aliò migrare.

Quodnam esset illud iuramentum, quod in collegio Romæ proponebatur. Respondi, vt pontifici Romano obtemperaremus, sacerdotes fieremus, & in Angliam concederemus ex mandato superiorum.

An ego illo me iuramento obstrinxissem. Respondi, me fecisse.

An ego eam ob rem in Angliam redijssem, vt præstarem. Respondi, nòn quidem immediatè, sed sanitatis recuperandæ causa.

An pœnitentes absoluere possem. Respondi, me habere absoluendi authoritatem.

An Missam celebrassem, ex quo veneram. Respondi, me non celebrasse.

Quo loco hospitaretur Pittus. Respondi, me nescire. Mentiris, aiebant.

An iurare vellem. Respondi, me nolle.

Ergò nosti, aiebant. Respondi, me non nosse. At nos, aiebant, efficiemus, vt indices.

An pater meus rei pecuniariȩ sollicitator esset seminario Remensi. Respondi, fuisse. Imò verò, inquiebant, nos probè scimus ita esse: &, si in manus nostras venerit proditor, faciemus, vt etiam sentiat.

Quo loco frater meus esset. Respondi, me nescire.

An is paterno munere fungeretur. Respondi, me non putare. Vbinam esset. Respondi, me nescire.

Quo hospitio vterer Londini. Respondi, & domum & hospitam de nomine notam esse Norricio.

Quis me eò duxisset. Respondi, me de nocte eò venisse, cùm priùs totam Holburniam peragrassem, nec vllum reperissem hospitium.

Quo modo in Pittum incidissem eo in loco. Respondi, me fortè fortuna eum ibi reperisse in prandio, cùm Sledo & Norritio comitatus eò adueni. Mentiris, aiebant.

Quos Sacerdotes in vrbe Londinensi conuenissem. Respondi, nullos. Mentiris, aiebant. Respondi, me non mentiri: nec enim per

tempus

tempus quærere eos potuisse, eò quòd tàm serò aduenеram.

Quid egissem cum D. Toronlæo in Porta, & cum consanguineo meo D. Herscheto in Fleta. Respondi, me eos accessisse, vt viderem, quo modo se haberent. *Nomina carcerum.*

Quas res illi retulissent mihi. Respondi, eos nihil retulisse mihi, nisi de morte patris.

Quæ xeniola ad eos misisset Doctor Alanus. Respondi, nulla.

In quem locum ab ipso destinatus fuissem in Anglia. In nullum, respondi: eò quòd significassem illi, me ædes paternas aditurum esse. Mentiris, aiebant.

Quid diceretur de morte P. Campiani & sociorum. Respondi, dictum fuisse passim, quòd iniustè morte affectus fuisset, hominesq; per vniuersam Franciam vehementer inuectos esse in tyrannidem Reginæ: ac regem Franciæ permisisse, vt typis excuderetur Parisijs, & per plateas & vicos proclamaretur.

Quinam libri sub prælo essent Remis atque alijs in locis. Respondi, me nescire. Mentiris, aiebant.

Quænam proditiones tractarentur in Reginam & regnum. Respondi, me nescire.

Quandò Vvestmerlandiæ comes venturus esset in Angliam cum exercitu suo & bulla Papali, vt Reginam apprehenderet & igne cremaret. Respondi, me nescire. *In abominationibus suis anima eorum delectata est. Vnde & ego eligam illusiones eorum & quæ timebant adducam eis, Esa. 66.*

Quandò Papa plures adhuc viros ex vrbe in Angliam missurus esset. Respondi, me nescire.

Quinam Iesuitæ Roma profecti essent, vt in Angliam venirent. Respondi, me alium neminem rescire, nisi P. Parsonium. Tum illi mihi nomina aliorum quinque descripta ostenderunt, Holti, Parkinsoni, Fonti, Haiuodi, & cuiusdam Hispani.

Quot essent Romæ studiosi in collegio Anglicano. Respondi, sexaginta. Exegerunt nomina, dedi aliquot nomina. Tum illi schedulam deprompserunt, quæ omnia eorum nomina complectebatur.

Vbi esset Parsonius. Respondi, me nescire.

An ipsum & Campianum Romæ vidissem. Respondi, me vidisse.

Quibus de rebus ibi consultassent. Respondi, id inferiorum ordinum viros (qualis ego eram) latere.

Quid existimarem. Respondi, me existimare, quòd de profectione in Angliam consultauerint.

An illud sanctè iurare vellem. Respondi, me velle.

Quamdiu Campianus in collegio fuisset. Respondi, ad vnum & alterum diem.

Quot conciones habuisset, & quot concionibus ego interfuissem. Respondi, me nulli omninò concioni interfuisse, eò quòd ægrotarem: sed ab alijs accepisse, quòd vnam habuerit.

His dictis, imperarunt mihi, vt scriberem nomina omnium, tàm eorum, qui in seminarijs Romæ & Remis viuerent, quàm etiam Sacerdotum omnium, quos nossem in Anglia. Dixi, Remis non multos mihi notos esse, eò quòd illo in loco exiguo admodùm tempore moratus, non in collegio sed in vrbe hospitatus fuissem. Aliqua tamen eorum nomina scripsi: tum & eorum, qui in Anglia sunt, ad viginti nomina dedi, sed duobus aut tribus exceptis, omnes in carceres iam coniecti erant. Hactenus ex literis S. Martyris.

Scurrilitas Caluiniana in sene inueterato, Consulari tamen viro & regni Thesaurario.

Cùm in hunc modum examinatus fuisset, nocte illa ad Portam carcerem vtique viciniorem, ac postero die ad Cameram stellatam perductus fuit, vt Cicilio magno regni quæstori sisteretur. Qui iuuenem & in ipso ætatis flore cernens, quasi per iocum: Elegantem, inquit, Sacerdotem, idoneũ profectò, qui adolescentulam aliquam complexetur. Sed castus Dei Sacerdos huiusmodi verba scurrilia, licèt in regno Veneris non ineptè, tamen in sacrum munus suum & à viro consulari impiè omninò dici existimans, cum sancta quadam indignatione: Minimè verò, inquit; hęc magis in Martinum Lutherum quadrant & sectæ vestræ symmystas, qui ex professo omnem vitæ intemperantiam & impuras libidines sectantur.

Martyris libertas planè Christiana.

Magna pōpa ducitur sācti ad arcē Londinensem.

Ob quam eius responsionem & alia quædam, quæ ab eo deinceps cum Christiana planè libertate dicebantur, arci Londinensi addictus fuit. Quò cùm abduceretur cum magna satellitum pompa & strepitu, vti moris est, ad ciendam vndiq; plebem, vt quasi communem patriæ hostem spectent: ibat vir sanctus à conspectu concilij gaudens quidem animo. Sed & vultu ac reliquo corporis gestu tantam præferebat lætitiam iucunditatemq;, vt perfidi homines, qui hinc indè gradientem intuebantur, inconcussam animi Leuitici constantiam videntes, inuidia creparent.

Gulielmi Georgij equitis aurati furiosæ voces.

In ijs verò vnus Gulielmus Georgius, vir equestris ordinis, qui portarum custodibus & præsidiarijs præerat, cùm strenuum Christi martyrem arci iam appropinquantem prospectaret, quasi in furorem versus, sibi temperare non potuit, quò minùs in hasce voces erumpe-

erumperet(hominem excubitoribus & reliquis portarum ministris, qui eum stipabant,ostentans) videte,inquit,nequissimum tenebrionem,quanto cum fastu & arrogantia incedat.

Iam verò in arce constitutus, præter varias horridi carceris ærumnas & incommoda, multa etiam ab ijs hominibus passus est, in quorum tutela esse debebat. Nam ipse summus arcis præfectus,quem Locum tenentem vocant, certior factus de quadam non contemnenda auri summa, quam apud se habebat Sacerdos, statim exegit ab eo pecuniam,dicēs,eam (vti quidem arbitrabatur plan⁹) ad Norricium spectare:sin minùs, ipsi restituendam esse. Norricius verò sycophantarum Coryphæus, is erat,qui præfectum de pecunia certiorem fecerat:quā ille iam anteà hoc astu explorauerat. Fidem dederat sacerdoti iam capto, se permissurū, vt è manibus eorum clàm elaberetur, & liber abiret,quò vellet, si modò aliquot aureos ipsi numeraret.

Præfect⁹ arcis tollit martyri pecunias suas fraudulenter, vt facto doceat se equitem esse auratum.

Sed pecunia accepta,inspectoq; marsupio cùm aduertisset improbus sycophanta, multò maiorem esse aureorum numerum, qui superant,quam quos emunxerat, in reliquam prædam intentus, de fide data parùm pensi habens, hominem captiuum abduxit ad quæstionarios,ipse interim diligenter auscultans, in quam demùm custodiam eorum iussu destinandus esset, vt per viæ compendium, carceris præfectum adiens,ipsum de auro præmoneret,atq; ita ob officiū præclarè præstitū ad aliquam saltem prædæ partē admitteretur.

Norricij insignis fraus, & digna tāto sycophanta in spoliando Martyre.

Ac sic quidem vir innoxius, infra spacium vnius diei, præter libertatis &(vt mundus æstimat)honoris dispendium,etiam duos expertus est diuersi ordinis & notæ prædones: qui cùm hominem in sua fide positum tueri & omnes omnium hominum iniurias ab eo propulsare debuissent, ipsi contrà latrones omni grassatore nequiores effecti, etiam eo, quod iam solùm restabat, vitæ in miserijs ad tempus producendæ subsidio, hic per fraudem, ille per vim & nefas spoliarunt.

Atq;,vt hoc præfecti indignum scelus homines lateret, nec, qui iam olim equitem, nunc & turpiter auratum rescisceerent, virum sanctum in angusta quadam & semota camera conclusit,omnibusq; hominis conueniendi facultatē petentibus aditū penitùs interdixit. Quò factū est,vt ad vnū annū integrū & tres menses prꝑterquā quòd omni humana ope & solatio destitutus fuit,etiā cœlestiū mysteriorū particeps fieri nō potuerit:nisi ꝙ vnus sacerdos salutis animarū studiosus rationē excogitauit,qua sibi aditū fecit,q semel tātū admissus

Martyr concluditur in āgusta quadā & semota camera,ne alius innotesceret eius calamitas & præfecti arcis crudelitas.

sacra

ſacra eum ſynaxi communiuit. Reliquo verò temporis ſpatio ſacramentorum Eccleſiæ vſu quidem omninò priuatus fuit, ſed fructu & virtute (quod res ipſa docuit) Deo cœlitùs tribuente abundabat. Nam magnum & generoſum in Chriſto animum continenter gerebat, ad tuendam Catholicam veritatem maiorem in dies ſingulos alacritatem in ſemetipſo ſentiebat, omnes hæreſum atque errorum peſtes maiori ac perfectiori odio proſequebatur.

Quo ſtudio præfectum arcis quodam die accerſiuit, vt aliquid corrigeret, quod ab eo iam anteà in examinatione ſua ad ſex articulos reſponſum fuerat. Et quicquid tum aliquantò obſcuriùs aut hæſitantiùs dixerat timens, ne ſeſe in inſidias, quæ ſtruebantur, quaſi volens & prudens conijcere videretur, id nunc, omni verborum fuco & ambiguitate ſublata, apertè ac nudis verbis explicauit. Quòd cùm feciſſet, libellum ſua manu conſcriptum præfecto porrexit, eiuſque fidem enixè obteſtabatur, vt cæteris examinatoribus traderet: affirmans, hanc, & non priorem illam, ſuam eſſe reſponſionem, quam aſtruere & ad mortem vſque tueri volebat.

Sub mortem ſortitus eſt alium carcerem liberiorem.

Paulò antè quàm martyrio affectus erat, alium carceris locum ſortitus fuit, vbi non ea adhibebatur cuſtodia, quin aliquandò daretur aditus. Quæ res & illi opportunè & alijs compluribus vtiliter admodùm ceſsit. Nam hac occaſione fiebat, vt vir ſanctus diuina Eccleſiæ ſacramenta, frequenter (& quidem maximo cum fructu) participaret, & alij à ſacro eius contubernio redeuntes, rara quædam patientiæ, humilitatis, ac cæterarum virtutum exempla referrent.

Affligitur aduerſa valetudine.

Ac ne Chriſti ſeruo ſua crux & exercendæ patientiæ materia vllo vnquàm temporis momento deeſſet, præter omnes hominum & carceris moleſtias, quodam etiam corporis malo laborabat, quod eum dies ac noctes miſerabilem in modum torquebat. Quam ille inualetudinem Romæ contraxit, dùm ſeptem vrbis Eccleſias celebriores, pio quidem ſed importuno ſtudio inuiſere volebat.

Cùm enim iuuenis corpus ſuum ex ſacro itinere (in ipſo & ætatis & anni æſtu ſuſcepto) nimis incaluiſſe ſentiret, ſe ſtatim nimia quadam auiditate auræ amœniori expoſuit. Atque ita frigore noxio corpus vniuerſum occupante, talis ac tantus artus omnes ſtupor & torpedo peruaſit, vt, præterquam quòd erat altera corporis parte planè deſtitutus, etiam obfuſcato cerebro præpeditiſque ſenſuum officijs, cæcus propemodùm & ſurdus effectus ſit. Quo ex morbo conualuit quidem, ſed ita, vt deinceps lento quodam & continu

tinuo languore tabeſceret, adeoque ad ſolita literarum ſtudia minùs idoneus redderetur.

Quam ob cauſam, medicis ſuadentibus, vt ſolum verteret & aliã cœli temperiem quæreret, ſe primùm Remos in Campania, atque indè poſt tres menſes in Angliam cõtulit. Quo in itinere meliuſculè ſe habuit, & ob aëris temperamentum eius corpori magis conſentaneum (quem vbiuis, maximè verò in regionibus tranſalpinis hauriebat) & ob id, quòd in mari mediterraneo inter Anconam & Venetias nauigans, magnam fæculenti ſanguinis vim in grumos concretam è pectore euomuerat: qua egeſta ipſam morbi radicem penitùs exciſam eſſe exiſtimabat.

Sed ſimulatque in carcerem coniectus fuit, vnà cum inſolitis illis anguſtæ domunculæ fœtoribus & ærumnis, etiam ſolitos morbi dolores denuò expertus eſt. Tantaque fuit punctionum vis, quas frequenter vniuerſo in corpore, præſertim verò in pectore, hypochondrio & humero ſiniſtro, & coxę commiſſura ſentiebat, vt ipſa doloris magnitudo quandoq; ſudorem exprimeret, qui pòſt ad ſpatium vnius horæ integræ duraret.

Tandem, cùm in hac patientiæ ſchola tantum profeciſſet Chriſti diſcipulus, quantum, quæ hactenus à nobis dicta ſunt, rebus ipſis oſtendunt: volebat Deus, vt aliquod etiam fortitudinis ac cæterarum virtutum ſpecimen exhiberet. Cùm ergò quodam die ſacerdotes aliquot examinatoribus ſiſtendi erant, ac miniſter, qui eos euocabat, neminem compellaret, ſed tantùm iuberet, vt vnus quiſpiam ex eorum numero præcederet: cæteris omnibus non quidem pugnam, ſed primum congreſsionis locum aliquantiſper detrectãtibus, vir ſanctus Chriſti armatura munitus, ſeſe è medio proripuit intrepidè, & glaciem fregit.

Quem ſtatim ingreſſum cum multa verborum licentia excepit Flituodus ciuitatis archiuius, (vti pro more habet homo inſulſus,) multaque in eum dixit, indigna planè, quæ à nobis referantur. Ad quæ cùm ille ſic reſpondiſſet, vt inconditos cerebri turbati motus non magni facere videretur, Flituodus eam rem in contumeliam vertens, adeoque ira excandeſcens, pugnum intentauit, vt hominem cæderet. Tum ille: vtere, inquit, iure tuo. Ego enim pro fide Catholica quiduis libenti animo patior.

Cõuicijs pugnat Magiſtratus, non legibus.

Flituod' furioſus magiſtratus ſanctum cædit.

Quam eius conſtantiam cùm illi viderent, hominem omninò è medio tollendum eſſe exiſtimantes, ad quæſtiones illas iugulatrices

Quæſtiones iugulatrices.

ces continuò deuenerunt: quid de Romano Pontifice, quid de Regina sentiret: quam huic, quam illi authoritatem tribuendam esse censeret. Ad hæc sanctus Christi martyr, omni timore deposito, disertis verbis respondit, penes Romanum Pontificem summam & plenam esse potestatem vniuersæ Christi Ecclesiæ in terris administrandæ. Hanc verò sacerdotij dignitatem authoritatemque Reginæ non competere: nec enim fieri posse, vt sacrum illud munus à fœmina ritè administretur.

Martyr negat Reginæ pontificatū.

Qua eius responsione accepta, illi, vt maius homini odium & inuidiam saltem apud ipsos mundi rectores tenebrarum harum conciliarent, alijs atq; alijs eum interrogationibus denuò aggressi sunt, quibus hominem eò tandem adegerunt, vt licèt inuitus & renitens (quod ipse posteà ingenuè fatebatur) dicere cogeretur, Reginam etiam hæreticam, & nî resipisceret, æternæ damnationi obnoxiam esse.

Cogitur inuitus dicere Reginā esse hæreticam.

Examine iam finito, rediens ad suos, qui suam quisq; vicē expectabant pro foribus, in ipso quasi aditu patrem suum spiritualem reperit, virum vtiq; doctrina & morū grauitate spectabilem, qui filium è prælio perfidorum hominum reuertentem sollicitè prȩstolabatur. Ad quē statim beatus martyr clara voce & vultu sereno: Eia, inquit, pater, macte animo esto, conclusum est. Ac posteà, cùm & cæteri captiui omnes examē subijssent, & iam in reditu essent: Quàm præclarè, inquit, nobiscum actum existimare debemus, quòd de cathedra & potestate D. Petri & successorum eius hoc ipso die examinamur, quo per vniuersam Christi Ecclesiam illius Cathedræ festiuitas agitur, qua Romæ sedit, cùm vrbem Christianæ fidei & vitæ præceptis erudiuit? Atq; ad hoc tantum bonum adipiscendum suam nobis opem nescientes præstiterunt ipsimet aduersarij, Deo sic statuente, qui res humanas suauiter disponens, illud efficit, vt suis omnia in bonum cooperentur.

Gaudet martyr se in ipso festo Cathedræ D. Petri, pro Cathedra & potestate D. Petri decertare.

Lætabatur quidem vir sanctus, non solùm de morte sacra, quam sibi propediēm subeundam esse nunc certò sperabat, sed multò magis de hac ipsa mortis causa. Nam si optio ei data fuisset, vt ex omnibus disciplinæ Catholicæ capitibus vnum aliquod sibi deligeret, pro quo mortem obire mallet, de Apostolica Romanæ sedis authoritate & prærogatiua (quod est Christianæ pacis & vnionis vinculum) primo loco sibi decertandum esse existimasset. Id quod ipse & verbis sæpiùs & rebus ipsis semper testatum fecit. Cùm enim quandoque permittebatur, vt sacerdotes in eundem locum conuenirent, alijq; de alijs

de alijs rebus verba facerent, illud ferè in eò aduertebatur, quòd ab alijs libenter audiebat, & ipse alijs vicissim edisserebat, quę ad primatum sedis Apostolicæ spectabant.

Amor Martyris erga sedem Apostolicam singularis.

Sed & anteà, cùm iam solitarius omninò esset in carcere, nec cuiquam daretur aditus, illi volupe fuit, Romani Pontificis nomen & insignia calamo delineare & stilo incidere. Quod cùm quodam die fecisset in pariete loco admodùm conspicuo, ac porrò hanc inscriptionem addidisset: Gregorius decimus tertius totius Ecclesiæ Catholicæ supremum caput in terris; admonitus à custode, vt deleret: Nequaquàm, inquit; hæc res certa veritate nititur, cui etiam astruendæ ego vitam & sanguinem libentissimè impendam.

Morti addicitur.

Sexto Februarij, eodem planè die, quo ante duos annos captus fuerat, ab arce Londinensi ad curiam Vvestmonasteriensem ductus fuit. Vbi cum socijs læsę maiestatis accusatus, & postero die morti addictus fuit, quòd in necem Reginæ (vti volebant) Romæ & Remis conspirasset.

Pietas erga Sanctam Dorotheam diuam suã tutelarem.

Illud verò boni ominis loco habuit beatus martyr, quòd reus peragebatur ipso die S. Dorotheæ sacro, quam sibi iam olim in diuam tutelarem elegerat, cuius auspicijs & patrocinio sese in dies singulos suasq; actiones omnes ritè instituendas cõmendabat. Atq; hunc ille rei successum adeò faustum & ominosum æstimauit, vt in ipso breuiarij sui calendario accuratè describẽdum esse duxerit. Quem librũ postea, è corporis & animæ carcere migraturus, venerando præsuli Archiepiscopo Armacano IESV CHRISTI tunc etiam vincto reliquit.

Accepta mortis sententia, ad carcerem redijt, incredibili quadam lætitia perfusus, & ex animo gratias Deo agebat. Nunc enim sese omninò dissoluendum, & cum Christo mox futurum certò sperabat. Sed dùm hanc animo spem fouet, & quasi propior iam effectus, tota mentis auiditate ad beatum illum æternitatis portum contendit, ex insperato ventus oritur contrarius, quo timet vehemẽter, ne à littore, quò penè appulisse videbatur, ad incertas huius vitæ nauigationes denuò subducendus sit: fertur per vrbem, Reginam mutasse sententiam, nec velle ampliùs, vt quisquam morte afficiatur.

Cuius rei nuntium cùm ad eum quoque perlatum esset ab amicis, qui homini quasi ex ipsis mortis faucibus erepto congratulabantur, is contrà de terræ gaudijs parùm lætus, qui cœlum animo iam hauserat, confessarium suum adit, eique triste nuntium impertit.

Sed pater, quem filij affectus & vehemens adipiſcendi martyrij ſitis non latebat, iubet eum bono animo eſſe: nullum enim eſſe certius vitæ breui terminandæ indicium, quàm quòd talia in vulgus ſpargantur. Id quod Sherti & ſociorum recenti exemplo confirmat, ante quorum cædem ſimilia omninò paſsim ferebantur. Illud enim ferè obſeruari, poſteaquàm rerum in Anglia potiti ſunt impij deſertores, vt, quoties aliquos ſacri ordinis viros immaniter necare ſtatuerint, paucis antè diebus multa in plebe dicantur de inſita quadam Reginæ lenitate ac clementia, quantumq; illa ab omni hac crudelitate & barbarie abhorreat: vt poſteà, cùm cędem illam pluſquàm Scythicam non propria Reginæ, ſed aliena manu exerceri conſpexerint, non propria ipſius, ſed aliena etiam authoritate decerni arbitrentur. His igitur pij ac prudentis viri ſermonibus rurſum confirmatus martyr, omnem amittendæ coronæ metum depoſuit, ſeq; ad illum, quem iam certò expectabat, agonem, aſsiduis precationibus, vigilijs, ieiunijſque præparabat.

Quàm artificiosè conentur Angli ſuæ Reginæ clementiã populo venditare.

Decimo tertio die menſis Februarij, cùm ſacroſanctam corporis & ſanguinis Chriſti hoſtiam, ſummo mane in camera obtuliſſet Deo pro ſuis & populi peccatis, & tempus iam inſtaret, quo & ſuum ipſius corpus & animã in hoſtiã ſanctã & Deo placenté immolare debere, carnifices ſacerdoté ſanctũ in cataſta viminea ſtratũ ac ligatũ, & vnà cu illo alios quatuor etiã ſacerdotes, per terrã ad locũ ſupplicij raptarũt.

Celebrat miſſam Sanctus martyr eo die quo morte afficitur.

Cumq; eò pertractus & primus omnium (licèt ætate minimus) in currum ſubleuandus eſſet, magnam quidem corporis, ſed maiorem cordis alacritatem ipſo membrorum motu & agilitate monſtrabat. Atque ibi iam conſtitutus, præcedentium precationum, in quibus toto itinere defixus eſſe videbatur, tanquàm colophonem addens, clara voce ſubiunxit: Præſta pater pijſsime, patrique compar vnice, cum ſpiritu paracleto, regnans per omne ſæculum.

Poſteaquàm laqueus collo innexus fuerat, aderat alter conſulum Spenſerus ſancto martyri valdè infenſus. Aderant & alij quidam Zuinglianæ ſynagogæ miniſtri, qui multis verbis hortabantur, vt crimen in Reginam admiſſum agnoſceret & culpam deprecaretur. Ad quos vir ſanctus: Ego, inquit, teſtem Deum inuoco in animam meam, me à crimine intentato prorſus immunem eſſe, ac propterea nihil eſſe, quod deprecari debeam.

Deum teſtatur ſe innocẽtem eſſe.

Porrò & illud ſubiunxit, ſeſe illam pro Regina habere, eiq; fauſta omnia precari, atque illo ipſo die aliquoties orationem dominicam

Orat pro Regina, qua

eam pro eius salute & incolumitate recitasse, adeoque, si ambo in solitudine essent, vbi in illam facere liceret, quicquid liberet, eo se animo & in Reginam affectu esse, vt vel aciculam eius corpori nocendi animo admouere non vellet, etiamsi ex ea re mundum vniuersum lucrari posset. *fundit sanguinem es' innocentem.*

Tum Spenserus: At multò atrociora, inquit, comperta sunt de te, post illud tempus, quo reus peractus es. Minimè verò, inquit martyr, vos nihil posteà mali comperistis: sed hæc vestra indagandi criminis sollicitudo indicat me iniustè iudicis sentētia damnatū fuisse.

Tunc introductus fuit quidam infamis rabula Antonius Mundæus, qui sic dicebat: Cùm quodam die nos duo & quidam alius, (cuius nomen mihi nunc excidit) Romæ obambulabamus, ille tertius tria virorum illustrium capita, qui Reginæ à consilijs erant, optauit. Ad quæ tu statim hæc verba addidisti: Vtinam hîc apud nos esset ipsum etiam Reginæ caput ad tesseram suis numeris absoluendam. Quo dicto, Spenserus & cæteri iustitiæ ministri nefarium proditorem è medio tollendum esse vociferati sunt. *Falsi testis, testimonium falsissimum.*

Sed ille insanis eorum vocibus nihil commotus, ita respondit: Ego mox diuino tribunali sistendus & rerum omnium à me in vita gestarum rationem redditurus sum. Deum igitur animæ meæ iudicem contestor, me nihil horum vnquàm locutum fuisse, sed nec voluisse quidem. Et tu, Mundæe, si me talia verba facientem audiuisti, quare non interfuisti comitijs, cùm ego pro rostris causam dicebam, vt iuratus in me testimonium diceres. Eò, inquit Mundæus, quòd nihil resciueram de negotio.

Tum rursum Spenserus: non dixisti Reginam esse hæreticam? Imò verò, inquit martyr, fateor me hoc dixisse. Quibus verbis Spenserus & Officiales & Ministri in furorem versi, cœlum clamoribus, pij sacerdotis aures conuitijs onerantes, proditorem, perduellē, terra & luce indignum insonabant. Sed vir Dei confusas hominum fanaticorum voces non auscultans, Deum submissa voce & verbis latinis precabatur.


Quod cùm audiret vnus ex Ministris, qui currum vnà cum illo conscenderat, vt Christi athletam sub ipso certaminis fine à recto cursu (si fieri posset) deduceret: hortabatur, vt Anglicè precaretur, quò & plebs circumfusa communem cum illo & pro illo orationem ad Deum faceret. At Martyr seductorem manu à se (vt poterat) repellens: apagesis, inquit, apagesis, nihil est mihi tecum commune. *Ministrū Caluinianū à se repellit, nec cum eo orat.*

Catholicos verò omnes rogo & obtestor, vt communem Dominum vnà mecum ac pro mea & totius patriæ salute precentur.

Tum vnus quispiam è turba: nulli, inquit, adsunt Catholici. Imò verò, ait alter quidam: sumus omnes Catholici. Ad quos Sacerdos sanctus: Catholicos dico, qui sanctæ, Catholicæ, Romanæ Ecclesiæ fidem colunt, faxit Deus, vt ex sanguine meo aliquale augmentum sumat fides Catholica; fides Catholica, inquit Spenserus, fides diabolica: abigatur currus, suspendatur nequissimus proditor.

Atque ita curru abacto, laqueus spiritus vitales præcludens suffocare cœpit, non tamen vitæ finem, sed cruciatibus longè atrocioribus & morti prolixiori principium dedit. Nam funis continuò, Spensero acriter vrgente, tanta cum festinatione incisus fuit, vt sanctus Martyr viuus adhuc & integris sensibus deciderit in terram, nec priùs viuere & sentire desierit, quàm pectore aperto, ipsisque adeò præcordijs violenta manu euulsis, spiritus demùm de omni hac crudelissimorum hominum immanitate illustrem triumphum agens, victoriæ suæ trophæum in ipsis æternorum montium iugis collocauit, CHRISTO IESV candidati exercitus duce & imperatore tales militi suo honores ob rem præclarè gestam decernente, cui est honor & gloria in omnes sæculorum æternitates, Amen.

Sanctus martyr viuus in partes secatur.



MARTYRIVM DOMINI IOANNIS MVNDINI SACERDOTIS.



Nno à partu virginis 1583. sub finem mensis Februarij, D. Ioannes Mundinus Sacerdos, dùm iter faceret à Vintonia Londinum versus, in dumeto Hunselonio obuiam habuit Hammonium iurisconsultum cum aliquot alijs in comitatu. Erat verò Mundinus Hammonio notus, & iam tàm propè in conspectu positus, vt nullus esset nec se recipiendi nec fugam ineundi locus.

Itaq;, cùm res nullum admitteret nec consilium nec consultationem, fecit, vt in re deplorata, quod ferebat animus. Capite pallio aliquantulùm obuoluto, & calcaribus equo admotis, se concitè proripuit: cúmq; prope Hammonium esset, submissa voce salutauit, atq: ita

pergebat.

pergebat. Quid, Mundine, inquit iurisconsultus? Ipsissimus, inquit Sacerdos. Gaudeo, inquit Hammonius, te mihi obuiam factum esse. Vnde venis? Vintonia, inquit ille. Tum Hammonius: Et quorum, inquit, hominum consuetudine vsus es Vintoniæ? Publico vsus sum hospitio, ait Sacerdos. Certè Mundine, inquit Hammonius, tibi omninò faciendum est, vt vnà mecum reuertaris. At Mundinus: Nullo modo, inquit, nisi priùs ostendas, qua authoritate id facias. Scio quidem te in prouincia Dorcestrensi Magistratum gerere, cæterùm hoc in loco nihil iurisdictionis habere: ac propterea, quemadmodũ illic publicæ pacis conseruatorem, ita hîc hominem priuatum solùm agnosco. Rectè, inquit Hammonius: tu probè senties, mihi non deesse authoritatem, qua tibi etiam hîc manus inijciam. Atque ita, cùm nulla esset nec elabendi, nec tantæ hominum multitudini resistendi facultas, captus & Stanas vsque reductus fuit. Cuius oppidi Magistratus hominem continuò ad Vvolsæum Scribam latinum, is verò postero die ad Vvalsingamium Scribam primarium conducendum curauit.

Hammonius Sanctum virum apprahendit.

Vvalsingamius igitur Sacerdotem multa interrogauit, vti moris est. (Examinationi verò, interfuit etiam Baro de Gray, & alij quàmplurimi) Quo in loco sacris initiatus fuisset, an ex seminario fuisset; à quo in Angliam remissus fuisset, quis ei sumptus in reditu fecisset. Ad quæ ille: se Romæ sacros ordines suscepisse, ex seminario non fuisse; sua sponte in Angliam redijsse, de re pecuniaria sibi tenuiter admodùm prospectum fuisse respondit.

Vvalsingamius Sacerdotẽ Christi examinat.

Tum Vvalsingamius magno quodam sermonis impetu (quod ferè sponte sua & nulla data occasione facere solebat furibundus consul) inuectus est in Seminaristas & librum quendam noui testamenti ab eis nuper ex præscripto concilij Tridentini Anglicè verbatim redditum, eosque vt rerum & linguarum imperitos vehementer arguebat. Quem verborum turbinem pius Sacerdos, cùm compescere se posse desperaret, prudenter tacuit: timens etiam (quod postea ingenuè fassus est) non mortem, sed dira illa eculei tormẽta omni morte atrociora. Quod eius silentium etiam ægrè ferens Scriba, ad illas sanguinarias quæstiones, quæ tanquàm sacra quædam verba non nisi hostijs ad necem iam destinatis proferri solent, progressus est.

Primo loco interrogabat, quid de illo Nicolai Sanderi in Hiberniam appulsu sentiret.

Respon-

Quæstiones Vualsingami.

Respondit se de eius eò aduentu nihil scire, ac propterea sibi non constare, rectène an perperam fecerit, eoque responsum ab ipsomet expectandum esse.

Tum scriba: si Papa, inquit, vel alius quispiam princeps hoc regnum inuaderet, quid faceres, vel quid bono ciui faciendum esse censeres? & quid de ea re sentias, an Papa Reginam omni regnandi iure priuare possit? Ad hæc Mundinus: obsecro te, inquit, clarissime Domine, vt hasce quæstiones mihi obtrudere non velis. Non sum ego Theologus, sed solùm iuri ciuili aliquamdiu studui, adeoq; in his rebus parùm versatus, ignoro prorsus, quid à me responderi debeat.

Vvalsingamius de Regina interrogauit, an eam veram Angliæ Reginam haberet.

Cumque Mundinus annuisset, rursus ab eo quæsiuit:

An eam veram Angliæ Reginam haberet de iure & de facto.

Non satis assequor, inquit Mundinus, quid sibi velint hæc vocabula.

Hic perpendat secum lector, quales sint inquisitores Caluiniani in Anglia.

Quid, scelerate proditor (inquit Vvalsingamius) an ad hoc respondere recusas? Simulque pugnum ei in faciem subitò tanta vi impegit, vt hominem, sensibus obstupefactis, planè attonitum reddiderit: ita vt vacillaret, nec quo loco esset, ad tempus resciret, adeoque posteà per multos dies quereretur, sese ex altera parte grauiùs audire quàm solitus erat. Sed posteaquàm ad se reuersus est, eam diuini numinis consolationem, eosque animos & vires sensit, vt omni prorsus priorum malorum dolore ac mœstitudine obliuioni tradita, totusque lætus & alacris effectus, nihil iam priùs haberet, quàm vt quiduis pro Christi gloria illustranda pateretur.

Hoc primi certaminis honorario accepto, Scriba, cùm multa in eum conuitia & verborum probra, (indigna planè, quæ à viro consulari proficiscerentur) quasi animi causa eiaculatus fuisset, quendam cursorij muneris officialem, quem Pursuiuantum vocant, accersiuit, eique mandauit, vt sacerdotem conduceret ad turrim Londinensem, equumque & omnem equi apparatum laboris mercedem acciperet.

Vir pius ad arcem Londinensem deducitur.

Quò cùm peruenisset vir sanctus, in eam carceris domunculam coniectus fuit, quam latæ cuspidis turrim appellant. Vbi continuò ferreis vinculis onustus, super nudo etiam pauimento aliquamdiu pernoctauit. Vndè etiam quodam die in publicum productus, Pophamo

phamo sistebatur, vt ab eo denuò examinaretur. Quo in loco cùm multa in eum dicerentur, illud præcipuum fuit, quòd in patria sua parùm castè vixisset, ac propterea malè audiret apud suos.

Popbami, veriùs, prophani hominis insigne conuicium atq; mendacium.

Quæ quidem criminatio licèt nullam aliam penitùs veri similitudinem haberet, quàm quòd ab illis intentaretur, quibus nec iuratis quisquam fidem adhibendam esse censeret in re alicuius momenti: Mundinus tamen ad carcerem reuersus, multùm angebatur animo, & tristitiam solito maiorem etiam vultu præferebat. Quod cùm vnus ex concaptiuis, & ipse Sacerdos, aduerteret, interrogauit eum, quidnam illud esset, quod illum præter consuetudinem cogitabundum & tristem reddidisset.

Cui ille omnem rei gestæ seriem retulit, & quemadmodùm illi præter cætera crimina, quæ nullo prorsus fundamento nitebantur, etiam incontinentiæ falsò insimulassent. Illud verò eum malè habere, quòd rei fama in vulgus spargenda, atque ita magna quædam infamię nota non ipsi solùm, sed & cæteris concaptiuis omnibus pro fide legitimè certantibus, adeoque castissimæ purissimæque Catholicæ religionis causæ inurenda esset.

Ad quod ille alter, qui & ætate prouectior, & rerum vsu exercitatior, & illi etiam confessarius erat, eoque non ignarus, quàm esset bonus Christi seruus ab omni hoc crimine immunis, in hunc modum respondit. Non esse quòd doleat de hac re, sed magis lætetur & Deo gratias agat immortales, illud Saluatoris dictum ad mentem reuocans: Beati estis, cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malū aduersum vos mentientes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante vos: hoc enim ab ipso Ecclesiæ nascentis initio semper obseruatum fuisse, quòd virulentæ hęreticorum linguæ, impuri dæmonis instrumenta fuerunt, quibus pios & synceros Dei cultores insectatus est.

Matth. c. 5. v. 11.

Cùm enim desperaret malignus serpens, efficere se posse, vt ipsos ab ea, quam profitebantur, religionis & morum puritate deduceret, illud satagebat, vt eorum saltem famam & sanctitatis opinionem, qua religionis causam multùm promouebant, si quo modo fieri posset, minueret. Eoque fine prophanos quosdam homines, qui fidei ac pudoris naufragium iam olim fecerant, instigabat, vt acuerent linguas suas, sicut serpentes, ac venenum aspidum, quod sub labijs erat, exercerent in Sanctos Dei: &, si quid ab illis vllo vnquàm tem-

pore factum esse deprehendissent, quod aliquam mali speciem haberet, id continuò in crimen vocarent: sin minùs, ipsi aliquid affingerent, quo eorum famam apud populum lædi posse existimarent.

Sed tantùm abesse, vt ex hac re aliquid Ecclesiæ Dei & religioni Catholicæ derogatum sit, vt etiam ipsi struendæ fraudis architecti hoc vnum consecuti sint, quòd & suam ipsorum malitiam mundo testatam, & eorum, quibus calumniam importabant, innocentiam multò quàm antè, illustriorem reddiderint. Cuius rei exempla complura esse, non solùm apud antiquos, de D. Athanasio & alijs sanctissimis viris, quos Arriani alijque hæresum sectatores homicidij, stupri per vim illati, & aliorum criminum incusarunt, sed & recentissimæ memoriæ apud nos, de Thoma Cottamo illustri martyre, quem in ipsa furca constitutum falsi criminis insimulauit nefarius quidam animarum prædo Caluinianæ sectæ Minister: & de venerabili confessore Archiepiscopo Armacano, cui puellæ cuiusdam per vim similiter constupratæ crimen inferre quidem satagebant veritatis ac pudicitiæ hostes, sed omnis eorum conatus eò demùm euasit, vt sancto Præsule, quem impetebant, omni prorsus criminis suspicione liberato, suam ipsorum & malitiam & impudentiam turpiter prodiderint, effecerintque, vt imposterùm etiam vera dicentibus fides haberi non possit.

Crimina falsa excogitata in D. Thomam Cottamum & Archiepiscopum Armacanum.

Atque his quidem alijsque in eam sententiam dictis, pius confessarius omnem illum de probro Catholicis inferendo scrupulum eius animo sic exemit, vt posteà mirè tranquillus effectus, quæcunque à perfidis hominibus in eum dicerentur, facilè contempserit.

Morti addicitur Sanctus Dei ob crimē fictitium.

Sexto Februarij die D. Mundinus reus peractus fuit & morti addictus, vnà cum alijs quibusdam, eò quòd in necem Reginæ Romæ & Remis (vti volebant) conspirasset. Quam cùm ille mortis sententiam audiuisset, læto admodùm & sereno vultu illum Diuorum Ambrosij & Augustini hymnum cum reliquis viris sacri martyrij consortibus futuris recitabat: *Te Deum laudamus, te Dominum confitemur.* Tantam enim continuò & tàm inusitatam spiritus alacritatem sensit, vt, quasi grauem istam corporis molem iam deposuisset, facere non posset, quin effusum illud interni hominis gaudium etiam vultu, voce, & toto corporis habitu proderet.

Ab eo verò tempore nullum vnquàm edidit mœstitudinis signum, sed ad extremum vsque vitæ spiritum lætus omninò & iucundus perseuerauit. Nam statim à sententia lata, cùm ad carcerem reducere-

duceretur, non procul à curia Vvestmonasteriensi obuium habuit sororium & alios nonnullos, qui ei impensè fauebant, de afflicta eius fortuna valdè consternatos. Vidit & alios hinc indè complures, qui nec ipsa, quam mox subiturus erat, probrosæ mortis calamitate contenti, conuicia porrò in eum & contumelias iaciebant.

Comitia iaciunt in Sanctum improbi quidam.

Sed beatus martyr, Christi Iesu vestigijs rectè insistens, transiens per medium illorum ibat, nec horum lamentatione ita flectebatur, vt aliquid de sacerdotali dignitate remitteret, nec insanis illorum vocibus vel aurē solùm præbere videbatur, totus gaudij plenus, totus quasi ex prægustato conuiuij mox futuri vino ebrius effectus. Ad sororium verò & amicos pauca quidem verba habuit, sed quæ acceptam consolatorij spiritus vnctionem sic referebant, vt qui lugentes aduenerant, mirum in modum exhilarati redierint ad suos, vt & eos mœrore similiter affectos diuinæ consolationis participes efficerent.

Deindè, cùm ad turrim accessisset, multi ex ijs, qui domi remanserant, nec publicis Comitijs interfuerant, cùm videbant eum præ cæteris insolita quadam lætitia gestientem, & ipsi vehementer lætati sunt, & amico, vt poterant, congratulabãtur, existimantes planè, quòd iudicum sententia liberatus fuisset. Nec enim cogitare poterant homines, in quibus adhuc vigebat caro & sanguis, illum esse viri iam mortui triumphum.

Pridiè quàm morte afficeretur, sub vesperum (quo tempore tenebris ingrauescentibus grauior esse solet malorum impendentium memoria, maximè solitarijs & humano solatio destitutis) beatum virum sollicitè adijt bonus ille pater, cuius suprà meminimus, vt filiũ extremis malis (vti arbitrabatur) nunc conflictatum consolaretur, & piæ cohortationis officio ad futurum certamen confirmaret. Sed accedens nullum in eo depræhendit vel doloris vel timoris indicium, sed contrà hominem tanta internæ consolationis dulcedine perfusum, vt externis verborum fomentis non indigeret: adeòque pater, qui vesperi consolator aduenerat, manè multùm consolatus abscederet, illud vnum dolens, quòd filio sacri itineris & agonis comes non esset futurus.

Postero die Februarij 13. qui beato viro mortis postremus & vitæ primus fuit, manè prodiens è cubiculo, vt ad locum supplicij abduceretur, dùm in via aliquantisper subsistebat, vt alios quatuor Sacerdotes martyrij socios expectaret, vetula quædam, quæ aderat,

Sacerdotem alloquens, continere se non potuit, quò minùs in illas voces erumperet: O si ea mihi fœlicitas contingeret, vt anima mea ibi esse posset, vbi tua post paucas horas futura est. Quibus in verbis vir Dei lachrymis paululùm obortis cordis teneritudinem testatus est.


Iam verò, cùm & reliqui captiui aduenissent, & singuli ab arcis præfecto (vti moris est) in potestatem tribuni comitatus traditi essent, vt ex sententia iudicum de eis sumeretur supplicium: carnifex tribuni officialis statim interrogauit, quisnam esset ille Mundinus. Cui cùm ille respondisset: ego is sum; Scelerate, inquit, ego te tractabo, vti meritus es. Cumque multa in eum conuicia dixisset, maximè verò quòd iuuenum ingenuorum corruptor extitisset, præsertim eorum, qui eius fidei & disciplinę commissi fuissent (quos vtique ab impuris hæreticorum conuentibus ad Ecclesiam Catholicam, sanctā & immaculatam Christi sponsam traduxerat) sacras eius manus summa cum immanitate strinxit, & in catasta viminea stratum colligatumque per terram ad furcam vsque raptauit.

Quo in loco cùm reliquos illos Christi Sacerdotes pro fide Catholica fortiter dimicantes ac demùm victores conspexisset, & ipse postremo loco pugnam inijt, illos vicissim certaminis sui spectatores habens & testes in cœlo fideles. Cumque pari constantia & fide dimicans, furcas, laqueos, cultra, secures, omnemque illum barbaricæ immanitatis & lanienæ apparatum superasset, rei præclarè gestæ testimonio & è terris & cœlitùs accepto, ad communem cum illis & perennem belli triumphum transijt, in Christo Iesu martyrum rege ac remuneratore, cui omnis honor & gloria, Amen.



MARTY-

MARTYRIVM DOMINI IACOBI FENNI SACERDOTIS.



Nno primo imperij Reginæ Mariæ optimæ & Christianissimæ Principis, cuius pietate authoritateque effectum est, vt post diuturnam schismatis cladem, quæ ab Henrico eius patre in Angliam inuecta fuerat, religio Catholica restauraretur; Iacobus Fennus ad Academiam Oxoniensem se contulit, à duobus fratribus eò vocatus, qui tunc temporis in collegio nouo studebant, alter iuri ciuili, alter adhuc dialecticæ, ac paulò pòst etiam legibus. Hi cùm essent ætate atque etiam eruditione aliquantò prouectiores, fratris natu minimi curam agebant.

Sancti viri educatio & studia.

Oxonium se confert.

Ob quorum gratiam, atque etiam ob eximiam quandam, quam etiamnum puer assecutus fuerat, non solùm canendi, sed etiam ex arte musica componendi scientiam, primùm in nouum collegium, deindè alijs atque alijs puerum ad se certatim trahentibus, in collegium Corporis Christi ascitus fuit, fratribus in eam rem facilè consentientibus (quamuis penes se esse maluissent) eò quòd, cùm omnia passim Oxoniç ex recenti hæresum plaga essent multùm labefactata, illi præ cæteris ab omni errorũ peste liberi & immunes haberentur.

In Collegium corporis Christi cooptatur.

Sed illud hoc loco silentio præteriri non debet, (quod aliqui posteà, conspecta gloriosa illa, quam vir sanctus ab hostibus Ecclesiæ reportauit, victoria & triumpho, quasi rei ab eo fortiter & præclarè gerendæ auspicium habuerunt) omnium actionum, quæ ab eo exercebantur in Academia, illã primam fuisse, quòd in ipso sacratissimo magni Paschatis die, cùm summo mane Christi resurgentis triumphus à collegis in voce psalmi & canticis labiorum ex more Catholico celebraretur, & ipse, qui exaltationes Dei in gutture quoque suo ferebat, se pueris symphoniacis inseruerit, suæque artis & scientiæ quasdam quasi primitias Deo & sanctæ eius Ecclesiæ obtulerit.

Id quod ab eo tam eleganter præstitum est, vt omnes, qui aderant, maximè verò eos, qui erant cultus diuini studiosiores, in sui & ad-

mirationem & amorem rapuerit. Quibus etiam ſtatim ſubijt cogitatio de puero (quem tamen antè nunquàm viderant) in collegium cooptando: eaque de re cum fratribus ſtatim egerunt primi quique ſtudiorum magiſtri & moderatores, ác præ cæteris omnibus Nicolaus Sanderus iuris ciuilis tunc profeſſor: cui quemadmodum nihil erat antiquius, quàm vt omnia in Eccleſia quàm ornatiſsimè & magnificentiſsimè gererentur, ita curam egit, vt ij potiſsimum ad ſtudia admitterentur, qui ad rem etiam diuinam promouendam maximè idonei viderentur.

Nicolai Sanderi virtus & laus.

Iacobus igitur Chriſti corporis collega effectus, plantatus in domo Domini, in atrijs domus Dei noſtri, proficiebat ætate & gratia apud Deum & homines; pietatis & bonarum literarum ſtudijs diligenter incumbebat, ſe maioribus morigerum, paribus comem, omnibus rara quadam morum facilitate gratioſum & amabilem exhibebat.

Sanctus Dei fit corporis Chriſti collega.

Atque in hoc quidem artium liberalium ſtadio tàm diu ſe exercitauit, donec tandem conſummato philoſophici certaminis curſu, primæ Baccalaureatus laureæ capeſſendæ tempus aduenerat. Quod primo Elizabethæ anno fieri oportebat, poſt prima Parlamenti comitia generalia Londini eius nomine celebrata: in quibus ſancitum fuit, vt impium illud Henrici octaui hæreſiarchæ decretum de primatu regis in Eccleſia Anglicana, quod Maria regnum Catholicè adminiſtrante reſciſſum fuerat, reuocaretur & priſtinas vires reciperet.

Acceptis ergò ſuorum domi ſuffragijs & iudicio probatus, domum congregationis (vti moris eſt) accedit, humerali propendice, quæ à Baccalaureis geſtari ſolet, inſignitus. Cumque iam conceptis verbis iuraſſet, ſeſe omnes & Academiæ ſanctiones obſeruaturum, & priuilegia pro virili parte defenſurum eſſe, cæteraque præſtitiſſet omnia, quę à candidatis exigi ſolent: tum Cancellarij vicarius aliam porrò ei iuramenti formulam proponit de primatu Reginæ ex Parlamenti decreto compoſitam.

Quam cùm ille audiret, intelligeretque eam eſſe iuramenti ſententiam, vt ſedi Apoſtolicæ renuntiaret, & Reginam ſupremum Eccleſiæ Anglicanæ caput agnoſceret tàm in cauſis ſpiritualibus quàm temporalibus, conſtanter recuſauit, depoſitoque, quod gerebat, humerali ornamento, ſimplici tantùm toga indutus deſcendit, tanquàm vnus quiſpiam ex diſcipulorum multitudine: illud

Ne iuret Reginam Elizabetham eſſe caput Eccleſiæ & Pontificem An-

lud affirmans, se nullo vnquàm tempore commissurum, vt temporalem aliquem honorem æterno damno comparet.

gliceanâ, gradum & honorem oblatum recusat.

Atque ita beatus hic iuuenis vel omnium primus erat Oxoniæ, vel certè cum primis, qui, sacra Petri dignitas in quem transfusa esset, probè agnoscens, adduci non potuit, vt in ridiculum illum muliebris sacerdotij principatum iuraret. Præclarum profectò ac memorabile facinus, quodque illam, quam posteà adhibuit, Leuiticæ constantiæ firmitatem non iam obscurè promitteret, sed re ipsa & ad viuum referret.

His ita peractis, rediJt vir sanctus ad suos, foris quidem probro habitus, quòd honore iam diu expectato frustratus esset, sed intima perfusus lętitia, quòd dignus habitus esset, qui pro nomine Iesu contumeliam pateretur. Ac domum reuersus, in singula penè momenta nihil aliud expectabat, quàm vt Magistratus imperio in carcerem & vincula conijceretur.

Sed consiliarij Reginæ, cùm certiores fierent, esse Oxoniæ complures eosque maximæ spei adolescentes, qui hoc de primatu Reginæ iuramentum omninò respuerent, eoque timendum esse, ne illi, relictis planè bonarum literarum studijs, alias vitæ rationes suscipere cogerentur; quò fieret, vt Oxoniensis Academia præclarissimis quibusque ingenijs destituta, ad quãdam paulatim barbariem redigeretur: statuerunt, vt iuramentum istud nemini eorum, qui deinceps promouendi erant, (ad aliquot saltem annos) proponeretur. Quo temporis interuallo Iacobus, quem sola in Deum pietas & in sedem Apostolicam obseruantia prohibebat, eum, quem iam anteà frustrà petierat, Baccalaureatus locum & honorem, nullo negotio impetrauit.

Baccalaureatus locum & honorem posteà impetrat sine iuramento.

Post hęc duos totos annos egit Oxoniæ in collegio suo, pacem colens, pace fruens, omnibus hominum ordinibus gratior in dies singulos euadens. At ne sua Christi militi deesset exercitationis materia, animusque diuturniori pacis ac tranquillitatis occasione remissior effectus, otio torpesceret, noua datur tentandæ eius constantiæ occasio. Adest tempus, cùm in perpetuam collegij societatem asscribi debet. Indicto conuentu adsunt frequentes & reliqui socij omnes. Tum Iacobus se statuit in medio, vt in numerum sociorum cooptetur, iuramentum præstat, (vti more receptum est) sanctè promittit, se omnia collegij decreta & leges bona fidè obseruaturum.

Cumque

Cumque hæc & quæcunque præterea fieri solent ab ijs, qui in societatem admittuntur, ritè præstitisset, rursus ab eo exigitur, vt Reginæ primatum iureiurando confirmet. Quod cùm ille eadem, qua iam anteà, constantia se facturum negaret, non solùm non adhibetur vt socius (quod tamen iure optimo postulabat) sed vt homo facinorosus, infamis, hominumque consortio & consuetudine prorsus indignus, etiam domo abscedere iubetur, tanquàm purgamentum huius mundi factus, omnium peripsema. Tam atroci crimine se nunc obstringunt in Anglia, qui sacram fœminei pontificatus Maiestatem non agnoscunt.

Ex collegio eijcitur, quod iuramentum de pontificatu muliebri propositũ secundò recusaret.

Iam verò Christi corporis collegio turpiter eiectus (at manens semper in Christi corpore) quid faciet iuuenis omnibus vitæ tuendę subsidijs destitutus, & rerum humanarum planè ignarus? Nam à collegio tota eius etiam victus ratio pendebat, nec aliàs vnquàm in vita curas susceperat, quàm vt rei literariæ suppellectilem modis omnibus auctiorem faceret, de reliquo cultu securus. Secedit aliquantisper ad collegium Glocestrense (quæ olim monachorum cella fuerat) ibique iuuenes quosdam reperiens, qui literis humanioribus operam dabant, depromit è penario suo, vndè & ipsos ornet & seipsum ad tempus alat.

Docet iuuenes quosdam in collegio Glocestrensi.

Sed cùm nec ibi se diu tutum fore existimaret, hereticis etiam ipsas ei latibuli angustias inuidentibus, in prouinciã Somersetiæ profectionẽ suscepit, duobus iuuenibus comitatus nobili loco natis, quorum curam cùm aliquamdiu egisset Oxonię, nunc eos ad ædes paternas conducebat. Horũ pater etiam plures domi filios habebat, quibus de præceptore prospectum esse cupiebat. Is igitur conspecta hominis probitate, modestia, maturitate, cum eo egit, vt domi suę cõmorari & liberorum probè instituendorũ prouinciã suscipere vellet. Cui eius postulationi Iacobus facilè acquieuit, & curam suscepit, quam etiam posteà multò meliùs fœliciusque prę̄stitit, quàm ille aut petierat aut etiam volebat. Nam in ea familia, quę erat valdè numerosa & splendida, alios reperit non solùm à Catholica, sed etiam ab omni prorsus religione alienos; alios ad hę̄reses & sectas ex consuetudine propensiores, alios huius vitę studijs sic planè immersos, vt de Deo, de vita futura, de salute animæ ne cogitare quidem vllo vnquàm tempore viderentur.

Inde cogitur abire.

Informat iuuenes nobiles in prouincia Somersetia.

Quò hæresis & libertas Caluinians perduxit Anglos.

Quos cùm ille in hunc modum alijs atque alijs languoribus miserrimè conflictatos cerneret, ex animo misertus, vti prudens medicus,

dicus, pro varia morborum & hominum conditione varia adhibet medicamenta. Alios propoſita diuinæ iuſtitiæ ſeueritate deterret, alios blandis verbis hortatur, vt ſui miſereri aliaſque vitæ rationes inire velint: omnibus, vitæ ac morum integritate, ſe viæ comitem ac ducem præbet.

Quibus rebus illud effecit, vt eius familiæ præcipuos quoſque ac penè omnes ad fidem Catholicam & ad vitam ex præſcripto Eccleſiæ inſtituendam perduxerit. Solus paterfamilias inſtar aſpidis ſurdæ aures ſuas ſic obdurauit, vt ſapienter incantantis ne vocem quidem, adeoque nec vllam curationem admitteret.

Familiā ferè totā reuocauit S. Martyr ad Catholicā fidem.

Sed quemadmodùm de omnibus illi cura erat, eò quòd ſciret, à Deo mandatum eſſe vnicuique de proximo: ita paruulorum illorum, qui eius fidei commiſsi erant, præcipuam curam egit. Hanc ſuam eſſe Spartam diuinitùs acceptam, ac proindè omni ſtudio colendam agnoſcebat. Quamobrem in eam rem totus incubuit, vt teneris eorum animis fidei Catholicæ, pietatis, ac virtutum omnium præceptiones inſtillaret. Sciebat enim verum eſſe, quod à quodam dicitur: *Quo ſemel eſt imbuta recens, ſeruabit odorem,*
Teſta diu.

Quam rem vt meliùs præſtaret, primùm ab omni eos illorum hominum conſuetudine ac colloquio prohibebat, à quibus iuramenta, blaſphemias, verba ſcurrilia aut etiam laſciua audire poterant. Eſt verò hæc rabularum peſtis tàm frequens in ædibus virorum nobilium, tantoque in pretio, vt, niſi omnibus, qui vbiuis habentur, ſermonibus condiendis adhibeantur, ſale omninò ac lepóre carere videantur.

Ratio, quam obſeruabat in iuuentute informanda.

Deindè ſolebat eos frequenter adhibere, non tanquàm diſcipulos Magiſter, ſed tanquàm amicos amicus familiariter, atque ita ſermones miſcere, de Deo, de Angelis, de cœlo, de pietate, de virtutum officijs, de Eccleſia Catholica, de vera religione. Libros etiam comparabat eis piè ac Catholicè ſcriptos, in quibus ſeſe ſubindè lectitando exercerent, & pro eorum captu Catholicæ fidei & Proteſtanticæ perfidiæ diſcrimen eis ob oculos ponebat, illud ſæpenumerò inculcans, vt horũ & illorũ mores ac ſtudia diligenter obſeruarent. Ex ea enim conſideratione, animos imbecilliores plurimũ in fide Catholica profeciſſe & omninò confirmatos fuiſſe, rerũ vſu compertũ eſt.

Porrò illud in primis curauit, vt pijs quibuſdam & Catholicis precationibus aſſuefierent. Sed & ipſe cum eis quotidiè & pro eis

Deum enixè precabatur, vt è potestate tenebrarum eruti,& in regnum filij dilectionis suæ translati, viua Ecclesiæ Catholicæ membra fierent, & in eam semel inserti,socijque radicis ac pinguedinis oliuæ effecti,nullo vnquàm tempore exciderent aut effringerentur, sed in finem vsque perseuerarent.

Quam eius precationem non irritam,sed ratam & valdè efficacem fuisse,ipse rei exitus comprobauit. Etenim posteà omnes prophanis hæreticorum nouitatibus renuntiantes suaue Christi iugum sponte subierunt, & in sancta Ecclesiæ Catholicæ disciplina ad hunc vsque diem persistunt, ad coronas vtiq;,quas Deus diligentibus se & legitimè certantibus proposuit,diuini numinis ope perseueraturi: id quod ex tota eorum vitæ iam actæ serie non leuiter profectò,sed iustissimis de rebus sperari potest.

Iuuenes nobiles sibi commissos Oxoniam deducit, & probis præceptoribus tradit.

Vt enim indè exordium sumat narratio, vndè illi maximè in omni vita periclitabantur:cùm iam, exacto domi tirocinio, ex ædibus paternis Oxoniam traducendi,alijsque aliarum artium Magistris, relicto primæ ætatis pædagogo, operam daturi erant, tum bonus Magister, videns, quanto in discrimine versarentur, quos ille Deo & Ecclesiæ Catholicæ tanto cum labore ac sollicitudine iam diu parturierat, tanquàm aquila super pullos suos volitans, expandit suas prouidentię alas,& assumpsit eos,& portauit in humeris suis, & ad Academiã vsq; materno planè affectu prosecutus est: nec priùs ab illis diuelli se passus est,quàm eis de præceptoribus & amicis,quibuscum familiariùs conuersari possent, spectatæ probitatis ac pietatis viris prospectum esset.

Quorum hominum consuetudine,consilio,ac pijs interdùm cohortationibus id effectum est, vt iuuenes isti procellosum huius sæculi mare nunc primùm ingresi,in quo tot penè sunt scopuli, quot homines,sic tamen nauigationis suę cursum instituerint,vt nullum nec fidei Catholicæ nec morum probitatis naufragium fecerint.

Et tamen præter cæteros omnes, qui huic eorum fidei thesauro insidiabantur (quorum numerus iniri vix poterat) non deerant etiam de proprio ipsorum genere, sed iam hæresum malitia deprauati ac degeneres effecti, qui quadam pietatis specie iuuenũ animos noctu dieque ad defectionem sollicitabant, nec quicquam intentatum relinquebant, quo eos ab ordinata Ecclesiæ Catholicæ acie abductos ad confusa hostium castra denuò transferrent.

Eosdem cernit pro fide

Sed hic eorum conatus illis malè cessit. Nam tantùm abest, vt generosos tironum Christi animos labefactauerint. vt etiam firmiores

miores in dies singulos effecti, ipsam petræ,in qua fundati erant,naturam induentes ac firmitatem rebus ipsis referentes, non solùm aduersarijs non cederent aut ab eis frangerentur, sed etiam omnes eorũ ictus sui soliditate fractos facili momẽto in ipsos retunderent. *Catholica posteà certantes.*

Quæ res cùm patri innotesceret,ægerrimè quidem ferebat, filios omnes ad vilem illam & abiectam Catholicorum sectam transijsse, (sic enim existimabat homo mundanus, totus rerum caducarum luto immersus,) sed tamen vt pater, qui omnem humanitatis sensum nondum planè exuerat,egit cum eis: primùm suauiter & multa cum verborum & pollicitationum blanditie , deindè etiam terrens ac minitans, fore,vt omne illis adeundæ hæreditatis ius adimat, domo,patrimonio,rebusq; omnibus,quas ab eo sperare poterãt,priuet, nec omninò filiorum loco deinceps habeat, ni velint animum inducere, vt Regiæ Maiestatis legibus obtemperãtes,Ecclesiam & officia diuina toto regno recepta, sicuti bonos ciues decet,frequẽtent. *Pater conatur filios suos nobiles à fide Catholica auocare.*

Sed cùm ne sic quidem quicquam apud eos proficeret,nec quenquam eorum in suam sententiam trahere posset (nam illud vna voce profitebantur omnes, se Catholicos esse, malleq; cum iactura bonorum omnium, atq; etiam cum offensione principis, parentum, & amicorum abiectos esse in domo Dei , quàm ab Ecclesiæ Catholicæ vnitate separari,eaq; re diuini numinis offensionem suscipere) quasi in rabiem versus, in illas voces frequenter erumpebat: Infaustus sit ille dies,quo nequissimus ille Iacobus Fennus domũ meam primùm ingressus est. Vtinam in furcam priùs sublatus fuisset, quã ad me venerat. Equidem spero,fore,vt eum laqueo præfocatum conspiciam, antequàm moriar. Ille enim me filijs omnibus orbauit, quod vnicũ futurum erat ætatis ingrauescentis solatium. At filij contrà,auditis paternis vociferationibus, faustũ ac fœlicem dicebant esse illũ diem, quo vir beatus eorum ædes primùm intrauit. Simul enim cum illo intrasse fidem, pietatem, virtutes reliquas,veram Dei & eius Ecclesiæ Catholicæ cognitionem,quæ sola ad vitam conducit æternam. Eoq; iustissimũ esse, vt & pater & filij & cęteri familiares omnes Deo Opt. Max. gratias agant immortales de eius ad eos aduentu, atq; illi vitæ finem precentur fœlicissimũ,per quem id consecuti sint, vt hìc, si velint, beatè, in cœlo, si perseuerent, æternũ viuant. Ac iuuenes isti,quẽadmodũ Magistri virtutes libenter laudibus & verborum officijs tũ celebrabãt,ita posteà re ipsa,& quidẽ præclarè,imitati sunt. Primogenitus,qui ex præscripto legũ principem locũ obtinet in familia,quasi *Præclara iuuenũ nobiliũ vox.* *Eorum in aduersis constãtia & patiẽtia.* *Maxim' natu & hæres*

in vinculis agit.

iuris sui prærogatiua reliquos fratres præcessit, non ad aliquas in republica dignitates capessendas, sed ad indigna quæque pro Christi gloria perferenda, & ad ipsos etiam carceres, quos per multos iam annos ob professionem fidei Catholicæ magno & excelso animo tolerauit: vt patrimonij terreni exhęres effectus, Dei filius & hæres, Christi saluatoris frater & cohæres fiat, qui est primogenitus in multis fratribus.

Alter eorum societati Iesu nomen dedit.

Vnus eorum patria se sponte abdicans, mare transmisit, & vt sese totum diuino cultui manciparet, Patres societatis Iesu accedens, & ab eis acceptus, ex sanctissima eorum disciplina vitam & aliquamdiù instituisse & ante aliquot annos finijsse dicitur.

Cæteri omnibus bonis priuati in Anglia delitescunt.

Cęteri adhuc in Anglia metu persecutionis delitescunt, non quidem patria, sed omnibus, quæ fert patria, bonis propter Christum extorres. Tantus enim eorum animos Catholicæ synceritatis amor peruasit, vt, cùm possint omnibus huius vitæ voluptatibus affluere, si temporis improbitati tantillum cedere velint, magis eligant affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores vtique diuitias æstimantes thesauro Aegyptiorum improperium Christi.

Robert' Fennus martyris frater immanes cruciatus ob veritatis testimonium passus.

Ex ijs vnus, postridiè quàm beatus eorum Magister pro morte defluente immarcescibilem vitæ coronam accepit, Londini obuiam habuit venerandum sacerdotem Robertum Fennum, sanctissimi martyris secundùm carnem fratrem, in Christo germanum: (nam & ipse ob Catholicæ veritatis testimonium, exilium, carceres, vincula, & cruciatus immanes constantissimè perpessus est) cumque eum salutasset, omninò gestire videbatur, vt referret, quemadmodùm ipse pridiè nobilissimum præceptoris sui certamen & finem longè fœlicissimum spectasset.

Quo, inquit, spectaculo me in fide Catholica sic firmatum iri confido, vt nullo vnquàm tempore vel latum vnguem ab ea recedendum esse existimem. Quid enim expectare poteram ampliùs à Deo, quàm vt eum, qui mihi credendi primus author extitit, rebus à se propositis fidem suo ipsius sanguine astruentem meis oculis conspicerem? Tum subiungens: nunc, inquit, pater meus voti compos factus est, qui frequenter optabat, vt Iacobum Fennum semel in crucem actum cerneret. Audiet quidem iam à multis: ô si cum multis etiam fœlix spectator adesse meruisset.

Atque hæc quidem à nobis dicta sunt, vt intelligatur, quanto cum

cum fructu in illa familia per aliquot annos versatus fuerit, licèt apud patremfamilias parùm profecisse videatur: quod tamen, quin viro Dei in lucrum spirituale cesserit, nemini dubium aut obscurũ esse potest, nisi fortè quis sit, qui, quanti sint momenti & meriti virtutes, quæ ex hac occasione ab illo exercitatæ fuerint, ignoret.

Dũ prẽmsenẽ inuisit Vuelliæ, à pseudo-episcopo monacho Apostata in vincula cõijcitur

Dum in hac domo commorabatur, & pueris instituendis operam dabat, quodam tempore contigit, vt Vvelliam profectus patris visendi causa, à pseudoepiscopo, qui de eius illuc aduentu per suos sycophantas certior factus fuerat, captus in carcerem conijceretur. Cumque aliquamdiu ibi detentus fuisset, demùm sanguinarium illud de primatu Reginæ iuramentum iam tertium ei obiectum fuit. Quod ille, sicut iam olim fecerat, liberrimè respuebat.

Tertiò respuit sanguinariũ iuramentum de papatu muliebri.

Quamobrem Apostata (nam etiam à monachatu exciderat) cogitabat quidem eum rursus vinculis & custodiæ addictum seruare, vt in comitijs proximè futuris iudicum tribunali sisteretur. Sed admonitus à quibusdam, qui sancto confessori fauebant, eum iam anteà Oxoniæ idem fecisse semel atque iterum, eaque de re collegio exclusum fuisse; porrò ipsos Regiæ Maiestatis senatores totius negotij conscios extitisse, nec tamen propterea mandasse, vt vinculis stringeretur, adeoque non esse consentaneum, vt tale seueritatis exemplum ab Episcopo ederetur in eum, cui senatus parcendũ vel certè conniuendum esse existimaret; maximè verò, cùm hoc loco & tempore nihil omninò esset, quamobrem iuramentum istud ei denuò proponeretur: his alijsque id genus rationum momentis acquieuit, eumque carcere liberatum ad suos redire permisit.

Iam verò, cùm iuuenibus istis Domini sui filijs, ita vt dictum est, Oxoniæ de rebus omnibus ad piam institutionem spectantibus prudenter pro temporis ratione prospexisset, cœpit de parua familia sua cogitare (nam iam anteà duxerat vxorem & duas ex ea proles susceperat.) Itaque relicta domo illa, migrat cum suis Montem acutum, vbi & natus fuerat. Habebat enim illic prędium, non in ipsa oppidi frequentia, sed seorsim ad pedem montis, loco à turbis aliquantò remotiori: vbi propter loci opportunitatem illud se consecuturum sperabat, vt delitescere posset ad tempus, donec transiret iniquitas.

Redit ad vxorem & proles, quas reliquerat necessitate coact⁹.

Sed erat etiam ibi Sathan & occursus malus, qui hanc ei fœlicitatem non permisit esse diuturnam. Nam Minister, qui Parochi vices gerebat, cùm videret, quòd Ecclesiam & cœnam Domini, quam vo-

cāt,ſtatis diebus cum populo non frequentaret, ſed magis ab eorum vijs abſtineret tanquàm ab immunditijs, vehementer eum vrgebat, vt Reginæ mandato & regni legibus obtemperaret;quod nî faceret, ſciret,omninò cum eo ſeueriùs agendum eſſe.

Quæ miniſtri comminatio, conſiderata periculi magnitudine, quod iam ſibi ſuiſque in ſingula momenta non tàm imminere quá premere videbatur, animum hominis mirum in modum perculſit ac perplexum reddidit. Nam illud omninò deliberatum animo & firmum habebat, nullo modo ſibi committendum eſſe, vt ſacrilegos hominum ſchiſmaticorum conuentus vel ſemel adiret. (Quæ enim pars fideli cum infidelibus,aut quæ conuentio Chriſto ad Belial?) Quod cùm recuſaret, videbat,quantum in diſcrimen non modò ſeipſum, ſed & vxorem & liberos coniecturus eſſet: de quorum ſtatu calamitoſo multò magis erat anxius, quàm de ſuo.

Hæc autem dùm animò ſollicitè verſaret, & quocunque ſe verteret,tot tantaſque rerum difficultates reperiret, vt omninò expedire ſe neſciret:adeſt illi, Deo procul dubio ducente, vir quidam prudens ac timens Deum, arcto quidem ſanguinis, ſed arctiori pietatis vinculo coniunctus. Is,conſiderato rerum ſtatu, vnicam eſſe videt rei expediendæ rationem, vt ille, relicta vxori rei familiaris cura, aliquò ſe conferat,vbi omnibus ignotus latere poſſit.

Cui rei facilè aſſenſum eſt,& ab vxore,cui nihil erat priùs,quam vt virum ſuú quocunq; in loco ſaluum haberet,& à viro,qui vxoré, liberos,agros,& quicquid habet hæc vita gratum ac iucundum,& in Chriſto diligere, & propter Chriſtum carere iam olim didicerat. Vxor ergò familiæ adminiſtrandæ & alendæ curam, ille conſcenſo equo iter capeſsit, egrediturq; de domo ſua,& de cognatione ſua, & de domo patris ſui,eum habens viæ ducem & comitem, qui ſuſcipiendæ peregrinationis author extiterat. Et quamuis adhuc quodam humanitatis affectu mugiret ad ſuos, quos domi infirmitatis vinculis conſtrictos reliquerat, non tamen retrò reſpicit, nec declinat vel ad dexteram vel ad ſiniſtram,ſed rectà pergit,Deum ſemper ob oculos habens,& ſuos diuinæ eius prouidentiæ indeſinenter commendans.

Relicta vxore & liberis iterū cogitur latebras quęrere.

Cùm in hunc modum incertis ſedibus vagatus fuiſſet ad ſpatiū duorum circiter menſium,nuntium accepit, vxorem è viuis exceſſiſſe. Quæ res eum reddidit & de morte coniugis triſtem,& de liberis nu-

Mortua vxore domū reuertitur, & de prolib' &

ris nutrice destitutis sollicitum. Quibus vt maturè prospiceret, continuò reuertitur & qui è patria cogitarat, iam in ipsa patria & domo sua exulare cogitur. Reuersus enim, primùm domi suæ, deindè apud amicum quendam tantisper occultatur, donec, lupis ouem subodorantibus, ab amicis monetur, vt inita rursus fuga remotioris latebræ subsidium quærat: hîc enim notiorem esse, quàm vt diu latere possit.

re familiari statuit.

Ministri Calumniani importunitas cogit Sanctum tertiò à suis discedere.

Quibus ille rectè monentibus statim acquiescit (nam de infantibus & re familiari iam statuerat) & ad amicum quendam se confert, virũ genere quidem nobilem, sed religione illustrem: qui eum non iam vt veterem commilitonem olim in scholis studiorum consortem amanter excipit, sed vt Christi athletam ex acie reuertentem obuijs vlnis amplexatur, fouet, colit, nec vllum omittit humanitatis officium, quod illi non libenter impendat.

Hîc igitur & loci situs quoddam latibuli specimen præfert, & pius hospitis in eũ affectus spem maximã facit, fore, vt in eius tutela & patrocinio cõstitutus omnẽ aduersariorũ astutiã & odorandi sagacitatẽ quàm diutissimè fallat. Sed res longè aliter euenit, & in hoc etiam loco paucis pòst diebus hac occasione proditus fuit. Dum enim quodam die prodeambularet aliquò vsque, vt gratam auram captaret, vel fortè ad meditandum, contigit, vt eodem ferè tempore animi causa prodiret equo insidens quidam vir, magni nominis & authoritatis in ea prouincia, aliquot famulis stipatus. Qui beatum virum non procul conspicatus, interrogauit à suis, an is Iacobus Fennus non esset, qui iuuenes illos cognati sui filios à patrijs legibus ad superstitionem papisticam traduxisset. Illis autem respondentibus ipsum esse, continuò quasi œstro quodam percitus, cursu concitatissimo ad eum contendit, & baculo, quem manu gestabat, grauissimè cæsum, totis etiam verborum & conuiciorum plaustris onerauit.

Indignè tractatur à furioso Caluinista.

Hac ratione homo impos animi se contumeliam nuper à discipulo (vt arbitrabatur) acceptam, in Magistro præclarè vltum fuisse existimabat. Inierat enim disputationem cum vno ex iuuenibus illis de rebus fidei: cumq; esset ipse tàm omnis disciplinæ ignarus, quàm omnis fidei & religionis expers, nec aliud haberet suæ disputationis fundamentum, quàm temeritatem & inanẽ quandam verborũ iactantiã, nõ mirũ, si à iuuene illo, qui & acutus erat & magnis

rerum ac rationum momentis à pręceptore acceptis nitebatur, sic superatus ac planè prostratus sit, vt ab omnibus, qui aderant, vanus omninò & ridiculus habitus fuerit. Atque ita sancto martyri, qui iam anteà honestißimæ conditionis iacturam, carcerem, & cętera, quæ à nobis breuiter perstricta sunt, vitæ incommoda, pro Christi gloria illustranda patienter tolerauerat, etiam illud nũc ad maiorem meriti cumulum accesit, vt tanquàm vile & abiectum mancipium fuste à priuato homine cęderetur.

Iam verò, cùm videret fieri non posse, vt hoc in loco consisteret cum aliquali securitate, adeoq; nullum vspiam esse latibulum tàm obscurum aut inuium, quò lynces isti non statim penetrarent atq; etiam peruaderent: posteaquàm de negotio multùm diuque apud animum suum considerasset, illud occurrebat, consultum esse, vt sese alicui addiceret viro præpotenti, ac sub eius vmbra delitesceret; quò fieret, vt ferarum istarum tàm perspicacium, licèt oculos non effugeret, tamen dentes non timeret.

Confert se ad D. Nicolaum Pointz.

Itaque re cum amicis communicata, probatur ab omnibus, quod ab eo proponitur, hortanturque, vt sese in prouinciam Glocestrensem conferat ad clarißimum virum Nicolaum Pointz equitem auratum. (Erat is Catholicus, magnanimus, omnibus hominum ordinibus longè gratißimus.) Qui hominem ad se venientem libenti animo ac quidem peramanter excepit. Cumque videret, quàm esset animi prudens, quantaque in omni actione solertia, probitate, fide vteretur, non solùm totius familiæ administrandæ curam, sed & vniuersorum ferè censuum dispensationem (qui tamen amplißimi erant) eius fidei commisit.

Quo in munere se tàm integrum & æquabilem pręstitit, vt magnam sibi vtrinque & apud Dominum fidem, & apud fundorum inquilinos ac domesticos omnes gratiam conciliarit. Id quod ipse Dominus posteà ingenuè testatus est apud Robertum eius fratrem (cuius suprà meminimus) cũ quo frequentißimè, & certè libentißimè de eo verba faciebat. Nec sibi à lachrymis temperare potuit, quoties sancti viri in ipsum, fidem, amorem, lenitatẽ, suam contrà in illũ verborũ asperitatem, iracundiam, &, vt ipse appellauit, nequitiam referebat. Nam præclarus eques, quemadmodùm erat natura benignus, liberalis, & ad beneficentiam in omnes homines exercendam summè propensus vel magis effusus: ita quibusdam animi motibus vehementer laborabat, qui primo impetu sic erant effręnes & impe-

tuosi, vt ad tempus penè intolerabilis videretur.

Hoc igitur illud erat, quod in homine beato nunquàm satis admirari & laudibus celebrare poterat, quòd cùm ipse huiusmodi motibus planè superatus, etiam in voces valdè incócinnas frequenter erumperet, nullũ vnquàm videret in eo impatientis animi signũ, sed contrà tã tranquillum semper ac placidum, vt omnem illũ verborum impetum leni aliqua respõsione frangeret, eaq; ratione ſępenumerò efficeret, vt sui eum facti, & puderet & ex animo pœniteret. *Testimoniũ D. Nicolai Pointz de Martyre.*

Imperauerat ei eques quodam die, vt ad aliquod negotium conficiendum se accingeret. Videns autem, quòd aliquantò tardiùs incederet, sicuti ferè solebat, nec acceleraret, quantũ concitatus ipsius animus ferebat, quasi furore correptus, hastam falcatam, quam manu gestabat, in eum magna cum indignatione intentans: corrige passum, furcifer, inquit; alioquin ego talos illos tuos tãm tardè incedentes hac falce succidam. Ad quod ille ad eum conuersus, summa cum modestia: Clarissime Domine, inquit, per Deum immortalem rogo, vt patienter expectes. Videbis enim, Deo volente, quòd ego cum hoc lento incessu negotium tuũ & satis tempestiuè & omninò ex voto conficiam. *Insigne patientiæ exemplum.*

Quo molli responso animum iratum sic fregit, vt continuò victas manus dederit, proiectaque, quam iam pridem in eum intentarat, hasta, paululùm secedens, maximam lachrymarum vim profuderit, non aliter, quàm si ob scelus in hominem Dei admissum multis verberibus cæsus fuisset. Tam vehementer angebatur animo, (quemadmodùm ipso posteà referente accepimus) quòd in virum sanctum, quem Deus tantis virtutum donis dignatus fuerat, tanta verborum indignitate vsus fuisset.

Porrò & illud magno cum affectu sæpiùs dicere solebat, eum per omne id tempus, quo in eius domo versabatur, omnes vitæ suæ rationes sic instituisse, vt vniuersa eius conuersatio nihil aliud esse videretur, quàm continua quædam & nullo vnquàm tempore intermissa concio, qua familiares omnes, & quotquot prætereà adesse contigerat, instruebantur ad fidem, pietatem, modestiam, temperantiam, cæterasque virtutes omnes, quæ in homine Christiano desiderari poſsint. Sed & illud agnoscere volebat ingenuè, præclara virtutum exempla, quæ in beato viro cernebat, sibimet plurimùm contulisse ad multas vitiorum stirpes partim minuendas, partim etiam resecandas, quæ iam anteà altas in ipso radices egerant.

Zelus animarum. Hoc enim in more habebat verus animarum zelator, vt si quem in aliquo delicto enormiori praeoccupatum videret, illum captata occasione adiret,& ex Apostoli praescripto in spiritu lenitatis instrueret,nec priùs à monendo,hortando,consulendo desisteret, quàm animam illam,quę in laqueum diaboli & tentationem inciderat, virtute Dei & opera sua liberasset. Et quemadmodùm de omnibus vitiorum cœno immersis ei cura erat, ita praecipuè quodam studio in eam rem incumbebat,vt,si quos haeresum aut errorum caligine obductos cerneret, eos ad lumen fidei Catholicae & agnitionis filij Dei reuocaret:qua etiam in re multùm omninò praestitit.

Sed Deus, qui solus consiliorum suorum conscius,sciebat, quid de hoc viro iam indè ab initio statuerat, cùm eius fidem & in rebus gerendis prudentiam hoc in loco satis spectatam reddidisset, non passus est, vt lucerna diuinitùs accensa sub modio diutiùs lateret, sed ponere voluit super candelabrum, vt luceret omnibus, qui in domo sunt.

Hoc autem modo eum euocauit: frequentabat aedes illas Sacerdos quidam, vir omni & virtutum & scientiarum genere spectabilis. Is cùm raram hominis modestiam, maturitatem, & in administranda familia prudentiam attentiùs considerasset, idoneum esse iudicauit,qui maiora negotia susciperet. Itaque seriò cum eo egit,vt relicta hac rerum saecularium œconomia,sese Remos conferret,atq; inde sacris initiatus in Angliam reuerteretur,maiorem vtique & solidiorem fructum ex illa diuinarum rerum dispensatione relaturus.

Cui eius consilio vir sanctus, qui solam Dei gloriam sibi in omnibus propositam,& sacerdotis vel solum nutum pro imperio habebat,facilè acquieuit. Cumque omnes dati & accepti rationes exactè subduxisset, ac dominus vnà cum libellis rationum etiam dispensandae familiae munus ab eo recepisset, mari transmisso Remos in Campania profectus est: vbi in collegio Gregoriano Anglis instituēdis extructo per vnum annum integrum Deo & pijs eius scholae studijs vacauit. *Remos se cōfert.*

Quo temporis spatio praeclara quidem in eo fuerunt omnia, summa in Deum pietas, summum in Magistros & studiorum moderatores obsequium, summum in aequales studium, amor, & si quid poterat, beneficentia: quibus de rebus apud omnes hominum ordines valdè gratus extitit. *Virtutes praeclarae martyris.*

Sed

Sed illud in eo præ cæteris omnibus singulari quodam modo eminebat, ita vt ab omnibus animaduerteretur, quòd timida esset admodùm & delicata conscientia. Adeò vt, si quid ab eo fortè dictum factúmue esset, quod animum aliquem infirmiorem quantumuis leuiter offendere posse videretur, statim hominem adiret seorsum, diligenter interrogaret, an aliqua offensio ab eo suscepta fuisset: &, si comperisset ita fuisse, culpam submissè deprecaretur, & imposterùm vt piaculum euitaret.

Post annum exactum (ad sacrum priùs sacerdotij munus euectus) reditum continuò in Angliam parat, vt talentum sibi à Deo creditum non segniter abscondat, sed fructuosè depromat & negotietur. Atque hoc quidem animo in patriam reuersus, illud præcipuè, imò vnicè spectat, vt eum sibi locum deligat, vbi lucri quàm plurimum, non sibi, sed Christo Domino referat, à quo & pecuniam, in qua negotiaretur, acceperat. *Sacerdos creatur.* *Reuertitur in Angliam.*

Certior ergò factus, Somersetanam regionem, in qua & natus & educatus, & ante aliquot annos pessimè habitus fuerat. maximè omnium prouinciarum pastoribus destitutam esse, adeoque lupos nullo prohibente irruentes, maximas indè prædas continenter agere, eò se confert pastor bonus, & lupis sese opponit, non quidem publicè, sed prudenter. Nullis parcit laboribus, quo animas Christi sanguinis pretio redemptas ab interitu vindicet. Primùm aduersariorum fraudes, quibus potest, luculenter ob oculos ponit. Deindè proponit eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem, prædicat verbum, instat, obsecrat, in omni patientia & doctrina. *Somersetanã prouinciã venit bon' pastor obit.*

Quibus rebus efficit, vt quàm plurimi veritatem Catholicam agnoscant quidem, licèt amplecti ac profiteri non audeant: atque illud saltem lugeant miseri, quòd ijs temporibus nati sint in Anglia, quandò homines, qui Christo nomen dederunt in Baptismo, ab illis, qui Christiano etiam nomine censentur, tanta & tàm inusitata cruciatuum immanitate à Christi obsequio absterreantur. Quosdam verò, eosque principes in Republ. viros eò perducit, vt abdicatis hæresum erroribus, quibus tamen impensissimè addicti fuerant, fidei Catholicæ lumen libenter admittant, & in Ecclesiam denuò per pœnitentiam inserti, extrema quæq; experiri malint, quàm ab Ecclesiæ vnitate diuelli. *Primarios quosdam illius prouinciæ viros ad gremium Ecclesiæ reuocat.*

Sed princeps tenebrarum harum, hanc regno ſuo cladem inferri moleſtiſsimè ferens, futuram etiam ex hiſce principijs imperij totius excidionem non vanè pertimeſcens, primarios illos aulæ ſuę miniſtros concitat in virum Dei. Qui ſtatim audita hominis fama diſcurrunt (veloces enim pedes eorum ad effundendum ſanguinem) inſidias vbique ſtruunt, nec priùs deſiſtunt, quàm in ſacerdotem ſanctum columbina ſimplicitate in ſemitis mandatorum Dei ambulantem manus ſacrilegas inijciant.

Inſidiæ ſtruuntur viro Dei.

Captus ergò conſeruatoribus pacis ex more ſiſtitur, quorum imperio confeſtim Ilcheſtriam abreptus & in teterrimum illum facinoroſorum hominum carcerem coniectus, vinculis ferreis oneratur. Et, ne quid ei ad ſummam ignominiam deeſſe videatur, cathenis & compedibus in hunc modum onuſtus, ſtatuitur in loco quodam conſpicuo, vt ab vniuerſo populo ſpectetur.

Comprehenſus in vincula conijcitur.

Sed hæc eorum malitia non tàm fœliciter ceſsit perfidis hominibus, quàm ipſi ſperabant. Tantum enim abeſt, vt quiſquam illi probrum ingeſſerit aut inſultauerit, (quod ab illis expetebatur,) vt omnes, qui inuictam hominis patientiam, vultus modeſtiam, animique tranquillitatem toto ſe corporis habitu prodentem conſpiciebant, magna eũ in veneratione habere cœperint. Adeò vt ruſticus quidã, homo ſimplex, in venerando illo ſacerdotis vultu defixus, continere ſe non potuerit, quò minùs in illas voces erumperet: Deum immortalem, inquit; quid opus erat tot cathenis ad ſtringẽdum hominem, cui certè ſufficiebat vel vnum filum holoſericum: cùm nullũ aliud ſit eius crimen, quàm quòd in cauſa religionis ſic locutus eſt, quemadmodùm ſenſit? Sed & in vniuerſa plebe murmurari cœptum eſt, alijs alia de negotio ſentientibus, ac pleriſq; iam in has vel illas partes propendentibus, qui de religione ne cogitare quidem anteà videbantur.

Populus ęgrè fert ſanctum virum vinculis cõſtringi.

Quod cùm viderent Magiſtratus, timentes, ne populus hac occaſione à Reginæ legibus & inſtitutis reſilientes ad antiquam (quam vocant) legem deſciſcerent, ſcribunt literas ad ſenatum regium, eoſque certiores faciunt de negotio. A quibus ſtatim mandatum recipiunt, vt hominem Londinum vſque perductum (quod ab Ilcheſtria centum ferè miliaribus diſtabat) alicui ſenatorij ordinis viro ſiſtendum curent.

Londinũ perducitur martyr.

Siſtitur Vualſingamio ſenatori.

Quod illi mandatum promptè ſuſcipiunt, eumque ducunt ad Franciſcum Vualſingamium ſenatus ſcribam primarium. Is multa inter-

interrogat, & quidem subtiliter ac captiosè: (est enim ea in re longè exercitatissimus.) Sed cùm nullum aliud in eo crimen deprahenderet, quàm quòd fuisset semper quidem Catholicus, nunc autem & Sacerdos, eo fine sacris initiatus, vt lucrum non pecuniarum sed animarum faceret: posteaquàm suam in eum facundiam exercuisset orator caninus, & multas in sacerdotem Dei & religionem Catholicam iniurias, conuicia, blasphemias quasi animi causa dixisset, illum addicit carceri, quæ equitis martij sedes appellatur. *Carceri addicitur.*

Sed inter tot mala, hoc vnum diuina prouidentia & ipsi commodè & alijs quàplurimis vtiliter cessit, quòd satellitibus, qui eum ducebãt, nõ solùm agnitus pro sacerdote, sed nec leuiter suspectus fuit. Vndè & illud euenit, vt ab omnibus pro laico habitus, ipsum etiam carceris præfectum & custodes per totum bienniũ latuerit. Qui proptereà hominem aliquantò humaniùs tractarunt, nec prohibuerũt, quò minùs tàm liber esset ad eum aditus, quã ad reliquos captiuos. *Pro laico habitus multos ad fidẽ Christi conuertit.*

Quam ille rei suæ benè agendæ opportunitatem prudens fœnerator non omisit: sed totus animarum lucris intentus, suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum, prædicans regnum Dei, & docens, quæ sunt de Domino Iesu Christo, & de vnitate sponsæ eius Ecclesiæ Catholicæ, cum omni fiducia. Pluribus author fuit, vt relictis & abiuratis prophanorum hominũ conuentibus, ad gremium sanctę matris Ecclesiæ Romanæ redirent. Multos iam Catholicos & verbo & exemplo confirmauit, ne post agnitionem veritatis retrorsum conuerterentur ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato.

Omnibus, quos nouerat esse domesticos fidei, sancta Ecclesiæ sacramenta, ita vt potuit, administrauit. In oratione & meditatione assiduus erat: concaptiuis & corporis & animæ subsidia libenter impertiebatur. Si quid ei supererat ex ijs, quæ à pijs hominibus deferebantur: (id quod frequentissimè contingebat, eò quòd liberior ad eum erat accessus quàm ad reliquos, maximè verò sacerdotes) id cõtinuò in Catholicos indigentiores eodem in loco, vel alijs in carceribus aut etiam latibulis ob martyrium fidei constitutos promptissimè erogabat. Si quis ex filijs spiritualibus aliquid ei porrigebat ad vsus etiam necessarios, sollicitè ab eo quærebat, (sic conscientiæ suæ timebat) num & reliquis captiuis similiter prospectum esset. *Sacramenta administrat in carcere.* *Liberalitas in concaptiuos & pauperes.*

Sed nec eo contentus, post singulos tres menses, simulatque ordinarios carceris sumptus præfecto & Ministris numerasset (quod ab ijs fiebat, qui libera custodia fruebantur) omnem continuò, quæ

Pp 3 supere-

ſupererat, pecuniam concaptiuis viritim diſtribuebat, nec quicquam penes ſe manere patiebatur, diuina fretus prouidentia, de craſtino non erat ſollicitus: ſciebat enim hæc omnia Chriſti cultoribus regnum Dei primo loco quærentibus ſuo tempore adijciendа eſſe.

Ac quemadmodùm neminem vnquàm videbat rebus aduerſis conflictatum, quem non libenter & verbis conſolaretur, & re ipſa pro facultatibus iuuaret: ita miſeros illos & calamitoſos homines, quos de piratica vel alijs enormioribus flagitijs conuictos duris quidem carceris, ſed durioribus diaboli vinculis conſtrictos cernebat, ſingulari quodam commiſerationis affectu proſequebatur.

Hos captata opportunitate frequenter adibat, ac monebat ſeriò, vt omnes anteactæ vitæ rationes ad mentem reuocarent, ſcelerum in Deum & homines admiſſorum atrocitatem perpenderent, diuini iudicij ſeueritatem ſibi ob oculos ponerent. Tempus enim iam inſtare, cùm primùm hominibus, deindè Deo ſiſtendi ſint, hîc quidem horrendæ, illîc verò & æternæ mortis ſententiam ſubituri.

Quamobrem magno eos affectu hortabatur, vt conſiderata periculi iam iam imminentis magnitudine, ſibi maturè conſulerent, iudicem ſibi iuſtiſsimè iratum pœnitentia placarent, & præuenirent faciem eius in confeſsione. Quod ſi ab ipſis ex præſcripto Eccleſiæ Catholicæ fieret, (cui ſoli à Deo poteſtas, ligandi atque ſoluendi conceſſa eſt) fore procul dubio, vt peccatorum ſordibus per pœnitentiam abſterſis, eaque re pace cum Deo redintegrata, & hanc mortem momentaneam magna cum animi tranquillitate perferrent, & pòſt, vitam illam veram adipiſcerentur, nullo vnquàm nec temporis nec fœlicitatis fine terminandam.

Quæ viri ſancti cohortatio tantos in eorum mentibus ſtimulos reliquit, vt multi ſtatim nuntio vitijs omnibus remiſſo, emendatioris vitæ propoſitum ſuſceperint: & qui iam nuper fuerant hæretici peruicaces, contumelioſi, blaſphemi, ſuſcepto Chriſti ſuaui iugo, ſanctiſsimis Eccleſiæ Catholicæ legibus & diſciplinæ ceruices vltrò ſubmiſerint.

In ijs vnus erat, qui de piratica conuictus & iudicum ſententia morti addictus, miſerabiliter (vti fieri ſolet) ſuam ſortem lugebat. Quem Sacerdos Dei conſpiciens, tempus opportunum eſſe ratus, quo hominem de ſalute animæ moneret, accedit, & manu apprehenſum ſeorſum ducit. Compertoque, quòd non ſolùm vitæ, ſed & ſalutis ſpem omnem depoſuiſſet, iubet bono animo eſſe, ſibiq; proponere,

Mirabilis cõuerſio cuiuſdam hominis deſperati.

ponere, non scelerum suorum atrocitatem, sed Dei misericordiam, quæ est super omnia opera eius, tanta omninò, vt à nulla nec hominum nec dæmonum malitia vinci aut æquari posśit.

Hortatur, vt latronem illum, qui vnà cum Christo saluatore nostro in crucem suffectus est, sibi in exemplum & patronum sumat, consideretque, quàm breuis fuerit illius culpam deprecantis oratio: Memento mei, Domine, cùm veneris in regnum tuum; quàm dulcis vicisśim Christi culpam condonantis responsio: Hodiè mecum eris in paradiso. Monet igitur, vt omnia prioris vitæ peccata ad mentem reuocet, vnà cum hoc facinore, quod ei nunc vltimo supplicio luendum erat, doleatque ex animo, non tàm de pœnis, quas subiturus erat, quàm de flagitijs, quibus Deum Opt. Max. sibi offensum reddiderat.

Hęc si ab eo præstentur, docet esse in Ecclesia Catholica potestatem remittendi peccata omnia, quantumuis numerosa vel atrocia, modò quis de sceleribus iam admisśis, sincerè doleat, statuatq; apud animum suum, se nihil imposterum admissurum esse, quo diuinam offensionem sibi conciliet. Proponit ei etiam præcipua quædam Catholicæ disciplinæ capita, prout temporis angustia & loci periculum patitur.

Atque hæc quidem omnia tanto cum affectu edisserebat vir sanctus Deo plenus, vt latro mira quadam dulcedine perfusus, se protinùs ad pedes sacerdotis proijceret, eique supplex fieret, vt ipsum admittere dignaretur in Ecclesiam istam Catholicam, cui Christus eximiam illam scelerum remittendorum facultatem contulisset. Cui hominis petitioni Sacerdos libenter annuit, eique præceptiones quasdam pro temporis ratione dedit, quarum adminiculo vniuersam vitæ transactæ seriem recordari, & exactam rerum omnium confesśionem instituere posset.

Quod cùm ille postero die ea, qua edoctus erat, forma & ordine præstitisset, pius pater filium prodigum ex regione longinqua redeuntem benignè suscipiens, primùm ad pacis osculum & Sanctorũ communionem rursus admisit, deindè & viatorem iam factum, & in beata Dei lege iter asperum (ad ipsum vtique Dei montem) mox suscepturum, sacrosancto corporis & sanguinis Christi viatico communiuit.

Cumq; tironem suum hisce sacramentorum subsidijs & virtute ex alto probè instruxisset, hortatꝰ est, vt quę sunt retrò, obliuiscēs ad ea, quæ

quę ſunt priora, ſe extenderet, nullis vnquàm aduerſariorũ nec blanditijs flexus cederet, nec minis fractus ſuccumberet: quicquid aduerſi cõtingeret in via, ea re ſe conſolaretur, itineris labores quidem & moleſtias breues admodùm & momentaneas, finem verò vitam eſſe & beatam & immortalem.

Quibus rerum ac rationum momentis ſic confirmatus fuit Chriſtiani militis animus, vt palàm proteſtatus ſit, ſeſe illã conſciæ mentis carnificinam, quam iam anteà ſenſerat, ampliùs ſentire non velle, etiamſi omnia huius vitæ bona & voluptates indè conſequi poſſet, nec vllo vnquàm tempore commiſſurum, vt à cœleſtibus illis Eccleſiæ Catholicæ ſacramentis abduceretur, à quibus tantis in anguſtijs conſtitutus tantam dulcedinem & ſolatium hauſiſſet. Quod poſteà re ipſa pręſtitit.

Nam cùm mox vrgeretur, vt more Caluiniano communicaret, cum libero quodam faſtidio negauit, ſe poſt guſtatas ſacri conuiuij delicias velle vnquàm inanes illas porcorum ſiliquas repetere, quæ iam olim ſæpiſsimè in ventrem ingeſtæ nullam animæ ſatietatem attuliſſent. Quam eius reſponſionem illi ægerrimè ferentes, modò eculeum & cruciatus acerbiſsimos minitabantur, modò vitæ producendæ ſpem faciebant, ſi legibus parere vellet. Sed ille diſertis verbis aiebat, ſe nec mortis formidine nec vitæ ſpe adduci velle, vt quicquam cum hæreticis commune haberet.

Atque hoc quidem animo, cùm ad furcam produceretur, ibique rurſum poſtularetur ab eo, vt cum circumfuſa multitudine ſaltem precari vellet, ſeſe id facturum conſtantiſsimè negauit, affirmans ſe Eccleſiæ Catholicæ membrum eſſe, & in ea fidei Catholicæ profeſſione & viuere & mori ſtatuiſſe. Sed magis diuinam clementiam populo teſtatam faciebat, & grato animo deprædicabat, cuius prouidentia in eum locum delatus fuiſſet, vbi ſanctorum hominum & contubernio frui, & vitæ Chriſtianæ tum præcepta, tum etiam exempla háurire poterat.

Quæ cùm dixiſſet, ſcala deiectus & laqueo præfocatus vnius noctis catechumenus, confeſſor & Martyr ad triumphũ tranſijt vnius quidem diei, ſed eius longè clariſsimi & nulla vnquàm noctis ſucceſsione finiendi.

Iam verò, vt ad eum redeamus, qui huic bono latroni, poſt tot prædas terra marique actas, etiam cœli diripiendi author fuit: quemadmodùm in verbis ſancti viri mira quædam inerat virtus

& energia, ita & tacita illa venerandi vultus species insitam quandam habebat facundiam, qua hominum animos mirum in modum afficiebat.

Cùm enim de Deo & rebus cœlestibus sermonem habebat (id quod libentissimè faciebat, quoties dabatur loci & temporis opportunitas) cumque sacris Ecclesiæ cæremonijs aut mysterijs peragendis, ac maximè sancto Missæ sacrificio celebrando insistebat, ea conspiciebatur in oculis & toto vultu serenitas, vt & radij emicantes solem iustitiæ intùs omnia lustrantem testarentur, & ardor toto corporis gestu & habitudine testatus proximos quosque accenderet.

Quo diuini numinis igne & ipsi similiter accensi, talem repentè & tàm inusitatum teneritudinis affectum in semetipsis senserunt, vt sibi à lachrymis temperare non potuerint. Hoc autem sæpiùs accidisse sibi, fatentur non vnus & alter de turba simpliciori, sed complures, ijque viri cordati.

In illis vnus erat generis quidem nobilitate clarus habitus in filijs hominum, sed fidei & virtutum splendore planè illustris in filijs Dei. Qui, cùm quodam die sacro interesset vnà cum reliqua multitudine, & sacrorum antistitem oculis attentè consideraret, vultus constantiam & maturitatem, gestus corporis compositos admodùm & concinnos, omnia mentem piam & in Deum penitùs subleuatam referentia, & ipse insolitos quosdam animi motus sensit, nec continere se potuit, quò minùs ingentem lachrymarum vim profunderet.

Qua de re cùm posteà verba faceret ad sacerdotem quendam, qui sancto martyri familiaris erat, ingenuè fatebatur vir nobilis, se nihil vnquàm tale, nec in omni vita anteacta nec post illum diem sensisse; cùm tamen pluribus sacerdotibus Missam celebrantibus adfuisset, de quorum virtutibus & vitæ etiam sanctimonia magna esset opinio.

Per vnum ferè annum, antequàm ex hac vita decesit, sese ab omni penè hominum consuetudine subducens, vitæ magis solitariæ studium sectatus est: tantum omninò temporis negotijs sæcularibus impendens, quantum sui muneris ratio & fraterna charitas exigebat. Deo & rerum cœlestium meditationi libenter vacabat, corpus præter solitum ieiunijs vigilijsque macerabat, in oratione assiduus erat. Atque hisce armis & exercitationibus se prudens Christi athleta ad agonem, quem suo tempore suscepturus erat, præmuniebat.

Sanctus se parat ad martyrium.

Qq Habe-

Habebat enim procul dubio sacræ mortis vel responsum vel saltem præsagitionem quandam animo vehementer impressam: quod ipse subindè verbis quidem subobscurè, sed rebus ipsis luculenter ostendit.

Pro sacerdote agnit' arctiori custodia addicitur.

Sed paulò antè, quàm illud supremi certaminis tempus aduenerat, qui iam indè ab initio pro viro Catholico semper habitus fuerat, etiam nunc pro sacerdote (fortè alicuius falsi fratris iudicio) agnitus, eaque de causa arctiori custodiæ, sicut & cæteri sacerdotes, addictus fuit. Quæ res illi omninò ex voto cessit: id enim nunc necessitate fiebat, quod iam olim voluntate fuerat. Non enim existimabat vir sanctus, se meliorem esse fratribus, eoque optabat ex animo, vt quorum vna & eadem erat causa, eadem quoque & par esset conditio.

Itaque, cùm reliquam sacerdotum turbam euocabant Ministri (quod subindè faciebant) specie quidem, quasi de rebus controuersis disputationem cum ipsis inituri, sed re ipsa, vt pias eorum aures conuicijs & blasphemijs onerarent: & ipse vnà prodibat, non iam personatus, vti consueuerat, sed sacerdotem & corde gerens, vt semper, & foras exhibens, quod hactenus prudenter (non quidem sua sed aliorum causa) non fecerat.

Atque in hisce congressibus ita se gerebat, vt animum planè generosum & fidem accensam ostenderet. Potens enim erat, non solùm exhortari doctrina sana, sed & eos, qui contrà dicebant, vt inobedientes, vaniloquos, & seductores arguere.

Examinatur, quo modo se gesserit.

Demùm, cùm ijs, qui rerum in Anglia potiebantur, è republica esse videretur, vt aliqui ex sacerdotibus ad terrorem cæteris incutiendum vltimo supplicio afficerentur: vir sanctus vnà cum aliquot alijs presbyteris eorum imperio ad examinatores perductus fuit. Qui cùm ei multa rerũ capita (vti moris est) proposuissent, ille summatim se Catholicum esse respondit, & nullum esse fidei Catholicæ articulum, pro quo non vellet vitam & sanguinem libenti animo profundere.

De authoritate sedis Apostolicæ interrogatus, ingenuè professus est, eam sedem ius & authoritatem habere in omnes Christiani nominis principes.

Tum rursum interrogabant eum, quid de ea re sentiret, an Papa Reginam iure regni priuare posset; & si is ea de causa bellum Reginæ aut regno moueret, quarum partium esse vellet. Ad quod ille eorũ

fidem

fidem obtestatus (idq; non semel, sed sæpissimè) submissè petiuit, vt istiusmodi quæstiones missas facerent, quæ nihil aliud spectarent, quàm sanguinem & cædem: illud eis sanctè asseuerans, sese, vti verum Ecclesiæ Catholicæ membrum & sedis Apostolicæ filium, ita & Reginæ ac coronæ Anglicanæ subditum esse, patrijs legibus per omnia, vt ciuem probum decebat, obtemperantem.

Quam eius responsionem, licèt pietatis & officij plenam, cùm illi nullo modo admitterent, sed vrgerent omninò, vt disertis verbis ad rem propositam responderet: Benè, inquit, vita mea est, quam quæritis, vita me priuare statuistis, & ego veritati astruendę vitam libenter impendo. Meam igitur responsionem sic accipitote: Papa Reginam Angliæ & quemuis alium principem Christianum, qui sedis Apostolicæ authoritati in gubernanda Ecclesia obsistit, omni regnandi iure priuare potest: quod cùm facit, meum est Ecclesiam audire, eiusque decreto obtemperare. Et si Regina in eo persistere velit, vt Ecclesiæ Christi aduersetur, ipsa sibi pestem perniciemque machinatur. Nam futurum est planè ex diuina ipsius Christi promissione, vt Ecclesia demùm superior euadat, & ipsa cum suis corruat: nec vlla erit vis humana vel etiam astutia tàm grandis, quæ decidentem suffulcire & à ruina prohibere poterit. Itaque cùm illi ruendum erit, omninò ruitura est: atque hunc res exitum habebit. Quod eius responsum continuò per totam vrbem diuulgatum erat, ita vt in omnium ore esset Iacobi Fenni elogium: Cùm illi ruendum erit, omninò ruitura est: atque hic erit rerum finis.

Sētētia Martyris de Romani Pontificis potestate, & pōtificatu Reginæ Angliæ.

His ita peractis ad carcerem reductus fuit vir Dei, nulla quidem adhuc accepta mortis sententia, sed tamen quasi homo planè mortuus & suo & omnium hominum iudicio habitus. Quem propterea cæteri concaptiui omnes, non solùm laici, sed & Sacerdotes, è latibulis suis (si qua ratione poterant) erepentes, incredibile dictu est, quanto cum deuotionis affectu sese ad sacros eius pedes proiecerint; alij, vt conscientię sarcinã apud eum deponerent, alij, vt eum in rebus dubijs consulerent; omnes, vt saltem faustã ab eo precationem impetrarent, illud summæ fœlicitatis loco æstimantes, si eum vel osculari, vel alloqui, vel etiam è cauernulis aspectare liceret, antequàm ad communem Dominum migraret, pro cuius gloria illustranda & ipsi iam dimicauerant, & nunc legitimè certare parati erant, illud solùm martyri sancto inuidentes, quòd ipsos in hoc sacratæ pugnæ certamine loco & tempore præcederet.

Sed & illi, qui nihil aliud iam expectabant, quàm vt eandem cum illo iudiciorum aleam subirent, præclarè secum actum esse iudicarunt, quòd sancti viri benedictione muniendi, & ipsum (vti quidem sperabant) supremi certaminis consortem habituri erant.

Sed breui pòst tempore mandatum fuit, vt sacerdotes omnes arctiùs obseruarentur, nec permitteretur ampliùs, vt vllus esset ad eos aditus, nec aliorum ad alios, nec cæterorum hominum ad illos. Quò factum est, vt à nobis resciri non potuerit, quemadmodùm se vir sanctus gesserit vsq; ad eum diem, quo vnà cum alijs quinque viris Catholicis in publicum producendus erat, & iudicum tribunali sistendus: quod post viginti circiter dies contingebat.

Formula accusationis.

Iam verò, cùm pro rostris constitutus esset Christi martyr, lectus fuit criminationum libellus, qui hanc ferè verborum formulam complectebatur: Iacobum Fennum & Georgium Haddocum Romæ certo quodam anno, mense, ac die (quæ omnia accuratè descripta erant) in necem Reginæ conspirasse, eoque animo in Angliam redijsse, vt nefarium proditionis scelus mente designatum captata opportunitate effectum darent.

Quæ cùm perlecta fuissent, aliquamdiu tacuit vir Dei, fortaßè, quæ intentata erant, responsi indigna existimans. Tandem iussus à iudice, vt, si quid haberet, pro se satisfaceret: Deum, inquit, testor, illustris Domine, omnem hanc criminationem à veritate longè alienißimam esse.

Responsio Martyris.

Primùm enim, quod ad locum attinet, vbi hanc conspirationem initam esse volunt, Deum Opt. Max. & omnes cœlites contestor, me Romæ nunquàm fuisse, nec vnquàm in omni vita ad eam vrbem propiùs accesisse, quàm cùm essem Remis in Campania (sicuti existimo.)

D. Haddocū proditionis commolitorē nunquā vidit martyr, nisi in ipso tribunali.

Deindè quantum ad virum istum D. Haddocum, quem machinandæ proditionis conscium & commolitorem esse placet, Deum similiter testem inuoco in animam meam, illum heri primùm hoc in loco à me visum fuisse, cùm pro rostris captiuus sisteretur.

Martyr tunc temporis Lōdini erat in vinculis quādo Reginæ necē dicitur

Demùm eo ipso anno, mense, ac die, quo istam proditionem à me susceptam esse criminantur, me hîc in Anglia, &, si rectè memini, etiam in hac equitis Martij sede fuisse, rebus (si placet) addicam necessarijs. Benè, Fenne (inquit iudex) etiamsi in loco & alijs rei circumstantijs nonnihil erratum sit, tu tamen læsæ Maiestatis satis euidenter conuictus es, ac propterea tibi moriendum esse scias.

Ac

Ac certè, inquit Christi martyr, quod ad crimen intentatum attinet, quòd Reginæ necem machinatus sim: tantum abest, vt tale vnquàm facinus animo destinauerim, vt ne cogitauerim quidem, sed nec ad hanc vsque horam cogitem; nec velim Reginæ Elizabethæ principi meæ aliquod nocumentum inferre, licèt id & impunè facere, & ex ea re vniuersum etiam Angliæ regnum consequi possem. Sed frustrà innocentiam obtendebat agnus, apud lupos causam agēs, quibus & potior erat sanguis, quàm iustitia, & ouis ad occisionem priùs destinata, quàm pro oue agnita. *molitus Romæ, vbi nunquàm fuerat.*

Hoc viri sancti responsum omnes, qui aderant, admiratione ac stupore affecit. Nemo enim dubitare poterat, quin saltem Romæ fuisset, & virum illum, quem criminis consortem esse affirmauerant, conuenisset, certè in Anglia non fuisset, maximè verò Londini, & in publica custodia: vbi non paucorum hominum testimonio, sed publica fide ab omni criminis suspicione liberari & poterat & omninò debebat.

Quæ cùm ita essent, iudex tamen, acceptis priùs duodecimuirorum suffragijs, tulit in eum mortis sententiam, ipse & suo & communi hominum iudicio dignus planè habitus, qui millies eius loco mortem subiret: qui nec Deum timens, nec hominem reueritus, tot habuit iniquæ sententiæ testes, quot in illa comitiorum celebritate aderant homines.

Tanta verò & tàm insignis erat hæc iniustitiæ nota, vt nec ipsis recti ac boni iuratis hostibus satis probata fuerit. Etenim cùm quodam die eius rei mentio fieret apud Gulielmum Cicilium regni Anglicani quæstorem primarium: Profectò, inquit, illa Iacobi Fenni causa perperàm tractata fuit. Non displicebat illi iniustitia in virum Catholicum exercitata, (quam si sustuleris basim, tota eorum fabrica statim corruit:) sed indignè ferebat homo politicus, publici iudicij formam tàm enormiter deprauatam fuisse, vt res nullum omninò fucum aut excusationem admittere videretur. *Cicilius ipse, alter inquisitionis sanguinariæ princeps fatetur martyrem iniustè damnatum.*

Sed & alius quidam, vir etiam illustris, aulicæ & vitæ & religionis sectator, posteà D. Robertum Fennum sancti martyris fratrem conueniens: Ego, inquit, intereram, cùm frater tuus pro tribunali causam dicebat. Cumque ad criminationes responderet, affirmaretq; se Romæ nunquàm fuisse, nec Georgium Haddocum vspiam vidisse: ego vultum hominis fixis oculis intuitus sum, & statim mihi ferebat animus, eum vera dixisse, fuisseque ab eo crimine prorsus

immunem. Sed pòst,cùm videbam, quòd nihil ab ipsis in medium adferebatur, quo crimē intentatum astruerent, negotium non syncerè tractari suspicabar. Atque ita ad aulam reuersus,meamque sententiam,de perduellibus damnatis interrogatus, ingenuè respondi: me vnum esse non voluisse ex eo duodecimuirorum numero, qui illos homines mortis reos esse pronuntiarunt, si mille nummorum libræ mihi numerarentur.

Accepta mortis sententia, vir beatus ad arcem Londinensem ductus fuit: vbi à feria sexta,(qui erat octauus dies mensis Februarij,) vsque ad feriam quartam hebdomadæ subsequentis detentus fuit. Quo temporis interuallo ad eum accesit Pophamus Reginæ aduocatus generalis, & vnà cum illo quidam legum professor, sancti viri iam olim condiscipulus. Hi serijs verbis hortabantur, vt vel tandem resipisceret: sese de vita ei producenda fideliter acturos pollicentes, si modò Reginæ authoritatem agnoscere & legibus parere vellet.

Offertur sancto vita, modò velit agnoscere pōtificatū muliebrē Reginæ.

Quibus ille: Equidem,inquit, Reginæ authoritatem libenter agnosco in causis temporalibus:eam verò supremum Ecclesiæ Christi caput nullo modo agnoscere nec volo nec debeo, sed solùm ouiculam supremo Ecclesiæ pastori subiectam, qui est pontifex Romanus. Atque in hac quidem professione defensioneque ego mortem subire paratus sum.

Raptatur ad supplicium.

Decimo tertio die Februarij in storea viminea sternebatur sanct• Dei Sacerdos,mox etiam hostia futurus,vt instar cadaueris ab hominum oculis submouendi ad patibulum per terram raptaretur.Dum verò ita iaceret supinus,sublatis paulisper oculis Franciscam filiolam suam conspexit, patris ante mortem efferendi funus multis cū lachrymis (vti ea ferebat ætas) miserabiliter prosequenté. Quo spectaculo plurimos è turba ad commiserationem ita permouit, vt cōmunem vtriusq; sortem magno humanitatis affectu lugerent.

Miserabile spectaculū.

Sed pater, qui humana omnia iam olim transcenderat,de consueta sacerdotalis animi magnitudine nihil remisit: sed filiam ita,vt solitus erat, tranquillo admodùm & sereno vultu intuitus, manibus aliquantulùm subleuatis (nam fortiter colligatæ erant) faustam ei precationé more patrio impertiuit, atq; ita ad furcā pertractus fuit.

Cùm ad locum supplicij ventum erat, non fuit ei permissum, vt multa verba faceret. Sed cùm aliquamdiu precatus fuisset, illud solùm dixit ad plebem,ab illo crimine,cuius ad subsellia falsò insimulatus fuerat,non solùm manum sed & menté planè innoxiam fuisse.

Vltima verba Martyris.

Et

Et nunc, inquit, posteaquàm meam ipsius animam diuinæ clementiæ commendaui, etiam Reginæ fausta omnia precor ex animo: vos omnes in hoc ipso animæ confli&tantis extremo spiritu contestans, me eam mentem & semper habuisse & nunc habere, vt eam quantumuis leui aciculæ punctura lædere non velim, etiamsi ea loci opportunitas esset, vt de illa pro arbitratu meo statuere possem. Ac cũ hac contestatione & meum & eius spiritum in manus Dei creatoris commendo. Quibus in verbis curru deturbatus, tamdiu cũ laqueo præfocante & intestinis torminibus confligere permittebatur, donec vitalibus spiritibus tantum non præclusis, quasi in ipso mortis complexu constitutus, & animam iam iam acturus esse videretur.

Tum fune inciso decidentem carnifex continuò arripiens super tabulato sternebat, & cæteris iustitiæ ministris brachia, tibias & reliqua corporis membra fortiter comprimentibus (nam viuus adhuc & integris sensibus ac viribus erat,) primùm genitalia cultro excisa in ignem propè accensum proiecit. Deindè ventre exenterato, viscera omnia violẽter euulsa flammis similiter absumpsit. Demùm ipsis etiam præcordijs cruẽtam manum inferens, cor illud syncerum ac generosum, quod nullis vnquàm hominum nec blanditijs abduci, nec cruciatibus absterreri potuit à Christi saluatoris obsequio, rapidè extraxit. Tunc reliquũ quidem corpus, quod vitam adhuc inhærentẽ tremulis motib⁹ indicabat, in quatuor partes dissecuit, quas ad quatuor vrbis portas celebriores destinauit, vt illis in locis ad terrorẽ ceteris Catholicę fidei cultoribus incutiendũ suspẽderentur.

Caput verò supra pontem Londinensem (vbi ob Tamesim pręterfluentem & nauale commercium populus frequens esse solet) conto prælongo affixum omnium oculis expositum fuit. Quod ab illis eo quidem animo factum est, vt homines quamplurimi terra marique negotiantes tristi spectaculo territi, à pietate Catholica auerterẽtur: sed diuino consilio, vt præcelsus Christi martyr & Sacerdos, ex loco illo tam eminenti & conspicuo, continuam quandam concionem haberet ad populum, ipsaque taciti vultus species cœlum, terram, & mare contestaretur de atroci eorum hominum flagitio, qui abdicato sedis Apostolicæ principatu, primã sacerdotij cathedram tã vilẽ & despicabilẽ habuerũt, vt sacrã eius dignitatẽ D. Petri successori adẽptã, primũ in hominẽ laicũ, deindè in puerũ, ac postremo loco in profanam etiã mulierẽ transferendam, omnesq; qui contrà dicerent aut sentirẽt, tanta cruciatuũ immanitate excarnificãdos esse existimarint.

MAR-

MARTYRIVM DOMINI THOMAE EMERFORDI PRESBYTERI.


B hac sanctißima societate Iacobi Fenni cæterorumq; gloriosißimorum Martyrum Haddoci, Mundini, & Nutteri, separari non decuit in morte præclarum athletam Christi, ac sanctum Sacerdotem Thomam Emerfordum.

MARTYRIVM DOMINI IOANNIS NVTTERI SACERDOTIS.


Ominus Ioannes Nutterus Sacerdos ex vrbe Remensi in Angliam profecturus, vt animas Christo & Ecclesiæ Catholicæ lucrifaceret, sese primùm Portum nouum contulit, vnum habens viæ ac voti comitem D. Vvodrosum presbyterum, qui nuper Roma opportunè redierat. Ibi verò, dum ventum propitium expectabant, tàm diu hærere coacti sunt, donec tandem viatico penè exhausto, necesse fuit, vt saltem eorum alter reuerteretur, sibique ac socio de pecunia prospiceret, qua & cœptum iter prosequi, & æs alienum, eo in loco contractum, liberare possent. Itaque D. Nutterus iter solus ingressus est, (cùm tamen priùs inter eos conuenisset, vt, si cœli & nauigij opportunitas ante eius reditum offerretur, Vvodrosus negligere non deberet:) & Rothomagum magnis itineribus contendit.

Quo cùm demùm ægrè peruenisset, ob febrem, quæ eum in itinere corripuerat, tres alios ibi Sacerdotes reperit, qui pari studio profectionem in Angliam parabant, quibus & se coniunxit. Et cùm vires morbo & itinerum incommodis propemodùm prostratas aliquantulùm refecisset, se rursum ad iter accinxit, & cæteris comitantibus Portum nouum redijt. Vndè etiam post paucos dies conscensa

naui

noui versus Scarburgum Eboracensis prouinciæ oppidum cursum instituerunt. *In Angliam nauigat.*

Sed cùm duos dies & duas noctes secundo vento nauigassent, & se iam vnius diei spatio in portum optatum appellere posse sperarent, ventus contrarius repentè obortus est; quo sæuientè, cùm periculum esset, ne nauis in breuia & arenarum tumulos impelleretur, eo vsi sunt consilio, vt se vento committerent; atque ita in oras Sufsolciæ delati fuerunt. Ac cùm eousque progressi fuissent, vt terram iam in conspectu haberent, etiam clauus diruptus fuit. Quare necesse fuit, vt, intermisse etiam hoc contrariæ nauigationis cursu, nauem aliqua ratione ad littus subducerent expectarentq́;, donec hæc gubernaculi clades tabulis rudi manu coassatis restauraretur. Quod cùm ab eis vtcunque præstitum fuisset, datis rursùm velis Iaremutham (sicuti iam anteà destinauerant animo) cursum dirigunt.

Sed, Deo de suis aliter statuente, cùm iam propè Duncuicum essent, ita vt vix duobus miliaribus Anglicanis distare viderentur à portu, morbus D. Nuttero tam vehementer ingrauescebat, vt omninò ad terram deportari oporteret: nam incedere non valebat. Itaque relicta naui, quæ iactis anchoris religata fuit, vt à nautis reficeretur, hominem infirmum scaphę piscatoriæ impositum reliqui sacerdotes ad oppidulum vicinum duxerunt, & in hospitio, prout locus ferebat, curabant.

Posterò die sub horam secundam à media nocte aduolat nuncius, qui narrat, nauem quandam in sinum Orfutenissæ appulsam, omnes verò piratas fuga dilapsos esse: id quod pueri cuiusdam iudicio compertum habebat, qui in fuga captus fuerat. Quo accepto nuncio, statim in hospitium irruunt prætores oppidani (& vnà cum illis officialis quidam, qui Regiæ classis præfecti vicem illis in locis gerebat) omnia eorum sedulò perscrutantur, vestimenta & vultus diligenter obseruant, multa illos interrogant, vt ex alijs atque alijs eorum responsionibus aliquid forte depræhendere queant, quo eos ex hoc prædonum numero esse conuincant.

Et quamuis nihil sit, quod eos in iustam alicuius flagitij suspitionem vocare debeat, publicæ tamen custodiæ addicuntur, donec magistratibus de eorum probitate certius constare posit: illud etiam ab inhumanis hominibus non semel audientes, beneficij loco habendum esse, quòd non seueriùs cum eis agatur. Volebant illi quidem tantisper eos in custodijs detinere, donec, explorata nam &

mercibus, aliquid certi de eorum ſtatu & conditione haberi poſſet. Sed mare toto illo die ſic intumeſcebat, vt nauiculæ, quæ ſe ad fidas ſtationes receperant, nuſquàm progredi auderent.

Subſequenti verò die, primo mane, tempeſtate adhuc perdurante, nauis, qua ſacerdotes aducti fuerant, crebris ventorum flatibus tàm vehemēter agitata & diuerberata fuit, vt fractis demū rudētib⁹, in vada & arenas procella propellēte impingēs, dilacerata & ſubmerſa fuerit: ſaluis tamen diuino munere, quotquot erant, hominibus.

Sed poſt aliquod temporis ſpatiū cùm refluxiſſet mare, ita vt ad carinam nauis perueniri poſſet, accurrerunt exploratores, & omnia diligenter perſcrutati ſunt; vt, ſi quid eſſet mercium, quod ſaluari poſſet, in vſum municipij illius occuparetur, ad quos iure naufragij ſpectabant omnia. Inter cætera verò, etiam libros & reliquam ſacerdotum ſuppellectilem occupauerunt. Quæ tamen omnia ſic erant compoſita & in ſarcinas inſtar aliarum mercium digeſta, vt ne minimam quidem talium rerum ſuſpicionem ſpectantibus offerrent: adeoq; pijs viris integrum fuiſſet fuga ſibi conſulere, niſi quòd D. Nutterus extrema valetudine conflictatus, lecto omninò decumberet, nec pedem aliquò efferre poſſet.

Sed dùm inter ſe deliberant de negotio cogitantque, ſi quà fieri poſſit, vt lectica aut vehiculum aliquod compararetur, res ita definita fuit. Vnus ex Miniſtris, quem in naui cuſtodem reliquerant quæſtores, ne quid rerum occupatarū furto periret, quandam librorum ſarcinulam ipſe ſuffuratus eſt, ratus fortaſſe, alias eſſe merces, quàm quas poſteà inuenit.

Sed, cùm demùm præda conſpecta, ſe parùm læto ſucceſſu prædonem egiſſe comperiſſet, ſuum infortunium quaſi iniuriæ à Catholicis viris acceptæ loco habens, rem omnem Magiſtratibus aperuit. Qui continuò ad ædes, vbi D. Nutterus hoſpitabatur, conuolant, eumq; denuò interrogant, vndè & quis ſit. Ille verò primùm (rerum omnium, quæ acciderant, ignarus) reſpondet, ſe ciui cuidam Eboracenſi addictum eſſe. At poſteà, cùm videret omnia ipſorū conſilia patefacta eſſe, ingenuè faſſus eſt, ſeſe & Catholicum & ſacerdotē eſſe.

Capitur vir Dei.

Tum ſtatim cuſtos carceris, qui præſto erat vnà cùm cæteris iuſtitiæ officialibus, ingentem cathenam ferream, cuius fini etiam caudex ligneus magni ponderis appendebat, eius pedi iniecit. Ac domum rediens, duos eius ſocios, D. Conierum ſacerdotem & Lauſonum laicum pari officio deuinciebat. Nam reliqui duo ſacerdotes, ſimul-

Barbara crudelitas miniſtrorum iuſtitiæ incrētium egrotū

ſimulatque ad terram appulerant,pecunia deſtituti,ad ſuos iter maturare coacti fuerunt. *cathenis ferreis.*

His ita peractis, alter prætorum protinus equum conſcendens, Londinum curſu citato contendit,ſenatum regium de re certiorem facturus.Cuius reditus dùm expectatur, infirmus alias moleſtias, & quidem multò grauiores,quàm quas ab ipſo morbo ſentiebat,experitur.Irruũt Eccleſiarum Miniſtri(inſulſum vtiq; & deſpicabile hominum genus) & cum illis alij quidam, de quorum ſcientia apud imperitam multitudinem nonnulla erat opinio, & ſacerdotem Dei iunctis viribus adoriuntur, alij quidem aliter, ſed omnes (vti ferè ſolent hæretici) ſummo cum faſtu & ferocitate. *Miniſtri verbi adoriũtur Sanctum.*

Quem eorum impetum Catholicus Sacerdos ita ſuſtinuit ac fregit,vt Miniſtri poſteà,cùm de homine inter ſe deliberarent,omninò ſic æſtimauerint,eam vultus & verborum grauitatem,eamq́; rerum omnium,quæ proponebantur, exactam ſcientiam, non facilè in aliquo,niſi Epiſcopo vel Ieſuita reperiri; adeoque talem ac tantum virum non alio fine in Angliam deſtinatum eſſe, quàm vt magnum aliquod malum patriæ ac ciuibus moliatur. *Eorum de eodem ſententia.*

Et quamuis viderent hominem partim vi morbi,partim vinculorum incommodis planè confectum, ita, vt non ſolùm lecto ſurgere,ſed nec corpus,cùm pertæſum erat, in alterum latus verſare poſſet:nemo tamen ex omni illa Miniſtrorum aut reliquorum hominum turba repertus eſt, qui ſacerdoti tàm grauiter laboranti miſertus,illam cathenæ ligneæq́; appendicis molem ſaltem ad tempus auferendam eſſe diceret, adeò ſunt ab omni humanitatis ſenſu alieni, qui dirum illud Caluini venenum intimis viſceribus hauſerunt.

Poſt decem dies redijt prætor,in mandatis habens à Senatu,vt ipſe & collega captiuos iſtos tanquàm proditores communibus oppidi ſumptibus Londinum perducendos curarent. Itaq; beati confeſſores bigæ ſimul impoſiti,& duabus ſeris, quales vinciendis equorum pedibus adhiberi ſolent,ad cathenam ferream alligati fuerunt:currũ hinc indè ſtipante magna equitum turba, qui haſtis barbatis alijſque id genus armis inſtructi, vinctis quidẽ cuſtodes eſſe,cęteris verò omnibus,quà tranſituri erant,terrorem incutere, tacitaque armorum intẽtatione denuntiare debebãt, eſſe illos perditos planè ac nefarios homines, quique magnam aliquam ciuibus peſtem perniciemque machinarentur. *Londinũ abducitur martyr.*

Ac toto itinere fuit tãta eorũ in Chriſti ſeruos malitia ſęuitieſq́;, vt omnem *Sæuities Caluiniſtarũ in ſeruos Chriſti.*

omnem prorſus barbariem ſuperare videretur. Cùm enim ſubinde planities ſeſe offerret, malebant homines impij per vias abreptas & ſaxis obſitas currum agere, vt ſuccutientibus rotis fortiùs agitati, maiorem ac frequentiorem vinculorum corpora graui pondere deprimentium ſenſum haberent.

Quæ res vti cæteris longè moleſtiſsima, ita Nuttero vehementer ægrotanti intolerabilis fuit. Qui cùm miſerum in modum eiularet, & præ doloris magnitudine gemitus continuos ederet, qui vel hoſtem emollire poſſent, ac propterea ſocij cuſtodibus ſupplices fierēt, vt homini in extremis iam (vt videbatur) agenti hoc ſaltem pietatis officium impenderent, vt ad vias planiores, cùm æquè compendioſum eſſet, diuertere liceret: tantùm abeſt, vt aliquo commiſerationis affectu permouerentur, vt ipſos etiam precatores riſu & dicterijs exciperent, dicerentque: Nos probè ſcimus, vos ſacerdotes eſſe: ſacerdotibus verò cùm cæteras virtutes omnes, tum patientiam maximè opportunam exiſtere: eoque neceſſarium eſſe, vt à vobis modis omnibus exerceatur.

Cumque in hunc modum partim viarum, ſed multò magis ſatellitum conducentium aſperitate improbitateque quatuor dies exercitata fuiſſet eorum patientia, tandem Londinum peruenientes ad arcem perducti quidem ſed non admiſsi fuerunt: eò quòd nullum à Senatu ad præfectum caſtri mandatum haberent. Quamobrem ea nocte in eadem prætoriæ cohortis cuſtodia manentes, poſterò die Richemondam ducti ſunt, vt Vvalſingamio in aula regia degenti ſiſterentur. A quo fuerunt omnes examinati, ac primo loco D. Nutterus. Qui cùm paucißimis reſpondiſſet, ſe ſacerdotem eſſe Catholicum (erat enim ſic infirmus, vt ægrè aut pedibus conſiſteret aut etiam loqueretur) vnà cum ſocijs carceri adiudicatus fuit quod Mariſchallum appellant.

Siſtitur Vualſingamio in aula regia.

Adiudicatur carceri.

Iam verò in carcere conſtitutus, diuino numero & pia virorum Catholicorum opera effectum eſt, vt ſanitatem breui recuperaret: fuitque ibi per vnum annū integrum. Quo temporis ſpatio, quemadmodum reliquas virtutes omnes diligenter exercuit, ita illud in eo maximè enituit, quòd erga eos, qui accedebant, vt eum in rebus dubijs conſulerent, benignus admodum erat: erga hæreticos verò, quos contumaces & refractarios eſſe deprehendit, ſeſe magnanimū omninò & fidei Catholicæ ſtudio vehementer accenſum oſtendebat.

Recuperat ſanitatem in carcere.

Benignitas & magnanimitas eius.

Multis author fuit, vt ad Eccleſiæ Catholicæ vnitatem redirent; quibus

quibus etiam ritè instituendis diligentem operam impendit. Eratq; in hoc animarum negotio tam strenuus & indefessus, vt, licet aliquā- dò plurimùm temporis frustra insumere, nec vllum suscepti labo- ris fructum referre videretur, non tamen animum desponderet, aut ab opere cœpto desisteret, sed magis perseueraret, pijs & præcationi- bus & cohortationibus continenter insistens, donec, Deo benigni- tatem tribuente, cœlum daret pluuiam, & terra fructum suum. *Zelus animarum.*

In ijs vnus erat, quem vir sanctus intimò quodam amoris affectu complectebatur, eoque nihil prætermittebat earum rerū omnium, quibus eius animæ salutem promoueri posse sperabat: nec quicquā tamen apud eum proficiebat, quoad ipse vixit. Sed pòst, sacræ mor- tis spectatorem effectum tam fortiter traxit, vt in alium virum mu- tatus, in ea omninò Ecclesia viuere voluerit, pro qua sanctum Dei sacerdotem tam constanter morientem viderat. *Mors viri sancti quid efficit.*

Erat etiam beatus Christi Sacerdos ab omni vindictæ sumendæ affectu prorsus alienus, iniurias quantumuis atroces facilè dedit obliuioni, hominesque, à quibus se læsum agnoscebat, libenter ali- quo beneficio, si poterat, promerebatur. Id quod prætoribus illis, quorum adhuc recens erat iniuria, insigni exemplo præstitit.

Illi enim in ius vocati, quòd quædam D. Conieri vestimenta per- iniustitiam detinerent; cùm periculum esset, (causam solicitantibus quibusdam equitis Martij ministris, in cuius fide ac tutela nūc erant captiui) ne sententia in eos ferretur, à Catholicis viris, quos nuper tam inhumanè tractauerant, submissè contendebant, vt liti finem imponerent, nec paterentur, vt causa Ministris illis prosequenda cō- mitteretur. Cui eorum postulationi cùm non facilè annueret D. Conierus, nisi aliqua etiam sumptus in eam rem impensi ratione ha- bita: pius Nutterus in causa inimicorum concaptiuo supplex effe- ctus: Præstat, inquit, vt de iure nostro aliquid cedentes, Christianæ charitatis exemplum præbeamus, quàm vt etiam iusta petentes lo- cum demus calumniæ.

Porrò & vitia, si quæ in alijs deprehenderat, liberrimè arguebat Idq; faciebat verbis tam nudis & simplicibus, (adhibita tamen sem- per mira quadam sui humiliatione) vt propterea à concaptiuis Ioan- nes Planus appellatus sit. Cameram in æditissima domus parte sub ipso tecto sorditus est satis incultam & incommodam. Quam tamen vir bonus cæteris omnibus prætulit: eò quòd locus esset ab omni hominum strepitu remotus, adeoque orationi ac contemplationi *Austeritas vitæ.*

magis idoneus. Corpus non solùm ieiunijs vigilijsque, sed etiam assidua flagelli disciplina coërcebat: quod licèt cautissimè occultaret, à quodam tamen viro, quem ille aliquantò familiariùs adhibebat, paulò ante mortem depræhensum fuit.

Osculatur vincula con captiui sui. Cùm quodam die Sacerdos quidam vinculis stringendus esset, & carceris Ministri in eam rem intenti essent, vt ea manibus pedibusque aptarent: vir Dei, re audita, cum pia quadam temeritate sese ingerens, arreptos compedes summa cùm veneratione osculatus est. Quam eius pietatem cùm custodes irriderent, interrogarentque, an etiam pessulos ferreos, qui sacerdotis manibus inijciendi erant, osculari vellet: respondit se perlibenti animo facturum, ac statim os etiam manicis admouens, osculum pari religione impresit, affirmans, ex ipso sacrorum corporum attactu quendam etiam vinculis & vestibus sanctimoniam impertiri.

Examinatur. Cumque in hunc modum futuri in cœlis ædificij fundamenta præclarè iecisset, ac beatæ consummationis tempus à Deo præstitutum iam instaret, vir sanctus rursum ad examinatores perductus fuit. A quibus multa interrogatus de alijs atque alijs rebus, (vti moris est) ad omnia constanter & interritè respondit.

Quæstio capitalis & sanguinaria proponitur. Tum quæstionem illam, quæ ferè postremo loco tanquàm certissimæ necis telum depromi solet, proposuerunt: quid facturus esset, si Pontifex Romanus exercitum scriberet in Angliam. Ad quod prudens Sacerdos se id facturum respondit, quod probum & Catholicum sacerdotem facere deceret.

Illis porrò vrgentibus, quidnam illud esset, quod probo sacerdoti faciendum esse censeret in hoc rerum statu: is quod ab eo iam responsum fuerat, eisdem penè verbis repetijt, nec adduci potuit, vt plura diceret. Quam rem illi ferentes indignissimè, eum mentem omninò proditoriam gerere, adeoque perduellem ac patriæ hostem habendum esse dixerunt.

Scribit literas ad Reginam. Postero verò die Sacerdos per Vvayum carceris præfectum egit cum Pophamo regiæ Maiestatis procuratore generali, eiq; pollicitus est, sese omnia fusè (& quidem bona fide) descripturum, si is pari fide promittere vellet, se, quæ ab eo scribenda essent, ipsimet Reginę redditurum esse. Quod cùm ille in se ea, qua postulabatur, religione recepisset, Sacerdos scripsit, literasque diligenter consignatas præfecto tradidit, is verò procuratori.

Quid scripserit, à nobis adhuc resciri non potuit. Hoc vnum

conijcere

conijcere potuimus, eum sui ac sociorum aduentus in Angliam causas reddidisse, non vt pacem publicam perturbarent (vti pacis & veritatis hostes existimarunt,) sed vt pacem Dei hominum cordibus conciliarent firmarentque: nec vt Reginæ & alicui ex principibus regni necem inferrent, sed vt omnes homines ad vitam mortis expertem vocarent, qui verba vitæ ac salutis auscultare vellent.

Hæc autem & alia quædam in hanc ferè sententiam ab eo cum libertate planè Christiana scripta fuisse, & ipsi' verba ad amicos habita subindicabant, & rei successus clarè loquebatur. Nam redditis hisce literis illud primùm renuntiatum fuit, ei comparendum esse in curia Vvestmonasteriensi pro tribunali sedis Regiæ. Quo in loco, sancto viro & alijs quibusdam etiam sacerdotibus læsæ Maiestatis crimen intentatum, & mortis sententia in eos lata fuit. *Sententia mortis.*

Quam ob causam paucos post dies quinq; simul Sacerdotes à turri Londinensi ad Tyburnum per terram raptati, ibique in furcam acti, ac demùm etiamnum viuentes exenterati, & in quatuor partes dissecti, veritati Catholicæ illustre testimonium dederunt.

Atque in hoc sacro agone venerabilis Nutterus quarto loco dimicauit: cuius ea fuit in toto hoc itinere pugnam inituri alacritas, vt filios spirituales, qui frequentes hinc inde aderant, patrem in causa Ecclesiæ Catholicæ decertantem conspecturi, ipsa vultus serenitate mirum in modum exhilararet: ea in pugna constituti animi virtus & magnitudo, vt non hominem, sed Deum in homine pugnantem facilè agnosceres: ea nunc triumphum in cœlo agentis gloria & splẽdor, vt omnem non solùm hominum, sed & Angelorum dicendi facultatem excedat. Regi ergo sæculorum immortali & inuisibili soli Deo honor & gloria in sæcula sæculorum Amen.

* *

*

MAR-

MARTYRIVM DOMINI IACOBI BELI SACERDOTIS SEXAGENARII.

IAcobus Belus Sacerdos sexagenarius, cùm iam diuturnam cùm hæreticis consuetudinem habuisset, nefarijs eorum conuentibus interfuisset, & quædam etiam sacramenta alijs atque alijs in locis ritu profano, qui ex decreto Parlamenti, & eorum hominum qui rerum in Anglia potiuntur mandato, vbique exercetur per multos annos adminastrisset: tandem Anno Domini 1581. omni victus honestè acquirendi ratione destitutus, sese in prouinciam Lancastriæ, vbi & natus fuerat, recepit.

Ibi verò constitutus, illud omninò ambiebat, vt in sacello quodam, cui nulla animarum cura annexa erat, lectoris officio ex more Anglicano fungeretur, suam ea in re operam vili admodum stipendio locaturus. Nam animo cum Catholicis sentiebat, eoque non Ecclesiam parochialem, aut locum aliquem, cui animarum cura incumbebat, sed tenuem solùm conditionem quærebat, qua, quod reliquum erat vitæ, aliquo saltem modo transigeret. Quod vt assequeretur, matronam quandam nobilem adijt, ad cuius maritum spectabat Ministri surrogatio, eique supplex erat, vt causam viro suo commendaret.

Conuersio ad fidem Catholicam.

Mulier verò, vt potè Catholica, & quidem magno fidei ardore succensa, hominis tam turpiter in peccatum prolapsi ex animo commiserescens, contrà cum eo serijs verbis egit, vt relicto vili illo ac despicabili perfidiæ Ministerio, quod tam diu cum summo sacri muneris sui dedecore exercuerat, saniori consilio vteretur. Cogitaret se sacerdotem esse, cui ex ratione muneris incumbebat, tremendum corporis & sanguinis Christi sacrificium in missa offerre, & longè alia sacramenta ritu Catholico ministrare in Ecclesia Dei: ipsum verò non solùm hæc omnia per viginti totos & amplius iam annos planè neglexisse, sed contrà etiam execrandis hæreticorum mysterijs operam suam nauasse, ad insignem Ecclesiæ Catholicæ contumeliã & magnum animæ suæ detrimentum.

Matronæ nobilis insignis oratio ad martyrem.

Atque

Atque in hunc quidem modum pia matrona cum illo multis egit, orans subindè obsecransque, vt sui misereretur, maiorem salutis curam ageret, simulq; consideraret, quantum boni accedere posset, tum Ecclesiæ, si, quemadmodùm recedendi à Deo exemplum multis præbuisset, ita reuertendi sese authorem & viæ ducem præberet; tum etiam animæ suæ, si reliquos vitæ annos pœnitentiæ impendere, eaque ratione Deo de peccatis in eum admissis satisfacere vellet.

Quæ mulieris cohortatio licèt hominem tum temporis non planè reuocauerit, postcà tamen ad eam rem perficiendam non parùm contulit. Cùm enim post non multos dies graui admodùm morbo (diuina prouidentia sic statuente) conflictaretur, & dolores quidem intensos, exitum verò ancipitem & periculi plenum cōsideraret, cœpit continuò senex aliquas de vita rectiùs instituenda cogitationes suscipere, & ad mentem reuocabat, quæ iam anteà à fœmina religiosa salutis monita acceperat. *Pius Sacerdos infirmatur.*

Sed & ipsa, hanc morbi salutaris opportunitatem non omittendam esse ducens, sacerdotem animo & corpore laborantem inuisit, periculi iam imminētis denuò monet, hortatur, orat, obtestatur, nec priùs desinit, quàm pastorem ouicula in humeros (raro exemplo) sublatum ad Ecclesiæ Catholicæ caulam reducat. *Eadem matrona Sacerdotem infirmum hortatur denuò vt ad Ecclesiam redeat.*

Etenim ille dolorum, quos sentiebat, sed multò magis eorum, quos timebat, magnitudine superatus, mulieri dat victas manus, rectè monenti libenter obtemperat, & animo piè obfirmato statuit impostерùm se nullo vnquàm tempore commissurum, vt infaustis perfidorum hominum cœtibus ampliùs intersit, aut quicquam habeat cum illis commune, sed in ea solùm totis viribus incumbat, quæ sacræ functionis suæ ratio & dignitas exigebat. Quàm rem vt effectam det, accersiri sacerdotem enixè postulat, cui peccata per confessionē aperiat: illud sanctè promittens diuina gratia fretus, sese omnes vitæ suæ actiones ex ei⁹ præscripto deinceps instituturū esse. *Ille obtemperat mulieri rectè monenti.*

Itaque pia matrona, cuius opera res huc vsque perducta est, intra quatuor horarum spatium etiam sacerdotem adducit spectatæ probitatis ac pietatis virum: quo sacramentum reconciliationis ritè administrante, Belus simulatque animæ salutem consecutus est, etiam pristinam corporis sanitatem recepit, atque ita pœnitentiæ officijs cum omni humilitate ac sedulitate instabat, & dignos edebat pœnitentiæ fructus. *Matrona procurat sacerdotē Catholicum, qui infirmum recōciliet.*

Infirmus reconciliatur Ecclesiæ, & munia sacerdotalia postcà obit.

Cumq; iam exactam officij recitandi & Missæ celebrandæ rationem ex præscripta Ecclesiæ Romanæ forma didicisset, & (post aliquot menses in operibus pœnitentiæ exactos,) ad sacrum altaris ministerium rursus admissus fuisset, in eam rem totis viribus incubuit, vt Catholicos, quoscunque reperiret, verbo & vitæ exemplo syncerè pasceret. Qua in exercitatione duos plus minùs annos perseuerauit: donec tandem anno Domini 1584. mense Ianuario, dùm ab alia domo Catholica ad aliam solus iter faceret, quendam sycophantam obuiam habuit, ex eorum numero, qui homines de maleficijs suspectos vndiq; perquirût, & Magistratibus sistunt, eumq; pro viro probo habens, sciscitatus est, quæ via esset, quæ duceret ad oppidulum aliquod, quò ire destinauerat. Ille verò statim id, quod res erat, eum nimirùm sacerdotē esse suspicatus (quod rectè bonus senex toto corporis habitu non obscurè præferebat) interrogauit, vndè veniret, & quò pergeret. Ad quæ cùm respondere cunctaretur, ille rursus ab eo quæsiuit, quisnam & cuius conditionis esset. Tum vir Dei incunctanter & liberè fassus est, se sacerdotem esse. Rectè, inquit: tu igitur me comitaberis.

Comprehenditur à quodam sycophanta.

Quod pius Sacerdos non illibenter fecit, atque ita magna cum celeritate ad domum cuiusdam Magistratus perductus est, qui vnus ex conseruatoribus pacis erat. Cui cùm sisteretur, iterum professus est, se sacerdotem esse, sed per multos annos longè aliter vitam instituisse, quàm sui muneris ratio postulabat, nunc verò per Dei gratiam Ecclesiæ Catholicæ reconciliatum esse: nec sibi esse quicquam antiquius, quàm vt missam celebraret, si locus & cætera, quæ sunt ad eam rem præstandam necessaria, suppeditarentur: porrò nuper accepisse facultatem excipiendi confessiones & absoluendi, eamque authoritatem non esse aliundè, quàm à Pontifice Romano.

Profitetur se esse sacerdotem.

Magistratus contrà instare & quadam pietatis specie hortari cœpit, ne plus alijs omnibus sapere, sed Ecclesiam accedere, eaque re sibi suisque rebus prudentiùs consulere vellet. Quod Sacerdos Catholicus se facturum planè negauit: imò verò illud addebat sese ex animo, & quidem vehementer dolere, quod ad eam vnquàm impietatem perductus fuisset, vt prophanis hominum schismaticorum conuentibus interesset.

Negat se aditurum Ecclesias hæreticorum.

Tum iussu Magistratus Manchestriam abductus fuit, vbi & captiuus detinebatur, aliquandò in lacu quadam obscura & horrida, aliquandò alio quodam in loco vnà cum alijs sacerdotibus, qui similiter

Ducitur Mächestriam.

militer in carcerem coniecti fuerant. Quoniam verò hîc constitutus,& ad examen productus(quòd frequenter fiebat)ad ea, quæ interrogatus fuit, de primatu,de Pontificia in Anglos authoritate, de authoritate Reginæ vsurpata in causis spiritualibus, & id genus alijs, resolutè ac clarè respondebat: vt in comitijs generabibus quadragesima subsequenti celebrandis iudicio sisteretur, Lancastriam ablegatus fuit inhumano prorsus ac barbaro more, pedibus sub equi ventre fune colligatis, & armis à tergo fortiter reuinctis. Ibi rursum examinatus fuit, Hudlestono & Parkero eadem ferè capita illi proponentibus,quæ iam anteà Ioanni Finchio sanctissimo martyri proposita fuerant. Singulas eius responsiones nondùm assequi potuimus; hoc solùm accepimus, eum ad omnia perspicuè ac singulari cum modestia respondisse.

Examinatur.

Lancastriam ablegatur inhumanissimo modo.

Feria quarta illius septimanæ,qua comitia erant,reus actus est venerabilis senex vnà cum tribus alijs (quorum suprà meminimus) eò quòd Pontificem Romanum Ecclesiæ Catholicæ caput, & Angliam illius Ecclesiæ partem esse asseuerasset. Et quidem ad omnia, quæ audire poterat, constantissimè respondit: quædam verò dicebantur,ad quæ nihil prorsus responsi dabat,eò quòd esset surdaster: quod tamen iudex&alij nonnulli hæresum malitia deprauati formidini libenter tribuebant. Eaque de causa postero die, posteaquàm beatum virum Ioannem Finchium pro tribunali constitutũ examinauerant, bonum hunc senem secundo loco accersiri voluerunt, certò sibi pollicentes(quod plures eorum posteà ingenuè fassi sunt) fore, vt is eorum voluntati,vitæ producendæ causa,saltem aliquò tenus cederet & obtemperaret.

Rem agitur quòd asseuerasset Pontificem Romanum esse caput Ecclesiæ.

Est enim hæc astutia veteratoribus istis admodùm familiaris & vsitata in ea maximè regione,vt,si quem ex nostris virum esse cordatum,constantem, & in tuenda religione Catholica inconcussum viderint,rarò eum,&, quoad fieri possit,secretò & sine arbitris conueniant. Si verò aliquem paulò timidiorem conspexerint, de quo sperari possit, fore, vt formidine victus à sententia decedat,illum in publicum & quidem frequenter,si res ita ferat,producant; duplex indè lucrum sibi promittentes. Nam & fidem suam apud proceres, quorum gratiam etiam turpiter ambiunt, hisce rebus auctam iri existimant:& de ruina hominũ infirmorũ contumeliaq; Ecclesiæ Catholicæ illata sese apud imperitã multitudinẽ gloriaturos esse cõfidunt. Sed hîc semel malè cessit illis hæc eorum prudentia,& omnes

Astutia veteratoria hæreticorum.

impuri dæmonis artes in ipsis frustratas & planè superatas senserunt, pugnâte in homine fideli sapientia Dei & virtute, qui eligit infirma mundi, vt confundat fortia. Quòd & in alijs quàm plurimis, Deo vires suas per infirmos famulos exerente, nuper experti sunt: quarũ tamen rerum historiam vt in aliud tempus, cùm magis opportunum fuerit, differamus.

Producitur martyr vna cum latronibus & sicarijs.

Iudicum crudelis iniquitas.

Die comitijs indicto producitur senex in publicum, & vnà cum latronibus & sicarijs, quanta fieri potest maxima cum infamiæ nota sistitur iudicio. Tum Magistratus, vt hominem terreant, multa verborum asperitate excipiunt, cruciatus acerbissimos minantur, mortem etiam ipsam, quæ de crimine læsæ Maiestatis conuictis infligi solet, ex legum præscripto intentant, in se ciuem morigerum præbeat, legum sanctionibus obtemperet, crimen à se admissum fateatur, quòd pontificis Romani authoritati patrocinatus fuerit, sententiam mutet, & culpam deprecetur.

Interrogatoria Iudicum.

Inter cætera (vti moris est) multa dicunt in eam sententiam, quàm graui nimirum scelere se obstringant ij, qui Ecclesiæ reconciliari volunt, qui authoritatem Pontificis Romani agnoscunt, qui suum Reginæ ius imperij & honoris titulum non tribuunt, vt supremum Ecclesiæ Anglicanæ caput & iudex in omnibus causis etiam Ecclesiasticis habeatur. Iam verò, cùm hæc & quædam id genus alia cum multa verborum ambitione perorassent, demùm ad hominem conuersi, eum denuò compellant interrogantque, an sit reconciliatus vel non, & quo tempore fuerit reconciliatus. Ille disertis verbis respondit, se esse reconciliatum, Rectè, inquiunt, hoc ipsum læsæ Maiestatis crimen est. Minimè verò, inquit ille, hoc nihil est aliud, quàm sanctum pœnitentiæ sacramentum.

Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei, stultitia enim est illi, & non potest intelligere. 1. Cor. 2.

Tum vnus quispiam ex assessoribus: Habes tu, inquit, reconciliandi authoritatem? Imò, inquit Sacerdos: habeo authoritatem à peccatis absoluendi. Quid, etiam peccata remittere potes? Possum, inquit, confitenti & ex animo pœnitenti. Hæc dicentem tanquàm hominem ridiculum & planè delirum subsannarunt, & aliquamdiu ludibrio habuerunt. Ego verò, inquit, non propria authoritate peccata remitto, sed Sacerdos sum, eoq; authoritatem habeo peccata remittendi. Rectè profectò, aiunt illi: hanc tu authoritatem habes, non à Deo, sed à Papa.

Stultus irridet discipli-

Atque ita rursum in risum effusi, virum sanctum deriserunt, non aliter, quàm si rem aliquam absurdam & ab omni prorsus sensu

alienam

alienam dixiſſet. Nec tamen illi permiſſum fuit, vt de hac authoritate ſacerdotali fuſiùs diceret: ſed iudex ſtatim interrogat, an Reginam habeat vt ſupremam gubernatricem in Anglia & Hibernia tam in cauſis Eccleſiaſticis quàm ciuilibus. Minimè verò, inquit ille: nam in cauſis ſpiritualibus & de rebus fidei iudicium ferre, non ſpectat ad Reginam, ſed ad Pontificem Romanum, & Epiſcopos, & reliquos Sacerdotes ab eo ſubdelegatos.

nā patris ſui. Prouerb. 15.

Negat Pontificatū Reginæ.

Tum iudex: Quas igitur partes ſequi velles, ſi Pontifex aut alius quiſpiam eius authoritate fretus bellum Reginæ inferret? Debemus, inquit, nos omnes Eccleſiæ Dei partes ſequi pro religione Catholica. His dictis iudex reliquos euocari iuſsit. Qui cùm veniſſent, duos ſacerdotes interrogat, quid de primatu ſentiant. Ambo reſpondent, Pontificem Romanum ſupremum Eccleſiæ caput eſſe in terris, eamque authoritatem omninò negant Reginæ poſſe competere. Benè, inquit iudex: vos etiam eſtis neſarij proditores, & non minùs digni ſuſpendio, quàm ſunt cæteri. Nam vos eius Maieſtatem ſuo iure dimidia quidem ex parte priuatis: ſed iſti proditores omnes prorſus ei ius adimunt. Itaque duodecimuiri ſeceſſerunt, ſicuti moris eſt, vt de reorum ſtatu ac criminibus intentatis inter ſe conſultarent: nec duobus iſtis, qui poſtremo loco aduenerant, quicquam amplius intentatum fuit. Nam iudices in mandatis habebant à ſenatu (quemadmodum poſteà nobis compertum eſt) vt non plures quàm duos in illis comitijs morti addicerent. Attamen viri iurati Thomam VVilliamſonum, Ricardum Hattonum, Iacobum Belum ſacerdotes, & Ioannem Finchium, eorum criminum, de quibus incuſabantur, reos eſſe pronuntiarunt. Iudex igitur ſententiam mortis tulit, primùm in Ioannem Finchium, deindè in Iacobum Belum.

Principes eius quaſi leones rugientes, iudices eius lupi veſpere, Prophetæ eius veſani, viri infideles. Sophon. cap. 3.

Duodecim virorum ſuffragia.

Porrò reliquos duos bonis omnibus mulctauit, & perpetuo carceri addixit (quæ vtiq; mulcta infligi ſolet ijs, qui ſanctionem quandam, quam Pręmunre vocant, violaſſe conuincuntur) eò quòd nunc prima vice Reginę primatum in cauſis Eccleſiaſticis agnoſcere recuſaſſent. Sed pius ſenex grauiter admodùm (vti iam dictum eſt) audiebat, nec aſſequi poterat, quænam ſententia in ipſum lata eſſet, eoque præfecti ſatellites, qui captiuos ſtipabant, interrogabat, quid de ipſo iudex ſtatuiſſet. A quibus cùm audiſſet omnia, lætus omninò ac hilaris effectus, primùm quidem Deo Opt. Max. gratias agebat, deindè ad iudicem ſuſpiciens: Per Deum immortalem, inquit, te rogo obteſtorque, Domine illuſtris, vt ſententiæ à te latæ hoc vnū

Admirabilis charitas mar

tyris cupientis sibi labia amputari, eò quòd iurasset in impia hæreticorũ decreta.

adijcere velis, vt amputentur mihi labia, & summi manuum digiti abradantur, eò quòd in impia hæreticorum decreta iuraui, eaq; manus meæ subscriptione firmaui, contrà, quàm & conscientia mea & ipsa veritas ferebat.

Comparat se ad mortem.

Totam noctẽ subsequentem, quæ fuit huius vitæ vltima, orationi & meditationi impẽdit: illud optans (si modò voluntati diuinæ consentaneũ esset) vt aliquãtò diutiùs viuere liceret, non alio fine, quàm vt de peccatis in Deum perpetratis pœnitentiæ operibus diutiùs & diligentiùs insisteret. Ac paucis quidem verbis concaptiuos, qui mortis sententiam acceperant, ad fidem Catholicam & pœnitentiam ex animo suscipiendam hortatus est: & Ioannem Finchium fidei & agonis socium rogauit, vt eos fusiùs & explicatiùs doceret.

Beatæ martyris voces.

Manè vehementer in Domino gauisus est, eique gratias egit de beneficijs ab eo acceptis, & inter cætera in eas etiam voces erupit: O beatissimum diem, O serenissimum diem, O diem omnium, quos in hac vita vidi, dierum longè fœlicissimum lætissimumque. Cumque adesset quidam minister, (quo nomine ferè appellantur, qui in publicis hæreticorum conuentibus verba dant populo) & sanctum virum à sententia deducere conaretur, illud ab eo prece contendit, vt abscederet, nec iamiam morituro negotium facesseret. Non enim expectes, inquit, vt verbis tuis vllo vnquàm tempore vel fidem adhibeam, vel etiam auscultem, nisi inuitus. Cumque iam

Barbara immanitas Caluinistarum.

è storea viminea, in qua stratus & funibus reuinctus ad locum supplicij raptabatur, solueretur, antequàm furcam conscenderet, iussus est, vt illum alterum martyrem spectaret, cui iam ad brauium fortiter anhelãti carnifex iniecta manu intestina & cor ipsum euellebat. Quẽ cùm videret: O Deũ immortalẽ, inquit: quid est, quòd incolatus hic meus tàm diu prolongatus est? Quamobrem hîc tàm diu hæreo post hunc dulcissimũ fratrem meũ? Sinite, vt quanta maxima fieri potest cum festinatione eũ subsequar. Est hæc dies longè beatissima.

Orat Martyr pro conuersione hæreticorum.

Tum rursus mira quadam cum dulcedine & spiritus tranquillitate se dedit orationi, & pro Catholicis omnibus, & pro cõuersione hæreticorum omnium disertis verbis precatus est. Qua finita precatione armatura Dei munitus, idem, quod iam antè Ioannes Finchius, stadium ingressus est, eundem planè cursum fortiter consummauit, eandem iustitiæ coronã fœliciter consecutus est, præstante & militi suo opẽ ferente Christo Iesu imperatore nostro, cui cũ patre & spiritu sancto omnis honor & gloria in omnes sęculorũ æternitates.

MARTY-

MARTYRIVM DOMINI IOANNIS FINCHII.



IOannes Finchius honestis & opulentis parentibus natus fuit in comitatu Lancastriæ in parochia Excelstoniæ. Is ab ineunte ætate magna fuit semper morum facilitate præditus. Cùm iam ad ætatem viginti plùs minùs annorum peruenisset, relicto iam pridem grammatices & humaniorum literarum studio, se Londinum contulit ad quosdam cognatos suos, qui legibus Anglorum municipalibus operam dabant, in eo iurisperitorum collegio, quod Templum interius appellatur. Ex eorum præscripto & ope cogitabat iuuenis omnes vitę suæ rationes instituere, ac primùm quidem patronum aliquem deligere volebat, eique sese addicere: quæ res vtique aliquam apud homines & impræsentiarùm honesti speciem, & imposterùm sperandæ prouectionis specimen haberet.

Natus fuit in comitatu Lãcastriæ.

Studia iuuenilis ætatis.

Sed quia eo animo etiam tunc fuit, vt nemini mortalium libenter famulari vellet, nisi quem syncerum Dei immortalis famulum esse existimaret, (qualem corruptissimis huius nostri sæculi moribus optare facilius est, quàm inuenire) vnum penè annum integrum in eam rem, & quidem frustrà, impendit.

Quo temporis spatio plurima vidit, eaque multò quàm in omni anteacta vita attentiùs considerauit, alias atque alias hominum opiniones de rebus fidei, varia huius vitæ incommoda, diuexationes, damna, quæ à multis quotidiè pro Catholicæ religionis defensione constantissimè tolerabantur, quotidianas animorum mutationes defectionesque à protestantium disciplina ad Puritanorum dogmata, ab illis rursum ad alias penè infinitas hominum inter se dissidentium sectas; porrò & varios fructus, morum videlicet perditissimorum, quos sectæ istæ non solùm indies edebant, sed etiam alijs seriò proponebant, & magna animorum contentione tuebantur,

Prudẽtia iuuenis in varia consideratione rerũ humanarum.

bantur, maximè verò ea, quæ ab illis astruebantur, de obseruatione & violatione dierum sacrorum, de ieiunijs, de votis continentiæ & alijs id genus sacratioris instituti vinculis: quæ quidem omnia à Catholicis summo in honore ac veneratione, à protestantibus paruo admodùm in pretio, à Puritanis verò & alijs Lutheranæ fecis sectarijs atque atheis contemptui planè ac ludibrio habentur.

Ex hac rerum consideratione, eò tandem, singulari Dei gratia perductus est (quemadmodùm ipso sæpiùs referente postcà accepimus) vt seriam cogitationem susciperet de die mortis, & de exacto Dei iudicio. Ad hæc etiam illud iam edoctus erat, ignorationem in rebus tanti momenti pro iusta excusatione obtendi non posse. Quà-obrem apud animum suum omninò statuit, se nullo modo imposterùm commissurum esse, vt sacras Ecclesiæ Catholicæ leges de ieiunijs & abstinentijs sancitas vllo vnquàm tempore violaret, quas à maioribus & parentibus suis optimis Dei cultoribus ab eo vsque tempore, quo primùm Christo nomen dederunt, tanta cum religione obseruatas esse iam didicerat. Atque hoc quidem animo domum suam reuersus est.

Statuit apud se seruare leges Ecclesiasticas de ieiunio &c.

Paulò pòst ex consilio parentum & amicorum vxorem duxit adolescentulam quandam probis omninò & castis moribus præditam: cuius iure etiam prædium quoddam feudatarium consecutus est, tàm pingue & fructuosum, vt familiæ honestè alendæ sufficeret. Quæ rei familiaris procuratio, licèt eum iam necessariò occuparet, primùm tamen, saluatoris nostri monitis obtemperans, regnum Dei quæsiuit & iustitiam eius, seque more solito in hac rerum consideratione & oratione frequenter & magnò cum spiritus ardore exercuit. Sed & cùm viris Catholicis libenter consueuit, & cum illis sæpè de rebus fidei & syncero Dei cultu agebat. Quorum demùm consuetudine, pijs exhortationibus, & doctrina ita in fide Catholica confirmatus fuit, vt animo planè destinauerit, sibi in Ecclesia Catholica Romana viuendum omninò & moriendum esse.

Ducit vxorem probam & castam.

Libenter cũ viris Catholicis consueuit.

Itaque sacro reconciliationis munere in Ecclesiam Catholicam rursum insertus, in eam curam totus incubuit, vt sanctissimo missæ sacrificio sæpiùs interesset, conciones virorum Catholicorum & Catechismi explicationes attentè auscultaret, peccata frequenti confessione expiaret, venerabile altaris sacramentum dignè sumeret, orationi, rerum cœlestium contemplationi, & cæteris pietatis officijs diligenter insisteret. Nec alium sibi per multos annos vitæ statum & con-

Rediit in gratiam cum Ecclesia Catholica, & vitã instituit Catholico dignam.

Multùm laborat in in-

& conditionem elegit, quàm vt sacerdotibus Catholicis adesset, eosque ad ædes piorum hominum conduceret: vbi & ipse multùm præstitit, imperitioribus necessaria fidei capita proponens, cohortans, & verbo & vitæ exemplo satagens, vt animas lucraretur, easque à schismate ad Ecclesiæ Catholicæ vnitatem, à scelerum impuritate, ad emendatioris vitæ disciplinam suscipiendam traduceret.

[uandis fratribus & reuocandis ab hæresi.]

Quibus charitatis officijs quanto se Deo gratiorem, & pijs hominibus vtiliorem præbuit, tantò maiorem perfidorum hominum offensionem & odium in se concitauit. Adeoq; vt, cùm ipsis integrũ esset, hominem pro arbitratu suo & capere, cùm vellent, & abducere, quocunque liberet, quia tamen nullam aut planè exiguam æstimabant esse vindictam, si vnus homo caperetur (maximè verò ille vnus, qui & ipsos & ipsorum carceres & vincula nihili ducebat) rem alia via, & quidem multò maiori cum astutia aggredi statuerunt.

Subornarunt falsum quendam fratrem, cuius vxorem ante nuptias vir quidam magni nominis & authoritatis aliquantò familiariùs adhibuisse dicebatur, quàm par erat, vt is cum Finchio, viro vtique industrio & Catholicæ religionis promouendæ studioso, ageret sollicitaretque, vt ille vnum & alterum sacerdotem, vel etiam plures, (si fieri posset) ad diem & locum condictum perduceret, vt mulieribus quibusdam post puerperium templum repetentibus benedictionem sacerdotalem ex ritu Catholico impertirent, confessiones exciperent, missas celebrarent, & quosdam etiam homines cõuenirent, qui (vti prætendebat) ad Ecclesiæ Catholicæ gremium redire & sacris communicare peroptabant. Cui eorum postulationi bonus Finchius, cuius omnes animi curæ in eo positæ erant, vt animas lucrifaceret Christo, libenter acquieuit, promisitque se omnem daturum operam, vt res eis ex voto succederet.

Subornatur falsus frater qui Catholicos prodat sacerdotes cum duce eorum Ioanne Finchio.

Sed quia natalitia Christi festiuitas iam celebrabatur, eoque Sacerdotes suo quisque loco necessarijs occupationibus ita detinebantur, vt venire non possent, solùm Georgium Osterlisum sacerdotẽ, seminarij Remensis alumnum secum duxit, post Epiphaniam etiam Laurentium Ionsonum virum sanctum (qui posteà Londini martyrij coronam accepit) & cum eo alios nonnullos ducturus, si res ita postularet.

Iam verò scelerati isti non solùm corporum, sed & animarum prædones, quamuis in opimam illam Ionsoni & reliquorum sacri or-

dinis virorum prædam oculos intentiſsimè coniectos haberent, fortè tamen timentes, ne, ſi præſentem rei benè gerendæ opportunitatem omitterent, futuram fruſtrà expectarent, (maximè verò, quia in hoc primo congreſſu nihil præſtituri erant earum rerum omnium, quas in ſe vicißim receperant) conſultiùs omninò habuerunt, quod iam in caſſes inciderat, continuò diripere, quàm maiora ſibi impoſterùm polliceri ab ijs, quos periculi iam monitos eſſe conſpiciebant. Itaque comes Darbeius, accepta à fœmina illa inſidiatrice (cuius ſuprà meminimus) chirotheca (hoc enim erat inter ipſos ſtruendæ fraudis ſymbolum) noctu conſcenſo equo, paucis admodùm comitatus, magnis itineribus ad eum locum contendit, in quo ſancti Dei homines conuenerant, primo mane domum obſedit, pio Sacerdoti ſacri muneris officia peragenti manus ſacrilegas iniecit, & beatum virum Ioannem Finchium, qui Sacerdoti reliquiſq; omnibus ad hoc longè auſpicatiſsimum iter ſuſcipiendum author & dux extiterat, captiuum abduxit.

Comes Darbeius longè degenerat à maiorũ ſuorum virtute, qui lictores noluerũt eſſe Catholicorũ.

Cùm in hunc modum virum ſanctum libertate priuaſſent, vt & ea, quam apud ſuos habebat, probitatis quoque æſtimatione ſpoliarent, rumorem in vulgus ſparſerunt, Ioannem Finchium magnum illum religionis Papiſticæ zelatorem (ſic enim hominem appellabãt) prodendi ſacerdotis authorem & adminiſtrum fuiſſe, ſed & alios Catholicos viros quamplurimos, quorum conſuetudine vſus fuerat, quoſque ad ſacras conciones vel miſſæ ſacrificium conueniſſe viderat, apud comitem traduxiſſe.

Spargitur rumor Finchiũ prodidiſſe ſocios ſuos.

Quæ quidem fama licèt apud paucos admodùm Catholicos, nec certè apud multos hæreticos fidem inuenerit, eò quòd & hominis ſynceritas & vſitata perfidorum hominum impudentia eſſent omnibus penè hominibus probè cognita & explorata: ad vnum tamen aut alterum menſem hæc ab ipſis tàm conſtanter & tanta cum aſſeueratione dicebantur, vt quamuis nemini dubium aut obſcurum fuerit, rem eſſe planè commentitiam, vix quiſquam eſſet, qui apertum mendacium retundere auderet.

Mendaciũ inſigne Caluiniſticum.

Porrò vt hæc ab ipſis impiè conficta criminatio maiorem apud homines fidem haberet, vel certè non tàm facili momento conuelleretur, non erat ille ad publicum aliquem carcerem amandatus, vti fieri ſolet, ſed apud comitem in remotiori quadam domus parte diligenter aſſeruatus, ne cuiquam Catholicorum, aut eorum, quos ibi aliqua ratione ſuſpectos habebant, ad eum aditus pateret. Qua eorũ induſtria

industria etiam illud assecuti sunt, vt de negotijs Catholicorum, quicquid ipsi vel malis artibus inuestigare, vel prauo ingenio suspicari poterant, id statim propalarent, simulque per suos symmistas efficerent, vt fama vbique percrebresceret, Ioannem Finchium esse, qui suorum consilia proderet, nec enim fieri posse, vt alia ratione, quàm per ipsum patefierent.

Ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum eius. 3. Reg. 22.

Intereà temporis nihil industriæ aut artis omissum est, quo virum constantem à sententia deducerent, vel saltem efficerent, vt Catholicæ religionis causam aliqua ratione prodere videretur. Nunc cruciatus & tormenta minabantur, nunc pedes cippis stringebant, nunc crimen læsæ Maiestatis intentabant, sæpiùs in mentem ei reuocabant, quàm miserè domi cum vxore & familia ageretur: multa interim promittentes, amplissima pręmia, opes maiores, conditionem multò honestiorê, si benè monentibus obtemperare, & consilia Catholicorũ patefacere vellet: quosnam homines Ecclesiæ Romanæ reconciliatos esse resciret, quibus in locis missæ celebrarentur, quibusnam in ædibus sacerdotes exciperentur hospitio, sacerdotum nomina ederet, quos notos haberet, Catholicos indicaret, qui eorum templa ex legũ præscripto non frequentarent, ipse eorum Ecclesias & conciones adiret, vel saltem sese aditurum promitteret, vel etiam solùm permitteret, vt alius quispiã eius nomine promitteret, nec dicentem prohiberet. Ob hoc enim silentium tantum, etiamsi nihil aliud pręstaret, fidem faciebant, sese eum imposterùm habituros vt ciuem legibus parentem, ipsumq; & in libertatem pristinam restituendum esse, & maximis pręmijs afficiendum.

Interrogatoria hæreticorum.

Sed & comes, vt negotium pro virili parte promoueret, ipse vnà cum cęteris & quidem præ cęteris omnibus vehementer institit, & vrgebat sæpiùs, vt periculi magnitudinem maturè consideraret. Inter cætera verò, quibus homini timorem incutere moliebatur, illud frequenter inculcabat, res ab eo iam perpetratas eius generis esse, vt facilè conuincerent, eum esse proditorem, & non virum probum secundùm leges vitam instituentem.

Comitis Darbeij inhumanitas.

Tu enim, inquit, Regiæ Maiestatis imperium obstinato animo detrectas, teq; omninò proditorem, refractarium, ac perduellem eo ipso ostendis, quòd ex suæ Maiestatis imperio sacris interesse recusas. Minimè verò, respondit Finchius: vt cũ pace dominationis tuæ illustrissimæ loquar, non sum ego animo (vti dicis) obstinato. Nec enim si vestram Ecclesiam accedere, officijs interesse, conciones auscultare

 recusem,

recuſem,cùm non ſint Eccleſiæ Catholicæ iudicio probata, propterea minùs probus & legibus ſubiectus haberi debeo. Non enim poteſt princeps imperare mihi aut ſuorum cuipiam, vt aliquid agat, quod religionis Catholicæ ſanctionibus aduerſetur. In rebus temporalibus libenter illi obtempero: ſed accedere ad Eccleſiam actus eſt religionis, cui conſcientia mea reluctatur.

Quid ais, inquit comes? Ergò non agnoſcis Reginæ Maieſtatem eſſe ſupremum Eccleſiæ Angliæ & Hiberniæ caput in omnibus cauſis tàm Eccleſiaſticis quàm temporalibus? Non agnoſco, reſpondit beatus martyr. Eſt enim Pontifex totius Dei Eccleſiæ caput per vniuerſum prorſus orbem: nec eſt poſsibile, vt aliqua fœmina vel etiam vir laicus caput ſit alicuius Eccleſiæ partis in cauſis ſpiritualibus.

Quibus verbis comes ſupra modum excandeſcens & quaſi in rabiem verſus, pugnum ei in faciem magna vi impegit, multiſque hominem conuitijs atque opprobrijs onerauit. Quæ quidem omnia vir Dei patienter admodùm & magna cum animi tranquillitate tolerauit, & his tantùm verbis reſpondit: Si dominatio tua illuſtriſsima vult omninò talia mihi proponere, equidem facere non poſſum, quin omninò ad talia reſpondeam.

Graue eſt ſaxum & onerosa arena, ſed ira ſtulti vtroque grauior. Prouerb. c. 26.

Patiẽtia pauperũ non peribit. Pſal. 9.

Conãtur hæretici celare ſuam immanitatem.

Hac ſcena in eum quem diximus, modum peracta, quamuis omni ſtudio contenderent, vt, quæ ab ipſis in tenebris geſta erant, planè ſupprimerentur, nec in lucem venirent, Deo tamen ſuam ſuorumq; gloriam illuſtrare volente, fama rerum ita prorupit, vt paſsim per vniuerſam prouinciam deprædicarentur.

Quamobrem hac ſpe fruſtrati, imò & ſpem omnem deponentes, vllo vnquàm tempore impoſterum futurum eſſe, vt ipſorum voluntati aliqua in re cederet, hominem rurſus interrogant, an velit diuinis eorum officijs intereſſe. Quod cùm ille conſtanter recuſaret, Mancheſtriam amandatur publico carceri emancipandus, quem Neufleeta appellant; qui nuper Magiſtratuum imperio ea occaſione extructus erat, quòd maior eſſet Catholicorum numerus, quàm vt omnes totius regni carceres eos capere poſſet, eoque decretum fuit, vt vbique per omnes Angliæ prouincias noui carceres cuſtodiæque extruerentur.

Mancheſtriã amandatur publico carceri emancipandus.

Hîc verò cùm eſſet, vt nihil ipſi & reliquis ob fidem Catholicam concaptiuis (qui plurimi erant) ad ſummam infœlicitatem deeſſe videretur, tale quiddam excogitat Chatertonus pſeudoepiſcopus Ceſtrienſis, adhibito Vvorſleio carceris præfecto, quod omnem

planè

planè immanitatem superat. Sciebant homines nefarij, nihil esse in hac vita, quod synceri Dei cultores tàm vehementer exhorrescerent & detestarentur, quàm schismaticos eorum conuentus & conciones, adeoque malle omnes carceres, vincula, cruciatus, ipsam deniq; mortem perferre, quàm quæ in eorum cœtibus gerebantur, vel semel oculis conspicari.

Vt igitur pœnam omni morte atrociorem miseris non semel, sed sæpiùs infligerent, iussit Chatertonus archisynagogus cuidam inferioris ordinis Ministro, vt captiuos quotidiè sub horam prandij inuiseret, & caput vnum ex Bibliorum libro in lingua ipsorum vernacula conscripto & Geneuæ edito proponeret, addita etiam commentatione quadam ex eorum hominum sententia, qui Zuinglianam disciplinam & dogmata sectantur.

Atque hæc quidem eam ob rem in mensa fieri volebat, vt viri Catholici, si corporis alimentum sumere vellent, simul & animę venenum saltē auribus haurire cogerentur; sin verò ministrum auscultare nollent, seq; ea de causa è conclaui subducere mallent (quòd in ipso prandij initio omnibus integrū erat) omni prorsus cibo potuq; destituti fame sitiq; miserè conflictarentur. Id quod à Finchio & alijs nonnullis sæpissimè factitatū est, donec tandē in virū quendā doctū inciderat, cui tutò acquiescere se posse credebat in rebus dubijs. Is rem ita definiebat, posse quidē ipsum sine scrupulo in mensa sedere, eò quòd eius in eum locum accessus erat, non vt hæreticū hominem audiret, sed vt cibum sumeret: maximè verò cum ea protestatione, quam is quoque iam fecerat, se nullo modo admittere, imò verò contrà planè detestari deprauatas omnes sacræ scripturæ translationes, & quicquid est à religione Catholica alienum.

Immanitas Chatertoni Episcopi hæretici, cogentis Catholicos vel fame ac inedia interire, vel commentationes mendaces ministrorū Caluinistarū audire tempore illo, quo cibus sumendus esset.

Itaque demùm, cùm viderent homines perfidi, quàm vili penderentur à Catholicis eorum & Minister & ministerium, cessarunt quidem ab hac prælegendi exercitatione. Sed non multò post, Finchium & cum illo complures alios hoc loco submotos (eò quòd rebus omnibus exhausti sumptus ingentes non essent ferendo) in aliū carcerem longè teterrimum coniecerunt, tenuioris fortunæ Catholicis etiam nuper extructum, quem propterea hæretici calamitosis hominibus insultantes domum Rochorum, id est, erronum, ganeonum & hominum nihili appellarunt.

Quo in loco constituti aliud tormenti genus experti sunt. Nam impij desertores, qui iam pridem ab Ecclesia Catholica desciscentes

ſpiritum gratiarum in ſemetipſis extinxerant, cùm perſpicerent, ſeruorum Dei animos diuini ſpiritus robore ſic confirmatos, vt nullis malorum procellis, nec vinculis, nec ſqualore, nec tenebris, nec loci anguſtia, nec inedia, nec cęteris omnibus horridi carceris incommodis conuelli aut labefactari poſſe viderentur: ne ſe planè victos ac ſuperatos prodant, vim denuò non quidem animis, quos inuictos experiuntur, ſed corporibus, in quæ ſæuire permiſſum eſt, intentant, inſtant miſeris, vrgent, impellunt, ad templum inuitos pertrahunt, licèt id non ſine maximis ipſorum laboribus fieri potuerit.

Trahũtur ſancti inuiti & reluctãtes ad conuentus ſacrilegos hæreticorum.

Etenim in hac diſsidentium tum corporum tum animorum colluctatione, hic ſolus, de quo verba facimus, Ioãnes Finchius, eò quòd & eſſet corpore admodùm robuſto, & ſacrilegos eorum conuentus ſupra modum abhorreret, quatuor aut quinq; viros ex ipſis ſic occupatos detinuit, vt quemuis domi laborem multò maiori cum facilitate tolerare potuerint.

Nota lector Caluiniſtarũ rabiem.

Nec tamen cœpto deſiſtere voluerunt: (ſic erant animati, maximè in illum, quem à prophanis ipſorum ritibus longè alieniſsimum eſſe conſpiciebant) ſed pergebant carnifices, hominemq; pedibus arreptum, inſtar pecudis iam mactandæ, per plateas raptabant tanta quidem cum immanitate, vt caput fœdè laceratum ipſos, quà trahebatur, lapides ſanguine cruentarit. Quæ res cùm omnem planè barbariem ſuperaret, vniuerſum populũ, licèt alioquin varijs hęreſum venenis iam inde ab infantia imbutum, ad hominis commiſerationem ita permouit, vt ſibi à lachrymis temperare non potuerit.

Poſt hanc ærumnam, loco cataplaſmatis capitis vulneribus adhibendi alia ſuccedebant tormenta, & quidem prioribus multò atrociora. Quorum præcipua quędam paucis perſtringam, cęterarum rerum narrationem in aliud tempus differens, cùm magis opportunum erit, vel in ipſum Domini diem, cùm Chriſti tribunali ſiſtendi ſumus, & omnia hominum non ſolùm opera ac perpeſsiones, ſed & conſilia cordium manifeſtanda erunt.

Conijcitur in domunculam profundã, obſcurã & fœtidam in medio põtis ſitã. Victus Martyris.

Primùm igitur finita hac pugna ſtatim in quandam carceris domunculam valdè profundam, obſcuram, fœtidam, in medio pontis ſitam coniectus fuit, vt ibi pauimento nudo & humido inſtratus membra defatigata quiete, ſpiritus vitales hac aëris amœnitate reficeret. Deindè fame & inedia miſerrimè conflictatus fuit: nam diebus piſculentis fabas ſolùm coctas, alijs diebus iecinoris bouini particulam, eaque homini famelico ſatis parcè porrigebant.

Cumq;

Cumq; hanc victus & rerum omnium angustiam quandoque per integras hebdomadas, quandoque per menses aliquot continuos pertulisset, vt sibi (si qua ratione fieri posset) meliùs consuleret, cum custode suo frequenter egit, illud ab eo vehementer contendens, vt sibi Episcopum conueniendi facultatem faceret, (Episcoporum nomen etiamnum vsurpant in Anglia primarij sectariorum ministri,) fore sperans, vt, si eum alloqui posset, saltem mitiùs secum ageretur.

Sed cùm in hunc modum apud custodem multùm diuq; institisset, is verò supplicanti surdas aures prçberet, tandem pollicitus est se Ecclesiam aditurum, si modò custos eius postulationi acquiesceret. Tum ad Episcopum ductus, continuò interrogatur, an velit ex fide data Ecclesiam adire. Equidem, inquit, promisi, me Ecclesiam aditurum esse, vt Episcopo sisterer, sed non aliam volui, quàm Ecclesiam Catholicam. Quod eius responsum illi ægerrimè tulerunt, (quia rumor in vulgus iam sparsus erat, eum in causa religionis in eorum sententiam pedibus inijsse) adeoque hominem cum multa verborum asperitate & conuicijs exceperunt.

Ad Episcopũ ducitur.

Finchius de contumeliosis eorum & minacibus verbis parùm pensi habens, pseudoepiscopum enixè rogauit, vt eum solum & semotis arbitris alloqui liceret. Minimè verò, inquit ille, nisi nobis singuli sint enses. Quorsum, ait Finchius, cùm tibi nihil mali moliar. Illud te oro obsecroque, vt mihi vel ad palum alligato tui conueniendi copiam facias. Ego verò, rursum ait strenuus prçsul, non timeo: interim tamen te solùm non conueniam, nisi simus ex æquo gladijs instructi. Demùm satellitibus imperatum est, vt hominem ad Ecclesiam per vim traherent, quemadmodùm iam anteà sçpiùs fecerant.

Episcop' Caluinista gladiator; cùm tamē D. Paulus vult Episcopum non esse percussorem nec litigiosum. 1. ad Timoth. 3.

Quos cùm ille manus violentas iam iniecturos cerneret, vt & se & ipsos tantis molestijs liberaret, vnà cum illis pedibus incesit. Cuius tamen rei eum posteà vehementer pœnituit, & erat mente valdè perplexus: tum quia aduersarij tanquàm de parta victoria gloriabantur, tum quia passim dicebatur (fama verò etiam ad ipsum delata fuit) Finchiũ iam cessisse, & impijs Reginæ decretis obtemperasse: sed ob id vel maximè, quòd re ipsa dubitabat, ne fortè secus fecisset, quàm par erat. Nam fuerat semper tenera admodùm & delicata conscientia, & hoc tempore maxima cura ab illis adhibita fuit, ne quisquam ex Catholicis admitteretur, quem de negotio consulere posset.

Qua-

Quarum rerum occaſione, & fortaſſe ex eò, quòd multò deteriùs ab illis habitus fuerit, quàm nobis adhuc conſtare potuit, incidit vir bonus in talem animi timorem ac perturbationem, vt aduerſarij planè affirmauerint, eum ſpe ſalutis excidiſſe. Sed perfidis hominibus quis eſt, qui fidem adhibendam eſſe cenſeat?

Vnum illud vrgent, eum, cùm quodam die è lacu educeretur, petijſſe, vt ponè domunculam quandam ſecedere liceret, tanquàm ad aliquod naturæ opus, quod omninò remoto cuſtode fieri conueniebat: cumque eò peruentum eſſet, in aquam ſponte inſilijſſe. Id quod hæretici eo animo factum eſſe volunt, vt ſibimet necem inferret: ſed alij aliter ſentiunt. Qui hominis ingenium & mores magis cognita & perſpecta habent, facilè inducuntur vt credant, hoc eum feciſſe, vt vindictam ſumeret de corpore ſuo ob ſcelus in Deum (vti ipſe quidem exiſtimabat) admiſſum.

Porrò illud certum eſt, eum, quamdiu erat in aqua, non ſubſidiſſe vnquàm, ſed pedibus ſuis ita conſtitiſſe, vt toto capite extaret, nec vlla eius pars aquis humectaretur: ipſos verò periclitanti (ſicuti volunt) non aliam opem tuliſſe, quàm quòd lapides in eum iecerint homines omni lapide duriores, eaque ratione miſerum impulerint, vt ſe in ripam reciperet.

Barbara crudelitas Caluiniſtarum.

Iam verò ex aquis in hunc modum inſtar canis abactum, tantum abeſt, vt ſtructo igne fouere aut aliquod humanitatis officium in eius corpus vel animam exercere voluerint, vt etiam continuò toto corpore madidum, idque media hyeme, in illam carceris foueam frigidiſsimam teterrimamque reiectauerint, verbis in eum multò, quàm anteà, aſperioribus vſi ſint, arctiori cuſtodia munierint, in victu duriùs, in cæteris rebus omnibus multò inhumaniùs tractauerint, quàm vnquàm aliàs fecerant. Quibus certè rebus illud clarum euadit, quem illi finem ſibi propoſitum habuerint, nempè vt fortem Chriſti athletam in horrendam illam & inextricabilem deploratæ ſalutis voraginem præcipitarent, (quod ei crimen iam anteà falsò intentauerant) niſi ſingulari quodam diuini numinis præſidio munitus fuiſſet.

Sed in hiſce rerum anguſtijs, quæ iam tantæ ac tales euaſerant, vt nihil accedere poſſe videretur, pater miſericordiarum & Deus totius conſolationis laboranti non defuit, quin potius externi ſolatij inopiam internæ conſolationis dulcedine abundè ſuppleuit. Accendit Chriſtus in pectore ipſius amoris ſui flammam, quæ ibi tàm

sua uiter ardebat, vt mens succensis planè terrenorum affectuum stipulis, magno impetu in cœlum ferretur, vbi Christus est in dextera Dei sedens: nec quicquã in terris prius aut antiquius haberet, quàm vt pro illustranda diuini eius nominis gloria, & fide Catholica suo testimonio confirmanda, vitam impenderet.

Desiderium ingens patiē-di & moriē-di pro Christo.

Atque hæc quidem sanguinis pro Christo profundendi sitis maiora in dies singulos incrementa capiebat: adeò vt continere se non posset, quin & sæpiùs ex animo optaret, & inter orandum à Deo vehementer contenderet (quam rem ipsismet aduersarijs referentibus accepimus) vt diuina dignatione haberetur idoneus, qui Laburnum imitaretur.

Laburnū desiderat sequi.

Erat verò ille Laburnus vir genere nobilis, sed fidei Catholicæ professione multò nobilior, qui anno superiori eadem in prouincia illustrem martyrij coronam adeptus est. Ac quantò magis instabant comitia maiora, tantò maiorem suscipiendi certaminis ardorem, tantò etiam maiores animos & alacritatem præferebat, nec quicquam eum perinde angebat, ac timor ille, ne tanto munere minùs dignus haberetur. Quæ res, vti aliàs sæpissimè, ita vel maximè in ipsa Passionis dominica enituit, quæ primùm vtique comitiorum diem proximè præcedebat.

Cùm enim audiret, tres eo die sacerdotes Lancastriam abductos, vt iudicibus sisterentur, de crimine (vti appellant) læsæ maiestatis rei peragendi, intimo dolore tactus: O Deum immortalem, inquit (instar alterius B. Laurentij) cur non & ego patres meos charissimos comitor in hoc itinere? Cur non & de me sumitur experimentũ, an sim verum & viuum corporis Christi membrum? Permittite (per Deum vos oro obsecroque) vt sacros antistites subsequar, sistite me tribunali, facite, vt vnà cùm illis B. Laburni vestigijs insistam. Equidem idem credo, quod ille credidit: cur non etiam datur, vt idem subeam examen, quod ille subijt?

Petitio martyris non absimilis petitioni Sancti Laurentij.

In hunc modum multis egit cum custode, vt is causam promoueret efficeretque, vt Lancastriam ad comitia duceretur. Hinc effectum est, vt pseudoepiscopus hominem continuò ad se vocaret, multasque ei quæstiones proponeret. Primùm, quid sentiret de bulla Pij quinti, & de excommunicatione per eum in Reginam lata: an eam iustè excommunicatam censeret. Respondet Ioannes Finchius, se nonnihil auditione accepisse de bulla: cæterùm qua de causa aut quo effectu edita fuerit, nihil planè habere certum & exploratum.

Examinatur à pseudoepiscopo.

Tum pſeudoepiſcopus totam rei ſeriem aperuit, aitq́ue Pium Quintum poſtremum Pontificem excommunicationis ſententiam in Reginam vt hæreticam tuliſſe, eamq́ue omni regni iure priuatam declaraſſe: interrogauitq́ue Finchium, quid ille de negotio ſentiret. Reſpondit Martyr abſque vlla cunctatione: Si Pius quintus Pontifex maximus iudicauit Reginam eſſe hæreticam, omninò cenſenda eſt hæretica. Si Pontifex eam excommunicauit, eſt reuerà excommunicata, & quidem iuſtè, vt ego exiſtimo.

Cùm in hunc modum conſtanter & Chriſtiana planè cum libertate reſpondiſſet, Chatertonus contumeliæ loco habens, quòd in publico conſeſſu hominē imperitū diuini ſpiritus armatura munitum ſuperare, & in ſuas partes trahere non poſſet, re cum vno aut altero communicata, eum ad publica comitia ablegandū eſſe cenſuit.

Ablegatur ad publica comitia, inſtar latronis pedibus & brachijs vinctus.

Itaque poſtero die equo ſine ſellà imponitur, brachijs à tergo, pedibus ſub equi ventre fortiter reuinctis, eoq́ue modo Præſtonam abducitur, quæ viginti miliaribus diſtabat, eaq́ue nocte in carcere quodam, quem Kidcot appellant, aſſeruatur, loco admodùm frigido, putenti & horrido, à quibuſdam viliſsimæ conditionis hominibus iam nuper ita conſpurcato, vt neque decumbere neque ſedere, ſed ſolùm rectà ſtare, adeoq́ue totam noctem inſomnem ducere poſſet. Indè primo mane rurſus equo ſolito more inſtratus Lancaſtriam perducitur, quæ à Prēſtona viginti item miliaribus diſtat, ibique ſtatim in carcerem quendam anguſtum prorſus & ingratum, & & à cæteris captiuis ſeparatum conijcitur.

Siſtitur conſeruatoribus pacis, vt reſpondeat, tāetſi fame & labore penè confectus.

Hic conſtitutus, infra ſpacium duarum horarum, cùm nihil adhuc nec ſomni nec cibi ſumpſiſſet, è carcere educitur, Randalo, Hudleſtono & Briano Parckero pacis conſeruatoribus ſiſtendus. Erant verò iſti duo homines ex eorum numero, ad quos cauſarum etiam Eccleſiaſticarum cognitio ſpectabat, actione quidem inter primos, authoritate verò inter nouiſsimos ab omnibus ſemper habiti.

His igitur viris primùm ſupplex fit, vt concedant aliquod temporis ſpatium & locum idoneum ad quietem capiendam, antequàm de rebus tanti momenti reſpondere cogatur. Omnes enim corporis vires plurimùm eſſe debilitatas, & ſenſus admodùm obtuſos, ex ſomni inopia & labore immodico, quē etiā poſt diuturnas anguſti carceris moleſtias & ſqualorē pertulerat. Sed horū nihil impetrare potuit.

Tum petit, vt ſaltē ea rerum capita, de quibus interrogandus erat, ſibi dentur in ſcriptis, ac ſimul calamus & cætera ad ſcribendum neceſſaria

cessaria præbeantur, vt ad singula interrogata singulas responsiones sua manu descriptas referat.

Cui eius postulationi facilè assensum est: nam idem illi à tribus sacerdotibus paulò antè exegerant. Ille igitur acceptis capitibus, sese continuò ad respondendum accinxit, & eodē die (quæ erat feria tertia) sub vesperum absoluit: quarum rerū summam hoc loco subiunximus.

Interrogatoria & responsiones.

Primùm interrogatus fuit, an aliquādò fuisset in trāsmarinis regionib⁹, maximè verò in aliquo Anglorū seminario à Romano pōtifice instituto. Respōdit se in trāsmarinis partibus omninò nunquā fuisse.

Vbinā fuisset, & quorū sumptib⁹ vixisset sex annis proximè elapsis. Respondit se tres annos & nouem menses in carcere, reliquum tempus vnà cum matre vixisse: at eos homines, qui aliquod in eum charitatis officium contulerant, prodere non licere.

Quos sacerdotes nosset & quibus nominibus appellarentur: quibus in locis versarentur, & quò se reciperent. Ad hanc, inquit, interrogatioem non obligor, vt respondeam nec quidē respondere licet.

An vnquàm cum sacerdotibus, Seminaristis vel Iesuitis, conuersatus fuisset. Equidem, inquit, conuersatus sum cum nonnullis sacerdotibus Seminaristis, sed cum nullis vnquàm Iesuitis, de qua re multùm doleo.

An esset reconciliatus. Confido, inquit, me Deo & sanctæ eius Ecclesiæ reconciliatum esse.

An missam omninò, & quo in loco, & quoties audiuisset. Equidem, inquit, missam sæpiùs audiui, (Deo gratias ago) cæterùm quo in loco, & quoties missæ interfuerim, prodere non licet.

Quid de Bulla Pij quinti & excommunicatione in Reginam lata sentiret, an eam sententiam iustè latam esse censeret. Respondit, se nonnihil de eo negotio accepisse, sed nihil certi habere, ac proindè nec respondere posse.

An Reginam Elizabetham, quæ nunc imperiū obtinet in Anglia, pro vera & legitima Regina haberet. Respondit: Ego illam sic habeo, & me illi subditum esse profiteor.

An Northumbriæ & Vvestmerlandiæ comites & cæteri confœderati iure arma sumpserint contra principem suam. Respondit, se nescire, qua de causa aut qua authoritate arma sumpserint, ac proindè nec scire, quid in ea re responderet.

An Reginam Ecclesiæ Anglicanæ & Hibernicæ caput haberet.

Respondit Papam esse caput totius Ecclesiæ in terris, nec fieri posse, vt aliqua fœmina vel etiam vir laicus sit Ecclesiæ caput.

Quas partes sequi vellet, si Papa vel alius quispiam eius authoritate fretus Reginæ bellum inferret, restaurandæ religionis causa.

Respondit, si pro religione Catholica bellum susciperetur, velle se sectari partes Romani Pontificis & Ecclesiæ Catholicæ.

An in eam rem ab aliquo adductus fuisset, vel ipse alij cuipiam author extitisset, vt suam Reginæ obedientiam non præstaret.

Respondit, se nec ab aliquo alio in eam rem adductum fuisse, nec alij cuipiam vnquàm authorem extitisse.

An aliquem reconciliasset.

Non sum, inquit, tàm sublimi conditione, vt Sacramentum illud ministrare valeam.

Demùm hæc verba subiunxit: Cùm sim homo priuatus, fortassis errare possim in hisce responsionibus meis. In his igitur rebus & in omnibus actionibus meis me refero & submitto iudicio Catholicæ Romanæ Ecclesiæ.

Per me Ioannem Finchium.

Res peragitur cū trib' sacerdotibus.

HIs ita peractis in carcerem denuò coniectus fuit. Die subsequenti, quæ erat feria quarta post dominicam Passionis tres viri venerabiles, Thomas Vvilliamsonus, Ricardus Hattonus, Iacobus Belus sacerdotes, & vnà cum illis Ioannes Finchius laicus rei peracti fuerunt. Vna omnium eademque erat accusationis formula, quę his ferè verbis continebatur: quod illi deliberatè ac malitiosè affirmassent, Papam seu Episcopum Romanum habere authoritatem ac iurisdictionem in Anglia, porrò Papam Ecclesiæ Catholicæ caput esse, Ecclesiæ verò Catholicæ partem aliquam esse in Anglia, *contra formā statuti in hac parte prouisi anno Elizabethæ primo.* Lecto igitur criminationum libello, & responso à singulis petito, illi eisdem penè verbis responderunt, quibus criminationes erāt intentatæ, ac profitebantur planè, se ita credere, nec tamē esse reos mortis, eò quòd hæc omnia sentire ac dicere non esset crimē læsę Maiestatis.

Formula accusationis.

Ad tribunal iterū ducitur. Interrogatur de excommunicatione Pij quinti &c.

Feria quinta fuerunt omnes rursum euocati è carcere & ad subsellia iudicum perducti vnà cum reliqua latronum & sicariorum multitudine. Ac primo quidem loco Ioannem Finchium examinauit iudex, & multis ac serijs verbis cum illo egit de bulla Pij quinti & excommunicationis sententia in Reginam lata: qua authoritate

Papa

Papa Reginam iure regni priuare posset: quas partes sequi vellet, si Papa aut alius quispiam eius authoritate fretus bellum Reginæ inferret, pro restauranda religione Romana.

Atque has quidem & alias huius generis sanguinarias quæstiones proposuit, ad quas ille constanter & disertis verbis in hunc modum respondit: Ego, inquit, acceptabo & morem geram, quicquid Papa mandauerit aut fieri decreuerit pro restauratione religionis, & Ecclesiæ Catholicæ partes sequar, quemcunq; habuerit aduersariũ.

Post illum venerabilis senex P. Iacobus Belus & alij duo sacerdotes fuerunt similiter examinati: à quibus cùm eadem ferè responsa retulisset, duodecimuiris imperatum est à Iudice, vt secederent (vti moris est) & de causarum statu inter se consultarent. Quod cùm ab eis præstitum fuisset & illi se rursum pro tribunali statuentes iussi essent, vt suam de Ioanne Finchio sententiam dicerent, pronuntiarunt eum mortis reum esse. Ad quas voces B. Ioannes suauiter subridens, Deo Opt. Max. gratias egit. *Duodecimuiri pronuntiãt martyrem reum mortis.*

Tum iudex hanc in eum tulit sententiam, vt in storea viminea stratus & ligatus, super terram raptaretur ad locum supplicij, ibi laqueo ceruici iniecto tamdiu præfocandus, donec semimortuus redditus videretur. Deinde fune confestim inciso in terram rursus delabi permitteretur, vt ventre exenterato, intestina ipso adhuc viuente ac suis oculis spectante in ignem comburenda proijcerentur. Demùm vt caput amputaretur (præcordijs priùs violenter euulsis) & corpus vniuersum in quatuor partes dissecaretur, ac singulæ partes ad singulas vrbes ob mercaturam celebriores transmissæ, ibiq; totidem contis affixæ publicè ad terrorem suspenderentur. *Sententia iudicis.*

Cùm hanc sententiam accepisset beatus martyr, læto admodùm & sereno vultu iudicem aspiciens, hæc verba habuit: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo*; ac continuò ad populum conuersus, subiunxit: *In Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti & lætentur.* *Martyr gratias agit Deo & iudici pro sententia mortis.*

Tum Deum magno affectu orauit pro iudice, illud agnoscens, se illi multùm esse obligatum, optansque, (si Deo videretur) vt sciret, qua ratione eius anima Deo offerri posset. Ac ad satellites præfecti comitatus ministros ait, nihil esse laboris, quod non libenter subire vellet, quo animam iudicis vel etiam alterius cuiuspiam ex ipsis Deo lucraretur.

Accepta mortis sententia, B. Ioannes Finchius & B. Iacobus Belus,

qui eadem de causa morti similiter addictus erat, in carcerem missi fuerunt aliquantò capaciorem, vbi cæteri seruabantur captiui, qui criminum capitalium conuicti vltimo supplicio plectendi erant.

Hîc primùm diuina prouidentia omnia suauiter disponente, opportunitaté nactus, peccata sua per confessionem expiauit apud venerabilem sacerdotem, futurum iam etiã extremi in Christo agonis & martyrij consortem.

Frater Martyris accedit eum consolaturus, sed consolatore non egebat.

Post hæc accessit frater ipsius germanus, & cum eo multi ex cognatis & vicinis, vt hominem extrema iam malorum procella conflictatum more humano consolarentur. Sed illi virum Dei tanta lætitia cœlitùs perfusum inuenerunt, vt ad suos mirum in modum exhilarati & raro fortitudinis exemplo confirmati redierint.

Concaptiuos hortatur vt redeant, ad gremiũ sanctæ Ecclesiæ.

Tota ea nocte ex consilio & consensu reuerendi senis, qui per ætatem & corporis imbecillitatem ipse præstare non poterat, concaptiuos Christianè ac vehementer hortabatur, vt ad Ecclesiæ Catholicæ gremium redirent, & de sceleribus in Deum admissis pœnitentiam agerent ex animo: illud eis asseueranter affirmans, imò & suam ipsius animam pro rei confirmatione apud Deum fideiussorem dare promittens, si Catholicè credere, omnia eorum peccata confiteri seu confitendi saltem voluntatem suscipere, vitæ rectiùs instituendæ propositum habere, omnique imposterùm culpa læthali abstinere vellent, fore certissimè, vt regnum cœlorum consequerentur, licèt non sine aliqua pœna temporali de peccatis iam admissis infligenda. Qua eius cohortatione aliqui ex captiuis, quorum corda Deus tetigerat, sic erant compuncti, vt posteà multa eaque minimè obscura animi verè pœnitentis signa dederint, & ex hac vita excesserint cum ingenti quadam consequendæ salutis fiducia.

Dies mortis.

Anno Domini 1584. 20. die mensis Aprilis, hora consueta, cùm iam adesse vidisset carnifices iustitiæ ministros, gratissimo eos & vultu & sermone salutauit. Tum gratias egit Deo de innumeris in eum collatis beneficijs, maximè verò de hoc, quod iam nunc subiturus erat, mortis supplicio. Plebem circumfusam hortatus est, vt fidem Catholicam susciperent ac simul vitæ Christianæ puritatem sectarentur.

Educitur in conspectũ populi, eumque hortatur ad fidem Catholicam suscipiendam.


Dumque hæc ad populum verba faceret, quidam Caluinianæ fęcis minister sese importunè ac impudenter ingerebat (vti facere solent) vt virum sanctũ rectà ad cœlos pergentem de via salutis deduceret. Ad quem ille: Desiste, inquit, nec mihi sis molestus, non

Nihil vult habere commune cũ mi-

sum

ſum ego tuarum partium in cauſa religionis, nec vnquàm futurus ſum, quicquid dixeris feceríſue, Deus ſuam tibi gratiam impertiat, vt ad ſaniorem mentem redeas. *niſtro Calabriano.*

Poſt hæc parcè admodùm loquebatur. Siquidem & dùm per terram raptaretur, & in ſcala ad furcam conſtitutus, ſe totum internæ orationi ac meditationi dedit, nec priùs ab ea mentis exercitatione ceſſauit, quàm beata eius anima, curſu ſtrenuè conſummato, æternum illud cœleſtis gloriæ brauium conſecuta erat, ad quod iam diu ardenter anhelauerat, & cuius adipiſcendi cauſa tot tantoſque in hac vita & ſubierat & ſuperauerat labores, in Chriſto Ieſu ſaluatore noſtro, cui cum patre & ſpiritu ſancto omnis ſit honor & gloria in ſæcula, Amen.



MORS NOBILIS VIRI DOMINI FRANCISCI THROGMARTONI.

DOminus Franciſc⁹ Throgmartonus vir antiqua fide ac nobilitate præſtantiſsimus, varijs hæreticorum calumnijs peritus, ob eam ſolam cauſam à Leceſtrij amicis quod Catholicus eſſet, ac Catholicis captiuis ex animo faueret, tandem mortem ignominioſam atque crudelem poſt grauiſsima eculei tormenta in flore ætatis ſubijt, Anno 1584. cuius Pater D. Ioannes Throgmartonus eques auratus, doctiſsimus pariter atque clariſsimus per calumniam à Leceſtrio oppreſſus in ſqualore anteà vitam finierat. *Libro 3. de ſchiſmate Anglicano.*

MARTYRIVM RICARDI VITI, VNA CVM EXAMINATIONIBVS

& tormentis, quæ & ipse Christi Martyr, & etiam Ioannes Hugonis, Robertus Mauritius, Henricus Pughus laici, & D. Ioannes Bennetus Sacerdos pro fidei Romanæ confeßione subierunt.

De sacro Ricardi Viti certamine & morte dicturi, res ipsa poscere videtur, vt priùs capturam, cruciatus, & testiũ subornationem expediamus. His enim rebus & sancti Martyris innocentia, & perfidorum hominum immanitas, & Dei Opt. Max. suis vires & animos tribuentis gloria illustrior euadet.

Martyris educatio. Igitur Ricardus Vitus natus Blandelosæ in comitatu Montis gommerij, aliquamdiu bonis literis operã dedit Cantabrigiæ. Quibus instructus, in patriam redijt, & ludi literarij moderationem primùm Vraxami, deindè Ortonæ in prouincia Fliutia suscepit. Fuit is ab ineunte ætate religioni Catholicæ semper addictus, & ab omni tum hæresum contagione, tum hæreticorum consuetudine vehementer abhorrebat.

Quamobrem, cùm Sacerdotes, qui ex collegio Remensi in Angliam missi fuerant etiam hanc regionem peragrantes, quos poterant, Catholicæ fidei ac vitæ præceptis imbuerent, atque illud vbiq; proponerent, vt, qui salui esse vellent, sese omninò ab impijs hominum schismaticorum conuentibus subducerent: Vitus cum primis ei, quæ secundùm pietatem est, doctrinæ aurem & animum præbens, se protinùs recepit, & Ecclesiæ Catholicæ per sacramentũ pœnitentię reconciliatus, ab omnibus profanorum hominum vijs imposterùm tanquàm ab immunditijs abstinebat. *Reconciliatur Ecclesiæ Catholicæ.*

Quod cùm aduerteretur, ipsum nimirùm & cęteros Catholicos non ampliùs ad eorum templa accedere, nec aliquid habere velle cum illis commune: fuerunt perfidi homines omnibus quidem infensi, maximè verò Sacerdobibus & ijs, quos aliqua scientia pręditos esse nouerant, qui non solùm ipsi desciscere, sed & alijs authores esse possent, vt sese ab eorũ ritibus & communione subtraherent. Quos propterea

propterea sollicite insectabantur, & in eam rem sedulò incumbebant, ne possent aliquo in loco consistere.

Catholici Sacerdotes quæruntur ab hæreticis.

Quo sæuiendi studio dùm sacerdotibus capiendis affligendisque passim insistitur, Parochus Vraxamensis, qui & ipse sacerdos erat, sed nunc fœdæ libidinis impulsu, in sacrilegas etiam nuptias prolapsus, audiens eò diuertisse Sacerdotem quendam Catholicum, coactis aliquot ganeonibus, noctu domum obsidet, in qua delitescere hominem arbitratur, & capit non sacerdotem, qui non aderat, sed Vitum, de quo nihil suspicabatur. Sed captus, quia non satis cautè obseruabatur, eadem nocte fuga elapsus, omnem eorum expectationem ad vnum annum integrum & sex menses fefellit. Quo temporis spatio raro admodùm ad eas partes, idque ferè de nocte accedebat.

Minister verbi dux lictorum.

Vitus capitur sed eadē nocte fuga elabitur.

Demùm Vraxamum destinatus à sacerdote quodam, vt aliquod negotium conficeret, cùm iam sub vesperum appropinquaret oppido, obuium habuit in via publica institorem quendam Dauidem Edoardi, hominem prophanis hæresum nouitatibus vehementer addictum. Qui Vitum conspicatus, continuò tanquàm imperium habens, iubet vt sistat gradum & se dedat.

Quod cùm ille se facturum negaret (nondùm enim priuato cuiuis potestas erat in Catholicos, vti nunc est) institor quasi in rabiem versus, stricto pugione hominem aggreditur. Tum Vitus etiam vitæ timens (nec enim locus erat fugæ) scipionem, quem manu gestabat, capiti grassatoris tàm fortiter inflixit, vt is vnico ictu stratus in scrobem adiacentem retrorsum deciderit, & instar hominis planè mortui ad tempus iacuerit.

Iterum capitur à quodā homine perdito.

Quo rursum inopinatæ cladis spectaculo vir bonus sic erat perculsus, vt de suo iam parum pensi habens, de alieno periculo valdè anxisus, nusquàm se reciperet, sed eodē in loco staret immotus, cum intima quadam animi commiseratione in illo cadauere (vti quidem timebat) bis mortuo defixus. Tandem verò conspectis quibusdam motibus & vitæ redeuntis indicijs in homine, & ipse ad se rediens, sui curam agere & fuga saluti consulere cœpit.

Sed Dauid fugientem suspiciens, se confestim è fossa proripit, insequitur, & ad ciendam plebem vociferatur: sistite latronem, sistite latronem. Nec tamen quisquam repertus est tàm impius, vt in eum manus injceret: donec tandem cursum imprudenter secus pratum quoddam institueret, vbi serui Dauidis fœnum resecabant conficiebantque, qui continuis heri clamoribus acciti, hominem vndique

gingentes domum suam captiuum abduxerunt.

Quò statim confluentibus hinc indè vicinis, vt rem nouam spectarent (vti fieri solet) omnes Viti viri optimi vicem dolebant. At verò, cùm Dauidem sanguine turpiter perfusum conspiciebant, tantùm abest, vt quisquam vulnerato indoluerit, vt etiam pro ioco habuerint omnes, suum homini malum exprobare, atque illum ludos facere, illud solùm dolentes, quòd multò grauiora passus non fuisset. Sed ab amicis, qui alioquin summa illum beneuolentia complectebantur, acriter exceptus fuit, quòd spectatæ probitatis virum, qui nemini vnquàm iniuriam irrogarit, impedire voluerit, quò minùs cœptum iter sine molestia prosequeretur.

Examinatur, & Ruthinū summo probro ablegatur.

Indè ad Robertum Pillonum pacis conseruatorem adductus & ab eo diligenter examinatus, ac demùm Ruthinū, quanto maximo fieri poterat cum probro, ablegatus fuit, vt publicæ custodiæ emanciparetur. Ac Pilsonus, timens fortè, ne vir Catholicus in carcere constitutus humaniùs tractaretur, quàm par erat, custodem serijs verbis admonuit, vt munus suum non negligeret: esse enim hunc hominem de crimine etiam læsæ Maiestatis vehementer suspectum.

Vinculis grauißimis oneratur.

Quibus conseruatoris verbis territus custos, ne officio suo deesse videretur, duos ei maximi ponderis compedes & pessulos ferreos iniecit: timebat enim, ne aliter de eo securus esse non posset.

Experitur insignē Caluinistarum immanitatem.

Qua vinculorum mole vtrinque summa cum molestia & cruciatu propendente, Vitus in alterum latus dormire non poterat, sed si quandò somnus opprimebat, necesse habebat, vt vel in dorsum supinus, vel in ventrem pronus decumberet. Atque hanc quidem grauißimorum vinculorum ærumnam tres circiter menses perpessus est vsque ad publica comitia.

Offertur viro Dei libertas, si velit Ecclesias Caluinistarū adire.

Quibus cùm interfuisset custos carceris, ac demùm, auditis criminationibus, ab ipso iudice audiuisset, omnem ei noxam condonatam iri, si modò Ecclesiam adire vellet: innocentißimi viri misertus ex animo, graues illos compedes exemit, aliosq; suffecit, quibus minùs angeretur, hominemq; compellans humaniter: Profectò Vite, inquit, video nūc subesse malitiā. Quale enim est illud lęsæ Maiestatis crimen, quod vnica ad templū accesione redimi posse existimetur?

Sed hæc eius qualiscunque fœlicitas diuturna non fuit. Nam sub ipsum anni subsequentis initium, accedente nouo Comitatus præfecto, custos carceris amotus, & alius in eius locum suffectus fuit. Quò effectū est, vt nihilò melior esset Viti conditio, quā iam anteà fuerat.

Proxi-

Proximis in comitijs generalibus, quæ Vraxami mense Maio habita sunt, iudex Georgius Bromleius certior factus de Vito, quòd nullis nec vinculorum incommodis, nec corporis ærumnis adduci posset, vt ex legũ præscripto ritibus Ecclesiæ toto regno receptis semel interesse vellet, iussit vt per vim adductus in concione sisteretur. *Georgij Bromlei Iudicis immanis barbaries.*

Accedit igitur præfectus, & Vitum interrogat, an templum adire velit. Respondet Vitus, se nullo modo facturum. At verò, inquit præfectus, omninò tibi faciendum est, vt Ecclesiam accedas. Sed Vitus renitens: Præfecte, inquit, tu probè nosti, si Ecclesiam adire voluissem, mihi opus non fuisse, vt hasce carceris & vinculorum molestias tàm diu perferrem. *Portatur sanctus vel inuitus ad templum hæreticorum*

Tum præfectus satellitibus imperauit, vt eum deferrent. Qui statim aduolantes, arreptis tibijs & spatulis, instar cadaueris extulerunt. Cumque portando defatigarentur, onus deposuerunt in terra, iubentes, vt sese in pedes erigens, sponte sua incederet. Quod cùm ille facere recusaret, ministri rursum brachia prensantes, reluctantem traxerunt, à tergo impellente & hominem pugnis acriter cædente præfecto: sic erant infensi, quòd eorum communionem repudiaret.

Sed Vitus toto itinere cum maxima tũ animi tum etiã vocis contentione ad plebem circũfusam verba faciens, protestabatur, se non sponte sua accedere, sed per vim & nefas trahi ad profanos eorum & diris omnibus deuouendos conuentus. Et cùm iam in templo statueretur, vt concionatorem auscultaret, ipse contrà pedibus obstrepere, clamare, vociferari cœpit, vniuerso populo denuntians, quanto se scelere obstringerẽt illi, qui huiusmodi sacrilegis ritibus interesse vellent, cùm, quæ ab eis gererentur, omnia, essent schismatica & à sana Ecclesiæ Catholicæ doctrina prorsus abhorrentia. *Quomodò se gessit sanctus in tẽplo hæreticorum.*

Quod cùm audiret iudex, ira vehementer excandescens, silere ac Ministri verbis intentum esse iubet. Sed Vitus iudicem Deum magis timens quàm hominem, spreto eius imperio, importunis clamoribus interturbat omnia, illud solùm satagens, vt nec ab ipso nec ab alio quopiam Minister audiri posit.

Iudex igitur videns hominẽ obstreperũ esse, nec adduci posse, vt acquiescat; iustitię ministris imperat, vt è templo sublatũ ad forum deferant cippis constringẽdum. Ad quod Vitus: quid, inquit, opus erit baiulis? Ego sponte, & quidem perlibenti animo eò me conferam. Ac statim summa cum alacritate exilijt, & vnà cum satellitibus ad locum *Reducitur à tẽplo ad forũ publicum, ibiq; cõstringitur cippis ignominiosissimè.*

 locum

locũ pergens, pedes cippis occludendos promptiſsimè obtulit ſumma lætitia perfuſus, & quòd è funeſto perfidorum hominum conuentu ſe proripuiſſet, & quòd hoc tàm inſigne probrum ob Catholicæ fidei profeſsionem pateretur. Eſt enim hoc ſupplicij genus mendicis ferè & abiectiſsimæ conditionis hominibus inſtitutum.

Dumque ibi ſederet per totum diem, confluebant vndique cerdones, rabulæ, ebrioſi; alij, vt virum Catholicum ſpectarent, alij vt etiam irriderent. In ijs vnus erat. Eccleſiæ cuiuſpiam Miniſter, homo inſulſus planè ac ridiculus. Qui tamen, vt aliquam ſcientiæ opinionem ſibi conciliaret apud imperitam multitudinem, diſputare volebat cum Vito de clauibus Eccleſiæ.

Inter cætera verò, quæ in medium afferebat, cùm & illud aſſeueranter diceret, ſibi non minùs quàm Petro traditas eſſe claues, Vitus Miniſtrum ſuſpiciens (qui, vt erat, ita etiam vultu egregium potatorem præferebat) ſtulto ſecundùm ſtultitiam ſuam, lepidè tamen, in hunc modum reſpondit: Facilè, inquit, adducor, vt credam, tibi perindè ac Petro creditas eſſe claues: ſed hoc diſcrimine, quòd Petrus quidem regni cœleſtis, tu verò penus ceruiſiariæ claues accepiſti, quod & rubicundum illud naſi tui promontorium ſubindicat, & ſermones temulenti, quos de rebus etiam ſacris effutire non vereris, re ipſa conuincunt.

Egregiè accipit Miniſtrum verbi potatorē inſignem.

Difficulter poterat conſcribi duodecimuiratus.

Intereà temporis, dùm hæc in foro geruntur, ſcribitur in eum libellus criminationum. Datur etiam opera, vt conſcribatur duodecimuiratus, quorum vtique ſuffragijs priùs acceptis ferri ſolet ſententia in rem. Quod licèt ægrè fieri potuerit, alijs ſe data opera ſubducentibus è prætorio, alijs, cùm adeſſent & præconis voce appellarentur, nihil reſpondentibus, ne quid in virum innocentem ſtatuere cogerentur. Demùm tamen reperti ſunt duodecim viri, qui cauterio notatam habentes conſcientiam, nihil non auderent & in Deum & in homines.

In comitijs ſtatuitur ſanctus, vt pro ſe dicat.

Scriba lecturus criminationũ libellũ cõtra ſanctũ,

Itaque porrecto libello, cuius hæc ſumma fuit, quod in templo conſtitutus, Miniſtro & cæteris rem diuinam facientibus inſolenter admodùm & impiè obſtrepuiſſet, Vitus in comitijs ſtatuitur, vt pro ſe dicat. Tum ſcriba concilij, imperante iudice, libellum explicat, criminationum capita ex more recitaturus. Sed ſubitò, dùm legere molitur, oculis ſic captus eſt, vt legere non valens, alij cuipiam ex ijs, qui aſsidebant, legendum porrigeret. Quod cùm iudex aduerteret, rei nouitate nonnihil turbatus, interrogauit ſcribã, quid eſſet.

Reſpon-

Respondit ille, nescio, quid accidisse oculis, ita vt videre non posset. Ad quod iudex subridens: Caue, inquit, ne Papistæ imposterùm hanc rem diuinæ virtuti tribuentes, vt prodigium habeant. Scriba nihil subiunxit: sed posteà ingenuè fassus est, rem ita se habuisse, tantamque oculis caliginem obductam fuisse, vt ne vnum quidem apicem, etiamsi maximè vellet, discernere potuerit. *oculis capitur, vt nō possit legere.*

Exactis comitiorum diebus, Vitus ad carcerem rediit: in quem breui pòst tempore coniecti fuerunt etiam alij duo viri Catholici, Ioannes Hugonis & Robertus Mauricius. Hi cùm diuturnas & graues admodùm carcerum ærumnas perpessi fuissent pro Catholicæ veritatis martyrio, iam ante paucos dies Sidnæi Valliæ præsidis humanitate liberati fuerant, datis cautionibus alter centum, alter quadraginta librarum, fore, vt sese intra fines quosdam præscriptos continerent, & præstò essent, si quando senatus eos ad carcerem reuocare vellet. *Ioannes Hugonis & Robertus Mauricius Catholici in carcerem coniecti. Sidnæi Præsidis humanitas.*

Sed hanc eorum qualemcunque libertatem diuturnam esse non permisit Bromleius iudex, homo sæuus & atrox, & Catholicæ non solùm religionis, sed & nominis hostis iuratus. Qui simulatque in eam prouinciam ius dicturus aduenerat, certior factus per sycophātas suos, tolerabiliorem esse istorum hominum conditionem, quàm immitis eius animus ferebat, statim ad se vocatos Vraxamum amandauit ad carcerem, in quo Vitus iam diu detinebatur. *Bromleius Iudex sæuus & atrox.*

Quodam die, hi tres, strenui Christi confessores, simul in prætorium ducti fuerunt, (id quod ipsis iam anteà frequenter euenerat) vt fidem suam profiterentur. Quò cùm peruentum esset, æstimabant illi quidem, sibi continuò vel iudicium vel saltem examen subeundum esse, ob id, quòd ad eorum Ecclesiam accedere recusarent. Sed præter omnem expectationem, dùm impuros hominum schismaticorum conuentus modis omnibus fugiunt, ibi reperiunt, vbi minimè suspicantur. Adest enim Minister quidam de fęce Zuingliana, & stans in medio, sermonem magno cum fastu instituit. *Minister Caluinianus in gratiam Catholicorū cōcionem instituit in ipso prætorio.*

Quod cùm audirent viri Catholici, mirabantur, semetipsos tàm citò ex prætorio in synagogā trāsfusos. Et Ioānes Hugonis ægerrimè ferens imposturam, multis verbis protestabatur, sese ac socios eò venisse, vt auscultarent non garrulum Ministrum, sed iudicem populo ius dicentem: eumque locum à maioribus institutum esse, non promendis fanaticorum hominum delirijs, sed causis ciuium dicendis definiendisque.

 At Mini-

At Minister de verbis Hugonis parùm pensi habens, pergit & concionem inchoatam strenuè prosequitur. Cumq; inter cætera, quæ ab eo dicebantur, vnum aliquod asseueraret, quod cum sana Ecclesiæ Catholicæ doctrina pugnare videretur, Robertus Mauritius & Ioannes Vitus sese opponebant, vt poterant, atq; hic quidem compedes & vincula quatiebat, vt vox impia ad aures populi peruenire non posset: ille verò etiam Ministrum compellans, latinis verbis dicebat: Iona, Iona, inquit, pater tuus aliter prædicabat.

Quibus verbis populo testatum faciebat, eum patre sacerdote è scorto natum, mali vtique corui malum ouum, adeoque patre ac matre tantò deteriorem esse, quòd, illi solùm corpora impura libidine, hic etiam mentes lætali hæresum veneno inficeret. Sed iudex, cùm piam hanc Christi confessorum insolentiam compescere non posset, ac simul videret, periculum esse, ne Minister, & quod gerebat, ministerium contemptui & ludibrio haberetur apud plebem, si in hunc modum pergeretur, sanctos viros ad carcerem reduci iubet.

Finita verò concione, recordatus istud eius stratagema parùm ex voto successisse; ac propterea timens, ne in hoc congressu, vndè se gloriam consecuturum sperabat, turpiter victus ac superatus videretur, pugnam omninò redintegrare, & cum viris Catholicis Dei virtute munitis nó iam ex insidijs, sed aperto Marte confligere statuit.

Itaque vincti Christi Iesu denuò carceribus educti, concilio sistuntur, instituitur accusatio, & læsæ Maiestatis rei peraguntur. Sperat enim vir prudens secundùm carnem, hac ratione fore, vt, qui omnia huius vitæ incommoda spernere videbantur, saltem mortis intentatæ metu perculsi nonnihil de pristina animorum constantia remittant.

Vincti peraguntur rei læsæ maiestatis

Sed viris sanctis, quibus viuere Christus erat & mori lucrum, tantum abest, vt hæc mortis quantumuis horrendæ interminatio timorem vllum attulerit, vt etiam animos indè mirum in modum sibi auctos confirmatosque & ipsi senserint interiùs, & cæteri foris agnouerint, qui eorum dicendi maturitatem, prudentiam, & libertatem planè Christianam considerabant. Quæ res maximam in Bromleio & inuidiam & furorem concitauit. Nam illud eum vehementer angebat, quòd, cùm tot tantasque machinas fortibus viris admouisset, sese, tentatis omnibus, inuictæ eorum constantiæ non quidem labefactandæ, sed illustrandæ ministrum factum fuisse agnosceret.

Quam-

Quamobrem, vt labem summa ex crudelitate contractam maiori etiam cum immanitate dilueret, facultate à senatu regio impetrata, captiuos Vraxamo transtulit ad concilium, quod vocant, Marchiarum. In quo ipse, post præsidem Vvalliæ, principem locum obtinebat, eoque in homines suæ iam potestati subditos pro libito sæuire poterat. Id quod ab eo summa cum barbarie præstitum fuit: quemadmodùm ex hac eorum examinatione clarum euadit, quam propterea hoc in loco subijciendam esse duximus.

Captiui trāsferuntur Vraxamo.

Ioannis Hugonis & Roberti Mauritij examen.

VIgesimo septimo die mensis Nouembris Georgius Bromleius eques auratus in Marchijs Vvalliæ pacis publicę conseruator primarius, manè sub horam septimam Ioannem Hugonis & Robertum Mauritium accersiuit, eosque coram ipso constitutos in hunc modum allocutus est. Quid dicitis? Vultísne legibus obtemperare & tandem probi ciues euadere?

Ioannes Hugonis. Nos iam sumus probi ciues.

Bromleius. Portarie, duc eos ad procuratorem generalem; quod ilicò factum fuit.

Tum Atchines procurator generalis: Quandò primùm (inquit) reconciliati fuistis: quo in loco, per quem, quoties confessionem instituistis: & an apud Bennetum confessi estis, ex quo in hanc Concilij ditionem venistis?

Examinātur à Procuratore Generali.

Ioannes Hugonis. Ego nec meipsum nec alium quempiam accusabo. Quod cùm dixisset, Manicis addictus fuit sub horam nonam. Sunt autem Manicæ tormenti genus, in quo quis manibus in circulum quendam ferreum dentatum insertis & fortissimè constrictis suspenditur & torquetur. Est autem cruciatus iste tàm vehemens & intensus, vt nisi spina dorsi parieti aliquantulùm, summi verò pedum digiti pauimento nitantur, statim deliquium patiatur. Cùm in hunc modum penderet Ioannes Hugonis, quæstionarij rursus hæc ei proposuerunt.

Ioannes Hugonis addicitur manicis. Tormētū manicarum explicatur.

Atchines. Nunc respondeas. Quandò primùm reconciliatus fuisti: quo in loco, per quem, quoties confessionem instituisti: & an apud Bennetum confessus es ex eo tempore, quo in hanc Concilij ditionem venisti?

Ioannes Hugonis. Respondeo, me nec meipsum nec alium quempiam accusaturum esse: nec aliud à me responsum vnquàm extorquebis.

Atchines. Quandò vidisti fratrem tuum, vel quandò aliquid ab eo accepisti?

Ioannes Hugonis. Ego iam quinque annos in carcere sum, adhibita etiam arctiori custodia: & quo modo fieri potest, vt eum viderim?

Egregiũ mẽdatium Euani sollicitatoris vicarij.

Euanus sollicitatoris vicarius. Robertus Mauricius nunc pace fruitur: qui confessus est vos ambos ante sex annos domi tuæ cuiusdam Guyni opera reconciliatos fuisse. An hæc vera non sunt?

Ad hæc Ioannes Hugonis, licèt tria in breui hac narratione sciret à veritate esse aliena, nihil tamen respondit, sed in oratione ad Deum perseuerauit. (Robertus verò Mauricius, cùm hæc ab Euano dicebãtur, alio in loco erat, non liber (vt ille affirmabat) sed quæstionibus subiectus, pari quidem pœna, sed non pari constantia: quod à nobis posteà suo loco dicetur.)

Sanctus vir ab hora nona vsq; ad vndecimam in manicis pependit.

Ioannes Hugonis. Cruciatum augere non potestis. Quod tamen cùm illi facere satagerent, beatus Christi confessor se Deo & Sanctis omnibus intentissimè commendauit, illud ab eis vehementer contendens, vt ipsum ab hac eorum immanitate & in Ecclesiæ Catholicæ vnitate tueri vellent.

Sub horam vndecimam rediјt Atchines, & iussit, vt deponeretur; ipse verò pransum ibat. Quo temporis spatio Ioannes Hugonis eodem in loco permansit. Ac statim à prandio intrarunt tres viri consiliarij, Georgius Bromleius, Fabianus Philippi, & Simon Thelleuallis, & cum eis procurator generalis, & Robertus Mauricius, & alij complures.

Non est nouũ in Anglia Iudices Caluinianos mendaces esse.

Bromleius. En adest Robertus Mauricius, qui te accusat, aitque vos ambos ante sex annos domi tuæ cuiusdam Guyni opera reconciliatos fuisse.

Robertus Mauricius. Non id dico, illustris Domine, sed hoc solùm, me eo tempore & loco reconciliatum fuisse, ipsum verò adfuisse.

Bromleius. Procurator generalis, fac quæso, vt hominis examinationem scriptis excipias.

Ioannes Hugonis. Est confessio religionis nostræ officium: ego quidem nec illum nec meipsum accuso.

Bromleius. Tu ad hoc obligaris,vt fidei tuæ rationem reddas. Dic ergò, quid credas.

Ioannes Hugonis. Ego sic credo, quemadmodùm totum hoc regnum credidit tempore Reginæ Mariæ.

Fabianus Philippi. Papa tunc supremum Ecclesiæ caput habebatur: an & tu nunc eum sic habes?

Ioannes Hugonis. Ego hac in re credo,quemadmodùm docent Ecclesiæ Catholicæ doctores.

Bromleius. Et nos credimus,quæ à doctoribus traduntur: sed dic nobis,quid tu de hac re censeas?

Duo crassa mendacia Bromlei.

Ioannes Hugonis. Ego ita sentio & credo, quemadmodùm conciliorum generalium decreta statuunt & imperant, vt credam.

Bromleius. Et nos omnibus concilijs, excepto nouissimo, fidem adhibemus.

Thelleuallis. Papa tunc temporis bullam excommunicationis in Reginæ Maiestatem publicauit. Quid ais, an & illud iure factum existimas?

Ioannes Hugonis. Est hæc quæstio Theologica, quæ ad viros doctos magis spectat quàm ad me.

Thelleuallis. Quid si Papa hoc regnum inuaderet, bellum illaturus Reginæ & Euangelio pro defensione Missæ: quarum partium esse velles?

Ioannes Hugonis. Papa non solet materiali gladio pugnare. Nam triginta tres Pontifices continua successione martyrio affecti fuerũt.

Bromleius. Hoc inficiari non potest.

Ioannes Hugonis. Ego hîc in crimen vocor ob confessionem: vbi, quæso, in antiquis huius regni legibus deprehendi potest, confessionem crimen esse lęsæ Maiestatis? His dictis, Bromleius & cęteri omnes recesserunt, beato confessore cum custode solo relicto.

Sub horam tertiam redijt procurator generalis, secum ferens arctiores Manicas,vt hominem maioribus adhuc cruciatibus afficeret. Quas ille gratanter accepit, & facto priùs crucis signo,ori admotas osculatus est. (Quod eius exemplum & cęteri passionum socij posteà imitati sunt, quoties aliquod eis tormentum subeundum erat.) Itaque rursum sublatus in eculeum, & duarum horarum spatio solito more suspensus, licèt nouæ istæ manicæ manus fortiùs stringerent, quàm priores fecerant,diuino tamen beneficio multò minorem habebat doloris sensum, quàm quo iam antea à perfunctus fuerat.

Grauiora tormenta adhibentur.

Iterum in eculeum sublatus est.

fuerat. Quam tamen rem quæstionarij & lictores aliter interpretantes, hominem semel atque iterum deposuerunt, existimantes eum in extremo vitæ conflictu versari: eò quòd in oratione & meditatione defixus, non iam ipsos sed Deum spiritu solùm alloqueretur.

Demùm, cùm viderent, generosum Christi athletã omnibus eorum tormentis superiorem esse, adeoque desperarent planè, fieri posse, vt fortem & inuictum eius animum vllis huius vitæ malis conuellerent aut etiam labefactarent: satius esse duxerũt, exquisitis cruciatibus saltem ad tempus desistere, quàm tanto molimine in eam rem incumbere, vndè maiorem illi quidem splendorem, sibi verò infamiam conciliaturi essent. Quamobrem tormentis frustrà infe-rendis, non tàm satiati quàm tædio ac pudore affecti, homini in terram demisso manicas exemerunt. Quam ille cruciatus atrocitatem cùm iam quinq; ferè horas pertulisset, nullum tamen toto hoc tempore animi deliquium passus est, nisi nunc primùm cùm in terra cõstitutus vinculis soluendus esset.

Superat omnia tormenta inuicto animo.

Roberti Mauritij examen.

ROBERTUS Mauritius eodem tempore eisdem planè tormẽtis, sed alio in loco, subiectus fuit. Qui pœnarum acerbitate victus, succubuit: & quo loco reconciliatus fuisset, confessus est; ac porrò fidem dedit de adeunda eorum Ecclesia: quod tamen nunquàm præstitit. Sed posteà peccati in Deum & Ecclesiam ex infirmitate admissi pœnituit ex animo. Et ad hunc vsque diem in carcere eam ob rem constitutus, desertæ militiæ labem magna lachrymarum vi diluit, & ad futurum certamen (quod in dies singulos expectat) pijs se precationibus, ieiunijs, ac reliqua corporis afflictatione præmunit.

Roberti Mauritij lapsus & deinde pœnitentia.

Ricardi Viti examen & tormenta.

Henricus Pugh.

POstero die, qui fuit vigesimus septimus eiusdem mensis, manè sub horam septimam Ricardus Vitus & Henricus Pugh ducti fuerunt ad ædes Atchinis procuratoris generalis. Qui, posteaquàm ambos simul aliquamdiu examinasset, ac deinde alterũ ab altero separasset, ad Vitum conuersus, hæc verba habuit.

Atchines. Deum contestor, cùm Vvallia huius regni tertia pars sit nul-

ſit, nullum tamen hactenus ſumptū eſſe ſupplicium in hac prouincia de profligatis iſtis & refractarijs hominibus: quibus tamen nihilo plùs parcendum eſſet (vti illuſtris Dominus publicæ pacis conſeruator primarius ait) quàm rabidis canibus: eò quòd Papiſtæ omnes ſunt Reginæ hoſtes iurati.

Crudelis vox Atchinis Procuratoris

Vitus. Falſum illis crimen impingis: non ſunt. Equidem agnoſco, plenam ei authoritatem eſſe per omnes ditiones ſuas in cauſis temporalibus: ac ſic quidem docemur ab ijs, qui nobis præſunt.

Atchines. Tu in hac re ſocijs tuis maximè aduerſaris. Nam Bennetus Papam appellat regem regum, & ipſe Papa in ſtilo ſuo hæc verba adhibet: Si non valet verbum Domini, valeat gladius Petri (Atchines hoc loco Bennetum falsò inſimulat, hac fortè occaſione: quod venerabilis Sacerdos quodam die apud Atchinem ſermonem inſtituens de ciuium obedientia erga ſuos principes dicebat: Deum principum omnium principem eſſe, eique obedientiam præ cæteris omnibus principibus præſtandam eſſe. Imperatores enim & reges & principes & alios quoſcunque Magiſtratum gerentes, ſuam quemq; authoritatem, officium, dignitatem, & priuilegium à Deo tanquam à ſupremo eorum principe & gubernatore accipere: eoque Deo inprimis obtemperandum eſſe, deindè cæteris principibus ac Magiſtratibus, prout eorum voluntas eſt voluntati diuinæ conformis, ac pro loco & dignitate, quam, Deo tribuente, in nos obtinent.)

Eiuſdem mendacium luculendum.

Vitus. Stilum quidem Pontificis ignoro: ſed quod à me dictum eſt, certa veritate niti exiſtimo.

Atchines. An etiam iurabis?

Vitus. An me liberaturus es, ſi fecero?

Atchines. Si ad ea, quæ à nobis interrogandus es, directè reſponderis, ac ſimul ſpem feceris, te impoſterùm meliores vitæ inſtituendæ rationes ſuſcepturum eſſe; quamuis læſæ Maieſtatis crimen ſit, quod tibi intentatur, ego tamen bona fide promitto, me apud conſiliarios, ipſos verò apud Reginam in cauſa tua operam daturus, vt in gratiam recipiaris. Nos nihil obijciemus tibi earum rerum omnium, quæ ad religionem ſpectant, ſed ſolùm, quæ crimen læſæ Maieſtatis in Reginam aliquo modo attingunt. Non interrogabimus, quot ſint ſacramenta (quod tempore Reginæ Mariæ noſtris fiebat) ſed hęc à te quęremus: vbi recōciliat⁹ ſis, per quē id pręſtitū ſit; quo in loco poſtremò cōfeſsionē inſtituiſti; quoties, & an apud Bennetum confeſſus fueris, ex quo is in hanc concilij ditionē peruenit.

Quàm ſibi ſtolidè contradicat aſtutus Procurator, facilè videbit prudēs lector.

Vitus. Ignoras,confeſsionem noſtræ religionis, & quidem præcipui momenti,caput eſſe; adeoque te, cùm hæc à me quæris, fidem non aſtruere ſed violare,cùm dictis facta ſint contraria?

Atchines. Non eſt hoc aliquod religionis officium, ſed merum Papæ commentum, quo id agit, vt homines ab obedientia ſuorum principum deſciſcentes, ad ipſius ſe obſequium transferant: eo fine, vt eorum opera Principes loco mouere,& loculos ſuos infarcire poſſit. Quid exiſtimas? Poteſt ne Papa legitimum aliquem Principem iure regni priuare?

Tot ferè ſunt mēdacia Procuratoris generalis, quot verba.

Vitus. Neminem priuat.

Atchines. Non facit? Quid igitur dicis de bulla Pij Quinti in gratioſiſsimam Reginam noſtram lata?

Vitus. Non obſtat bulla illa Pij Quinti (quam tamen nunquàm vidi) quò minùs credam & habeam eam pro legitima noſtra principe.

Atchines. Non concedit Papa indulgentias etiam plenarias omnibus illis,qui Reginæ noſtræ necem inferre velint?

Vitus. Hoc ego planè inficior. Pontifex enim hoc nec facit, nec facturus eſt, nec facere poteſt (vti ego quidem æſtimo) etiamſi velit.

Atchines. Certum eſt cū non poſſe: ſed frequens vſus habet, vt eiuſmodi poteſtatem exerceat. Nam perduelles nuper in Northumbria, & Sanderus in Hibernia, bulla pontificia muniti, arma ſumpſerunt, vt regnum hoc inuaderent,ac proceres omnes, ipſamq́; adeò sereniſſimę principis noſtrę regiam perſonam trucidarent. Quo etiam conſilio Papa ſeminaria quædam extruxit,hominum vtique profligatorum,& legibus parere recuſantium perfugia. Vndè nobis prodeunt ſacerdotes iſti circumforanei, quibus illud propoſitum eſt, vt ciuium animos à principe & legibus patrijs abductos, ad ſeditionem & tumultus ciuiles excitent, niſi maturè proſpiciatur.

Vitus. Conſpirationis quidem Northumbricæ ego conſcius non eram; quemadmodùm nec de Sanderi conſilijs aliquid reſcire poteram,iam tum in carcere concluſus, ſicuti nunc ſum: ac proindè non rectè facis,qui aliena mihi facta impingis. De ſeminarijs verò accepi, Reginę inſignia Romæ conſpici ſupra ipſam collegij portam; & vtriuſque ſeminarij viros hoc in more quotidiano habere, vt Reginam peculiari quadam oratione diuinæ tutelæ commendent.

Atchines. Habent illi quidem Romæ inſignia,quæ tamen non Re-

ginæ,

ginæ sed regni Angliæ esse volunt. Quod verò ad orationem attinet, certum est eos precari, sed more suo seditiosè, vt Deus Reginam vel ad ipsorũ religionẽ cõuertat, vel tollat è medio: quod & tu facis.

Vitus. Equidem, cùm pro Regina precationem instituo, non alio eam quàm proximi loco habeo. Debet enim homo Deum super omnia diligere, proximum verò sicut seipsum. Itaque Reginam in supremo proximitatis gradu statuo ex illo Dei præcepto: Honora patrem tuum & matrem; sed nullo modo committam, vt eam diuini numinis loco mihi colendam esse existimem.

Atchines. Est illa certè pater patriæ. Sed his omissis, quid ais de ijs rebus, quas te modò interrogauimus? Respondebis ne directè ad ea, quæ fuerunt iam proposita, de reconciliatione tua, de confessione Benneto etiam infra tres hebdomadas facta; id quod nonnulli ex tuis ipsius socijs ingenuè fassi sunt.

Vitus. Nónne & scriptura sacra refert, quemadmodùm Scribæ & Pharisæi ad Ioannem accesserint, confitentes peccata sua?

Atchines. Sic est: sed illa non erat auricularis confessio. Fortassis allegare volebas alium quendam locũ ex decimo nono Actuum capite. (Quem locum Atchines, Benneto ea de re disserente, iam antè didicerat.)

Demùm Vitus ad manicas ferreas ablegatus & sub horam nonam insertus fuit. In quibus dùm pendet, Atchines multa eum interrogat de reconciliatione & alijs rebus, quemadmodùm iam anteà fecerat: illud subiungens, nullam ei sperandam esse liberationem à tormentis, donec vera fateatur. Monet etiam amicè, vt ætatis suæ rationem habeat. Non enim expectandum esse, vt is, annis iam penè confectus, eas vires habeat ad perferendos cruciatus, quas aliqui ex socijs haberent. Esse verò nonnullos ex eorum numero, qui sibi meliùs consulentes, rem omnem indicassent, & ex ea re libertatem consecuti fuissent. Quod & ipsi concessum iri pollicetur, si eorum exemplum imitari velit. *Vitus ad manicas ferreas ablegatur.*

Sed Vitus, vt has malefici voces saluti contrarias nec auribus quidem hauriret, ad Deum intereà conuersus, tota eum mentis intentione precabatur, vt tortoribus hanc in eum sæuitiam exercentibus ignoscere, se verò ab omni eorum immanitate liberare vellet, per sacrum Christi saluatoris nostri sanguinem pro nobis in cruce profusum. Cuius sancti viri precationis vim non ferentes carnifices, instar arreptitiorum, cùm exorcismis subijciuntur, dentibus in

eum frendere, inter se mussitare, hâc illâc cursitare, nec vllo in loco consistere valebant.

Deindè post aliquantum temporis spatium, meditari ac tacitè orare cœpit, nullam omninò vocem depromens nec ad Deum nec ad homines. Cumque illi multa ad eum verba facerent, nihil planè respondit: atque in eum modum vsque ad horam prandij perseuerauit. Quod eius silentium non pietati in Deum, sed spirituum vitalium debilitati tribuentes ministri, ac proindè metuentes, ne repentè moriens, ex eorũ manibus elaberetur, cùm ipsi iam pransum abituri erant, hanc in eum humanitatem exercuerunt, vt depositũ, tantisper à tormentis immunem esse paterentur, donec à mensa redirent.

Ab hora nona vsq; ad vndecimã torquetur.

A prandio accessit Bromleius conseruator primarius, & vnà cum eo Tounesendus, Fabianus Philippi, Laitonus à Plassba, & Simon Thelleuallis, senatores omnes: Atchines procurator generalis, Schererus, Euanus sollicitator & alij complures. Vito igitur in medio constituto, Bromleius spirans minarum & cætis in discipulos Domini, ex abrupto (vti solet Lymphatus rhetor) sic orditur: Profectò, inquit, non maior tibi impendenda est misericordia, quàm cani rabido. Præstat enim vt omnes isti tenebriones tui similes in furcã agantur, quàm vt reipublicæ status per vos periclitetur. Cui malo, multùm interest nostrâ, vt diligenter prospiciatur. Et vt hoc vigilãti cura præstemus, mandatum iam accepimus & à senatu regio & ab ipsamet Regina. Quod si minimè haberemus, nobis tamen ipsis in tanto rerum discrimine facere liceret. Tandem, cùm Bromleius multa in hanc sententiam stomachabundè &, vt turbatæ mentis impotus ferebat, effudisset; Vitus in hunc modum paucis respondit.

Misericordia Caluiniana erga Catholicos canina.

Vitus. Præclare Domine, si eàm potestatem vel propriam habes, vel aliundè accepisti: illud à te vehementer contendo, vt me semel morte afficias. Satius enim erit mihi & tolerabilius semel mori, quàm hisce cruciatibus continenter & lentè confici, quos ego hodiè ob Catholicæ fidei professionem omni morte acerbiores expertus sum.

Bromleius. Minimè verò: sed priùs tormenta, deindè & mortem tibi subeundã esse noueris: nam in crimen etiam læsæ Maiestatis vocatus es. Quamobrem iuuare te non potero, nisi spem dederis, fore imposterùm, vt te ciuem probum & legibus obtemperantem ostendas. Quod si facere volueris, hoc tibi præstare possum, vt vel duodecimuirorum suffragia non exigam, vel causæ tuæ cognitionem in

aliud tempus differam. Si verò ita obfirmato sis animo, vt Reginæ imperium detrectare nec regni decretis morem gerere velis: si duodecimuiri te mortis reum statuere non velint, equidem ipsos Londinũ abducendos & regio senatui sistendos curabo.

Duodecimuirorum seruitus hoc tempore in Anglia.

Sed age, & ad ea solùm nobis respondeas, quæ te de nefarijs proditionibus interrogaturi sumus. Quod si fortè times, hac re fieri posse, vt amicorum ope, quorum hactenus beneficientiam expertus es, destituaris: nos illud efficiemus, vt tibi imposterùm tàm benè prospiciatur, quàm nunc est. Non tamen tàm benè: sed curabimus, vt habeas, vndè vitam honestè tueri poßis. Et si ijs, quę à Roberto Mauritio dicta sunt, plura quædam adijcere volueris, faciemus, vt etiam ex ea re aliquid consequaris. Is enim iam confessus est, & relaxationem accepit.

Vitus. Etiam innocentes cogit mentiri dolor.

Scheretus. Hortum colere nouit: & ea in re suam mihi operam iam olim collocauit: sed nunc vxorem & liberos habet.

Fab. Philippi. Si volet abdicare religionem, quam sectatur, mihi famulabitur, & colet hortum meum.

Atchines. Certè oportet me illud fateri, hominem istum magis sensatum esse, & ad confirmandas res suas maiora rationum momenta adferre posse, quam Bennetum: qui Papam regem regum appellat, eumque affirmat gladium habere temporalem etiam in Anglia.

Bromleius. Sed Bennetus libentiùs dispensat cum legibus Pontificijs, quæ longè sunt, quàm cum decretis Reginæ, quæ sunt propiora.

Vitus. Papa Sacerdos est, & gladio temporali non vtitur, qui ad reges & Principes spectat. Nam sacerdotibus gladio pugnare non licet.

Bromleius. Sumus omnes reges & sacerdotes. Sed tempus elabitur. Nisi animum inducas, vt ad ea, quæ interrogaris, directè respondeas, tibi denuò subeunda est tortura.

Vitus. Vbi legitur in omnibus sacris scripturis, Christianos quemquam tormentis adegisse, vt eorum religionem susciperet? Illud verò habetur, Christum flagello vsum esse, vt homines quosdam indignos templo exigeret.

Bromleius. Sed & illud in Euangelio scriptum reperitur: Exi in vias & sepes, & compelle intrare; quod nobis imitari licet.

Notet lector.

Fab.

& adhuc in singulas horas obnoxij essent: fieri non posse, vt eam cruciatuum immanitatem perferret. Euadendi verò vnicam esse rationem, si amicis rectè consulentibus acquiescere, & cum Roberto Mauritio testimonium ferre vellet in Bennetum, quòd is ipsius confessionem excepisset. Quod si sponte sua faceret, fore, vt maiorem indè gratiam consequeretur: sin minùs, vi tormentorum adigendum esse, vt vel inuitus faceret. Sed Henricus, cùm nullis nec pollicitationibus nec minis adduci posset, vt aliquid in Bennetum diceret, manicis addictus & statim admotus fuit. Quibus in tormentis constituto Atchines eadem rerum capita obiecit, quæ iam anteà Vito proposita fuerant.

Henricus manicis inseritur.

Porrò & de libellis quibusdam in eius camera in carcere Fliutio repertis interrogauit: maximè verò de historia quadam latinè scripta, quæ martyrium complectebatur patris Edmondi Campionis, & Petri Elcij Hispani, qui à Mauris in Aphrica occisus fuit. Ad quæ Henricus sic respondit: Si conuincere possitis, me in aliquo horum omnium deliquisse, equidem quoduis supplicium ex legum præscripto subire paratus sum. Illud tamen vnum vobis supplex fio, vt quoduis aliud tormentum decernatis, non hoc, quo nunc afficior.

Quod verò ad libros attinet in camera mea inuentos, respondi sæpius, eos mihi à quodam aduena donatos esse, de quo nihil sciebá, nec qui vir esset, nec vndè venisset. Illud feci, quod à captiuis fieri solet in simili causa. Libros oblatos accepi, nihil sciscitãs ab homine, nec quo nomine nec qua cõditione esset: vt posteà interrogat⁹ (si fortè accideret) veraciter & illæsa conscientia in hunc modũ responderem. Id quod ferè à Catholicis vbique obseruatur, qui multis suorum calamitatibus edocti, hac prudentia vtuntur, ne se suósque cruciatibus adacti, prodere cogantur: Atque istud meum est responsum de hoc negotio: nec aliter respondere queo, nisi mentiri & in meipsum iniurius esse velim. Quam eius responsionem Atchines egerrimè ferens, relicto Henrico se ad Vitum contulit, qui eodem quidem tempore, sed alio quodam in loco quæstionibus exercebatur.

Tum tortores & iustitiæ ministri ad Henricum confluentes, inconditis & ad nauseam vsque repetitis vocibus miseri hominis aures onerabant: Crimen fatearis, tibi maturè consulas, vera dicas. Omninò faciendum est tibi, vt consiliariorum voluntati pareas, si te manicis istis vnquàm eximere cogitas. Illi enim planè decreuerunt

uerunt rei veritatem aliqua ratione elicere: nec priùs torquere desistent, quàm à te rem omnem extorserint. Atque in hunc modum homines insulsi ad beatum Dei confessorem, ille verò ad Deum verba faciebat sine intermissione, dulcissimum Iesu nomen frequenter, & quidem magno cum affectu implorans, vt sibi perseuerantiam, illis saniorem mentem largiretur.

Demùm carnifices ad mensam euocati, hominem in terram demissum, tantisper respirare permiserunt, donec ipsi cibũ sumerent. Ad sumpto prandio, statim redeuntes, in manicas eum denuò suffecerunt sub horam duodecimam. Tum ad eum ingressi sunt Bromleius, Tounesendus, Fabianus Philippi, Laitonus à Plassha, Simon Thelleuallis, & alij complures. Quos cùm Henricus videret, Bromleio supplex fuit, vt ipsius commiseresceret; id quod ab eo rogabat enixè & obsecrabat per illum, à quo tandem iudex ipse misericordiam imploraturus esset.

Sub horam duodecimam iterum manicis implicatur.

Bromleius. Tu es Henricus Pugh?

Henricus. Sum.

Bromleius. Tu non plus misericordiæ consequeris, quam si esses canis rabidus. Nulla enim tibi tuique similibus nequissimis & sceleratissimis proditoribus impendenda est misericordia. Cumque hæc & multa huius generis conuitia in pios Catholicæ fidei cultores more suo euomuisset homo Zuinglianus, qui omnem non solùm fidem sed & humanitatem iam olim abdicauerat, sese ad Vitum contulit, & vnà cùm eo cæteri omnes, qui à consilio erant. Sed Fabianus Philippi continuò rediijt, vt Henricum de confessione & cæteris rebus examinaret: à quo idem planè, quod iam anteà, responsum retulit.

Vox indigna Christiano homine, sed non indigna Caluiniano Iudice.

Fab. Philippi. Nos tibi in faciem rebus necessarijs addicere possumus, te tunc temporis adfuisse, cùm Bennetus Robertum Mauritium reconciliauit. Et, vt dictis fidem astrueret, statim imperauit, vt Robertus, qui paulò antè tormentis subiectus & miserabilem in modum dilaceratus fuerat, accerseretur. Qui cùm adesset, interrogauit eum, an Henricus Pugh resciret de confessione ipsius Benneto facta, an eodem in loco cum illo fuisset; an eum genibus flexis vidisset, interdiu an de nocte res gesta fuisset. Ad quæ quidem omnia respondit miser, quod ex eorum voluntate maximè esse sciebat.

Porrò

Porrò interrogatus, an Bennetus illud ſtans aut ſedens feciſſet, reſpondit,eum vnà cum ipſo flexis genibus fuiſſe. Quæ cum audiret Henricus,diutiùs ferre non valens: Deum,inquit,habeas propitium,Roberte,quæ enim à te dicuntur,nullam habent veriſimilitudinem. Nam certum eſt,ſacerdotem,cùm confeſsiones excipit, ſedere, pœnitentem verò ſe ad eius pedes deijcere. Deindè & illud in more quotidiano habuimus, vt priuatus preces recitaturi, bini vel terni flexis genibus conſiſteremus. Quæ cùm ita eſſent, nihil erat, quamobrem ego aliquid de reconciliatione aut confeſsione cogitarem: maximè verò habita loci, temporis, & hominum ratione, qui aderant. Nam ad eum locum ventitabant non ſolùm amici & familiares,ſed & alij quidam extranei & nobis ignoti, qui hâc atque illâc frequenter tranſeuntes, obſeruare poterant, quæ à nobis gerebantur.

His dictis Robertus Mauritius in locum ſuum remiſſus fuit: & Bromleius examinato Vito, reuerſus eſt. Ad quem in ipſo ſtatim aditu Fabianus Philippi(honoris cauſa obuiam procedens:) Illuſtris Domine,inquit, iſte nequam animo eſt ſic obfirmato, vt quamuis crimina intentata hîc ei coram & in os ipſo Roberti Mauritij ſodalis teſtimonio confirmentur, malit tamen cruciatus iſtos ſubire ac perferre,quàm culpam fateri.

Henricus verò conſeruatorem adeſſe ſentiens,eius fidem humillimè obteſtabatur, vt tormentorum,quibus immeritò exercebatur, aliquem ſenſum habere vellet. Quibus calamitoſi viri precibus Bromleius(vt eſt hominis ingenium)ſurdas aures præbens,procuratori & quæſtionarijs mandauit, vt eum non ampliùs de hiſce rebus examinarent, ſed illud ſolùm extorquerent, quo in loco & à quo libros accepiſſet.

Fecit igitur procurator, quod in mandatis habebat: & Henricus non aliud ei reſponſum, quàm quod iam anteà,dare voluit. Quam rem ille ferens indignißimè, quaſi in furorem verſus, ſeſe indè concitè proripuit,Henrico tortoribus relicto. Qui & ipſi, contumeliæ loco habentes, quòd eorum machina, quæ ferociſsimos quoſque domare ſolebat, viro Dei virtute munito quodammodò ſuccumbere videretur, manuum vincula fortiùs ſtrinxerunt traxeruntque, adeoque fuerunt ſæuiendum intenti, vt, exquiſitißimis afficere ſatagentes, omnibus eum ſupplicijs tantum

Henricus præ magnitudine tormentorum animi deliquiũ patitur. non exemerint. Etenim intensi doloris magnitudine planè superatus (eò quòd corpus diutiùs ferendo non esset) animi deliquium passus est.

Crudelitas plusquã Turcica. Qua re conspecta, statim aduolant tortores, hominem demittunt in terram, tempora vino forti perfricantes ad vitam reuocant: ac confestim nulla interposita mora (etiam anteà, quàm pedibus consistere aut manum adhuc mouere posset) manicis insertum denuò suspendunt. Tum continuò rursum irruit Atchines procurator, eisdem adhuc animi motibus exęstuans. Cuius impetum vt frangeret Henricus, vel saltem nonnihil reprimeret, hac ad eum verborum lenitate vsus est. Obsecro te, ne velis Christianæ charitatis affectum deponere, & mihi nullo vnquàm tempore de te malè merito succensere. Mens est enim cruciatus: tu verò doloris expers, tormentorum, quæ ego sentio, merus es spectator. Nec existimare possum, te ex hisce pœnis meis voluptatem aliquam capere.

Ad quem Atchines: certum est, inquit, illud omninò à nobis exigi, vt hoc mutuæ charitatis officium & animum nunquam deponamus. Et certè mihi dolori est magis quàm voluptati, cùm aliquem in hoc statu video: maximè vero, si sibimet exitium adferat, quod tu nunc facis.

Hæc cùm dixisset, librorum nomina, quos in eius camera repertos esse iam diximus, describens, ac eorum præcipuè de quibus eum legibus obnoxium esse existimabat, clara voce recitabat, eumque de singulis seueriùs examinabat: sed ille eadem prorsus respondit, nec adduci potuit, vt plura diceret. Qua re vehementer infensus Atchines: Quid, inquit: an nos vt stupidos & insensatos habes? Tales enim omninò consiliarios velle facere videris, si dictis tuis fidem adhibere vellent. Sed tu benè senties, eos esse prudentiores, quàm vt à te sibi imponi sinant. His dictis iterum recedit Atchines, & Henricum in manicis diutiùs torquendum relinquit.

Paulò post eius abscessum ingressus est etiam Cotus, & vnà cum illo alij nonnulli; qui, vt aliquit misero elicerent, multas ei & varias quæstiones proposuerunt. Sed demùm, cùm nec ipsi quicquam præstare possent, hominem similiter atrociùs discruciandum reliquerunt. Ac tortores in eam rem sedulò incumbentes, dùm cruciatum adhuc intendere moliti sunt, illud rursus effecerunt, vt in tormentis deficeret. Cui malo statim occurritur, demittitur, vino ardenti perfricatur, &, simulatque oculis aperit, in tendiculam sine mora sustol-

Secundò deficit pius vir in tormentis.

sustollitur. Quo in loco constitutum Atchines rediens denuò adoritur, librorum catalogum iterum recitat, & interrogat de singulis vti iam fecerat. Sed & veteres illas de confessione molestias renouat, & multa illi obijcit de hac re: quamuis conseruator primarius iam anteà disertis verbis interdixisset, quò minùs id ab eo vel ab aliò quopiam fieret.

Henricus. Domine procurator, hoc vnum mihi, quæso, expedias. Peccata sacerdoti per confessionem aperire, cur atrocius esse flagitium nunc censetur, quàm iam olim in maioribus nostris fuit, quòd me propterea tàm immaniter excrucias dilaniasque?

Atchines. Non potest maior esse cæcitas, quàm vt res aliqua creata scelerum dimittendorum authoritatem vsurpet, quod proprium Dei conditoris munus est.

Henricus. Quicquid à sacerdote hac in re fieri videmus, id ille non propria sed Dei authoritate & mandato facit: quod ex sacra scriptura manifestum euadit. Et, si in sacris literis minimè esset, tamen etiam vester Communionis liber hunc ritum, contrà, quàm vos vultis, admittit & probat; quemadmodùm videre est in eo capite, qui de visitatione infirmorum est; vbi hæc ipsa absolutionis verba, pro quibus nos tam dira patimur, tanquam læsæ Maiestatis conuicti, reperiuntur. Iussit igitur Atchines afferri librum: cumque rem ita se habere comperisset, quemadmodùm Henricus dixerat, non habens, quod responderet: Vos, inquit, multa huiusmodi loca habetis, quæ ad confirmandas rationes vestras malè torquetis. Atque ita statim, clauso libello, recessit, antequàm Henricus respondere posset. Sed Paulò pòst reuersus, iussit ministris, vt Henricum soluerent, hora circiter dimidia post quartam cùm fortissimus Christi athleta quatuor iam horas integras à meredie in hac tormentorum immanitate decertasset pro fide Catholica, præter illum aliquot etiam horarum agonem, quem tempore antemeridiano pari virtute ac constantia sustinuerat.

Athleta Christi ab hora duodecima vsq; ad mediam quintæ in tormẽtis decertauit pro fide.

Benneti Sacerdotis examen & tormenta.

IAm verò, quia Benneti Sacerdotis frequens est mentio in hac historia, qui vt sanctis Christi confessoribus carceris & tormentorum consors, ita & in subeundis perferendisque cruciatibus rara quadam & prosus admirabili constantia præditus fuit: non erit à re nobis proposita alienum, si & ea, quæ Sacerdos Catholicos in examinatione sua ad illustrandam Dei gloriam & religionis Catholicæ veritatem dixit, fecit, ac pertulit, bona fide referamus.

Anno Domini 1583. Hardenæ in comitatu Fliutio conuenerunt Hugonius pseudoepiscopus Asaphensis, Georgius Bromleius publicæ pacis conseruator primarius, & alij quidam, vt hominem examinarent. Locus verò, in quo comitia fiebant, sacellum erat. Quod vt Bennetus aduertebat, populo vniuerso, qui aderat, protestabatur, sese non eò venisse, vt in Ecclesiam, aut publici conuentus locum. Non quòd locum abhorreret à viris Catholicis iam olim extructum & rei diuinæ dicatum, sed quòd profanos eorum ritus modis omnibus execraretur.

Comitia in sacello habentur.

Quam eius protestationem quidam viri nobiles, qui assidebant, inique ferentes, ab Hugonio archisynagógo contendebant, vt preces vespertinas (more vtique Zuingliano) recitaret. Quibus ille statim annuens, rectè, inquit, fieri posse existimo. Sed Bennetus, hoc audito, præ sancta quadam indignatione quasi sui parùm compos; Esset hæc, inquit, summa crudelitas, qualis nec ab ipsis Paganis impijs & efferis gentibus expectanda esset.

Hinc igitur orta est disceptatio de Ecclesia Catholica: quam Bennetus Romanam omninò esse affirmabat. Hugonius contrà, fatebatur quidem ingenuè, Romanam iam olim fuisse quidem veram Ecclesiam: at nunc regnum esse veriùs quàm Ecclesiam. Ad quod Bennetus: Eadem, inquit, nunc est Ecclesia Romana, quæ fuit Constantino Magno imperatore. Simulque oracula Prophetarum recensere cœpit, quibus illi prædixerant, fore, vt ea omnes omnium nationum & ætatum respublicas splendore ac gloria superaret. Sed perfidi homines Romani splendoris inuidi, importunis vocibus obstrepentes impedierunt, quò minùs cœptum narrationis filum prosequeretur.

Disceptatio instituta inter Superintendentem Caluinianum & Bennetū sacerdotem Catholicum.

Hugonius.

Hugonius. Ecclesiam igitur particularem an vniuersalem esse dicis?

Bennetus. Sic quidem testatur Dominus Cyprianus. Sed simulatque Cyprianum nominasset, silentium ei protinùs indixerunt.

Hugonius. Quid, Domius Cypianus? Equidem probè noui, quid ille dicat. Tum insulsus Minister, ne, si taceret, causa cadere videretur, quædam ex D. Cypriano de vocabulis illis (Vrbe & Orbe) dixit, quæ nihil ad rem propositam spectare videbantur. Sed suæ imbecillitatis benè conscius vt Benneto omnem respondendi facultatem amputaret, ad Bromleium conuersus. Ego inquit, hominem istum Asaphæ semel atque iterùm examinaui, eumque semper contumacem ac refractarium depræhendi, quemadmodùm & nunc deprehendo. Quamobrem, cùm non sit disputandum cum hæreticis, ego eum hoc in loco potestate mea exemplum denuntio, & brachio sæculari coërcendum relinquo. *Victus tacet Archisynagogus.*

Bennetus. Illud tamen rogo, vt, antequàm à te recedam, vnam quæstionem mihi expedias. Ad hanc Benneti postulationem hæsitauit quidem aliquamdiu Hugonius, libenter etiam reiecturus, vt videbatur. Sed timens fortè, ne, si detrectaret, non aliam ob causam id facere videretur, quàm quòd vel sibi vel causæ diffideret; tandem animos sumens, iussit, vt proponeret liberè quicquid vellet, modò eius generis esset, vt illustri Conseruatori probaretur.

Tum Bennetus: Mihi, inquit, modò concedebas, Ecclesiam Romanam fuisse olim veram Christi Ecclesiam. Si ergò posteà degenerasse, vel in aliam formam mutatam esse contendis, ista sex rerum capita in omni religionis innouatione nobis consideranda veniunt. Primùm noua & inusitata doctrina, quæ affertur; deindè, quo nomine vocetur is, qui eam attulerit; tertio, quo tempore prædicari cœperit; quartò, quo in loco emerserit; quinto à qua hominum multitudine primùm recepta fuerit; sexto & vltimo loco, quinam ii fuerint, qui eiusmodi doctrinæ recens emergenti pro Ecclesia Dei sese in ipso statim principio opposuerint. Quòd si à me postulas, vt tibi assentiam, fatearque Romanam Ecclesiam semel quidem synceram, deindè verò degenerem ac spuriam extitisse: ego illud à te vicissim expecto, vt doceas, quemadmodùm has adulterinæ Ecclesiæ notas in eam quadrare posse existimes. *Perstringitur Superintendens.*

His

His dictis, ita obmutuit Hugonius Minister, vt quò se verteret, non haberet. Quamobrem Bromleius, vt rei summæ consuleret, & collabascentem non iam antistitem solùm, sed & Ecclesiæ suæ causam aliquo modo fulciret, Bennetum interrogauit, an is certum & exploratum haberet, quo tempore Ephesij & Corinthij, qui ab Apostolo Paulo ad fidem conuersi fuerant, ab Ecclesia Dei desciuissent. Respondit Sacerdos Catholicus eam rem sibi benè constare: Bromleius negauit. Tum Bennetus: Christi Ecclesia, inquit, Hierosolymis ortum habuit. Atque indè sumpto exordio, nascentis Ecclesiæ incrementa & prouectum ea serie narrare volebat, qua hæc in actibus Apostolorum describuntur. Sed Hugonius sermonem ei præripiens, orationem ab eo cœptam prosequebatur. Qui cùm dixisset, Bennetus ad eum: Certissima sunt, inquit, quæ à te dicta sunt omnia. Sed illud abs te scire cupio, an hanc, cuius originem & augmentum descripsisti, protestantium Ecclesiam esse censeas.

Hugonius. Est protestantium Ecclesiam vera Christi Ecclesia.

Bennetus. Certè, sed ea non est vestra Ecclesia.

Hugonius. Tu adhuc iuuenis es.

Bennetus. Ita est, sed fides mea est vestra multò prouectior.

Hugonius. Tu etiam contumax es.

Bennetus. Christum coram hominibus confiteri non est contumacia, sed constantia.

Bromleius. Agedùm, his omissis, dic nobis, quæ loca frequentasti, & quorum hominum consuetudine vsus es?

Bennetus. Omni etiam Iudæo deterior fierem, si quenquam accusare vellem.

Bromleius. Sed ego tibi seriò denuntio, fore, vt eò loci ducaris, vbi, velis nolis, omninò indicandum erit, quod à te quærimus.

Bennetus. Dominus mihi adiutor, & non timebo, quid faciat mihi homo.

Hugonius. Melius quidem est sperare in Domino, quàm sperare in principibus.

Bennetus. Si hoc ita esse nosti, quid est, quòd non ita etiam facis?

Bromleius. Quis te huc misit?

Hugonius. Est fortassis ex eorum hominum numero, de quibus ait Propheta: Currebant, & ego non mittebam eos.

Bennetus. Hoc magis in te quadrat, quàm in me. Ego enim astruere possum, me rite missum esse, ex continua quadam ducentorum

& tri-

& triginta Epiſcoporum ſerie ac ſucceſsione in ſede Apoſtolica: in quibus omnibus nullus erat Proteſtans, Caluiniſta, aut Lutheranus.

Hugonis. Tantò melior eſt Lutheranorum, Caluiniſtarum, & Proteſtantium cauſa, quòd nemo ex illis (atque ita ſermonem per apoſiopeſin abrupit.)

Bromleius. Non legiſti libellum de morte cuiuſdam Petri Elcij ſcriptum?

Bennetus. Legi narratiunculam Latinè ſcriptam de tali viro nuper apud Turcas martyrio pro fide Chriſti affecto. In qua quidem hiſtoria (ſi tamen eadem eſt, quam ego dico) illud habetur, eum multis vulneribus affectum fuiſſe; ex quibus tamen nec vna ſanguinis gutta effluxit, donec poſtremum ac letale vulnus accepit.

Hugon. Immò, idem eſt.

Bennetus. Dic, obſecro, quo vnquam tempore Deus aliquod eiuſmodi miraculum ædiderit per aliquem veſtrorum martyrum, de quibus tantoperè gloriamini?

Hugon. Veſtri & noſtri martyres an non ijdem ſunt?

Bennetus. Minimè verò.

Bromleius. Reuerende, non eſt hoc negotium, quòd à nobis nunc agitur. (Tum voce aliquantò ſubmiſsiori: Papiſtæ, inquit, ſermones iſtos non contemnent: ſed tanquam res magni momenti etiam in libelli formam collectas ſuo tempore diuulgabunt.)

Hugon. Certè, clariſsime conſeruator, non eſt hoc negotium, quod nobis impræſentiarum incumbit.

Bromleius. Age, dic nobis, quidnam illud eſt, quod te moleſtat? Si quid ſcrupuli pectori tuo iniectum eſt, id nobis aperias.

Bennetus. Verè, inquit (ſimulque manum pectori admonit) ſi quid horum ſit, cùm eo peruenero, vbi confeſſarij ſacerdotis Catholici copia ſit, ego illud ei aperiam in confeſsione. Te verò probè noui, talem non eſſe.

Bromleius. Nos nunc de ea re verba non facimus. Sed illud dicas, quo fine in Angliam redieris, & à quo ſis miſſus.

Bennetus. Redij, vt Eccleſiæ Catholicæ ſacramenta adminiſtrarē.

Bromleius. Quis eſt Eccleſiæ Catholicæ caput.

Bennetus. Eam rem ſcriptura ſancta clariſsimè, oſtendit. A quo enim Chriſtus maiorem dilectionis affectum exegit, quam à cæteris, is vtique locum eminentiorem & maius priuilegium Chriſto largitore ſortitus eſt quam cæteri. Quæ cùm ab eo dicerentur de cathe-

dra & authoritate Petri Apostoli ac successorum, Hugonius pseudo-apostolus Asaphensis, suam pestilentiæ cathedram hac verborum serie, si pergeretur, perstringendam esse præsentiens, primùm quidem obstrepebat, ne plebs eum verba facientem auscultaret: deindè ad Conseruatorem conuersus: Præclare iudex, inquit, oportet, vt homo iste aliter tractetur. Iubeas ergò (precor) multitudini, vt abscedant.

Bromleius. Rerum hoc loco gestarum satis multi sunt testes. Quibus verbis, qui aderant ex plebe, mirum in modum consternati, Bennetum mœstis admodùm vultibus respiciebant, existimantes eum quasi iudicis sententia morti iam addictum esse.

Hugon. Accersatur scrinarius, vt hominis verba scripto excipiat.

Bennetus. Illud cupio, vt verba mea ab omnibus probè aduertantur. Nec enim reuocaturus sum, quæ à me dicta sunt. Equidem sanguinem meum vniuersum vobis propinare mallem, quàm vt sanguis vestri cuiuspiam requiratur de manu mea.

Bromleius. Quis te misit?

Bennetus. Pontificis delegatus.

Bromleius. Quorsum?

Bennetus. Vt Ecclesiæ Catholicæ sacramenta omnibus ea postulantibus administrarem.

Bromleius. Quid dicis de Reginæ Maiestate?

Bennetus. Sum illi subditus, & quemadmodùm mei est officij, vt Deum pro ea exorem, ita hoc ipso die feci, antequàm vos lecto surrexistis. Illud verò à Deo precib⁹ cõtendo, vt eã tueatur & conuertat.

Bromleius Quid conuertat? Ergò eam hæreticam vel schismaticam dicis?

Bennetus. Non dico. Ego illi crimen non infero, subditus existens, quemadmodùm & tu. Et vt meum non est illi crimen intentare, ita nec tuum est de ea iudicium ferre. Illud solùm dico: Deus eam emendet: quam piam esse precationem existimo.

Bromleius. Quorsum missus es?

Bennetus. Bis iam dixi; vt Ecclesiæ Catholicæ sacramenta administrarem (Catholicam verò dico Ecclesiam Romanam) & vt ciuibus meis author essem redeundi ad Ecclesiæ vnitatem.

Bromleius. An eo fine missus es, vt Reginæ subditis suaderes?

Bennetus. Neminem noui in Anglia, qui non sit ei subditus.

Bromleius. Missus ergò fuisti, vt eis author esses redeundi ad Ecclesiam Catholicam & Romani Pontificis obedientiam?

Bennetus. Immò.

Bromleius. An aliquibus persuasisti: & quinam illi sint?

Bennetus. Equidem illud non inficiabor, nec tamen vel meipsum vel alium quempiam in crimen vocabo.

Bromleius. Huic ergò confessioni manu tua subscribas. Quod ille continuò promptissimè fecit his verbis.

D. Ioannes Bennetus Sacerdos.

TVm populus illi acclamabat in hunc modum: Deus tibi opem ferat. Ad quos pius Sacerdos vicissim: Deus vobis omnibus vitæ emendandæ studium largiatur. Et quia iam nox erat, ad carcerem remissus fuit.

Postero die ad Bennetum in camera quadam seorsim inclusum importuniùs irruerunt iuuenes quidam petulantes, nobili quidem loco nati, sed deprauata morum consuetndine degeneres planè atq; ignobiles effecti. Hi, adhibito scurra (ex eorum hominum numero, qui contubernalibus risum mouere solent) tantam actum obsceno-rum barbariem spurcitiemque in sacerdotem Dei exercuerunt, vt is posteà nec amicis, quibuscum arctissima illi necessitudo erat, præ verecundia referre potuerit.

Decimonono mensis iam dicti die, Ioannes Bennetus Sacerdos & Henricus Pugh concaptiuus, funibus constricti, cæterisque latronibus & homicidis alligati, ad subsellia iudicum perducti fuerunt. Vbi Bennetus iussus manum sustollere (quod ab ijs fieri solet, qui iudicium subituri sunt) manu dextera, quàm altissimè facere poterat, extensa: En iquit, manum meam in testimonium Iudæis & gentibus. Quibus in verbis Bromleius iudex obstrepere cœpit, ne, quæ ab eo deinceps dicenda erant, à plebe audiri possent. Et ad eum conuersus, cũ maxima indignatione: Tace, inquit, garrule: ego te aliâs conueniam. Quandocunque placuerit, inquit Sacerdos: ego te non timeo, At iudex voce admodùm depressa, (ita tamen, vt aliquibus, qui propiùs astabant, intelligeretur:) faciam, inquit, vt me timeas. Vtque omnem ei loquendi facnltatem præcideret, præfecto carceris imperauit, vt captiui confestim abducerentur.

Ad subsellia iudicum, funibus cõstricti cũ latronibus perducuntur viri Dei.

Intereà temporis, dum hæc fiebant in Comitijs, ferebatur per vrbem, Bennetum sacerdotem & Henricum Pugh eo die causam pro tribunali dicturos esse. Quo effectum est, vt multi in pretorium confluerent, vt eorũ & responsiones audirent & rei exitum viderent. Qui cùm homines minimè conspicerent, sed magis intelligerent

ab ijs, qui à principio comitijs interfuiſſent, eos iam adfuiſſe, at iudicis mandato ad carcerem remiſſos; fuerunt quidem illi multùm perculſi.

Sed diuina prouidentia res ita euenit, vt non omninò fruſtrà eſſet eorum illùc aduentus. Nam à meridie, cùm frequentiſsimi adeſſent ciues, præter omnem & populi atque etiam iudicis expectationem, Bennetus rurſum ducitur à cuſtode carceris cum magna pompa, & pro roſtris ſiſtitur. Quæ res licet Bromleio admodùm moleſta eſſet, nihil tamen dixit publicè, ſed Comitatus præfecto in aurem aliquamdiu muſsitauit. Quid dixerit, à nobis reſciri non potuit. Sed de Benneto aliquid ſtatuiſſe, res ipſa iudicabat. Nam Præfectus ſtatim cuſtodem carceris ad ſe vocatum verbis acriter excepit, quòd hominem iudicis iniuſſu pro tribunali denuò ſtatuiſſet: & cuſtos ſacerdotem è prætorio ſine mora ad carcerem reduxit. Indè Paulò pòſt Fliutam miſſus, & in tetrum carcerem coniectus fuit. Vbi, præter ipſas loci ærumnas, etiam duos magni ponderis peſſulos ferreos vtriſque pedibus iniectos tamdiu portauit, donec tandem regij Senatus imperio ad Concilium, quod Marchiarum appellatur, tranſlatus fuit.

Hic igitur conſtitutus, decimoquinto die Ianuarij manè hora octaua Atchino procuratori regio ſiſtitur. Qui cùm ſacerdotem Dei ſpatio quaſi horæ dimidiæ omni probrorum genere (vti ferè pro more habent) vehementer inſectatus fuiſſet; Demùm manicarum eum tormento addixit: in quibus diſtentus pependit vſque ad horam quintam pomeridianam. Quo temporis ſpatio ad eum ingre[illegible] Tounefendus publicæ pacis conſeruator, & vnà cum illo quida[illegible]us etiam conſiliarius, vt hominem tormentis ſubiectum ſpectarent.

Bennet' manicarum tormentis addicitur.

Quos cùm adeſſe cerneret bonus Chriſti confeſſor, benè ſperare cœpit: (Nam alter eorum non erat à religione Catholica alienus, alter etiam ex eadem regione oriundus) ac propterà illis ſupplex fuit, vt commiſeratione ducti, immanes cruciatus, quibus eum miſerabilem in modũ torqueri videbant, ſaltẽ aliquantulùm remitterent.

Sed tantum abeſt, vt illi aliquo vel pietatis vel etiam humanitatis affectu permoti, homini extremis malis cõflictato, indoluerint, vt etiam afflictionem addiderint afflicto. Nam primùm quidẽ verbis duriter & inhumanè reſpondentes cùm ille eorum opem & miſericordiam imploraret; Non eſt, inquiunt, quòd à nobis opem aliquã

aut

aut solatium expectes: ipse tui miserere. Hæc enim omnia non arbitratu nostro, sed principis & senatus imperio in te fiunt. Ad quas eorum voces Sacerdos: Si nulla, inquit, misericordia à vobis expectanda est, quæso, vt à me discedere velitis, meque illi relinquere, qui gemitus compeditorum exaudire, ac rebus afflictis opem ferre & nouit & vult.

Deindè, vt animum immitem non verbis solùm, sed & rebus ipsis ostenderent, cùm iam recessuri erant, Tounesendus torturæ ministro aliquid dixit in aurem. Qui continuò, abscedentibus illis, sacerdotem trium vel ferè quatuor digitorum crassitudine altiùs contorsit, eaque re cruciatum multò, quàm fuerat antè vehementiorem effecit. Atque hæc erat Tounesendi laruati Caluinistæ in sacerdotem Catholicum clementia.

Quibus de rebus Sacerdos Dei examinatus fuit.

Quæ verò Benneto ab illis proponebantur, hæc erant: quorum hominum consuetudine vsus fuisset: quorum ædes frequentasset: à quibus res ad vitam tuendam necessarias accepisset: quos Ecclesiæ reconciliasset ab eius in Angliam aduentu. Quæ quidem omnia eius generis esse affirmabant, vt ad religionem aut conscientiam nullo modo spectarent. Illud enim & ipsis propositum, & toto regno vsu receptum esse, vt religio nemini vnquàm noxæ esset vel etiam incommodo. Quibus ex verbis manifestum euadit, quanta sit istorum hominum impudentia, qui rem iam nunc oculis subiectã mendacio tegere non verentur. Sed qui semel verecundię fines transierit, eum benè & gnauiter oportet esse impudentem.

Dùm hoc modo pendet bonus Christi seruus & fidelis, in cameram irruit quidam seruus nequàm & perfidus (qui alicui viro nobili addictus erat) homo feruidus & totus hæretici furoris œstro percitus. Is vehementer in sacerdotem inuectus, eum superstitiosum, & hypocritam, & populi seductorem appellat. Et vt verbis aliquid ponderis & momenti adderet, quasdã sententias ex sacra scriptura depromit, quæ ad rem confirmandam nonnihil facere videntur. Bennetus quidem hominem insulsum diu tolerauit, nec quicquàm respondit, eò quòd nihil in mediũ afferret ille, quod responsione dignum videretur. Sed tandem, cùm videret quòd nullum garriendi finem faceret, tortorem rogauit, vt hominem illum verbosum manicis ferreis similiter insertũ è regione statueret, more in scolis recepto: quo fieret vt disputantiũ par & equalis esset conditio.

Quibus verbis ille multùm confusus, pedem retulit, & se paula-

Piis Sacerdos in manicis pependit septem continuis horis.

Priuatur vsu membrorum.

tim subduxit, submurmurans sibi, quòd res ei tam infœliciter cessisset. Ac Sacerdos, cùm hisce & horum similibus malis & molestijs vsque ad vesperam inuicta patientia perfunctus fuisset, demùm hora quinta manicis exemptus & alienis manibus ad stratum deportatus fuit: Sic enim luxatus erat ex vi tormentorũ ac diuturnitate, vt, cùm nec pes, nec manus, nec vllum totius corporis membrum suo ritè officio fungeretur, omninò baiulis opus haberet.

Deindè post decem dies Bennetus Sacerdos Amicio sollicitatori regio sistebatur, qui eum sic allocutus est. Bennete inquit, an adhuc adducis animum, vt meliores cogitationes suscipias? Ego mandatum accepi à senatu, vt non patiar te in hac obstinatione tua persistere, ac continenter dicere: nolo, nolo. Ad quæ Bennetus: Et ego mandatum accepi ab ipso senatus Domino, vt non timeam eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere aut etiam lædere: sed potius, vt timeam eum, qui potest & corpus & animam perdere in gehennam.

Iterũ in manicis suspenditur ab hora nona vsque ad duodecimam ferè.

Post multa verba vtrinque habita, Amiciùs sacerdotem dimisit, minitans, se postero die eum aliter allocuturũ esse: quod re ipsa præstitit. Nam inter octauam & nonam horam Bennetus manicis ferreis adiudicatus, insertus, & vehementer tortus fuit. Tormentis verò subiectum Amicius interrogabat: quorum hominum ædes adijsset: cum quibus consuetudinem habuisset: quos nosset Catholicos: quinam illi essent, qui res ei ad victum necessarias subministrassent; & quædam alia eius generis, quæ vir bonus nullo modo ad religionem spectare volebat. Porrò & illud addidit, quanti res esset periculi, pro huiusmodi minutijs mortem subire. Quod si faceret, fore, vt eius anima æternis inferni cruciatibus addiceretur. Demùm & illud subiunxit, nihil esse, quod timeret, si quemquam ex amicis nominatim perstringeret: sanctè promittens, neminem, proptereà in ius aut periculum vocandum esse. Sese enim non eo animo hæc ab eo quærere, vt alicui mortalium noceret, sed solùm, vt commissi muneris ratione, rerum gestarum veritatem eliceret.

Fraudes vulpinæ hominis Caluiniani.

Sed prudens Sacerdos, qui probè sciebat, Cretenses esse semper mendaces, nec fidem ei adhibendam esse, qui fidem Deo datam fefellisset, animum planè obfirmabat, velle se potiùs omnes cruciatus, & mortem ipsam deniq́ue subire, quàm aliquid dicere, vndè Catholicus quispiam de vita aut bonis periclitaretur.

Amicius

Amicius igitur, cùm videret, quòd hac ratione nihil proficeret: Benneto in tendicula relicto, abijt, vt cameram eius perscrutaretur, & breuiarium illic repertum rediens secum tulit. Quod vt restitueret, Bennetus ab eo prece contendit; affirmans, nihil in illo libro deprehendi, quod in crimen læsæ Maiestatis torqueri posset. Immò verò, inquit Amicius, liber iste Sanctorum inuocationem complectitur, quem propterea non restituam. Benè ait Sacerdos: pro vna precatione, quam ad Sanctos è libro recitare consueui, denas, si abstuleris, supplebo.

Tollitur Sacerdoti Christi breuiarium.

Tandem quendam Zuingliani conuentus Ministrũ ducebat, qui Christi athletã cum exquisitissimis cruciatibus iam diu fortiter confligentem etiam ad disputandum prouocaret. Id quod Sacerdos facere recusauit, asseuerans, eam & corporis & loci conditionem disputationi parùm idoneam esse. Ipsos verò magis admonuit, vt ad mentem reuocarent, quam æquis & honestis conditionibus à patre Campiano iam olim ad pugnã lacessiti quàm turpiter congressum detrectassent.

Quibus verbis Amicius iracundia valdè inflammatus, multa in eũ conuitia retorsit, demùm illud subiungens: Quid, inquit, existimas? An est possibile, vt huius regni status consistat, si tibi tuique similibus permittatur, vt aditum habeatis, & ciues ab obsequio principis abductos ad seditionem ac tumultus concitetis.

Procuratur à Ministro verbi ad disputationem.

Ad hæc Bennetus: Statum, inquit, quem nos labefactare ac conuellere satagimus, propediem ruiturum esse, seu permittatis seu prohibeatis, equidem & existimo & benè spero. Nobis enim nihil aliud propositum est, quàm vt fides & religio Catholica in hoc regno restituatur. Hanc maiores nostri mille & quadringentos annos sanctissimè coluerunt: hanc & nos diuini numinis ope freti suo tempore restaurandam suscepimus. De quo quidem studio filij vestri gratias nobis agent immortales, licet patres in nos tanquam facinorosos animaduertant.

Libertas Sacerdotis Christiani cum ardenti charitate coniũcta

Quamuis enim duos tresue è nostris capiatis singulis ferè annis, & in eos lanienam exerceatis: non tamen minuitur operarum numer' sed augetur. Sed & multi ex ipsis conuentuum vestrorum Ministris, spretis & abdicatis omnibus huius vitæ voluptatibus, libenter ad partes nostras transeunt, & nomina dant Ecclesiæ Catholicæ, atque in hanc sacram militiam semel ascripti, communibus nobiscum votis & laboribus, in eam rem totis

viribus

viribus incumbunt, vt denuò ædificentur muri Hierusalem. Ego quidem spero, vnum quempiam alicubi iam nunc reperiri, qui sese ad opus accingat: idque magis ob hanc, quàm hic patior, tormentorum immanitatem.

Sed Amicius harum vocum impatiens, sese ab eo auertens, in bonorum operum merita vehementer inuectus est. Atque ita Bennetus & Amicius verba faciebant alternatim, hic quidem pendens in tortura, ille verò per cameram obambulans. Demùm post multa verba vltrò citroque habita, Sacerdos silere cœpit, &, quicquid ab illo dicebatur, nihil planè respondebat.

Quod eius silentium Amicius contumeliam interpretans, ira supra modum accensus; Age, inquit: feras hæc patienter: possum & ego patientiam tueri, perindè ac tu. Quibus verbis illud fortasse dicere volebat, se tam diu illæsa patientia obambulare, quam Bennetum in tormentis, pendere posse. Tum subiungens: Bennete, inquit, video nunc, omninò mihi faciendum esse, vt pœnas tibi augeam. Pœnas mihi inquit Bennetus, augere non potes. Iussit igitur, vt fortiùs tenderetur: quod à ministris continuò præstitum est. Atque ita torment s subiectus perseuerauit vsque ad dimidium horæ duodecimæ.

Sed tandem, cùm sacerdotem tanta cum immanitate cruciatum tres horas integras examinassent, nec quicquàm tamen ab eo extorquere potuissent, vndè vel ipsum vel alium quempiam incusarent, demissum ad carcerem remiserunt. Vndè paulò pòst Londinum missus, Londino verò vnà cùm alijs triginta sacerdotibus in exilium pulsus, Remis aliquâdiu vixit in collegio Anglicano. Vbi cùm studiorum socijs multa præclarissimarum virtutum exempla reliquisset, patribus societatis Iesu ascriptus fuit.

Sacerdos pius Londinū mittitur, Londino in exilium pellitur, & tantem societati Iesu nomen dedit.

Iam verò, cùm in hunc modum Catholicorum virorum constantiam frustrà tentassent, ad suum quemque carcerem, Vitum & socios vraxamum, Henricum Pugh Fliutam reduxerunt. In autumno subsequenti Bromleius iudex vniuersam Vualliæ regioné peragrabat, singulis ciuitatibus ius ex more dicturus. Is, vt ex virorum Catholicorum cæde maiorem sibi fidem & authoritatem apud Comitem Lecestrium sanguinariæ cohortis primicerium conciliaret, (qui & ipse tunc ad eas partes venerat animi causa, atque vt territoria quædam & agros suæ ditioni subditos lustraret,) hostias istas proximis comitiorum diebus feriendas litandasque designauit.

Comes Lecestrius Vualliam inuisit.

Quo

Quo fine etiam tres testes subornauit, tales planè viros, quales mactandis victimis iugulatores idoneos esse dixeris.

Ex ijs, vnus erat Ioanni Hugonis affinis Hoelus Dauid nomine, egregius rixator & fraudum struendarum architectus tota prouincia longè celeberrimus. Ab ipso Ioannes domum & fundos iam olim emerat: atque hæc omnia & multos annos possedit, & nemine impediente colebat. Donec tandem veterator ille, comperiens cognatum suum ob Catholicæ religionis professionem grauiter offendisse apud Bromleium iudicem, eaque de re vinculis addictum esse, hanc rei suæ prudenter gerendæ opportunitatem non omittendam esse ratus, domum & agros rursus inuadit, possidetq; omnia vt sua. *Testes Caluiniani quales sunt.*

Sed vxor Ioannis adhuc libera, de iniuria sibi illata querens apud Magistratum, illud assecuta est, vt prædo violentus domo quidem cedere cogeretur, antequam Bromleius de negotio (maximè vero de hominum conditione ac discrimine) certior fieret. Sed efficere non potuit, quo minùs ille in malitia persistens, iumenta abigeret publicæque custodiæ addicenda curaret, agrorum culturam impediret, & multas fœminæ viro destitutæ molestias facesseret.

Quibus malis vt remedium aliquod afferret Ioannes, ex vi cautionis, quam apud se habebat, centum librarum Anglicarum, actionem in eum instituit; hac ratione fore sperans, vt hominis insolentiam nonnihil compesceret. Sed impostor, causæ timens, si ex legibus decidenda esset, diuerticulum quærit. Sciens enim Ioannem aliquot iam annos religioni Catholicæ multùm addictum esse, ac propterea nihil dubitans, quin excommunicationis sentẽtia in eum quandoque lata sit; Vvestcastriam properat scriniorum custodem accedit, archiua diligentissimè scrutatur: sed frustrà: nihil enim adhuc in eum iudicatum fuit.

Qua re vehementer perplexus, pseudoepiscopum adit, & multa cum obtestatione queritur, esse in eius diœcesi papistam, qui domo & agris iam per nefas occupatis, nunc & reliqua bona omnia inuadere, adeoque ipsum & vxorem & liberos ad extremam inopiam redigere moliatur. Quamobrem ei supplex fit, vt hominem improbum & contumacem, qui sponte sua sacris abstineat, à communione fidelis populi separatum esse declaret.

Antistes rei indignitate valdè commotus (nam de hominis fide, qui virum Catholicum deferat, dubitari non solet) multa dicit conuitia in religionem Catholicam, cui blasphemus has iniurias omnes

 ascribit.

aſcribit. Deindè ſycophantam bono animo eſſe iubet, fidem illi faciens, ſeſe excommunicationis ſententiam in Ioannem quantociùs laturum. Quod tamen (meliori vſus conſilio) non præſtitit: vel quòd poſteà de negotio certior factus, videbat, hanc omnem criminationem mero niti mendacio, vel fortè, quòd in hominem publico carceri iam adiudicatum nihil iure ſtatuere poterat. Vtcunque ſe res habebat, Ioannis actio in Hœlum locum habere non potuit, vbi Bromleius aderat, qui non patiebatur, vt cauſa ex præſcripto legum ſolùm cognoſceretur.

Quamobrem Ioannes cauſam vbique reiectatam ad ſupremum Marchiarum concilium detulit, ſperans propter eminentem curiæ dignitatem, aliquam ſaltem eo in loco iuſtitiæ rationem habendam eſſe. Sed tantùm abeſt, vt id aſſecutus ſit, quod expectabat, vt publicè in ipſo foro reſponſum ſit, nullum ei expectandum eſſe à legibus beneficium, eò quòd Papiſta eſſet. Cuius rei indignitatem non ferens aduocatus, qui eius nomine aderat, cauſam dicturus: Equidem, inquit, cogor dicere (quod tamen pace veſtra dixerim) nobis hac in re, vel ſaltem regiæ Maieſtati iniuriã irrogari. Si enim Ioannes Hugonis agris ſeu bonis mulctari debet eo nomine, quòd ſit Papiſta, certũ eſt, ea omnia Reginæ cedere, non Hœlo, qui ea iam olim vendidit, nec quicquam iuris habere poteſt. Sed aduocato ſtatim à iudice & aſſeſſoribus indictum fuit ſilentium, dictumque, eius rei definitionem in aduentum Bromlei conſeruatoris primarij differendam eſſe.

Catholicis in Anglia negatur iuſtitia, quæ Turcis et Iudæis negari non poteſt.

Aduocati Hugonis libertas.

Itaque Ioannes iam diu captiuus, omnique legum adminiculo planè deſtitutus ex ſumma Bromlei iniuſtitia, iure ſuo cedere, agros iniuſto raptori relinquere, & exiguam quandam pecuniæ ſummam (ſibi tamen ſuiſque in hiſce rerum anguſtijs pluſquàm neceſſariam) acceptare coactus fuit. Ex quibus rebus illud manifeſtum euadit, quàm ſit Hœlus iſte idoneus, qui in Ioannem Hugonis & ſocios teſtimonium dicat. Fuerunt & reliqui duo teſtes huic rabulæ non abſimiles, de quibus mox ſuo loco dicetur.

Teſtis in Hugonem admittitur, qui bona ipſius antea inuaſerat.

Tempus id à nobis nunc exigit, vt iudicium, & quæ à ſanctis viris eo in loco geſta fuerunt, paucis abſoluamus. Igitur vndecimo die menſis Octobris, qui D. Dionyſio ſacer erat, Ricardus Vitus, Ioannes Hugonis, & Robertus Mauritius iudicibus ſiſtebantur. Cumq; iam ad roſtra ventum erat, Vitus ſe Crucis ſigno muniuit. Quam rem conſpiciens Franciſcus Bromleius, qui iudici primario conſanguineus

Tribunali ſiſtuntur Ricardus Vitus, Ioannes Hugonis, & Robertus Mauritius.

uineus erat, in risum solutus fuit, & manu ioculatoriè circumducta, circulos quosdam ad mouendum etiam alijs risum expresſit.

Pro tribunali ſedebat Simon Thelleuallis (nam Bromleius decumbebat, & Tounesendus collega non aderat.) Aſſeſſores verò fuerunt Ieuanus Leidus, qui pro Comite Leceſtrio quæſturam exercebat in illa prouincia, & quidam Elicius iuris ciuilis profeſſor, & alij nonnulli publicæ pacis conſeruatores. Vocantur ergò teſtes illi, quos iam anteà ſubornatos eſſe diximus.

Tum iudex ad eum, qui ſe primo loco exhibebat, qui & ætate & malitia prouectior erat: Noſti, inquit, hos viros. Ille verò nihil reſpondit. Quamobrem quidam ex illis,qui propiùs aſtabant,iudicem monebant, vt altiùs loqueretur, eò quòd homo grauiter audiret. Hoc,inquit Vitus, mirum eſt, cùm habeat aures tàm crebrò perforatas. Quibus in verbis, qui hominem nouerant,continere ſe non poterant,quò minùs effusè riderent. Sciebant enim hæc à Vito eo quidem animo dicta eſſe,vt notaret,quàm eſſet abſurdũ, quamq; ab antiqua comitiorum Maieſtate alienum, vt is ad ferendum teſtimonium admitteretur (maximè verò in cauſa vitæ & necis) quem ciues vniuerſi non ſolùm in omni vita improbum,ſed & nuper publica infamiæ nota conſperſum vidiſſent.

Teſtes euocantur homines infames.

Vnius aures perforatæ erant ob periurium.

Nam non multo antè tempore teſtis in cauſa duorum virorum nobilium adhibitus, periurij criminis conuictus fuit. Atque eam ob cauſam in publicum productus, capite ac manibus palo columbario (quem vocant) inſertis, auribuſque clauorum cuſpidibus tabulato confixis, populum frequentem habebat & flagitij teſtem & ſupplicij ſpectatorem. Horum autem vulnerum cicatrices ac foramina adhuc in articulis conſpiciebantur, & prohibebant, ne infamię cõtractę labes vlla vnquàm temporis diuturnitate deleri poſſet.

Sed iudex pergit tamẽ,hominéq; rurſus clariori voce interrogat,an viros illos noſſet.Cui tandem ille lingua vernacula reſpondens:Ego eos,inquit,probè noui.Tum Vitus:Et nos, inquit,te,improbe.Contendebant ergò viri Catholici,qui rei peragendi erant, huius hominis teſtimonium nullo modo admittendum eſſe, eò quòd periurij in ipſo foro conuictus ac damnatus fuiſſet. Sed iudex hominis patrocinium ſuſcipiens: Quamuis,inquit,iam olim deliquerit,poterit tamen in hac cauſa verum teſtari.

Iudex patrocinatur teſti periuro.

Itaque iuſtus dicere,teſtatus eſt, viros iſtos ipſi perſuadere voluiſſe, vt religionem Catholicam ſuſciperet, & Eccleſiæ caput eſſe non

Reginam sed Papam. Ad hanc autem rem confirmandam, Vitum illud dixisse, quòd Christus duodecim Apostolos habuerit, & ex eis vnum elegerit (qui erat Petrus) vt eius Ecclesiæ tanquam rector & caput præesset. Cùm stigmaticus iste testimonium suum his verbis absoluisset, ille alter, cuius opera pari mercede conducta fuerat, quęcunque à socio dicta fuerant, ità se habere affirmabat.

Alter testis iniquus confirmat socij mendacium.

Tum captiui coram Deo & hominibus protestabantur, se nihil horum illi vnquam locutos fuisse; nec enim hominem idoneum iudicasse, cui de religione aut rebus diuinis verba facerent. Quod verò dicit de Apostolis & Petri principatu, inquit Vitus, ea est D. Ambrosij doctrina, nec aliqua ratione in crimen læsæ Maiestatis trahi potest.

Elicius Iuris professor tuetur Reginæ papatum.

Hîc Elicius disputandi ansam arripiens, multa dixit, quibus D. quidem Ambrosij sententiam labefactare, Reginæ verò prælaturam stabilire volebat. Sed Vito, quæ ab illo dicebantur, omnia solidis rerum ac rationum momentis diluente, illud solùm assecutus est ciuilista, vt suam prodiderit inscitiam, multoque fœlicius in posterùm tacuerit, quàm pro muliebri sacerdotio subtiliùs disputârat.

Testes pecunia erãt corrupti.

Præter hanc periurij exceptionem, qua Hœlum publica infamia notatum à testimonio ferendo excludendum esse existimabant. Ioannes Hugonis in vtrumque dixit, eos minùs idoneos esse, quibus fides haberetur in hac causa, eò quod mercenarij testes essent, pecunia conducti, vt in ipsos diceret. Itanè verò? inquit iudex; videamus quo modo hoc astruere possis. Tum Ioannes: Vir nobilis, inquit, magni & nominis & authoritatis, quem etiam nunc adesse video, mihi dixit, se sermones habuisse cum quodam Petro Roddeno de nobis; inter alia verò his verbis hominem interrogasse. Quid censes de hominibus istis: an eos intentati criminis reos esse existimas? profectò si sunt noxij, etiam vita sunt indigni: sin minùs, dolendum est, quòd insontes tam dira patiantur: Petrum verò respondisse: siue noxios, siue innoxios omninò mori oportet. Ego enim huius rei conscius sum, Gronoum & socios, singulos sexdecim solidos accepisse, vt in eos testimonium dicant; sed & ipse totidem solidos mihi eadem conditione oblatos recusaui.

His à Ioanne dictis, iudex virum nobilem euocari iubet. Qui statim comparens, iureiurando ritè præstito, omnem hanc Ioannis narrationem sanctè confirmat. Quam tamen non admittit iudex, nec Petrum Roddenum, à quo præcipuè rei gestæ veritas petenda

erat,

erat, accersit: (ipse enim sciebat, hæc omnia certissima veritate niti) sed ne agnitæ veritati cedere videretur, quasi per ironiam: Sunt quidem ista, inquit, verisimilia. Quis enim ex eorum morte aliquid lucraretur?

Post hosce duos tertius accedit testis Hœlus Dauid, homo improbitate ac nequitia multùm nobilitatus. Is, cùm se sacramento similiter obstrinxisset, quæcunque ab aduersarijs iam acceperat de primatu Pontificis Romani & cæteris rerum capitibus, quæ in crimen læsæ Maiestatis torqueri solent, ea se à cognato suo statis quibusdam locis ac diebus audiuisse affirmat. Demùm cùm multa in hanc sententiam dixisset, quendam quasi humanitatis affectum præferens, illa verba subiunxit. Equidem credo, inquit, & in conscientia mea verè æstimo, cognatum meum, cùm hæc ab eo verba exciderunt, mentis parùm compotem extitisse. Ad quæ verba Vitus: En, inquit, Ioannes Hugonis, insaniebat: & Hœlus Dauid ei est assinis.

Terti' testis homo improbissimus, periurus, & infamis.

At Ioannes Hugonis, cùm criminationis summam audiuisset, in hunc modum respondit. Videtis hunc virum, qui huc adductus est, vt in me testetur? Is est, qui me iam olim domo & agris iniustè, nunc autem & vita crudeliter spoliare molitur. Verùm ego eum non solùm propterea excipio, quin possit in me testis adhiberi: sed etiam, quia homo perfidus & periurus est: quod ego rebus addicam necessarijs. Nam vicini mei omnes & probè nouerunt, & bona fide testari possunt, eum per nefas inuisisse domum meam, eaque in re plurima damna mihi meisq; intulisse: (atque ita multa mala & damna singulatim recensuit:) Qui tamen vocatus à Concilio, vt facti rationem redderet, iurauit, se mihi in omni vita nec vnius quidem oboli damnum vnquàm attulisse. Quamobrem vniuersam prouinciam nostram, sed & vestras vniuscuiusque conscientias appellamus, an non censeatis sanguinem nostrùm innocentem contra ius & fas expeti, cùm huiusmodi viros non solùm ad dicendum testimonium admitti, sed & singulari quodam modo suffulciri cernitis, idque ab ipso iudice, cuius est omnia ex legum præscripto & æquitatis norma moderari.

Sed exceptiones istæ, quantumuis iustæ, locum tamen non habent apud iudicem, qui in eam rem intentus est, vt sententia in viros Catholicos feratur. Itaque conscribuntur duodecim viri (quorum vtique suffragia iudicis sententiam præcedere & quasi præmunire solent)

Exceptiones Catholicorū cōtra nequissimos testes nō audiuntur

ſolent)homines tàm ad perpetrandam cædem idonei,quàm fuerant teſtes ad promouendam impigri.

Duodecimuiri conſcribuntur.

Cumque iſti ex more cenſerentur, & ad iuſtum duodecim virorum numerum vnus aut alter deſideraretur, iudex tribuno imperauit vt mandatũ ſcriberet, quod à primo decreti vocabulo(vti ferè in legibus fit)Talis appellatur. Ad quam vocem Vitus facetè alludens: Iſtum, inquit, capite (vnum ex teſtibus notans digito.) Hic enim eſt talis,qualis nunquàm fuit in Vvallis.

Iudex informat duodecimuiros.

Solent iudices in Anglia duodecimuiros, vtpote homines legum & rerum penè omnium imperitos, inſtruere, quemadmodùm ex legum decretis ſuffragia ſua ferre debeant. Quam negotij ſui promouendi occaſionem non omittens iudex noſter, quædam illis legum recentiorum capita in Catholicos ferè lata è libro recitat, ſuas etiam ſubinde commentationes interferens, vt maiorem hominibus iſtis,earum vtiq; ſanctionum violatoribus, inuidiam conflaret. Sed & tumultus quoſdam primùm in Anglia, deindè in Hibernia à Sandero excitatos ſæpè commemorat,illud neceſſariò inferre volens ſophiſta parũ argutus,homines iſtos eſſe quidẽ eadẽ religione imbutos, ac propterea fieri non poſſe,quin ſint eorundẽ etiã criminũ cõſortes.

Cùm iudex hæc cum multa verborum ambitione peroraſſet, duodecimuiri ſecedere iuſsi, vt de negotio conſultarent, diu quidẽ hæſerunt, nec in horũ virorum cædẽ conuenire poterant. Videbatur quidẽ nõ benè conſtare ipſis, quoſnã ex illis & quã multos trucidare debebant. Quod ex hac re conijcere potuimus, quòd, cùm res inter eos multum diuque verſata fuiſſet, demùm emiſsi fuerint duo (ex eorũ numero viri lectiſsimi)quiſtatim nõ ad eũ, qui iudiciũ tum exercebat, ſed ad Bromleiũ rectà cõtẽdebãt. (Nã fortè metuebãt,quod is iã anteà interminatus fuerat, fore, vt duodecimuiri Londinũ vocati ſẽnatui regio ſiſterẽtur,ſi homines iſtos ſuffragijs ſuis liberarẽt.)

Bromleius docet duodecimuiros,quos debeãt morti adiudicare.

Ricardus Vitus & Ioannes Hugonis morti adiudicantur.

Qui cùm à Bromleio, accepta (vt videbatur) ſorte, redijſſent ad ſuos,omnes continuò in eandem ſententiam conuenientes,ad roſtra reuerſi ſunt, & Vitum quidem ac Ioannem Hugonis læſæ Maieſtatis reos,Robertum verò Mauritium innoxium eſſe declararunt.Quam mortis denuntiationem beati viri placidiſsimè tulerunt. Et Vitus quidem inſiti lepôris non immemor, latinis verbis dixit: *Non audent aliter dicere propter metum Iudæorum.*

Roberti Mauricij triſtitia.

At Robertus Mauritius, cùm videret, ſe nunc tandem à ſanctis viris tàm infœliciter ſeparatum, quibus ab ipſo ſtatim perſecutio-

num

num initio, religionis, carcerum, atque etiam tormentorum ſocius extiterat, triſtitia ſupra modum affectus, lachrymas ex oculis vberrimè profundebat. Tantaque erat eius doloris magnitudo, vt ſibi temperare non valens, etiam in has voces erumperet: Optime Deus, quid feci, quòd tu me nunc reijcis? quodnam eſt meum in te ſcelus, propter quod me nunc auerſaris?

quòd in morte ſepararetur à ſanctis, quorũ ſocius fuerat in tormentis.

Qui aderant, ſatis mirari non poterant, quidnam eſſet, quòd is, qui iuratorum ſuffragijs liberatus fuiſſet, in hunc modum tanquàm morti addictus eiularet. Sed & iudex ipſe, cui res iſta noua planè & inuſitata videbatur, hominem blandè compellans: Maurici, inquit, ciues, vt vides, tibi fauent, & tu ſic affectus es, vt ſocios tuos etiam in morte comitari velle videaris. Sed quid ais? An inducis animum, vt impoſterùm reſipiſcere, probi ciuis animum induere, & templum adire velis? Ego, inquit Mauritius, nunquàm inducam animum, vt templa veſtra adeam. Non ita formido furcas veſtras, quemadmodùm immania tormenta iam olim formidaui. Quid eſt, inquit iudex, quod dicit? Tum vnus quiſpiam è turba iudici reſpondens: Affirmat, inquit, furcas veſtras ſibi minùs eſſe formidabiles, quàm tormenta iam olim fuerunt.

Alij duo confeſſores, qui reſponſum mortis iam acceperant, etiã pro Mauritio iudici ſupplices fuerunt, illud ab eo enixis precibus contendentes, vt omnes eodem die ac loco extremo ſupplicio afficiendos addiceret. Non ita fiet, inquit iudex: oportet, vt Vitus ad exemplum præcedat.

Chriſti Confeſſores damnati ſupplicãt pro ſocio, vt & ille adiungatur.

Latis in hunc modum duodecimuirorum ſuffragijs duodecimo die Octobris, qui in Sabbathi diẽ incidit, Simon Thelleuallis iudex Vitum de more interrogat, quid pro ſe cauſari queat, quò minùs ſententia mortis in eum, tanquàm læſæ Maieſtatis reum, continuò ferri debeat. Eò, inquit Vitus, quòd ego non magis læſæ Maieſtatis reus ſum, quàm tu es veri nominis Chriſtianus. Tum iudex hanc in eum ſententiam tulit, vt feria quinta ſubſequenti, (quo die ob mercaturam frequens populus adeſſe ſolebat) Vitus ad locum ſupplicij raptatus, ageretur in furcam, ibique tantiſper penderet, donec ſemimortuus videretur. Tum fune inciſo, in terram decidens, capite truncaretur, ac demùm genitalibus exciſis, & exenteratis viſceribus, corpus in quatuor partes diſſecaretur.

Statuto die ſententia iudicis Vraxami hoc modo executioni mandata fuit. Vitus ad furcam pertractus & ſuſpenſus, & in

Mors Viti.

terram

terram semiuiuus demissus fuit. Tum expectatum fuit, vt ex decreto iudicis ei caput amputaretur, antequam ad reliquam lanienã pergeretur. Sed comitatus præfectus, ea in re errasse iudicem affirmans, iussit, vt cætera omnia priùs fierent, ac deindè caput postremo loco feriretur. Itaque lictor cætera non ex sententia iudicis, sed ex mandato præfecti peregit. Cumque iam (amputatis priùs genitalibus) cultrum admoueret, vt ventrem incideret, Vitus se fortiter erexit, etiam loco surrecturus, ni carnifices eum vi cohibuissent. Ac deindè, cùm manu violenter iniecta intestina euulsurus esset, beatus Christi martyr extremis iam malis conflictatus dulcissimum Iesu nomen bis insonuit. Tum præfectus, hominis (vt videbatur) commiserescens, lictorem compellans: Nequissime, inquit, fac age, ipsum cor exquiras. Quod dum ab illo sedulò fit, Vitus corporis vinculo fœlicissimè excusso, ad Iesum, quem tanto cum affectu paulò antè compellauerat, profectus est: vt propter quem in paucis vexatus fuit, ab eo in multis benè disponeretur.

Ad hoc cruenti sacrificij spectaculum non solùm inuitati, sed & compulsi fuerunt omnes omnium ordinum homines: Iudices enim heris omnibus & patribus familias qui intra certos quosdam limites habitabant, seuerè mandârunt, vt & ipsi adessent, & suos eò conducerent. Quod ab illis eo fortè animo factum est, vt suam in tuenda Rep. ac religione, quam vocant, diligentiam illustriorem & regni proceribus commendatiorem facerent: sed diuina prouidentia, vt quàm plurimi præclari certaminis ac virtutum planè heroicarum, quæ in Vito pro fide Catholica hoc loco dimicante conspiciebantur, oculati testes essent.

Atque hoc quidem eorum imperium à paucis admodùm neglectum fuit, nisi quos aut ætas aut morbus aut grauis aliqua necessitas prohibebat. Confluebant enim vndique certatim, non solùm quos iudicis edictum complectebatur, sed & qui vltra fines præstitutos degebant, non tanquam fontem aliquem, sed vt suæ gentis protomartyrem spectaturi. Nam ab eo tempore, quo Christi fides à Vvallis primùm recepta fuit, nemo vnquàm ob religionem Christianam à Magistratu, obseruata publici iudicij forma in illa prouincia morti addictus fuit. Quàm etiam sacri martyris prærogatiuam huiusmodi portento diuinitus edito ante aliquot annos prænunciatam esse volebant.

Primi Martyres Vualliæ.

Portentum mirabile.

Inter hanc Vraxami vrbem & Ortonam Maddochiam, vbi vir

sanctus

ſanctus poſtremò habitauerat, in prato quodam, quod flumine Dia alluitur, homines quidam fœno reſecando conficiendoque operam dabant. Qui ſublatis oculis, tres viros in aëre candidis veſtibus amictos viderunt. Cumque illos aliquamdiu fixis oculis contemplati fuiſſent, eorum vnus cæteris duobus multùm eminere, ſed & ſtatura procerior inuſitatæque magnitudinis eſſe, capite tamen carere videbatur. Poſt viros iſtos ſubſequebatur & grex ouium, quas etiam deſcendere, & vltra ſepem, non procul ab eis, in terra conſiſtere videbant. Quas vt in terra conſtitutas propiùs ſpectarent conſiderarentq́; omnes continuò ad locum, quanto maximo poterant curſu, contendebant: ſed eò peruenientes, nihil repererunt.

Poſtremo loco, vt ex vaticinio prophetæ, morticinia ſerui Dei eſcæ volatilibus cœli futuræ exponerentur, capite ceruicibus abſciſſo, & corpore vniuerſo in quatuor partes diſſecto, fuerunt ſacræ reliquiæ in hunc modum diſtributæ. Caput & pars vna ad arcem Deubighiam, quæ comitis Leceſtrij lanionum theſmothetæ ſedes eſt, deſtinata fuerunt. Altera pars Ruthinæ, vbi primùm in vincula coniectus fuerat, altera Houleti; vna etiam in ipſo patibulo, qui mortis ſacræ locus erat, ad terrorem viatoribus incutiendum ſuſpenſa, ad duos quidem & ampliùs menſes, ſuis quæque locis, conſpiciebantur ab omnibus, qui iter illâc faciebant. Sed pridiè Natalis Chriſti quidam Dei ſeruus pio in Chriſtum & ſanctum eius martyrem ſtudio accenſus, in ipſo ſacratiſsimæ noctis conticinio accedens, duas illas partes, quæ Houleti & Vraxami erant, abſportauit, vt alicubi reponeret, vbi minùs quidem oſtentui, ſed maiori in veneratione eſſe poſſent. Quæ res ſtatim, indicio quorundam hominum, qui etiam nocte intempeſta ex pagis ad vrbem accedebant, ſycophantis innotuit. Qui continuò ſeſe armis inſtruebant, furore ac malitia iam inſtructi, vt primo mane ad locum patibuli accedentes, ſumptoque indè aliquo pedis vel indicio vel ſaltem odore, pium prædonem inſequerentur atque inueſtigarent. Sed antequàm dies illuceſceret, Deo ſacris pignoribus proſpiciente, nix alta terram obducens, omnem hanc venatorum ac canum ſagacitatem eluſit. Illis verò corporis partibus, quas perfidi homines, vt anathemata diris omnibus deuota, furcarum infami loco ſuſpendendas eſſe duxerunt, eam gratiam indidit Deus, vt odorem longè ſuauiſsimum ſpirarent: illud re ipſa comprobans, quod ipſe per Prophetam iam olim fore prædixerat: Maledicent illi, & tu benedices.

MARTYRIA DOMINI THOMAE ALFELDI SACERdotis & Thomæ Vveblei Laici.

Ex lib 3. de schismate Anglicano.

DOminus Thomas Alfeldus Sacerdos,&Thomas Vvebleius Laicus Anno 1585. ab inhumanis istis Caluinistis, omni tormentorum genere priùs vexati, gloriosa deindè morte sunt mulctati; ille quidem,quòd exemplaria libri,qui à Catholicis pro innocentiæ suæ defensione contra impudentissimum & mendacissimum architectum iustitiæ Britannicæ scriptus fuit, in Angliam importauit: hic verò, quia librum eundem inter Catholicos diuulgauerat, proposita tamen priùs,cùm in loco supplicij essent, condonatione, Principisque gratia, si Pontifici Romano Christi in terris vicario renuntiare, ac Elizabethæ Pontificis Anglicanæ placitis vellét assentiri. Quod cùm illi facere recusarent,clarissimo tandem martyrio defuncti sunt.

Liber hic inscriptus est ad persecutores Anglos.

MARTYRIA D. HVGONIS TAILERI SACERDOTIS ET Marmaduci Bous nobilis Laici.

Ex lib 3. de schismate Anglicano.

DOminus Hugo Tailerus Sacerdos, & D. Marmaducus Bous gloriosa morte inter latrones mulctantur Eboraci Anno 1585. ille quòd Sacerdos esset, iste quòd eundem in domum suam receptum,prandio donauerat;vt impleretur quod dictum est à Christo Saluatore nostro: *Qui recipit prophetam in nomine prophetæ,mercedem prophetæ accipiet:& qui recipit iustum in nomine iusti,mercedem iusti accipiet. Et quicunque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli: amen dico vobis, non perdet mercedem suam.*

Matth. c.10. v.41.& 42

MARTYRIA DOMINI EDOVARDI TRANSAMI ET D. VVODfini Sacerdotum.

Dominus Edouardus Transamus, & D. Vvodfinus Sacerdotes Catholici, postquàm multa & varia pietatis, charitatis, & fortitudinis Christianæ argumenta in colligendis dispersis Britanniæ ouibus dedissent, iamque venisset tempus, quo & Deum nobili fidei confessione glorificare, & fratres voluntaria sanguinis effusione confirmare oporteret, testimonio fidei comprobati animas suas vnà cum corporibus obtulerunt hostiam, viuentem atque sanctam Deo creatori & redemptori suo. *Ex lib. 3. de schismate Anglicano.*

DE MISERRIMO MORTIS GENERE, QVO EXTINCTVS EST ILlustrißimus comes de Northumberland, in Castro Londinensi mense Iulio, Anno Domini. 1585.

Henricus Percey Comes *Northumbriæ*, vulgo de *Northumberland*, inter primos ac præcipuos totius Angliæ principes habendus fuit, siue splendorem generis familiæque dignitatem & antiquitatem spectemus, siue etiam Maiorum merita & egregia in Rempublicam facta: seu denique vires, diuitias, potentiam, ditionis suæ magnitudinem, situm & opportunitatem consideremus. *Northumbria* enim prouincia ad *Scotorum* fines posita, perpetuis ferè eorum excursionibus exercetur, tàm pacis quàm belli temporibus. Quo fit, vt illius prouinciæ homines cùm audaciores liberioresque, tùm etiam ad omnem armorum vsum paratiores, quàm Angliæ reliquarum partium incolæ habeantur. Hûc accedit, quòd *Henricus* ipse, vir erat ingenio peracuto, animoque grande & acri, corpore autem firmo, quod ab ineunte ætate ad omnem exercitationem mili- *Dignitas Comitis de Northumberlãd.*

tarem assuefecerat: cuius rei vsu & experientia, cæteros omnes regni Principes sine controuersia longissimè antecedebat.

Habebat prætereà copiosam prolem, (præcipuè masculam,) familiam amplam, affinitates magnas & multiplices, diuitias affluentes. Attulerat enim ad Comitatus hæreditatem non exiguas opes, quas anteà parauerat, & insignes ex dote vxoris possessiones. His rebus inimicis suis formidandus videbatur, præsertim ijs qui ad regni Anglicani gubernacula sedebant, inter quos non deerant, qui non solùm ipsum, verùm etiam vniuersam eius familiam, diuturno odio prosequebantur. Primùm itaque, cùm fratrem natu maiorem sexdecim ferè abhinc annis gladio sustulissent, eò quòd arma pro fidei Catholicæ defensione sumpsisset, voluissent quidē & hunc (licèt eo tempore Caluinianum) à fraternæ hæreditatis successione prohibere, nisi manifesta legum Anglicarum vi impedirentur. Itaque, quamuis esset (vti dixi) religione illis consentiens, & quamuis opera ipsius contra fratrem pro religione stantem Catholica, vsi fuissent, statim tamen rebus ex sententia compositis, minuendum esse hominem existimauerunt, vnde & in carcerem coniecerunt, indeque non nisi post longū tempus, & ingenti mulctatum pecunia, exire permiserūt.

Comes Northūbriæ terribilis inimicis.

Cùm autem egressus esset, non ei reditus vllus in patriam, aut prouinciam suam borealem permittebatur: sed cancelli quidam meridionales circa Londinū, tanquàm carcer amplior & spatiosior, sub Reginæ conspectu assignabantur. Exploratores etiam non deerant, qui vniuersas eius actiones obseruarent, renuntiarentq́;, maximè verò, postquàm intellectum est religioni iam illum Catholicæ fauere, suspitio hæc & odium vehementer creuit. Quò factum est, vt decem hos ferè postremos annos, magnas sollicitudines, timores, ac pericula transegerit, inquirentibus in vitam eius potentissimis inimicis, & causas opprimendi ex rebus singulis studiosissimè captantibus. Superiori autem anno existimantes se iustum satis prætextum habere, quòd Baro quidam ei familiaris (*Pagettus* nomine) conscientiæ causa in Galliam clàm se recepisset, Comitem hunc iterum in castrum Londinense coniiciunt, omniq́ue diligentia, studio, sedulitate, & artificio elaborant, vt aliquid eliciant, quo illum de læsa Maiestate conuincerent. Nominatim verò cum viro quodam nobili egerunt (cui nomen *Throgmortonus*) quem eodem tempore tenebant carcere, quemq́ue posteà in religionis odiū indignissimè occiderunt. Hunc, inquam, modis omnibus ac vijs incita-

Baronis Pagetti in Galliam fuga.

incitarunt, vt Comitem accusaret, sed non obtinuerunt. Posteà rationes alias inierunt, sed non valuerunt.

Quo animaduerso, contulerunt se ad aliam quandam astutiam, qua vti solent, tùm cùm illis constitutum est, magnatem aliquem perdere, in quem legitimum accusationis pretextum non habent, & hæc fuit, vt illi concederetur liberior in castro custodia, vxoris etiã certorumque aliquandò famulorum permitteretur accessus, Hoc autem eò fit, primùm, vt opinio collidatur alicuius indulgentiæ: deindè etiam, vt ex amicorum ingressu amplior præbeatur Sycophantis materia, vel accusationis nouæ, vel alicuius saltem calumniæ instituendæ. Sed maximè omnium, vt populo hac ratione persuadeatur, hunc hominem (si occidendus posteà sit) nouorum criminum grauitate id necessariò pati, non principis voluntate, cuius animus eò inclinare videbatur, vt libertate eum donaret, nisi iterum peccasset. Hac arte, non multis ab hinc annis vsi sunt, in tollendo duce *Norfolciæ*, totius Angliæ potentissimo & vnico. Et non multò antè ad interimendum *Somersetanum* ducem, istorum hæreticorum patres, filijs nequicquàm sanctiores, consimilem fraudem adhibuerunt. Vtrique enim paulò ante mortem, vt eò minus de ruina cogitarent, tanquàm breuissimè eos liberaturi, custodias liberiores ac laxiores permiserunt. Et cuius pater fuerat author occidendi primi, per huiusmodi artificium, eius filius antesignanus fuisse scitur ad perdendum secundum, & princeps nunc habetur in occisione huius tertij, de quo agimus.

Periculosa astutia.

Dux Norfolciæ.

Dux Somersetanus.

Comes Lecestrensis.

Cùm hanc ergo fraudem ad tempus aliquod tentassent, nec tamen eis adhuc quicquã ex animo succederet (erat enim Comes *Northumbriæ* prudentissimus, nec ignorabat, ad quem finem hæc ei libertas insidiosa permittebatur) accidit quiddam, cogitationibus eorum valdè opportunum, quo illud quod inerat desiderijs, effectui mandarent, vel saltem maturarent. Comes enim *Arundeliæ* & *Surraye*, filius natu maior supradicti ducis *Norfolciensis*, homo potens, diues, & gratiosus apud suos, (est enim totius Angliæ nobilitatis primus ac præcipuus) cùm post multos annos quã in aula regia splendidissimè vixerat, non solùm vitæ, verùm etiam fidei eum Caluinianæ vehementer tæderet: cœpit cogitare de fuga, nec enim alia patebat via, qua se redimeret ab illa seruitute. Sed proditus captusque in mari, retractus est, ac Londinum ductus, vbi tàm ipse quàm fratres ac patruus, cognatique, famuli, ac amici, in varios carceres coniecti fuerunt.

Comitis Arũdeliæ fuga

Consiliarij autem regij (præcipuè verò *Lecestrensis* Comes horum duorum principum capitalis hostis) tàm opimam prædam in casses suos incidisse vehementer lætati, sperabant aliquid ex hoc facto *Arundelij*, in *Northumbrij* caput deriuari posse, cùm essent ambo Catholici, & amicitia magna inter se colligati. Sed cùm tandèm tentatis omnibus nihil aliud contra *Arundelium* euinci posse cernerent, quàm, quòd sola religionis causa exilium voluntarium elegisset, alia via rem esse aggrediendam existimauerunt. Itaque primùm *Northumbrij* vita veneno petita, Catholici cuiusdam medici opera, liberata fuisse dicitur. Deinde verò post paucos dies, cùm nulla ægritudine teneretur, nec vlla animi inordinata affectione laboraret, inuentus est quadam nocte, in lecto suo occisus, sclopeto per renes & inguinem exonerato, statimque rumor ingens sparsus, & magnis clamoribus per vniuersam Angliam disseminatus fuit, hunc principem, eò quòd Catholicus esset (quorum fidem hæretici, propterea quòd de prædestinatione non præsumit, desperationē docere asserunt) & quia multarum proditionum conscius sibi fuerat, sibimet ipsi manu propria mortem consciuisse. Sed prudentiores omnes, facilè hunc fucum leuissimum detexerunt, nemoque est omnium hodie non solùm Catholicorum, verùm etiam Protestantium paulò æquior, qui scelus hoc infame non videat ac detestetur.

Comitis Northumbriæ mors.

Quid enim? éstne credibile aut rationi consentaneum, hunc virum, cuius tanta prudentia animique moderatio, tanta etiam virtus ac fortitudo per vniuersam vitam enituit, nulla nunc præcedente corporis aut animi ægritudine, nulla iudicij perturbatione audita, addo prætereà, nulla ferè causa timoris relicta, subitò in eam desperationem venisse, vt ipse se interficeret, & corpus animamque in æternum perderet? Quis hoc credat? præsertim eo tempore, cùm iam supra annum in carcere fuerat, sciebatq; certissimè inimicos suos nihil quicquam adferre contra eum posse, quo ei nocerent. Quid ergo hoc tempore ad facinus tàm infandum incitare eum potuit? Hoc (inquam) tempore, cùm libertatem magis quàm vllum periculum expectare poterat, cùm vxoris colloquium, quæ fœmina est prudentissima, ipsiq; dilectissima, ei permitteretur, cum qua de rebus domesticis, de possessionibus, de filijs quos plurimos pulcherrimosque habebant, indesinenter tractabat? quid ergo nunc causæ ad se occidendum? quid spei? quid commodi? Quæ ratio, aut vtilitas inducere eum potuit ad tantum scelus perpetrandum?

Non esse probabile Comitem voluisse se occidere.

Si mor-

Si mortis publicæ dedecus timuisse eum fingamus, hoc magis dedecorosum. Si dolores ac pœnam, hoc magis pœnosum. Si nulla omninò causa interficere se voluit, mirum tamen est, quòd genus mortis vel breuius, vel secretius non elegerit, quàm per sclopetum.

Sed fingamus hominem habuisse voluntatem, exuamus eum omni ratione, omni iudicio, omni mente, omni etiam cogitatione Christiani hominis: supponamus oblitum fuisse Dei hominumq;, sui ac suorum omnium, mente captum, animo desperatum, traditũ deniq; in reprobum sensum, ita vt hoc flagitium vehementissimè percuperet: affirmo tamen, & euidentissimè confirmo, nulla vnquàm ratione hoc eũ in carcere perficere potuisse. Quod vt manifestiùs appareat, scire debet prudens lector, quòd in castro Londinensi præter custodias, excubias, vigiliasq; ordinarias toti⁹ castri, ac singularũ eius partium, quæ ingredientes egredientesq; perlustrãt, examinãt ac perscrutantur, vnicuique incluso ob graue aliquod crimen, assignatur custos particularis, qui eum separato carcere constitutum obseruet; Magnati verò ac Principi, præter hunc, etiam duo alij ex satellitio Reginæ constituuntur, qui eodem cum illo cubiculo dormiant, omnibusque rebus, quas agit, audit vel loquitur, perpetuò intersint, ita vt nulla res vel minima ad eum inferri aut ab illo efferri ad alios possit, nisi ipsis conscijs. *Comitem nõ potuisse se interficere in carcere.*

His ita positis, quæro, quemadmodùm fuerit omninò possibile, vt Comes *Northumbriæ*, qui omnium hominum diligentissimè custodiebatur, negotium hoc ita transigeret, vt hominem inueniret, qui sclopetum pararet, inferret, traderet, traditumque ipse secretum seruaret inscijs omnibus, donec tandem ad se interficiendum adhiberet? Pono hîc multa simul, quorum tamen ferè singula per se ac separatim sunt impossibilia. Primùm enim cùm hic princeps in carcere se constitutũ cerneret, spoliatum suis ac stipatum alijs, quos sibi ad explorandum adiunctos sciebat (nam quod de vxoris famulorúmue dictum est accessu, id non nisi rarò ac istis semper audientibus ac inspectantibus fiebat,) quando ausus fuisset Comes quicquã similibus hominibus de sclopeto parando aut inferendo loqui, cùm non ignorarit quantum ei periculi ex sola huius rei mentione creari possit? Vel si hominem tàm imprudentem ac temerarium faciamus, vt hoc auderet, quis tamen istorum exploratorum rem vnquàm celasset, aut quis potius è vestigio non aperuisset Magistratui, tùm propter spem præmij, si primus proderet, tùm etiam ob metum grauissimæ castigationis, si posteà tacuisse per alios conuinceretur? *Improbabilia.*

Sed progrediamur adhuc vlterius, & fingamus omnes quidem tacere voluisse: in hoc tamen negotio horum alterum necessariò statuendum erit, vt ille cui Comes mentem suam aperuit, vel amicus sibi vel alienus extiterit. Si amicus, nunquàm (sine dubio) permisisset sibi persuaderi, vt sclopetum adferret, ne Comitem ea re perderet. Nam vel hoc ipsum scelus, quod nunc commissum esse dicunt, suspicatus fuisset, vel aliquid saltem tale cõtra alios eum machinari, quod tàm ipsi quàm Comiti exitio futurum erat. Si inimicus, hæreticus, aut alienus fuisset (quod fuisse sanè necessariò ferè putandum est, cùm alij ad eiusmodi hominis custodiam nunquàm assignarentur) multò minùs profectò videri debet probabile, voluisse eum voluntatem Comitis implere, vel mentionem eius rei potuisse sustinere, cùm non nisi ad pessimum aliquem finem, nocendi vel Præfecto arcis, vel Consiliarijs Reginæ (qui examinandi causa subinde ventitabant) vel sibi ipsi à quo petebatur sclopetum, hoc peti, existimare debuit. Qualescunque autem fuerint, à quibus hoc petebatur & quæcunq; fuisset petentis intẽtio, hoc saltem eis ignotum esse non potuit, rem summi esse periculi, nec tentari quidem posse, absq; manifestissimo vitæ fortunarumque omnium discrimine.

Dilemma necessarium.


His adijciatur, quod sclopetum inferri per omnes castri custodias, sic vt non aduerteretur: in manus Comitis sic tradi, vt non cerneretur: ita cubiculo seruari, vt non reperiretur: sic deniq; adhiberi ad meditatum scelus perficiendum, vt ab astantibus & explorantibus non impediretur, ab omni planè ratione est alienum. Sed considerentur deinde circumstantiæ reliquæ, odium Reginæ notissimum in hunc Comitem, inimicorum eius apud illam potentia, maximè verò *Lecestrensis* Comitis, qui multis iam annis *Northumbrij* sanguini insidiatus fuisse, quique summam occidendorum hominum peritiam, experientia multiplici adeptus esse dicitur. Consideretur occasio & opportunitas ex capto iam *Arundelio*, cuius vires anteà ad hunc vindicandum timeri poterant. Cogitentur timores hæreticis eo tempore incussi ex tumultibus Gallicis, & quod publicauerant hunc Comitem amicum fuisse magnum ducis *Guisiani*: teneatur memoria, quòd paulò ante homicidium, viri illi qui Comiti assistebant in cubiculo, de industria mutati fuerint, & quòd post mortem non inueniatur, qui sclopetum intulerit, aut facti fuerit conscius. Cogitetur, vt anteà, vita eius falsorum testiũ sollicitatione, veneni potione, alijsque modis tentata fuerit: hæc, inquam, omnia

Circumstantiæ euidentes.

Vide librum de vita eius Anglicè, Gallicè, alijsque linguis editũ

si con-

si considerentur, & cum prudentia, fortitudine, constantia, cæterisq; Comitis notissimis virtutibus componantur, facilè cuius manifestum fiet, vtrum sit probabilius hunc Comitem à semetipso, vel ab aduersarijs, fuisse interfectum.



MARTYRIVM SERENISSIMAE AC GLORIOSISSIMAE SCOTORUM Reginæ Mariæ Stuartæ.

Serenissima ac sanctissima Scotorum Regina Maria Stuarta Iacobi quinti Scotorum Regis filia fuit, formæ elegantia suæ ætatis fœminas superans, ea primò Francisci secundi Galliarum Regis vxor fuit; quo mortuo Henrico Stuart filio Comitis de Lenox iuueni pulcherrimo nupsit, ex quo Iacobũ sextũ Scotorũ Regem suscepit; hæc Elizabethæ Angliæ Reginę, Anglorumq; hæreticorũ fraude, suorũq; inaudita impietate vexata, in custodiã data, exauthorata, marito orbata, deq; ipsius sceleratissima nece in crimẽ per calumniã vocata, de fuga cogitauit: cumq; ad alios Christianos Reges facilè se conferre potuisset, atque vt id faceret, ab optimatibus quibusdam rogaretur, tamen Elizabethæ Anglorum Reginæ blandis literis, nuntijs, muneribus in Angliam inuitata, præsidio etiam militum, quo in regnum restitueretur, promisso (non adhùc satis edocta, nullã fidem ijs, qui Christo fidem fregissent, habendam esse,) contra suorum voluntatem in Angliam ad alios carceres, aliamque militum custodiam & carnificinam se recepit. *Ex lib. 3. de schismate Anglicano.* *Fides publica in fraude versa.*

Traditur autem non ita multò post ingressum, nobilissimo Comiti Salopiensi seruanda, apud quem propter constantem Catholicæ fidei confessionem, duriùs semper tractata fuit: sed maximè postremis diebus, alijs custodibus difficilioribus tradita, varijs & indignis modis agitata, ac calumnijs indignissimis impetita, vitam parùm iucundam ad multos annos duxit. *Constantia Reginæ in fidei Catholicæ professione.*

Cui, cùm Princeps fuerit, nec legibus Regibúsue Anglicanis obnoxia, tamen (quod Principibus exteris, Regumque omnium Oratoribus permittitur) vt auito more Deum coleret, Sacerdotemque haberet, qui sacrum faceret, & Sacramenta administraret, nullo *Religionis liberum exercitium ei negatur.*

modo concessum est: qua re magis quàm exilio, aut carcere, aut calumnijs aduersariorum affligebatur. Vbi & illud permirum ac planè barbarum extitit, quòd Regina cùm fuerit, & omnium mortalium Elizabethæ sanguine coniunctissima, atque ab illa in Angliam, ita vt commemorauimus, inuitata, nunquàm tamen, licèt id obnixissimè sæpè postulasset, vel in colloquium, vel in conspectum ipsius venire his decem & nouem annis fuerit permissa. Nec mirum sanè hoc videri debet, si vel Elizabethæ crudele ingenium & consilium iam susceptum, siue Lecestrij & sociorum in pestilentissimis stabiliendis ac propagandis hæresibus obstinatum animum, siue immane odium, quo sanctissimam Reginam ob fidei Catholicæ constantiam prosecuti sunt, attendas. Nam illa de solio suo confirmando vitaq; tuenda, (quam iustis ex causis in magno discrimine arbitrabatur versari) sollicita, tùm ob barbaram Reginæ Scotiæ tractationē, crudelemq; Scotiæ & perturbationem & deuastationem, tùm ob seditiones & tumultus subditorum contra potentissimos Reges Hispaniarum & Galliarum, suo ac oratorum suorum consilijs excitatos; id vnicè expetiuit, vt Regina Scotię, quam vinculis iam haberet constrictam, quacunq; tandem ratione è medio tolleretur; existimans misera se tunc futuram securam, si illam sepultam cerneret, quam sibi aliquandò successuram, ope & auxilio Christianorum Principum timebat. Lecestrius etiam Sicilius & reliqua turba orbis perturbatorum, cùm optimam Principem ad perfidas suas partes pertrahere aut animum planè heroicum hæreseos veneno inficere non possent, tum demùm in apertam rabiem conuersi & optimam Reginam Scotiæ à conspectu Elizabethæ arcere, & crudelissimæ neci dare statuerunt.

Superbum ac crudele Elizabethæ ingenium.

Iure sibi timet Angliæ Regina.

Quod vt in speciem iustiùs præstarent viri ad fraudes nati, miras excogitarunt coniurationes in Principem suam à serenissima Regina Scotiæ eiusque amicis susceptas, quòd scilicet decreuissent Elizabetham de solio suo deturbare, Catholicam Religionem relicto crudeli Caluinismo, in Insulam reuocare, & id genus alia, quæ aliter quàm vanis quibusdam literis more Caluiniano fictis & excogitatis probari non poterant, quæ tamen Lecestrio eiusq; socijs (quibus nec conscientia est nec religio, per summum scelus principes trucidare, eorumq; ditiones per tyrannidem inuadere) iustæ satis videbantur.

Calumniæ in pijssimā Scotiæ Reginā.

Cæterùm ne minùs candidè rem gestam narrare, aut quippiam affingere videamur, sanctissimæ Reginæ & martyris mortem, quemadmodùm à Caluinista quodam crudelissimi facti spectatore in lucem edita est, referemus, non quidem omnia ipsius cæterorúmue,

Historia scribitur à Caluinista necis Reginæ spectatore.

qui de ipsa questi sunt,commenta,certaque mendacia, (quæ si veritatis aliquam speciem haberent, vt in excogitando acuti, sic in probando multò essent diligentiores,) sed ea duntaxàt narrabimus,quæ huic martyrio propria sunt, vereque gesta.

Huius itaque Caluinistæ, vt & Puckeringij confessione, Mariæ Stuartæ Reginæ Scotiæ,quòd Romanæ Catholicæque fidei sectatrix, quòd ab incunabulis Romanę religionis cultrix,quòd veritatis amica semp.extiterit,φtota incubuerit in Papisticā libertatē(vt loquitur Puckeringius)ijsq;studijs ita se cōsecrarit,vt si quādo potuisset,Caluinismū è sua ditione exterminasset;hoc nimirū mortēReginæ attulit. *Vera causa, ob quas Scotiæ Regina martyriū passa est.*

Quibus veritatis hostibus, quoniam vel inuiti vera confitentur, libēter fidē damus. Neq; id nouū,cùm anteà quāplurimos inferioris ordinis,eandē ob causam extremo supplicio affectos Anglia martyres fecerit,licèt plurimis fictarū criminationū inuolucris suā sceleratā & sanguinariā mentē tegere voluerit. Quòd si impij illi,& humani cruoris auidissimi Caluinistæ tantoperè desudarūt, in criminibus fingendis,quo Religionis veræ fideiq;restaurādæ amantissimi homines vtriusq; sexus tollerentur è vita; quid laboris, quid vigiliarum, quid contentionū suscepisse cogitabimus,vt maxima Catholicæ Romanæq; religionis cultrix, fidei studiosissima conseruatrix,eiusdēq; acerrima propugnatrix Regina Maria,vel iniustissimæ neci daretur?

Saluam & incolumem Angliam hac religiosissima Regina superstite negabant hęretici esse posse; quòd Elizabethæ in regnum si Maria succederet,Caluinismum tum periturum, Romanamque fidem omnino esse regnaturam. Tanti ergo boni dux, & caput Scotiæ Regina in crimē vocatur,quasi tum in Elizabethæ totiusq; regni Anglię perniciem coniurasset,cùm à fide Romana discedere nullo modo voluit; cùm pertinaciùs, eam vt colere liceret, petere non desijt, cùm filium hæreticorum moribus nimiùm imbui molestissimè tulit; cùm deniq; spes non dubia fuit, si regnaret aliquandò,Romanam religionem in omnem suā & Angliæ ditionem inuehendā esse. *Vnius religione & pietate totiū Anglicanū concutiur regnum.*

Hæc capita,hæ causę,propter quas religiosissimę Reginę moriendum fuit:quæ quàm sint ipsi gloriosæ, nemo Catholicus non videt; sed & ipsis impijs atque adeò Reginę Anglię turpissimum visum est,sibique ignominiosissimum, tantæ nobilitatis fœminam, tàm coniunctam, tàm piam & constantem è mediò tollere, quod patet ex eo, quòd ancipiti animo diu, quid sibi agendum, extiterit, sententiam ferre ausa non sit, latam molestè se ferre aut verè

Ddd 2 aut

aut falsò præ se tulerit, cui si iustæ veræq; causæ necis inferendæ suppetissent, absq; omni cunctatione de Maria supplicium sumendum decreuisset.

Ad Mariam Stuartã crudele suæ mortis decretum perfertur.

His igitur tàm pijs de causis, cùm Reginæ moriendum esset, mittuntur ad eam 13. Calend. Martias, Comites Salopiensis & à Kendt, vt qui castro Fodringhaye viciniores essent, alijq; Domini, Equites, nobiles & satrapę prouinciæ, qui tum erant apud Dominũ Amiam Paulet, & Drue Druyrij, quibus custodia arcis commissa erat, hi quodnam sit Elizabethæ Reginæ decretum (quod à Secretario Beale eiusdem iussu acceperant) Mariæ denuntiant, quæ id pridem iam expectasse, seq; paratam esse, respondit. Quærit deinde, quando velint decretum executioni mandare, qui se id in eius arbitrio relinquere responderunt, modò satisfiat decreto: videri commodiùs, si in diem posterum differatur, qui dies primus erat triduani ieiunij Ecclesiastici iuxta recentis Calendarij emendationem.

Benè sibi cõsciæ mentis intrepida responsio.

Auidè mortem Heroinæ expetunt videre.

Adsunt postridie mane hora 7. Comites, equites, nobiles: Ex equitibus singulis concessum est, vt duos alios secum in castrũ introducerent, reliquis duntaxàt vnum, sic vt, extra familiam & qui custodiæ arcis præerant, centum circiter & octoginta homines spectaculo interessent.

In maiori aula extructum erat theatrum latum pedes duodecim, altum duos, cinctum sepimento altitudinis pedum duorum, omnia tecta panno nigro, in medio sedes vna & puluinaria.

Intra horam octauam & nonam missus est ad Mariam, qui nuntiaret Dominos adesse, quemadmodùm pridie post meridiem inter ipsos conuenerat, cupereque rescire, quando parata foret; is nuntius cubiculum eius omni familia inclusa obseratum inuenit: quòd Regina id perexiguum, quod supererat, tempus, præteritæ vitæ noxis deflendis & orationi daret, animumque ad fortiter mortem pro Catholica fide & religione perferendam, suis suorumque precationibus confirmaret. At verò vacuum nuntium vt regij sanguinis auidissimi homines ad se redijsse viderunt, moræ impatientes iteratò mittunt, mandantq;, si non pateat aditus, pulset, quidque mandati acceperit, indicet: verùm vbi fores patere deprehendit, quid in mandatis habeat, ipsi Reginæ per ipsius quendam famulum aperit, Dominos videlicet cupere eius cognoscere voluntatem. Id responsi datum, nondùm paratam esse.

Piè & religiosè Regina ad vitæ exitum se parat.

Minimã moram crudeles Caluinistæ non ferunt.

Horũ inhumanitatẽ nota.

Vix dimidiata hora intercesit, cùm tertio mittitur nuntius, qui

eam post mediam horam fore paratam renuntiauit. Ita nec licuit piētissimæ Reginæ extrema hora esse quietæ, mentemq́; suam cum Deo coniungere. Post paulò quidā ex Satrapis ascendit ad Reginam, quam cum suis pedissequis & famulis, genibus flexis orantem inuenit; clamat ille tempus appropinquare: quo audito mox alacris Regina surgit, aitq́ue se paratam esse, atque ita ducitur à duobus viris familiæ arcis è cubiculo ad anteriorem cameram, quam Præsentiæ vocant, vbi suos omnes domesticos inuenit stantes & flentes; quos omnes piè constanterq́ue cohortata est, Deum vt timerent, suis superioribus obtemperarēt, Catholicam fidem retinerent, religionem veram constantissimè tuerentur, nihil hominum verbis aut verberibus, aut deniq; ipsa morte terrerentur; Deum copiosè remuneraturum omnia, quæ pro ipsius fidei confessione quis ferret, nullum dedecus Regio sanguini tàm ignominiosa morte inuri, cùm nihil ignominia dignum fecerit vnquàm, aut dixerit contra Angliæ Reginam: addidit spe bona se esse, hanc suam regiam dignitatem purpurei mox sanguinis profusione, multò & apud Deum & apud homines fore illustriorem; proinde rogare lachrymas sisterent, ne suam moriendi alacritatem suo fletu minuerent, quin potius vnà secum gauderent, communemq́ue parentem Deum pro se orarent, vt cœptum martyrij cursum alacriter ad metam vsque decurreret: post hæc singulis valedixit, fœminas osculando, manum exosculandam viris præbendo.

Læta ducitur ad mortem.

Pia Reginæ exhortatio ad suos domesticos.

Inde ad gradus deducitur, quæ Dominos ex aula venientes obuios habuit; eam Comes Salopiensis appropinquantem sic allocutus est: Adsumus Domina, vt Regiæ Maiestatis mandatum exequamur (habebat autem mandatum siue sententiam in manu, Comes à Kendt, maiori Angliæ sigillo munitam) cui Regina respondit, mori se malle, quàm viuere. Vt autem respiciens primarium suum ministrum Meluinum vidit, sic eum allocuta est: Licèt putem te, Meluine fidelis serue, Protestantium partes sequi; ego verò Catholica sim, vnusq́ue tamen tantùm sit Christus. Ego quæ & Regina sum nata, & tua Regina creata, ex Regis Henrici 7. sanguine oriunda, seriò tibi mando, tanquàm eius rei Deo rationem redditurо, vti verè & syncerè filio meo charissimo hæc meis verbis referas: me videlicet obnixè eum orare, Deo vti seruiat, Ecclesiam Catholicam defendat, Regnum suum tranquillè gubernet, neque cuiuis alteri se subijciat (queādmodùm & ipsa studiosè caui, licèt mihi fuerit in animo hanc

Vox digna Martyre ad cælum aspirante.

Pia mandata filio perferenda.

Insulã ad ipsius regnum adiungere, verùm nunc ei sit integrũ, vt vel ipse sic seruet.) Sed neque nimiùm humana prudentia nitatur, quòd obsit non rarò, verùm omnem suam spem in Deo reponat; caueat etiam diligenter, ne malè suspicandi occasionem Reginæ Angliꝫ prꝫbeat, sic enim cœlesti benedictione donabitur. Et tu Meluine mihi testis esto, me mori fidelem Scotam, fidelem Francam, fidelem Catholicam, vti semper professa sum: & plura in eandem sententiam. Ad quꝫ Meluinus: Veneranda Domina ac princeps mea, sicut me fidelem tuꝫ Maiestati hactenus seruum exhibui; sic & nunc, Dei gratia benè iuuante, quꝫ in mandatis dedisti, verè ac fideliter Regi filio tuo perferam.

Protestatio digna principe Catholicæ religionis.

Conuersa deindè ad Angliꝫ Reginꝫ asseclas, rogat, vt suo Sacerdoti sibi in theatro liceat adesse, cui tàm piꝫ iustæque petitioni impiè reclamatum. Orat, vt saltem domesticos suos omnes liceat habere prꝫsentes, qui Regi Franciꝫ & alijs testari posśint, se Catholicè mortem obijsse. Et hoc crudeliter negatum ab illis, vt qui causarentur, fore, vt eorum impatientia & lamentationibus ipsius Reginꝫ animus istiusmodi superstitionibus perturbaretur. Contrà Maria excelso & regio planè animo spondet, illorum neque lachrymis, neque clamoribus se aut impeditum aut motum iri: addit, sibi minimè pro Regia dignitate seruiri, quꝫ multò maiorem comitatum pedissequarum exposcat. Has iustas Reginæ querelas, è famulis quinque, & duabus è pedissequis apud eam relictis abundè eluisse putauerunt. Obsecrat prꝫtereà, vt omnibus ministris ac domesticis suis vtriusque sexus, ad suos in patriam redeundi, potestas fiat, comitatu, qui securos deducat, addito, & fide publica, tùm vt nullo intercedente impedimento, quꝫ singulis à se donata essent, ea retinere posśent; quæ cùm diceret, per Deum eosdem obtestata est, vt hanc suam extremam voluntatem exequerentur.

Prima Reginæ petitio impiè reiecta.

Secunda improbè negata

Quod honestè negari nõ poterat, extorquetur.

Post hæc deducta est ad theatrum à duobus ministris gubernatoris arcis, in quo quia consistere commodè non poterat, in sede resedit, Comite vtroque etiam in theatro considente; vbi tùm Secretarius Beale, literas decreti latæque sententiæ, clara voce recitauit. Reginæ vestitus idem erat, qui fuit, cùm se stitit ante Officiales Regni & Reginæ asseclas, ex nigro nimirùm & pretioso holoserico, vna manu gestabat crucem ligneam vel osseam, cum effigie Christi ex ea dependentis, altera verò libellum precarium: eiusdem è collo aurea crux pendebat, de cingulo verò rosarium.

Habitus Reginæ decens & pius.

Prox-

Proximus ei quidam astabat Doctor, Caluinista Decanus Petrus Borumgus, qui eam iussu Satraparum moneret, vti Christo fideret, Christianeque moreretur; quem exhortari incipientem mox Regina interpellauit, clara voce petens, & mandans vt taceret, ad mortem satis se paratam asserens: at illo respondente, se aliud nihil dicturum, quàm quod sibi præscriptum mandatumque esset, & veritati consentaneum, iterum fortis & constans Heroina illi plura subijcere volenti, obstat exclamans: Sile Magister Decane, nolo te audire, nihil mihi tecum negotij est, turbas me; id vbi à reliquis auditum, ne Reginæ molestus esset, Decano silentium impositum est.

Tentatio diabolica per ministrum Caluinianum.

Vicit Regina Catholica improbum Caluinistam.

Porrò comes à Kendt, (ne pijssimæ Reginæ vel tantillum temporis pietati vacare liceret,) eam interpellat dicens: Vicem tuam Domina doleo, eo etiam nomine, quòd inania hæc & superstitiosa in manibus tuis videam; cui piè Regina respondit: Crucifixi Christi effigiem, vt præ oculis habeat, decere se, quò illius recordetur. Subiecit ille, oportere eam Christum in corde ferre, addens (ipsa licèt recusante audire) se pro ea oraturum (etiamsi ab altissimo oblatam gratiam recipere nolit,) vt Dominus ipsi peccata condonet, eamque in suum regnum recipiat. Ad quæ Regina; Ora tu, & ego quoque orabo. Decanus verò, de quo anteà meminimus, flexis ad gradus genibus, clarè & intelligenter orationem rei præsenti accommodatam recitabat, precatus pro Reginæ Angliæ salute, eiusque Regni fœlici administratione & prosperitate, Decanum porrò præeuntem populus, & spectatores sequebantur. Intereà fœmina sanctissima, voce clariore suam orationem Latinè pronuntiabat, vultu in imaginem Christi crucifixi, quam manu gestabat, defixo.

Alia tentatio per Comitem.

Iterū Minister Reginā turbare nititur, cuius orationē sua vicit ipsa Regina.

Finita precatione Carnifex veniam genibus flexis à Regina petijt, cui & libenter dedit; & omnibus, qui hactenus suum sanguinem sitissent, ita ex animo condonauit, quemadmodùm à Deo sua sibi remitti & donari peccata percuperet. Deindè ardentem & affectibus plenam precationem genibus aduoluta recitauit, Deum pro remissione omnium peccatorum suorum obsecrans, & dicens sperare se per Christi mortem, eiusq; effusum sanguinem, consecuturam salutem æternam, seque prostratam pedibus eius, quem illa crucifixi imago repræsentabat, sponte lubentique animo suum quoque sanguinem profundere.

Christi exēplo omnibus Regina condonat.

Orabat

Orabat prætereà pro fœlici statu Reginæ Angliæ, optans ei, vt multò tempore benè & pacificè regnum suum gubernaret, Deoque fideliter seruiret: pro totius etiam Insulæ prosperitate, & afflictissima Christi Ecclesia rogans. Pro filio deinde suo Rege orans iustam & pacificam sui regni administrationem in vero Dei cultu, & conuersionem ad Catholicam Romanam Ecclesiam precabatur. Postremò sanctorum omnium eo die pro se preces petebat, exoptans, vt Deus per suam immensam misericordiam, dignaretur auertere flagella sua ab infœlici hac Insula, peccatorum sibi omnium remissionem concederet, animamque corpore solutam per angelicas manus reciperet.

Magna constātia & forti animo se ad mortem parat.

Quibus peractis ab oratione surgens, ad porrigendas ceruices se præparare cœpit, depositis ornamentis, & tunicam soluens adiuuantibus eam duabus pedissequis suis. Cùm verò vterque Lictor quoq; manum admouere & iuuare vellet, dixit, se hactenùs non consueuisse coram tanta multitudine spoliare se vestibus, neque talium nobilium opera vti. Demisit autem exteriorem vestem ad medium vsque interioris tunicæ, pars superior sic excisa erat profundè circa collum, vt vndiq; illud nudum exhiberet; In dorso verò ligula consutā multū in omnibus istis expediendis festinans, pedissequis osculū præbens valedixit; quarū altera magna voce lachrymāte, Sile, ait, noli plorare, nónne ego pro vobis spopondi vos nullū clamorem edituras, quin estote hilares, eisque manu benedicens mandauit illis, è theatro vt discederent: sic verò iam præparata, conuersa ad famulos, qui in vicino loco flexis erant genibus, signo Crucis manu formato, eis benedixit, iubens eosdem esse testes, quod Catholicè moreretur; rogans vt pro se orarent, & subitò in genua procidit magno & intrepido animo, eodem vultu, nullo mortis timoris signo edito. Altera deinde eius pedissequa accedens, linteo ipsius oculos velauit, sicque flexis genibus clara voce recitauit totum Psalmū 70. *In te Domine speraui, non confundar in æternum, in iustitia tua libera me, &c.* Quo finito constanter corpus inclinans, collum trunco imposuit, clamans magna voce: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum.* Altero autem lictorum manus eius infernè detinente, alter vtraq; manu securi eam bis feriendo caput præcidit. Lictore deinde caput leuante, & spectatoribus exhibente, clamarunt omnes: Dominus seruet Reginam nostram, sicque pereant vniuersi hostes verbi Dei, & Reginæ inimici, Amen. Dùm verò lictor caput sic teneret, ornatus decidit, & valde ca-

Testes inuocat se Catholicam mori.

Magna virtus in sexu fragili, quam donauit illi, qui martyres suos fortes & inuictos facit Sibi admodū conuenienter erat.

decanum apparuit, & visebantur capilli non ita pridem ad cutem vsque fuisse resecti.

Nihil vestimentorum & ornamentorum eius relictum fuit lictori, sed pretium eorum ipsi datum, quæcunq; verò sanguine eius quouis modo erant aspersa, tàm in lictore, quã in alijs, sublata sunt, & statim abluta, etiam asseres theatri: ater verò pannus, qui sanguinem exceperat, & alia eo tincta, ilicò in ignem coniecta exusta sunt, ne quid reliquum Catholicorum pietati seruiret. Corpus eius relatum fuit in arcem, & balsamo conditum repositum in loculo est, vt mandaretur humo. Domesticis & ministris iniunctum est, vt ibidem remaneant in pristino statu & dignitate, donec honorificè Regina sepeliretur.

Num sanctã esse Reginã vel hoc facto probant?

Dùm hoc crudele ministerium obitur, clausa mansit arx, nec vlli antè licuit egredi, quàm Magister Henricus Talbott, filius Comitis Salopiensis missus esset ad aulam. Postridie morte Reginæ Scotiæ Londini nunciata, ciues passim in plateis ignes excitarunt, & in lætitiæ signum campanas pulsarunt, quòd gauderent liberatos se ab imminenti periculo (quod à pacis studiosissima Regina nullum vnquã fuit) cui, vt iactabant, Mariæ Stuartæ causa multo tempore expositi fuissent.

Non honoris gratia, sed suæ crudelitatis tegendæ causa à tã miserãdo spectaculo homines arcebant.

Foris ignis ardet, intus perurit.

Hunc vitæ exitum sortita est pijssima, & sanctissima Scotiæ Regina Maria stuarta, equidem sua regia dignitate indignissimum, sed ad nominis sui memoriam sempiternam, ad immortalitatis gloriã, ad fidei religionisq; nostræ confirmationem tanta constantia, pietate, & sanctitate dignissimum. Crudelitatis & inhumanitatis Elizabethæ, si quod insigne monumentum, hoc certè est, quod nulla vnquã sit deletura obliuio. Sæuijt illa in quãplurimos Catholicos Anglos, Scotos, ciues, nobiles, Comites & maximè Sacerdotes, quorum omnium constantiam in professione fidei Catholicæ, summique Pontificis tanquàm veri capitis & principis totius per orbem terrarum Ecclesiæ maximo suo cum dolore & mœrore tota vidit Anglia, & ingenti cum lætitia fortes Athletas suos sancta mater amplectitur Ecclesia. Cæterùm Caluinistarum magis rabies in ijs, quàm Elizabethæ notata sæuitia est; penes illos omne religionis, non autem dignitatis, nominis aut generis examen fuit, à quibus nihil periculi aut damni timebatur, in eos audaciùs capitalem ferebant sententiam; eos illi supplicijs necabant, qui Regiam crudelitatem vel parùm vel nihil apud Principes redderent exosam. At verò Angliæ Regina hac

in Scotiæ Reginam crudelitate ita nobilitata est, vt in eam sæuijsse sola, non etiam cæteri adiuuisse videantur.

Quis tàm nefariam animo cogitationem suscipere, quis consiliū capere, quis aggredi præter Reginam audeat; vt sibi cōiunctissimam affinitate Reginam Scotiæ, per speciem exilij, & solitudinis leuandæ, in certum exilium, solitudinem & carcerem conijciat? quis præsidio publico & Regijs militibus stipatam introducere in Angliam, nisi Elizabetha audeat? quis ab eius colloquio, aspectúue arcere? quis in custodiam dare? quis omni præsidio fidei suæ & religionis colēdæ nudare? nouem & decem annos carcere continere? sacris prohibere, & literas ad suos dare, quibus si quid offendisset, reconciliari posset? denique non regiè sed rigidè & inhumaniter habitæ per tot annos ad proditionem, carcerem, impietatem in sibi sanguine iunctissimam, necem acerbissimam adiungere? Si quid innocentissima Regina deliquisset in Elizabetham, delicti gratiam vel dignitas regia impetrasset, si non dignitas, at potentia; si non potentia, tamen affinitas; si non affinitas, certè quæ in regibus inesse debet, humanitas. Quod tantùm scelus pijssima Regina admittere potuit, cui⁹ veritas & magnitudo totos decem & nouem annos patere non potuerit? Si quid in principem liberiùs dictum est, fama citiùs ad aures eius peruolat: Capitale Reginæ facinus nunquàm vel leuissimè potuisse probari?

At verò cùm satis maleficij esse iudicatis, firmiter Christi, Apostolorum, Sanctorum Patrum, omnium deniq; maiorum vestigijs insistere, fidem tueri, religionem colere, Romano Pontifici adhærere, ab hæresi, æternęque salutis periculo quàm plurimos velle liberare; cùm hæc, inquā, in maleficijs ponitis, nunquid Christum negatis, Apostolos reijcitis, Sanctos Patres contemnitis, maioresq; nostros cōdemnatis? quibus si laurea martyrij eam ob rem oblata est, non est cur hanc gloriam gloriosissimæ Stuartæ Reginæ inuideatis. Quæ inuitata in Angliam venire non recusauit, spoliata suo comitatu moderatè tulit, in custodiam data, totos nouendecim annos qua potuit pietate, transegit; religionis cultum exteriorem sublatum, vt potuit, interiore compensauit, molestissimos Caluinistas constantissimè à se reiecit, in crimē iniquè vocata pro se respondere cùm non liceret, suam innocentiam testatam, patientia & aduersariorum calumnijs patefecit.

Omnia verò quamlibèt sint aspectu audituque miseranda, est tamen hoc certamen fortissimæ fœminæ gloriosum: quam non turpissi-

pissima Elizabethæ & sceleratissima proditio, non diuturni carceres, non grauissimæ calumniæ, non suorum vexatio quotidiana, non Caluinistarum allatrantium sceleratæ conciones, non solitudo, non regiæ suę dignitatis contemptus, non iniquissima accusatio, non ipsa denique mortis denuntiatio fregit; imò insolita animi magnitudine, & verbis tanta Heroina dignis, mortem hac vita potiorem esse iudicauit; cùm reclamare potuisset, maluit patientia vincere: non regnum, non affinitatem, non filium regem, non huius lucis vsuram morti innocentissimè subeundæ anteponendam putauit.

Equidem regio animo præditam fuisse, & cœlesti virtute corroboratam nemo negauerit, qui vel leuiter eius animi fortitudinem secum expenderit; ad mortis inopinatæ vocem nihil exhorruit, sed ad eam obeundam mox omni se diligentia comparauit, illud vnum molestè ferens, copiam Confessarij sibi negari. Quod verò plerique quadam animi mollitie suorum pręsentia franguntur, si quid ignominiosum ijs sit coràm sustinendum, id non solùm fortissimæ Reginæ animum non minuit, nec suos à suo aspectu amouendos petiuit, vt maximè præsentes omnes adesse flagitarit, spoponderit etiam nihil se illorum lachrymis & eiulatibus motum iri, imò ne clamores tollant sui, diligentissimè esse cauturam. Animo præsenti & forti Caluinistam Borungum obtundentem audire recusauit, ei silentiū imponere curauit; Comitem à Kendt refellit, & signa religionis nostra multa pietate amplexata, in ea oculos pijssimè defixit. Veniam benignè non modò carnificibus, & suæ necis authoribus, sed omnibus omninò dedit, pro ijsque Deum precata est, & eadem animi virtute ceruices trunco accommodans post orationem præcidendas, nulla timoris significatione præbuit. O verè nobilem & regium animum, quem non tanta animi virtus, tanta constantia commoueat? Salutaris, vt piè coniectare licet, non Scotiæ modò, sed & Insulæ, & toti Angliæ, mors sanctissimæ Reginæ futura est. Cùm namque reliquis membris ipsum caput tandem coniunctum sit, quid satiata iam crudelitate aliud superest, nisi vt vel feritatē deponat & mansuescat, vel meritas Deo tandem & hominibus det pœnas.

EPISTOLA, QVAM MARIA SCOTIAE REGINA AD RELIGIOsum quendam societatis IESV dedit.

Quæ



Vas à te accepi literas, summam animo meo simul & consolationem, & ruborem attulerunt, quòd eam de me optimam opinionem haberes, qua me indignam iudico, nulloq; meo merito mihi tribuis. Quicquid tamen in me laudis confers, id totum diuinæ misericordiæ ac bonitati (cuius instinctu hæc de me scripsisti,) libes assigno, atq; etiam precor, vt qualem me erga illum prædicas, talem vtiq; me reddat. Quã in re me, & tuis, cæterorumq; sanctæ societatis vestræ precationibus plurimùm adiutum iri, non possum non sperare. quod enim mihi de me ipsa pollicear aut glorier, nihil est, præterquàm quòd hac vna calamitate animũ comparo meum ad sacros illos, quos in me diuinæ Maiestati placuerit excitare, motus omnes recipiendos, cuius voluntatem semper amplectens votis omnibus rogo, vt quæ me benignitate, nescio propter quid patientiæ, in miserijs & afflictationibus adhuc tutata est, eadem ad extremum vsq; spiritum prosequi, meq; conseruare dignetur. Librum tuum à me multùm desideratum, mihiq; perutilem ac necessarium nondum accepi; quod quemadmodùm acciderit, vt nescio, ita illud scio gratum mihi in primis eum librum & charum fore. Cæterùm quia video tanta charitate me pauperculam fœminam, carcere detentam & afflictatam erigi atq; confirmari, obnixè flagito, vt quotiescunq; commodum erit, id genus piæ consolationis, sanctæq; exhortationis ad me scribere T.R. non grauetur; quo meum animum tot ærumnis atq; calamitatibus iactatum queam componere, & quid peccarim in Deum, faciliùs in memoriam redire, ac demùm ea quiete frui & consolatione, quæ hic haberi nequit. Equidem nihil mihi T. R. feceris gratius, quàm si orandi methodum quandam & regulam ad dies singulos maximeq; festos præcipuos accommodatam mihi curet perferendam, quò sic meliùs maiorique ordine possim & mea & angustæ familiæ meæ causa Deũ precari. Id si à T.R. impetraro, magnæ dubio procul pietatis & misericordiæ præstiterit opus, quod apud me sit nemo, quem hisce de rebus possim adire, cùm intereà mihi, ab alijs negotijs vtcunq; libera tempus non desit, quod in diuinum cultum impendam. Quare si einsmodi libellum studijs pauperculæ & captiuæ in primis aptum reppererit T.R. siue is Latino, siue quouis alio sermone conscriptus sit; hoc ipsum, quæso, oratori meo significet, qui vt ad me perferatur, operam dabit. Ampliùs quod petam, est, vt meos nimirum alumnos visitandi, simulq; exhortandi, Deum vti pro me orent, T.R. laborem non recuset: idem sanctam societatem vestram, eosq; præsertim qui vestro in Collegio sunt, rogatos volo. Ego intereà pro sancta vestra societate, (quatenus in suo sancto seruitio eam Deus conseruare velit) submissè licèt indigna tàm libens & ex animo Deo supplicabo, quàm ipsius Maiestati viuens moriensq; placere desidero.

Datum 5. nonas Iulias, Anno salutis. 1574.

Finis secundæ partis Concertationis.

AD LECTOREM.

Bsoluta iam secunda huius Concertationis parte, in qua Martyrum & Confessorum Angliæ certamina describuntur, ad manus nostras peruenerunt alia quædam digna planè, quæ cum superioribus in lucem ederentur: ac proindè sic ea imprimenda curauimus, vt cum reliquis Martyrum historiis coniungi possint, vel ad calcem tertiæ partis reijci.

MARTYRIVM REVERENDISSIMI D. DORmitij Hurlei Archiepiscopi Casselienšis.

Ormitius seu (vt alij scribunt) Mauritius Hurleus, vtriusq; Iuris Doctor, in vniuersitate Louaniensi annos commoratus quindecim, & in Remensi vniuersitate annos quatuor, Reuerendiss. D. Cardinalis Guisiani, Archiepiscopi Remensis auctoritate Legũ professor, Romã exindè discessit. Hic à Pontifice Gregorio eius nominis XIII. ob pietatis virtutisq; singularem præstantiam Archiepiscopus Casseliensis, in Hibernia naturali patria creatus est. Quò ocyus reuersus, vt gregem dispersum, si posset, colligeret, obuiũ habuit modicũ admodũ fideliũ Christianorũ numerũ, ex omni naufragio seruatũ: munia Episcopalia, vt verũ decebat pastorẽ obijt. Accusatus autẽ ꝙ Cõfirmationis Sacramẽto infantes aliquot muniuisset, cõpræhensus est. Et primò cõditiones optimę oblatę sunt, apostatare si vellet, & fidei Iesu Christi renuntiare. At ille qui promissis huiusmodi flecti non poterat, persuadere eis nitebatur, vt secum de fide placidè conferrent, vt errorem eis aperire, & ab eo auocare posset. Illi verò furore & ira perciti, quæstionibus illum subijciunt. Ocreas enim ex corio crudo confectas, oleoq; plenas pedibus inijciunt, & ligatum ingentem ante focum collocant, vt vi flammæ ocreis adustis tibiæ simul ardeant, adeò vt euellentes ocreas ad genua vsque carnem auulserint, relictis solis ossibus nudis: nec quicquam moti tanta eius in tantis tormentis in fide Christi eiusque Ecclesia debita constan-

Ex theatro crudelitatum hæreticorum nostri temporis.

tia, quodam mane, horam circiter tertiam aut quartam, eundem vimineo constrictum laqueo suspenderunt, quò langueret diutius. Constans fert fama in ijs regionibus mulierem quandam nobilem à maligno spiritu, quo vexabatur, in quo passus est loco, fuisse liberatam.

MARTYRIVM REVERENDISSIMI PATRICII *Obelij Episcopi Maionensis, & cuiusdam alterius religiosi.*

Ex eodem theatro.

Patricius Ohelius Ordinis D. Francisci Episcopus Maionensis, alio quodam monacho eiusdem ordinis comitatus, & cum eo captus, suspẽsus & strangulatus est, in eo quem indigenæ Kilmalock vocant, loco; & vt à lupis cæterisq; feris deuorari commodè possent, adeò demissè & terram proximè suspensi sunt, vt plantis terram penè contingerent. Attamen nullo ferarum, hæreticis certè multò minùs crudelium, dente læsi sunt. Stupebant id plurimi, quoniam regio hæc bestijs crudelissimis abundat, quæ nunquàm non prædas agunt.

Illustre Martyrium Margaretæ Midletonæ

Habetur paucis descriptum, in fol. 410. pag. 2.

Certamen Iacobi Steile Sacerdotis

Ex ipsius literis breuissimè descriptum, ponitur fol. 410. pag. 2.

CERTAMINA QVATVOR NOBILIVM PVERORVM, THOMAE, ROBERTI, RICARDI AC IOANNIS *VVorthingtoniorum, quorum minimus nondùm duodecimum ætatis annum expleuerat, maximus verò annum 16 non excesserat; Item Georgij Hathersalli nobilis, Gulielmi Crumelhulmij, Humfredi Maxfeldi laicorum; Thomæ VVorthingtonij & Thomæ Brouni Sacerdotum.*



Nglicana persecutio, quàm fuerit his temporibus acerba & atrox, quamq; sæpè vsq; ad sanguinis effusionem exarserit, id alijs libris ac literis satis testatum est, & noua indies exempla commonstrant; vnicum nunc proferemus exemplum, vbi vt in puerilem etiam ac teneram ætatem huius acerbitatis pars aliqua, (citra tamen sanguinem) redundauerit, ostendemus. Auget verò hanc calamitatem, quòd qui olim magistratus

giſtratus in ſingulis regni prouincijs ad ſceleratos comprimendos, & publicæ pacis ac iuſtitiæ tuendæ cauſa conſtituti fuerant, eorum nunc authoritas nouo Principis ac impiarum legum decreto, in Catholicorum euerſionem, tanquàm ſi peſtes quædam Reipubl. illi eſſent, conuertatur: ac perditi quidam homines aliquod ſuæ fidei & integritatis exemplum tùm dediſſe exiſtimentur, cùm Sacerdotes prodere, ac Catholicorum nomina denuntiare, quibuſq; in locis ſanctæ Religionis actionibus operam dent, magiſtratui indicare velint.

Cùm igitur improbus quidam explorator apud eum qui in Lancaſtriana prouincia publicæ pacis præfecturam gerit, (Scheriffum vocant) detuliſſet Thomam Vvorthingtonium Sacerdotem, adiunctis ſibi quatuor ex fratre nepotibus, Thoma, Roberto, Ricardo, ac Ioanne Vvorthingtonijs, ad ædes viri nobilis Sanchij Sanchiani diuertiſſe, qui locus propè abeſt à Vvarringtona non infima illius prouinciæ vrbe, ibiq; eos vnà ac fortè plures comprehendi poſſe, ſi maturè prouideat. Statim expeditus eſt in hoc negotium is, qui ſecundas quaſdam in illo præfecturæ munere partes agit, cum viginti equitibus; qui tertia poſt mediam noctem hora ædes Sanchianas importunè exturbant, (dies is erat menſis Februarij 12. ac Annus Domini 1584.) ac ingreſsi offenderunt quatuor illos, quos iam nominaui adoleſcentes Vvorthingtonios.

Exploratores inuadunt ædes Sanchij nobilis viri.

Ab his quamprimum minis ac verberum terriculamentis extorquere nituntur, num animum iam habuiſſent ſeminaria Pontificia adeundi, vbinam ageret eorum pater, vbi patruus, quo loco, quo tempore ab ijs proximè digreſsi, aut miſſæ ſacrificio interfuiſſent, alijſque eius generis quæſtionibus eos vrgent. Simul cum ijs comprehenſus quoque eſt Georgius Hatherſallus eorum cognatus, de ſimili ad ſeminaria profectione ſuſpectus, ac Gulielmus Crumelhulmius, quem pro ſacerdote habuerunt, adeoq; Bellum eſſe aut Vvorthingtonium conſtanter affirmabant. Sed falsò. Sic nempe exoſum habet ſanctum illud & ſalutare ſeminariorum inſtitutum, ac in Sacerdotes piaq; bonorum adoleſcentum ſtudia ſuſpicionum ac dolorum ſtimulis agitantur.

Capiuntur pueri & examinantur.

Georgius Hatherſallus ac Gulielmus Crumelhulmius capiuntur.

Pergunt illi in cœpto inquiſitionis negotio, domumq; omneſque eius angulos perluſtrant, cumque Thomam Vvorthingtonium quem cupidè exquirebant, non inueniunt, excurrunt inde per duo millia paſſuum ad ædes D. Hauardini Vſonij, in eas inquirunt diligenter, diuerſoria omnia vrbis Vvarringtoniæ aliaſque domos, in quibus vlla recipiendi Sacerdotis eſſet ſuſpicio, ſedulò pertentant: conſtitutis etiam certis hominibus tùm in Vvarringtonij pontis aditu, tùm ad eas

Thomas Vvorthingtonius Sacerdos quæritur.

D. Hauardini ædes inquiruntur.

Sacerdos quæsitus non inuenitur, quãuis præsens fuerit.

Neptes Illustrißimi Cardinalis Alani euadunt periculum.

ripæ Mertij fluminis (à quo tùm vrbs illa, tùm vicinus ager alluitur) oras & partes, vbi commodè per ſcaphas aut actuaria traijcitur, à quibus ſi fortè illâc diffugeret, interciperetur. Ac ita quidem ad bidui aut tridui ſpatium ſęuijt hæc procella, à qua tamen immunis extitit Sacerdos Thomas Vvorthingtonius tantoperè perquiſitus, idq́ue in ipſa vrbe manens apud Catholicum quendam nobilem, ad quem pridie, totius periculi planè inſcius, ſolandi cauſa cùm ex ęgritudine is decumberet, ſe cõtulerat. Euaſerũt quoq; periculum in eadẽ vrbe neptes Illuſtriſsimi Cardinalis Alani, quas illius frater ex conſtantiſsima fœmina Domina Alana filias ſuſcepit, quibus haud dubiè propter odiũ Alani nominis, omnia non benè ceſsiſſent, ſi in hęreticorũ manus incidiſſent.

Sed ad adoleſcentes iam compręhenſos redeamus. Horum conſtantiam cùm nec minis nec vlla arte labefactare poſſent, relictis primò duobus fratribus Vvorthingtonijs natu minoribus in cuſtodia D. Sanchij, cuius in ædibus ſunt compręhenſi, duxerunt alios duos natu maiores ſimul cum Hatherſallo & Crumelhulmio Vviganium, quod eiuſdem prouinciæ oppidum eſt à Vvarringtona haud longè diſtans, quò eodem 12. Februarij conuenerant Comes Darbienſis, Chattertonius, qui Epiſcopi Ceſtrenſis titulum ſibi vendicat, alijq́ue Commiſſarij, vt de rebus Catholicorum cognoſcerent. Inde, poſtquàm eorum quidam examen ſubierant, Preſtottum, qui vicus eſt eiuſdem prouinciæ haud procul à Vvigania remotus, 14. Februarij ſunt perducti, vt coram Commiſſarijs nouum iam cœtum agentibus, denuò ſiſterẽtur, accerſitis eodem ab ædibus Sanchianis duobus alijs fratribus natu minoribus, ſi fortè ab illis, quorum imbecillis eſſet ætas ac infirmum iudicium, plus euincere quàm ab alijs prouectioribus poſſent.

Comes Darbienſis, Chattertoniꝰ Pſeudoepiſcopꝰ & alij examinant pueros.

Quod vt efficerent, puerum ætate minimum, qui nondum 12. expleuerat annum, diu à cibo detinent, ſed paulò antequàm in conſpectum Commiſſariorum eſſet producendus, ſcyphos illi in magna copia propinant, vrgentq́; ad hauſtus pleniores, quàm vel eius deſideriũ vel ſtomachꝰ ferret, eo conſilio vt cùm cerebrum illi potu obruiſſent, promptiùs ad eorum nutum de omnibus interrogatis reſponderet. Quod tamen eorum conſilium illis ex voto non ſucceſsit, Deo infirmam ætatem iuuante: puero enim adhuc integri conſtiterunt ſenſus; cumq́ue in Concilium duceretur, queſtus eſt apud Comitem Darbienſem de hac cuſtodum iniuria, quòd totum illum diem, cùm iam hora eſſet poſt meridiem ſexta, ſine cibo tranſegiſſet illis potum duntaxat largientibus. Atque equidem arbitror, inquit ingenuus puer, quòd per ebrietatem mentem mihi adimere conſtituerant: quod tamen

Puer minimꝰ potu obruitur, vt facilius interrogatis reſpondeat.

Puer apud commiſſarios conqueritur de fraude & iniuria cuſtodum.

men diuino beneficio secus habet, mentis enim compos sum, licèt corpore ita doleam vt in honoratissimo hoc vestro conspectu agere, vt par est, nequeam, Sed qui præerant, vel quia fidem puero non adhiberent, vel quia illius non essent miserti, cœperunt ab eo inquirere de Patre suo, de auunculo sacerdote: quibus nihil aliud responsi dedit puer, quàm se dolorum quibusdam stimulis perurgeri, nec posse eo loco consistere. Quod protinus, natura ad vomitum instigante, coram omnibus patefactum est, non excusationis cuiusdam sed veritatis causa aut potius doloris necessitate & vi impulsum dixisse; & simul improbum eorum consilium innotuit, qui ad superfluam potus ingurgitationem induxerant, natura eandem in eorum ignominiam & dedecus regerente. Qui verò primas tenebant, dedecus non ferentes, culpam in famulos deriuabant, quamuis plusquàm probabile sit, quosdam ex præcipuis huius scelerati consilij authores extitisse.

Maximus adsistitur coram Commissarijs.

Vrgetur vt templũ Caluinianum adeat.

Post hunc, euocant fratrem natu maximum, sexdecim circiter annos natum, quem partim minis, sed multò magis blandis vberioris fortunæ promissis, quæ non tantùm in ipsius, sed in fratrum etiam commodum & bonum redundaret, mouere conatus est Comes Darbiesis, & suadere seriò, vt templa Protestantium adiret, concionem audiret, cui, inquit Comes, vt fidem adhibeas non est necesse, sed interesse solùm, vt tuo exemplo fratres permoueas. Id si faceret, futurum sibi adolescentem à cubiculis, qui locus nobilibus adolescentibus conceditur, & ad maiora aditum patefacit, fratrum quoque rebus ac commodis promouendis se prospecturum.

Quæ pollicitatio quantas habitura fuisset vires apud eum, qui postposita religione se huius sęculi rebus addixisset, facilè ex eo intelligas, quòd non solùm à Comite profecta sit, qui ordo apud Anglos Principum, quos alio loco videas, dignitatem adæquat, sed etiam ab eo Comite, qui Maiorum splendore ac nobilitate, prouentuum vbertate, ac populi Lancastriensis beneuolentia, summa apud illos valet potentia, authoritate, gratia.

Pueri excelsus animus.

Omnia tamen hæc, siue minarum siue blanditiarum spectra, respuit pius adolescens, sollicitantibus quantumuis & vrgentibus ijs, qui in hoc conuentu Comiti assidebant, vt hanc eius tàm amplam tamque cumulatam beneficentiam non reijceret. Inter quos inprimis extitit Pseudoepiscopus ille Chattertonius, quem paulò antè nominauimus, qui cùm à principio lenitatis quandam exhibuisset speciem, paulò tamé pòst seuerius agendum cogitans, pręcipere ac iubere adolescentem nomine illius obseruantiæ ac subiectionis, quam Regia deberet Ma-

iestati, vt Iurisiurandi fide interposita responderet illis ad omnia, de quibus interrogandus foret. Negauit verò adolescens, sed modestè, id se posse prestare, nec dùm enim quidnam esset iusiurandum se plenè intelligere, nec omnia callere, quæ ad id officium ritè peragendum spectarent. Quin si quod verum est denuntiare velis, inquit Chattertonius, securè à te iurari posse existima. Cui VVorthingtonius: quicquid à me denuntiabitur, id omne cum veritate coniunctum erit. At mihi religio est ea deferre, quæ mihi meisque charissimis amicis fraudi sunt futura; & id rogo, ne iniquo patiamini animo, mihi enim certum est & decretũ iuramenti fidem his in rebus & causis non astringere. Attamen subiecit Chattertonius, sed ridiculè, iurato enuntiabis quod nemini nociturum sit; quin ergo iurabis, sudarium quod manu gesto esse sudarium. Ne id quidem, ait adolescens, cùm causa non sit satis iusta, me facturum recipiam. Atque hìc luserunt illi in vocula illa (forsoothe) qua vsus est adolescẽs ac idiomate vulgari significationem continet tùm synceritatis in respondendo, tùm honoris illi, quocum agas exhibiti; voculam illam dixerunt esse notam religionis papisticæ, & papistas maiori ex parte esse Anabaptistas, quasi putarent fas non esse in vlla causa iurare: quæ calumnia quàm seipsam sua falsitate confodiat, nec ipsimet, si reliqui tacerent, ignorare possunt. Sed cùm frustrà iuuenis constantiam tentare se viderent, eum dimittunt.

Puer recusat iurare.

Nõ vult prodere Catholicos.

Catholici accusantur Anabaptismi.

Duo alij fratres medij examinantur.

Reliquos deinde duos fratres coram se sistunt, sed separatim singulos, quibuscum eundem interrogandi & agendi modum tenuerunt, quo cum priori vsi sunt. Ab his verò, Deo ætatem teneram roborante, nihil elicere potuerunt, quod vel contra sacra religionis iura esset, vel charitatem parentibus & amicis Catholicis debitam infringeret. Ac in summa id constantiæ, synceritatis, & prudentiæ exemplum in istis paruulis & quasi infantulis, eo die ad Dei gloriam eluxit, vt non solùm multi grandioris ætatis Catholici, qui eo tempore ob fidei Catholicæ seruata iura tanquàm rei coram eisdem iudicibus comparuerunt, ad eandem animi fortitudinem & integritatem imitandam sint incitati, sed ipsimet quoque hæretici alijq; eorum laqueis irretiti, qui assidebant, magna admiratione & stupore attoniti remanserint, adeò vt illos pœnituerit coram tanta hominum, qui tùm aderant, multitudine hæc gesta fuisse. Ideoque in posterum cauebant, ne coram tàm frequenti populo pueri iterum ad constantiæ suæ specimen exhibendum producerentur, sed priuatim aut coram paucis cum ijs actum deinde est, & id quidem sępiùs. Sicut eodem ipso die à quodam Foxio homine astuto & loquaci interpellati sunt, qui ad eos subuertendos destinatus

Foxi⁹ quidã homo astutus

natus, bis illo die, ſemel antequàm coram iudicibus comparuerant, & ſemel poſt ipſos conuenit, qui multùm verbis extulit Comitis Darbienſis liberalia ac magnifica promiſſa, quibus eos ornare ſpoponderat, modò ſe ad illius & cæterorum voluntatem accommodarent: ac ſubinde iſtorum redarguebat imprudentiam, quòd tàm præclaram ſpem abiecerint, ac nunquàm ſua vel parentum opera poſſe illos ſuæ dignitati ac commodis proſpicere ac nunc proſpectum foret. Se perquam optare filios ſuos, quos chariſsimos haberet, fore tàm fœlices vt poſſent hoc modo, ſi vellent, in viros nobiles ac claros euadere. Adoleſcentes verò contrà ſe malle intra Eccleſiæ Catholicæ fines ſtipem oſtiatim emendicare, quàm Schiſmatis labe contaminatos in aula Comitis & Pſeudoépiſcopi palatio omnibus delitijs & honoribus circumfluere. *Et aggreditur pueros.*

Gulielmum Crumelhulmium cùm coram ſe euocaſſent, Sacerdos an eſſet percontantur, id enim iam à principio ſuſpicati ſunt; quod cũ ille pernegaſſet, vt res erat, addens inſuper ſe illius litteraturæ ac doctrinæ quæ Sacerdoti conuenit, expertem eſſe, ac vix proprium ſuũ nomen poſſe ſcribere. Tùm illi, vt iuramenti fidem interponeret, inſtât, ſed negat Crumelhulmius vlla iuramenti religione obſtringi hiſce in rebus velle. Sciſcitantur deindè cuiuſnam famulus is eſſet, reſpondit, ſe hominem eſſe Catholicum, nulliuſq; pro hoc tempore Domini obſequijs eſſe addictum, niſi Domini Dei ac S. Matris Eccleſiæ Catholicæ. *Gulielmus Crumelhulmius examinatur.*

Interrogatus de ijs quæ poſſent in aliorum Catholicorum detrimentum vergere, cautè reſpondit, ad multaque interrogata non alia reſponſione quàm ſilentio vſus eſt. Quod ad ſeipſum verò attinebat, ſe Catholicam fidem ac religionem colere intrepidè profeſſus eſt, nec dubitabat aſſerere ſe ſacroſancto Miſſæ ſacrificio ſæpè, vt virum decet Chriſtianum, piam operam dediſſe, ac ſæpius illud ſanctum munus obire velle, ſi qua ratione poſſet: hæreticorum verò ſeu Proteſtantium ſtatas preces & conuenticula aut conciones frequentare nolle. Ex quo factum eſt vt traditus ſit in cuſtodiam Edmundo Traffordo equiti aurato, & tunc temporis Scheriffi ſeu Præfecti Prouincialis munus obeunti, qui domi ſuæ Traffordianæ bonum adoleſcentem ſubterraneo carceri frigido, fœtido & tenebricoſo incluſit, vbi modico cibo recreatus ſine lecto in vdo carceris ſeu ſpeluncæ ſolo iacuit. *Liberè profitetur fidem ſuam.* *In vincula conijcitur & miſerè tractatur.*

Poſt quatuordecim verò dies, ſuſpicati eum famulum eſſe Thomæ Vvorthingtonij, inde abductum Apparitori regio, quem Porſuiuantem vocant, tradi vt Londini compareret mandarunt, quo in itinere has tulit moleſtias. Imponebatur equæ ſtrigoſæ & macilentæ, quæq; in ſin- *Abducitur Londinum.*

Crudelissimè tractatur in itinere. in singulos passus sessorem succuteret, pedes habuit sub ventre iumēti colligatos, brachia verò in tergum reuincta, noctu verò iniecta est pedi vel tibiæ sera ferrea, qua ad equos vinciendos seu continendos vti solent. Denique maiori acerbitate, seu potius crudelitate cum illo actum est, quàm si fur esset aut homicida.

Quæ omnia licèt carni & sanguini dolorem & molestiam incuterent, tamen interiori homini & spiritui magnam gaudij & consolationis materiam subministrarunt, quod verbo ac reipsa satis contestatus & professus est. *Confessoris gaudium spirituale in afflictione.* Nunc enim alacri animo & vultu Deum laudat, quòd dignatus sit eum vinculis & afflictione pro fidei Catholicæ attestatione; nunc ingeminatis osculis vincula & funiculos, cùm ad eū vinciendum accederent, peramanter dissuauiauit: hi, inquit, funiculi mihi prorsus gratiores sunt, quàm esset torquis aureus collo impositus. In eademque animi constantia & zelo, diuina assistente gratia, adhuc integer perseuerat, turris Londinensis carceribus inclusus, nec vnquàm hactenus productus est coram magistratu hęretico, vt suæ vitæ ac fidei rationem redderet. *In turre Londinensi custoditur.*

Georgi⁹ Hathersall⁹ certamen subit. Omnium postremò Georgius Hathersallus in hanc luctam vel certamen coram Commissarijs regijs est adductus. Quęrunt ab illo de audito sacro, de Sacerdotibus, quosnam cognosceret, & quonam ire decreuerat, aliaque eiusmodi. Is prudenter responsa accommodauit, nullum vt inde periculum aut damnum alijs Catholicis crearetur. Demùm cùm hæreticorum Ecclesias adire, eorumq; schismaticis precandi formulis communicare recusasset, in carcerem illum Mancestrensem ablegatur, cui nomen est Neufleete. *Mancestriam ablegatur.* Inde exactis septem diebus ad ergastulum illud destinatur, quod domum correctionis vocant, vbi cathena & sera ferrea ad postem ligatus hęsit, quoad fideiussorum ope laxiores quosdam carceris fines impetrasset. *Vinculis concluditur. Mutat carcerem.*

Carceribus noua nomina imponuntur in odium Catholicorum. Operæ pretium verò est animaduertere istorum hominū erga Catholicos odium, qui carcerem hunc, anteà domum Correctionis dictam, nunc libenter carcerem vagorum vel perditorum hominum appellitant, quamuis ibi non vagos illos ac circumforaneos homines, sed potius Catholicos incarcerent; fortè eo animo, vt cùm Catholicorum idem sit qui vagorum carcer, vel ex nomine carceris habeantur Catholici ibi inclusi pro vagis, circumforaneis, & effrænatis hominibus. Hathersallus verò non ita multò pòst, patris sui interuentu inde liberatus est formula quadam iuris obstrictus, ne in partes transmarinas se conferret; qui tamen nactus post aliquot menses opportunitatem, ad seminarium Remense venit, vbi & hodie viuit. *Liberatus ex vinculis Remos se confert.*

Sed

Sed ad quatuor fratres Vvorthingtonios redeamus. Omnes illi Mancestriam perducti sunt, sed carceribus in quibus alij detinebantur Catholici non sunt traditi, ne ex illorum consortio ac pijs colloquijs magis in fidei Catholicę professione roborarentur, hoc enim responsi à Commissarijs datum est cùm intercederent pueri, vt ad domũ Correctionis ducerentur, sed simul in vna domo sunt collocati, vbi ad primi mensis spatium humaniùs cum illis actum est: nisi quòd subindè importuni quidam homines impias persuasiones illorum auribus insusurrauerint, quibus conati sunt eorum constantiam labefactare, nempe vt conuenticulis & precibus hęreticorum se aggregarent, Comitis Darbiensis aliorumque virorum illustrium promissis, quæ illis tùm magna commoda tùm dignitatem non mediocrem essent allatura, se totos darent.

Pueri Vuorthingtonij ducuntur Mancastriam.

Petunt hanc gratiã, vt cõmittãtur carceribus Catholicorum, sed non impetrant.

Sollicitantur ad defectionem à fide.

Inter alios Protestantes, qui magno numero se ingerebant, erat D. Ashetonius à Chattertona, qui tùm pręfectura iustitię pacisq́; publicę, tùm Commissarij authoritate valuit, magnoq́; zelo hęreticam hanc religionem amplectitur. Is cùm paruos hos pueros, ac propè infantulos tàm constanter fidei Catholicę placitis adhęrescere videret, magnoperè admiratus: Quid hoc, inquit, rei est? num hi paruuli pueri nostrę religionis officijs publicisq́; precibus se adiungere recusant? Atque si hęc parua genimina crescere, & maiorũ suorum placitis affigi permittatur, nunquàm profectò fiet, vt Papistica religio in Anglia nostra extinguatur. Quare vno animi consensu omnia tentarunt, vt istorum adolescentum animos suis laqueis irretirent. Sed cùm nullis illecebris in eorum sententiam induci posse viderentur, cœpit indies magis magisque victus & habitationis commoditas illis minui.

Asshetonius eos aggreditur.

Paulò post quatuor Ecclesiarum præfecti, homines duri ac tetrici, Reginæ nomine illis imperarunt, vt Ecclesiam schismaticam adirent. Quibus à iuuenibus id responsi datum est, se Reginæ in rebus ciuilibus parere, sed in rebus fidei ac religionis nullum imperandi ius illam habere. Tùm Magistratus illi pueros læsæ Maiestatis reos esse enuntiant, quòd mandatis regijs obtemperare nollent: minantur deinde fore, vt proximo Iudicum conuentu, quem Assessum vocant, agerentur rei criminis læsæ Maiestatis, nec licere tunc se à discrimine liberare, licèt publicis Ecclesiæ Caluinianæ officijs interesse velint.

Negant pueri se adituros Ecclesiam.

Minæ hæreticorum.

Quamuis autem terroris solùm causa & non veritatis, has minas intentassent, pueri tamen pręsertim duo maiores, qui pro reliquis respõderũt, constanti illorum asseueratione commoti, putabant ita futurũ,

Pueri parant se ad mortem & certamina quæ mortem præcedunt.

vt pro tribunalibus sisteretur. Quare precibus ad Deum fusis se suasq; animas illius bonitati commendabant, & pro constantia & robore in hoc discrimine suppliciter orabant. Iam enim decretum & constitutum illis fuit, ne minima quidem ex parte fidem Catholicam prodere. Pseudoëpiscopus quoque penè idem significabat futurum, vt publica iudicia lęsæ Maiestatis causa subirent, verùm obscurè & tectè,ne posteà mendacij argueretur.Is cùm nomine & auctoritate regia illis imperasset,vt ad publicas Protestantium preces se adiungerent,non dubitauit eos proditores,quòd mādatis regijs obtemperare recusassent,appellare; addens,si vita sibi illisq; comes fuerit, fore vt hoc præstare cogerentur.

Cumque iam ob puerorum constantiam nimium excandesceret Pseudoëpiscopus, ingesit se quidam nomine Bullus homo ferus, is Pseudoepiscopo obsequium & famulatum pręstabat, & satis audacter confirmabat, se,modò potestas sibi facta fuerit, non dubitare virgis ac verberibus effecturum, vt intra paucos dies mandatis Reginę morem gererent.Cui annuēs Pseudoëpiscopus:Recte,inquit,res habet mi Bulle. Ac tentabis quidem quantum in hoc negotio valeas proficere, nec parcas illis, nisi se conformes ac morigeros exhibuerint. Proximo igitur mane ingreditur homo immitis in cubiculum puerorum armatus quatuor aut quinque virgis pręlongis illis quidem ac gracilibus, ac maiorem natu sic compellat. Quid iam ais Thoma? Num Ecclesias nostras & orationum loca adibis? Ad quem adolescens: Iam,inquit,hesterno die huic rei à me satis cumulatè responsum est. At aliud responsum (inquit Bullus) à te nunc expecto,quod in rem nostram sit commodius;& simul è strato in cubiculi pauimentum extractum verberibus plusquam viginti in dorso perquàm acerbè afflixit homo trux & crudelis,illud dùm cęderet,subinde inclamās:Efficiam vt bono exemplo fratrib⁹ pręluceas;bonū homo impius appellauit exemplum,quod improbum ac reliquis perniciosum futurum esset. Contrà afflictus adolescens: Nullo modo mihi fas est vestris me adiungere conuenticulis,aut interesse precibus.

Bullus carnificem pseudoepiscopi agit.

Thomas maximus natu fratrum virgis ceditur.

Non tamē inducitur vt adeat Ecclesias Caluinianas.

Hanc iniuriam cùm Thomæ Vvorthingtonio irrogasset,(qui tamen, cùm iam sexdecim esset annorum, pœnæ pecuniariæ 60. & amplius aureorum, qua in singulos mulctantur menses, qui officijs eorū publicis non intersunt, obnoxius ex scelestis eorum legibus fuit,& nō virgarum supplicio) accesit deinde ad secundum fratrem,quem cùm in proposito firmū inuenisset,ad virgas igitur, inquit, & verbera te para. Adolescens statim se submisit, ac lubenter in partem earum pœnarum quas frater iam subijt, se venire ostendit.

Secūdus frater euocatur ad virgas.

Sed

Sed Tortor iste ad alios minores fratres se conuertit, ac percontatur, an velint cõmunibus Protestantiũ suffragijs cõmunicare. Id verò illi non obstãte pręsenti virgarum terrore pernegant. Ac ille, fœliciter vobiscũ agitur, quòd è cubili subducti succinctis vestibus parati astatis, verũ in hanc rem alia erit opportunitas, & iubet custodem duos natu maiores separatim in cubiculis disclndere: secum verò assumpsit duos natu minores, vt quid de illis decerneret, Pseudoepiscopus intelligeret. Qui eodem die de loco in locum, ab vno magistratu ad alium variè distracti sunt: tandem Pseudoepiscopus in se suscepit omnium minimũ in suam custodiam curamq; recipere, ac statim ipsum ad suas ædes destinauit. Alterum verò Hollandus quidã Deutonius, homo ex Puritanorum secta non minus rigidus postulauit, & vt apud se esset obtinuit. *Item tertius & quartus.* *Separantur à se inuicem.* *Pseudoepiscopus suscepit minimum peruertendũ.* *Alium postulauit quidam Deutoni' Puritanus.*

Bullus verò sub noctem ad duos natu maiores fratres reuertens significauit illis Pseudoepiscopum mandare, nĩ Ecclesias Protestantium frequentare velint, vt compedibus vincti ad ludimagistrum proximo mane ducantur. Postridie igitur custos compedes expedit, quos cùm illis esset iniecturus, quod tamen specie solùm exteriori simulauit: Quantò, inquit, vobis satius esset officijs nostris Ecclesiasticis interesse, quàm hoc dedecus vobis vestrisque amicis consciscere. Sed illi: Nos, inquiunt, gestare compedes parati sumus, & in hac causa nulla dedecoris aut ignominiæ labes contrahitur. Age igitur, inquit custos, licèt D. Superintendentis mandata aliud iubeant, hac vice compedes non feretis, ad scholam verò ibitis, & simul mecum compedes sub penula gestabo. Cumque eo ventum est, ludimagister, frustrà prius adhibitis persuasionibus vt Caluinianis cœtibus interessent, tandem illis renuntiauit statuisse D. Superintendentem vt nouum Catechismum ediscerent. Illi verò negant se ad vllum ibi librum, qui de religione tractaret, erudiri velle. Nihilominus sępius ad hanc Scholam perducti sunt, & varijs Scholasticorum, qui hæreticum imbiberunt venenum, ludibrijs vexati. Omnibus tamen non cessit hoc inutiliter, cùm Dei beneficio quidam illorum exemplo pijsq; sermonibus commoti, erga Catholicam fidem rectè affici cœperint. Nam cùm premerentur, rationes suæ fidei & religionis eas reddiderunt, quibus non solùm Scholastici adolescentes satisfacere nequibant, sed nec concionator quidam hęreticus Oliuerius Cartvvrightus, qui identidem eò ventitabat, vt hęreseos aliquot semina in adolescentum pectora inspergeret. Gloriabatur hic homo immodicè de sua doctrina, quòd librum illum Ricardi Bristoi Doctoris Theologi & Catholici, cui titulus est, Postulata ab hęreticis &c. confutasset, suamque illis confutationem ostendit, quæ *Duo maiores ad Scholam ducuntur.* *Negant se velle discere catechismum Caluinianũ.* *Oliuerius Cartvvright' Caluinianus ministellus agit cum pueris.*

profectò confutationis nomine digna non fuit. nam etiam vnus ex pueris sæpiùs in eum proprias rationes,& testimonia citata ita regessit, vt misellus ille in angustias se senserit redactum.

Hospitis seu custodis stultitia.

Quo etiam in genere molestus illis extitit hospes seu potius custos, qui cùm sæpè ad absurda quædam responsa ab illis fuerit adactus, & indignationis simul stimulis concitatus, rediens semel à concione hęretica:quam vellem,inquit,concioni huic interfuissetis, ibi enim probatum confectumq; fuit, semel extitisse fœminam quę in Papam fuit consecrata. Tum secundus natu frater zelo commotus liberè respondit; Quicunq;,inquit,hoc audet asserere, is splendidè ac impudenter mentitur. Atqui Episcopus noster is erat, inquit custos. Quid tùm,inquit puer,nec enim ipsum magis quàm alium excipio,& peccatum est tùm,ipsum hoc publicè prędicare,tùm vos audire:quo responso ita excanduit custos, vt magno impetu è mensa & domo exiliuerit, omnibus qui aderant seuerè admonitis, vt huius rei testimonium præstare, quando opus esset,parati forent.

Secundi fratris constantia negantis vllam vnquā fœminam Papam fuisse.

Idem accusatur à custode apud Pseudoepiscopū. Sistitur corā Commissarijs

Paucis post diebus accusat puerum apud Pseudoëpiscopum, qui adolescentes omnes coram se sisti iubet, ascitis quibusdam ex Commissarijs regijs, & custodi mandat, vt accusationem suam iuramento confirmet,quod profectò necessarium non erat,nisi fortè ad terrorem adolescenti incutiendum,quoniam hic liberè fassus est quæ anteà dixerat, de mendaci fabula papæ fœminæ, nec Pseudoëpiscopus valuit, quod de hac fabula concionatus est,solidè confirmare, quare rem totā silentio inuoluens, puerum alteri custodi qui priori paulò fœdatior extitit,asseruandum tradidit.

Tertius frater accusatur

Tertius deinde frater, qui apud Hollandum Deutonium mansit, accusatus est eodem tempore, quòd Pseudoëpiscopo per plateas transeunti reuerentiam aperiendo caput non dederit, eamque ob causam vt seuerius contineretur, traditus est Comestabili cuidam, qui magistratus apud Anglos est frequens, estque hominum mediocris tantùm fortunę. Hic verò acerbus erat & homo tetric⁹. Cęterùm paulò post ab Hollando reuocatus, qua arte aut quo consilio ipse nouerit, fortè cùm esset Puritanus, non improbabat pueri factum: nam Puritanis non ita placet hæc eminens authoritas & dignitas, quam sibi vendicant ad priscorum Episcoporum imitationem noui isti fucatique Episcopi Parlamentarij, sic enim appellamus, vtpote qui non à legitima consecratione aut inauguratione Catholica, sed à Regina & Parlamentis suam authoritatem ementitam deriuant. Videbat etiam Hollandus, quòd quo blādius leniusque adolescentem tractaret, eò maior vis admoueretur ad

Pritani non ferunt Pseudoepiscopos Caluinianos. Episcopi Parlamentarij.

teneri

teneri & puerilis pectoris constantiam expugnandam. Quod vt efficacius præstaret, promisit adolescentem, quòd si concionem audire vellet, vel mercatoris alicuius obsequijs & arti addici, in paternā hęreditatem succederet: iam enim omnia patris bona & reditus Reginæ fisco adiudicari, ac fratres natu maiores propter pertinaciam omne adeūdæ hæreditatis ius amisisse; se verò effecturum, vt totum ius ad ipsum deuolueretur, si eius consilia sequi ipsique parere non detrectet. Sed adolescentis animus hac blanda pollicitationum specie se abduci non patitur, à cœpta Sanctissimæ Religionis professione, sed semper ab his inimicorum laqueis & insidijs liberari expetiuit. *Vuorthingtonij bona omnia Fisco Regio adiudicata.*

Ioannes verò Vvorthingtonius natu minimus in palatio Pseudo-episcopi, quò benignius tractaretur, eò maiori incurrendæ perfidię periculo in tenera illa ætate obnoxius extitit. Assidebat mensæ Pseudo-episcopi, sæpè tùm vt voce caneret, tùm vt instrumēta pulsaret musica, est vocatus; nihil penè illi deesse potuit quod postularet. Cumque alij adolescentuli clarorū virorum filij ludendi tempus exposcerent, solus erat Ioannes Vvorthingtonius, qui ex singulari vt videbatur gratia, tantum apud Superintendentem valuit, vt solus cùm reliquis id negatum esset, pro reliquis impetraret. Quod totum ideò concessum illi est, vt hac ratione delinitus ad eorum partes tandem descisceret. *Minimus natu Ioannes in aula Pseudo-episcopi custoditur.*

Et maiori adhuc blanditiarum specie & apparatu ipsum inescare tentarunt, vt ad carnes in quadragesima comedendas flecteretur: qua de re sic eum Pseudoepiscopus Chattertonius semel affatus est: Quid est Ioannes, quòd bonos & salutares cibos recusas? Cur quadam conscictiæ religione hanc abstinentiam colis, cùm tamen nihil scias? Nónne vides me carnes comedere? Ita est, inquit Ioannes, nam vos quicquid illud demum fuerit comeditis. Quod eius responsum homo inanis gloriæ cupidus seuerè interpretatus, ac si iudicio pueri nullam conscientiæ propriæ curā haberet: posteà illū ad secundā mensam, quę famulorū est, ablegauit, quæ vt fertur, nec pisciū nec carnis copia redundat. *Vt carnes comedat in quadragesima vrgetur à Pseudoepiscopo.*

Accidit deindè vt Superintendens iste nonnihil malæ valetudinis pateretur, & dum in lectum se, pręsente medico, reclinaret, legerentur quædam ex putidis illis Ioannis Foxij Monumentis, quæ ille de infaustis damnatæ memoriæ hęreticis martyribus conscripsit. Qua occasione Catharina sacrilegi istius Sacerdotis fucata coniux seu potius pellex, cœpit cum Ioanne de his Protestantium martyribus agere, & magna cum crudelitate in hos sæuitum esse, regnante Maria Regina commemorat. Ad quam Ioannes: Si, inquit, adhuc alius quispiam Catholicus Princeps regni fasces obtineret, eodem modo in D. Superintēden- *Cum Pseudoepiscopi coniuge disceptat.*

 tem

tem animaduerteretur, nam ignib9 ob hęresim cremaretur. Nequaquã ita foret, ait Superintendens, obaudiebat etenim colloquentes; nam non ita pręfracti & contumaces essem9 futuri contra Regem papistam, si fortè talis quispiam nobis imperaret, quemadmodùm papistæ nunc sunt, tunc enim illius legibus tanquàm boni subditi obsequeremur. Atqui, inquit puer, hoc vos à legum animaduersione non liberaret; siue enim conuerti videamini siue non, vltricibus flammis absumendi estis. Hoc verbo Chattertonius haud parum commotus conturbatusq; est, adeò vt morbus increuerit, & testante medico in eam corporis intemperiem inciderit, quæ pharmacorum vim planè refugeret.

Religio Pseudoepiscopi nulla.

Quatriduo post cùm videret sumptus, quos in alendo puero insumeret, irritos esse, nullamq; amplius ad eum peruertendum spem esse relictam, dimisit à se Mancestriam, vbi cũ fratre natu maiori detineretur.

Puer ablegatur Mancestriam.

Dum hæc agerentur, nullisq; vel terroribus vel illecebris adduci possent hi iuuenes, vt schismaticam cum hęreticis orationũ cómunionem inirent, ter quatérue inferioribus quibusdam magistratibus seu officia gerentibus iniunctum à Commissarijs est, vt si sponte Ecclesias non adirent, vi eò pertraherentur. Quo animaduerso, cùm iam parati essent illi vt vim inferrent, adolescentes, vt illis laboribus quos in ferendo aut ducendo subituri essent supersederent, proprijs pedibus ad Ecclesiam destinatam se contulerunt, ad quam alioqui videbant se vi impellendos.

Cogũtur omnes inuiti adire Ecclesias Caluinianas.

Id verò duntaxat cùm euicissent hęretici, nec enim aliud quippiã quod ad consensum attineret, extorquere poterant, callidè & malignè factum interpretati sunt, & tanquàm coniunctionis cuiusdam & cõmunionis tesseram haberi voluerũt, protinusq; rumores disseminarunt, adolescentes in Protestantium partes concessisse. Vehementer igitur angi cœperunt animo Catholici pueri, cùm viderent hoc eorum factum in eam accipi sententiam, quæ hęreticis lætitiam, causæ Catholicæ detrimentum, pijs verò & fidelibus ac in primis sibimetipsis dolorem pareret: quare hanc labẽ opportuno tempore eluendam esse cogitant, omnemq; criminationis & calumniæ causam resecandam. Iamq; Pseudoepiscopus discessum parauerat versus Ciuitatem Cestrensem, ea occasione alloquendi hominẽ facultatem nactus frater natu maxim9, obtulit illi scriptum, in quo professus est tùm suo tum fratrum suorũ nomine, se quidem ægrè ferre quòd in hanc infamiam incurrerint, quasi spontè Caluinianos cœtus & conciones frequentauerint, cùm tamen coactè tantùm & vi iuerint, propositis minis ni sponte accederẽt, fore vt pertraherentur. Cui malo vt in posterum mederentur, statutum

Spargitur rumor pueros in partes Caluini concessisse.

Hac suspitione se liberant dato scripto ad Pseudoepiscopum.

tum sibi esse & ratum amplius, nisi vi propellantur, Ecclesias Protestātium non ingredi, se paratos esse vel carceribus includi, vel in domo correctionis vexari, aut alibi vspiam morari, quò eorum voluntas ipsos propulerit. Protestantium enim religioni, diuina aspirante gratia, se nunquàm verbo vel facto, aut exteriori cęremonia assensum prębituros.

Qua puerorum libertate & constantia admodum exacerbatus est Superintendentis animus. Ac cùm prima fronte & ingressu scriptũ adolèscentis sereno vultu blandisq; verbis recepisset, putans quòd pro libertate tantùm deprecaretur, adeoque paucos quosdam nummos munusculi loco puero porrexerit, nunc totus in alium mutatus prae iracundia nummos repetit, quos illi puer promptiori animo quàm receperat reddidit; subiecit verò, quòd ad domum Correctionis ituri non essent, ibi enim esse Matthęum Trauersium aliosque papistas, ex quorum consuetudine & colloquijs deteriores essent euasuri. Atquí, ait, egomet ipse vos correctos castigatosq; curabo, & si vnà vixerimus effectum dabo, vt nostros Ecclesiasticos ritus sequamini, pernegantibus tamen pueris, atque ita discessit, postquàm custodibus imperasset, vt pueros arctiùs intra limites contineret.

Multi ex amicis, dùm hæc intereà paterentur pueri, pro eorum libertate intercesserunt, ac præsertim concitati pollicitatione Pręfecti Prouincialis seu Scheriffi, cuius magna ex officio authoritas est, qui affirmabat pueros ædibus paternis fore restituendos, si pro eorum singulis duo se prædes sponsione data interponerent, qui ne pueri in partes transmarinas concederent, obstringerentur. In eum proindè finem octo homines in puerorum gratiam satisdare se recipiunt: sed isti cùm essent sæculi rebus irretiti, ac Protestantiũ Ecclesias visitassent, incitati sunt à Præfecto Prouinciali alijsque Commissarijs, pueris vt eadem schismatica labe se inficerent, persuaderent; id quod ab illis seriò pręstitum est, sed pueris in eadem animi constantia perseuerantibus, licèt suasores hi parentum hanc esse voluntatem, sed falsò, confirmarent. Demùm Præfectus in hæc verba concludit: Si vel vnam concionem audire velitis, ecce tradam vos his vestris amicis & sponsoribus, qui domum vos reducant, alioquin hìc manendũ erit. Nullis, inquiunt pueri, nos concionibus vestris interesse volumus: id enim si à nobis factitatum fuisset, iam pridem absq; sponsoribus libera nobis ad paternas ædes redeundi facta fuisset facultas. Quare adhuc in custodia detenti manserunt, frustraque ab amicis impensi sumptus ac labores suscepti sunt, sed profectò ad Præfecti dedecus hoc redundauit, qui fidem ac pollici-

Amici laborãt pro libertate puerorũ.

Negãt se audituros concionatorem hæreticum.

pollicitationem multis clari nominis viris in eadem vicinia habitantibus confirmatam fefellit.

Cùm igitur nullo modo ab istis hæreticorum laqueis expediri possent, magnoque in periculo versarentur, ne temporis decursu aliquam in fide aut moribus corruptelam contraherent, simul quod ad literarum studia attineret, magnam temporis iacturam paterentur, quamuis hæreticas Classes adire cogerentur, nihil tamen discere voluerunt, ne simul cum literis, hæreseos quoque venenum imbiberent, suasu tandem, consilio & opera amicorum quorundam Catholicorũ, Thomas Vvorthingtonius natu maximus, & omnium minimus Ioannes clam & secretò è Custodis sui manibus elapsi sunt.

Elabũtur ex custodia maximus natu & minimus.

Hoc ægrè tulit Superintendens Chattertonius, & de hac eorum fuga questus est apud Comitem Darbiensem, tùm cùm vnà Mancestriam conuenerant. Accersuntq́; protinus Robertum Vvorthingtonum alterum fratrem, eumq́ue de fratrum fuga examinant, minanturq́; fore vt iterum compræhendantur, maioresq́; illis impendere dolorum & calamitatum accessiones. Patrem verò eorum in bonorum ac fortunarum summum discrimen venisse, cęterùm adolescenti omnia promittunt prospera & optabilia, si vel vni concioni aurem prębere velit. Recusabat tamen ille, vt anteà consueuerat, ac singulari animi magnitudine confidentius quàm vnquàm fidem orthodoxam professus est: quod ad fratres verò pertinet, se nec illorum habuisse curam, nec in eodem simul cum illis loco fuisse retentum, paratum verò esse quod ad se attinet, quiduis pro Catholicæ fidei defensione pati.

Robert' examinatur de fuga fratrum

Recusat audire concionatorem Caluinianum.

Tandem Pseudoëpiscopo assensit Comes mittendum esse puerum ad Castrum Cestrense, sic enim loco tuto coërceri, vt nec fuga dilabi, nec cum Catholicis vllos miscere sermones seu consilia inire posset. Dies tunc fuit Sanctissimæ Trinitati sacer, quo die Martis sequenti puerum ad castrum illud ducendum destinarunt, sed in diem Iouis, qui Sacratissimo Christi corpori consecratus est, dilata res est, nec tamen exitum sortita fuit, vt nunc ostendemus.

Mittitur ad castrum Cestrense ne elabatur.

Duo erant ex intimis pueri amicis, qui comperto puerum eo die ad Castrum esse ablegandum, cõmuni consilio in eam curam & cogitationem se dant, vt puerum in itinere, si qua ratione valerent, ab inimicorũ iniquo dominatu & vi eriperent. Eorum vterque equum ascendit, ascito cuius suo à pedibus famulo, omnes animo præsenti & ad maiora subeunda pericula quàm in præsenti negotio fuisse, euentus declarauit. Duo se in hospitium Mancestriæ recipiunt, vt puerum ab vrbe egredientem statim à tergo prosequerentur: alij verò duo in vico, qui

Amici consilium ineunt de Roberto tertio puero liberando.

Bud-

Budvvorthus dicitur, diuerſantur, vt primo mane adoleſcenti occurſantes explorarent, quo præſidio aut comitatu, aut qua deniq; ratione iter hoc appararent. Comperiunt autem vnum duntaxat illi adiunctum eſſe comitem, idq; etiam pedibus euntem; petunt familiaritatis ineundæ cauſa, cuiuſnam filius puer eſſet, quò ducendus & in quem finem, aliaq; eius generis: tum digreſſi occurrunt alijs, qui Manceſtria puerum inſequebantur, ſed longiùs. Viſa res eſt in eum locum deducta, vt facile fuerit arte aliqua puerum in agro, vno duntaxat famulo ſtipatum abripere. Dimittunt itaque pedites, tanquàm minus huic rei conficiendæ neceſſarios.

Alter itaque ille, qui Manceſtria in equo venerat, citato curſu ſtatim adoleſcentem cum ſuo famulo aſſequitur. Percontatur quædam de more vt fieri aſſolet, dum in itinere homines congrediuntur, petit tandem à puero, an non ex itineris labore feſſus eſſet, & cum cuſtodis facultate ſibi in equo adiungit: iter deinde peragunt vnius aut alterius miliarij, & obiter ad tabernam vel hoſpitium, quod ſe obtulit, conquieſcunt. Inde cùm eſſet procedendum, gratum habuit cuſtos, vt puer iterum in equum aſcenderet, adeoq; ſuis manibus eum in equum ſuſtulit, humanitati ac beneuolentiæ hominis peregrini hoc deputans. Ac in primis quidem lentiori gradu illi proficiſcuntur, ſed ex interuallo diſiuncti, ſubitò calcaribus equo admotis auolant, cùm priùs famulo pedibus eunti dixiſſet: Vale vale vir bone, hac ego te cura liberabo, ac domino tuo renuntia nos rectà Londinum verſus contendere. *Liberatur hu ſigni ſtratagemate.*

Homo ille ex repentina hac fuga attonitus, inclamat: In malam crucem, in malam crucem, nec amplius potuit eloqui, ſed curſu eos inſequitur, verùm fruſtrà. Simul etiam citato equo inſequitur alter ſocius, & in hac re confœderatus, tanquàm aufugientes remoraturus. Is enim iam anteà tardiori greſſu & longius à tergo hærens ſubſecutus eſt, expectans quid in rem expediendam commodè poſſit accidere. Sed viſus eſt cuſtodi tanquàm viator quiſpiam totius rei quæ gerebatur planè inſcius, omnibuſque incognitus. Is cùm aliquouſq; poſt aufugientes ſpecie tenus equum concitaſſet, cùm illi iam ſatis procul eſſent diſſiti & extra periculum, ſubſtitit & cuſtodem ex curſu anhelantem, bono & æquo vt eſſet animo iubet, monetq; ne ex nimio curſitandi ſtudio, cùm interim nihil proficeret, ſuæ valetudini incommodaret, & huic conſilio tanquàm magis vtili acquieuit vir bonus, & ob id à pleriſque prudentior eſt habitus. Vix enim aliquis iſtorum puerorum ſibi per fugam conſulentium improbauit conſilium, aut iniquius eſt interpretatus, niſi Pſeudoepiſcopus & pauci quidam miniſtri, qui ta-

men vt sumptibus parcerent, non admodum in ijs requirendis aut reuocandis laborabant.

Tres fratres, qui fuga elapsi erant, iterum produntur.

Cùm Richardo worthingtonio patre deprehēduntur.

Tres hi adolescentes, cùm non ita multò post diuertissent ad ædes cuiusdam viri nobilis in prouincia Staffordiana, proditi sunt quibusdam satellitibus, seu excubias agentibus, tales enim frequenter in Anglia sunt, qui iter noctu per oppida aut pagos agentes obseruant. Igitur cùm totam noctem sub dio egissent, sub auroram in certum penè discrimen venerunt vt caperentur; domum namque ingresi sunt vigiles illi vel satellites adiuncto magistratu, qui Comestabilis dicitur, & alijs, & cùm ibi tres istos adolescentes simul cum patre suo Richardo VVorthingtonio offendissent, sollicitè quærunt de alio quodam aduena, nempe Thoma VVorthingtonio sacerdote. Is verò per horam & amplius intra easdem mansit ædes post satellitum ingressum, sed opportunè se subduxit, antequàm cubicula & interiores ædium partes excuteret, interim dum Richardus VVorthingtonius longiùs cum illis sermonem protraheret. Eum igitur cùm non inuenirent quem maximè quęrebát, reliquos cò facilius dimiserunt, commoti pręsertim authoritate & verbo nobilis cuiusdam & illustris fœminæ, quæ in ædibus illis pręfuit; verùm sub noctem rursus post dissipationem hanc conuenerunt in proximo quodā vicinæ prouinciæ loco, vnde post vnius aut alterius diei moram, pater adolescentum domum versus iter adornauit, Thomas verò VVorthingtonius Sacerdos cum tribus nepotibus Londinum proficiscitur.

Thomas worthingtonius difficulter euasit cū quæreretur.

Thomas worthingtonius Sacerdos cum tribus nepotibus proditur à falso quodam fratre.

In hoc itinere inciderunt in veteratorem illum falsumq; fratrem, qui alia iam vice illos prodiderat; quiq; eò gratior illis acciderat, quò notus esset & pro Catholico habitus, nullaque apud ipsis fraudis suspicione laboraret. Is cùm esset literarum studiosus, finxit se in partes trāsmarinas velle conferre, vt sacris initiaretur, adeoque in illo ipso itinere bis Sacramenta attingere non est veritus, ad quę non nisi innocentia & conscientiæ puritate armatos accedere fas est. Atq; cùm pecunijs egeret, impensas itineris maiori ex parte cùm etiam equo veheretur, reliqui sustinere non sunt grauati. Quam ille humanitatem homo ingratus sic compensauit, primò pecunias è puerorum & cuiusdam alterius marsupijs clam surripuit, tùm hos ipsos de se benè meritos Topliffo cuidam hæreticorum asseclæ, & Oratori Senatus Londinensis (Recordor vocant) alijsque prodit, qui in Catholicos sacerdotes impiam tyrannidem exercendi potestatem habent.

Hi ergo mane die dominica, scelerata vt fieri solet, audacia, Thomam VVorthingtonium Sacerdotem & Theologiæ Baccalaureum, Islingtoniæ,

lingtoniæ, qui vicus eſt Londino ſuburbanus, antequàm è ſtrato ſurrexiſſet in diuerſorio comprehendunt,& ſimul nepotē eius Thomam, ac prætereà Thomam Brounum Sacerdotem, & Humphredum Maxfeldum Theologiæ ſtudioſum, equos quoq; adoleſcentum vi abripiunt,quos per iniuriam Topliſſus detinuit.Inuadunt enim nunc temporis bona Catholicorum iure raptus, eodem ſcilicet planè iure, quo miſerum populum omnibus illis ſpiritualibus& cœleſtibus theſauris, quos Chriſtus Dominus & S. Mater Eccleſia ad animarum ſalutem procurandam apud ſacrorum myſteriorum diſpenſatores & Antiſtites depoſuit,miſerrimè iam pridem ſpoliarunt. Alij verò duo fratres, ſimulq́ue duo alij Catholici iuuenes violentis horum manibus euaſerunt,licèt ſeparatim in eos inquiſitum quoq; ſit. Incredibile verò eſt, quàm inanem lætitiæ triumphum hæretici ob hanc Catholicorum comprēhenſionem egerint.

Thomas cum nepote vno capitur. Itē Thomas Brounus Sacerdos & Hūfredus Maxfeldus.

Duo pueri cū ſociis elabuntur.

Demum ſub veſperam poſtquàm ad interrogationes propoſitas reſponſa eorum audita ſunt,ſcripto etiam ad Conſiliarios regios tranſmiſſa, & ſimul Conſiliariorum voluntas eſſet cognita, Brounus & Maxfeldus ad carcerem Clincium mittuntur; Vvorthingtonius verò adoleſcens traditus eſt carceri Oecopylano, qui à porta domus nomen habet,vbi cum conſtantia & pietate tempus tranſigit. Thomas autem Vvorthingtonius Sacerdos poſtquàm toto die contra varios hæreticos diſputando dimicaſſet, ad Turrim Londinenſem deductus eſt, vbi pecunijs alijſq́ue rebus ad quinquaginta aureorum ſummam ab eo ereptis, (tantundem autem ſibi munificentia ſummi Pontificis Gregorij XIII. ante quinquennium viatici loco conceſſum fuiſſe animaduertit) in ſpeluncam quandam ſubterraneam, quam Vvhalcſbourium vocant,coniectus eſt.

Brounus & Maxfeld' cōijciuntur in vincula. Thomas vvorthingtonius puer vnà cū patruo ſacerdote in diuerſis carceribus cōpingūtur.

Multis poſteà inquiſitionibus ac calumnijs vexatus, cùm ſex menſium ſpatium in admodum arcta exegiſſet cuſtodia,ſimul cum viginti alijs in exilium exactus eſt, 21. Ianuarij, Anno Domini 1585. cùm tamen nunquàm in iudicium productus eſſet, aut tanquàm legum illius Reipubl. violator ſententiam ſubijſſet. Quare non dubitauit ille palàm cum ſuis ſocijs denuntiare, iniquiſsimè hanc exilij pœnam ſibi eſſe irrogatam, prēſertim cùm nullum aliud illorum crimen eſſet,quā quòd fidem orthodoxam ſuis popularibus deprædicaſſent, ac ſanctorum Chriſti Sacramentorum,quæ ille è ſuo latere benigniſsimè in Eccleſiam effudit,participes effeciſſent. Et producti extra Caſtrum ad ripam Taneſis,vbi nauigiorum locus eſt, publicè frequente inſpectante populo proteſtati ſunt, cùm iam opportunum ad profitendam fidem

Thomas vvorthingtonius Sacerdos ablegatur in exilium.

tempus esset, se inuitos ab hoc disseminandæ ac propagandæ sanctæ fidei opere diuelli, ac in alienas oras ablegari, sibiq; potius in votis esse, vt causæ suæ æquitatem in supremis regni tribunalibus, ac, si opus esset, profuso sanguine probarent. In nauem quoque ingressi in primis R. Pater Gaspar Heyuoodus singulari nomine, ac deinde suo quisque particulatim nomine coram Satellitibus, quibus eos exportandi imperium datum est, dum exilij decretum legeretur, professi sunt se ægrè ac dolenti animo publicam hanc fidei Catholicæ defensionem, licèt alioquin periculi & discriminis plenam, cum exilio hoc commutare, licèt alioquin maioris in illo quietis & libertatis spes subesse videretur. Sed ad hęc ita responsum est; Pręfectus turris Londinensis nullam aliam sibi ait datam esse de illorum rebus statuendi facultatem, quàm vt illorum potestati traderentur, qui exilij sententiam exequerentur: Satellites verò affirmant sibi à supremo Senatus regij Concilio imperatum esse, vt in Normanniæ littus ipsos deportarent, à cuius mandati præscripto se ne latum quidem vnguem discedere posse vel audere.

Ricard⁹ tertius natu frater de sua fuga etiam cogitat.

Ad initium verò illius mensis Iulij, quo alij in manus hęreticorum inciderant, Ricardus Vvorthingtonius frater natu tertius, cùm intelligeret alios suos fratres è Mancestrensi custodia se subduxisse, & ipse quoq; spe liberationis, scripsit ad matrem literas, sibi aliquam elabendi opportunitatem fore, si quispiam adesset amicus fidelis, qui ipsum in via dum in scholas peteret, abduceret. Eædem verò literæ in manus D. Hollandi, in cuius iam ædibus detinebatur, inciderunt; nec infœlici quidem euentu. Is enim omnem suum laborem, quem in peruertendo puero impenderat, irritum & inanem esse sentiens, accersiuit quendam hominem tum sibi amicum, tum patri istius adolescentis annui census nomine obstrictum, aitq; puerum posse abire: quod paucis post diebus factum est, sub quadam tamen iuris cautione interposita, ne ad regiones transmarinas concederet. Nihilominus festinatò Londinum adolescens venit, vt simul cum fratribus qui periculum euaserant, relicta Anglia Gallias peteret, votoq; potiti sũt post vnius aut alterius mẽsis spatium, quo interim magno in discrimine fuerunt, ac bis terúe ad oram Anglicani littoris se ab hæreticorum laqueis, non minùs quã anteà vsquam periclitando, Dei beneficio subduxerunt. Tandem verò Remos in Campania venerunt, vbi in seminario Anglorum Pontificis cura erecto, pietati simul & literis dant operam, vt his armis muniti posśint aliquando Deo & Ecclesiæ, in Britanniæ nostræ ruinis instaurandis obsequium præstare.

Tres fratres minores natu Remos proficiscuntur.

QVID

QVID VEXATIONIS, INIVRIAE, CLADIS, NObilitate ac virtute clarissima fœmina, Domina Alana, vidua fratris Illustrissimi Cardinalis Gulielmi Alani, vnà cum liberis suis ab anno 1584. pro fide Catholica & acceperit & fortissimè tulerit.



REGIO consilio sub finem anni 1583. mense videlicet Nouembri, nihil ad maiorem Catholici nominis vexationem, innocentiumque grauiorem afflictionem visum est opportunius, quàm vt ad custodias Mancestrenses curandas deligeret, Præfectumque Prouincialem renuntiaret Edmundum Traffordum, hominem genere quidem nobilem, & equestris ordinis dignitate illustrem, sed Caluini perfidia & Bezæ œstro sic accensum, hanc vnam vt cum expectare occasionem diceres, qua modis omnibus Catholicæ fidei assertores & insectaretur contumelijs, & fortunis exueret. Augebat enim hominis inhumani furorem id vehementiùs, quòd ad rei familiaris angustias ex Catholicorũ bonis amplificandas, atque ædes suas varia supellectili furto auersa ornandas, spem sibi ostendi tantam videbat, vt qui proprio ære vix queat armiger appellari, alieno saltem auro quacunque iniuria occupato, eques auratus iure posset dici & haberi.

Edmundus Trafford' teterrimus hostis Catholicorum renunciatur Præfectus Prouincialis.

Id igitur officium cùm Catholici animaduerterent esse homini in Orthodoxæ fidei cultores crudeli, & alienæ pecuniæ propter fortunarum propriarũ tenuitatem supra modum sitienti collatum, quasi persentiscentes insolentem quandam & iam iam imminentem sibi rebusq; suis tempestatem, primùm quidem ope diuina nixi, debitis virtutum præsidijs ad patientiam se mutuò confirmabant; deinde etiam humana vsi prudentia, diligenter quę procellæ ingruerent, & per amicos inquirebant, & quibus potissimùm declinarent impetum, quoad liceret, rationibus prouido consilio expendebant.

Neque verò ita multò post, amici cuiusdam diligenti opera certiores fiunt Edmundum Traffordum à consilio Regiæ maiestatis secreto in mandatis habere, vt cùm sacerdotes cæterosq; Catholico nomini deuotos, qui ad conuenticula & Ecclesias Caluinistarum adire renuerent, disquireret atque diuexaret: tùm verò leges quasdam crudelissimas in eos latas, qui quòd Caluinianis sacris interesse nollent, proscripti essent, exequeretur. Ac ne non exactissimè id effectum daret, homo ad omne

Mandatum consilij Regij datur Præfecto, ad capiendũ 300. Catholicos ex quibus plures 140. nobiles erant.

ad omne scelus armatus, cùm mandatis eiusmodi, à consilio regio nomina etiam trecentorum amplius Catholicorum accepit. Ex quibus plures centum & quadraginta nobiles erant partim viri, partim fœminæ maritis orbatæ; cæteri ciues erant honesto loco nati, & opibus pro cuiusq; conditione satis benè instructi. Quod à Principibus satrapisq; Caluinianis adeò attendi solet, non vt aliam ob causam reliquo Catholicorum gregi, quanquàm iam adscriptis & numero superiori, & Orthodoxæ fidei profitendæ studio nihil inferiori, tantisper parcitũ fuisse videatur, quàm quod minus apti marsupijs Caluinianis implendis fortè iudicarentur.

Mandatum peculiare de Domina Alanα comprehendenda. Certè illud compererant Catholici, Edmundo Traffordo consilium Regium peculiariter mandasse, iamque penitus homini furibundo decretum esse, Dominam Alanam à Rossehal, mulierem singulari virtute, prudentia, & fidei zelo præstantem, (quod & anteacta eius vita, & hæc maximè qua de agitur afflictio abundè testatur) quam primùm comprehendere, ac in comprehensam durè in primis & acerbè animaduertere. Fuit tamen molitionis istius nuntius ad D. Alanam ineunte iam nouo anno, primùm veluti strenæ loco allatus, quando rumorem scilicet anteà, quamuis occultè sparsum, confirmabat vehementer sæua illa quæ ad Natalem Domini vigebat diuexatio, atq; ædiũ Catholicorum circa locum, vulgo Prescot, habitantium perscrutatio, bonorumque omnium deprędatio.

Aedium Catholicorũ perscrutatio & direptio.

D. Lathomi domus inuaditur, & bona diripiuntur. Qua iniuria præsertim affectus est D. Lathomus à Mosbaron, cui prædones Caluiniani cùm tanquàm venatici canes perquisitis quibusq; domus angulis, omnem supellectilem sacram domi repertam abstulissent, vt barbaram suam amplius demonstrarent immanitatem, in ipsam Lathomi vxorem homines feri atque atroces irruerunt, eiusque sinus & loculos pertractantes, vestes etiam interiores disruperunt atque excusserunt, si fortè consecratæ ceræ orbiculum (quem agnum Dei vocant) rosaria, cruces, medalias, aut aliud eiusmodi ad partes secretiores absconditum depręhenderent. Ad extremum bona quoque omnia nobilis viri tàm mobilia quàm immobilia fisco regio addixerunt: cubiculorumq; ostia, cistas, & id genus alia seris occlusa additis sigillis consignarunt, donec de omnibus ex voluntate eorum, qui Reginæ sunt à consilijs, commodior statuendi ratio præberetur.

Vxor indignè à rabidis Caluinistis tractatur.

D. Alana cũ Sacerdote, et affine sua D. Coniers, se abdit. Hęc vbi liquidiùs cognouit D. Alana, vna cum Georgio Bramleo Sacerdote pio & graui, & affine sua Domina Coniers, ad solita diuerticula, quibus ipso natali Christi sequentibusq; ferijs vsa fuerat, se confert, relictisque ædibus proprijs, ad loca quædam secretiora abit, ne ex impro-

improuiso nocturna quiete à grassatoribus istis famelicis, qui tunc temporis maximè alienas domos inuaderent, caperetur. Inde ad crepusculum domum redit, sacrum missæ officiũ audit, & sanctissimum Christi corpus ad vires animi maiores contra veritatis hostem in hac sacra pugna obtinendas suscipit, reijciens interim se suaque omnia ad arbitrium diuinæ prouidentiæ, eique gratias agens, quòd non solùm sancta fide imbuta esset, verùm etiam digna habita pro nomine IESV contumeliam pati.

Ita festos illos nati & circumcisi Domini dies, piè cum suis celebrantem bonam matronam, crebri & certiores rumores, qui de aduentu exploratorum spargebantur, ipso peruigilio Epiphaniæ excipiunt, quo die propter imminens periculum à sacris mysterijs abstinere, & per incerta loca oberrare statuerat. Verùm enimuerò cùm intelligeret misellum quendam Ecclesiæ Catholicæ reconciliatum, percupere illo die missæ sacrificio interesse, & sanctissimum saluatoris corpus (quod viginti retrò annis non fecerat) sumere, domi sancta mulier remansit, curauitq; eodem die diligenter excubias propter hostium incursiones singulis horis expectatas haberi: vespera verò appetente, more solito, quamuis esset Dominicus & Epiphaniæ dies profestus, ad loca quædam occultiora sese contulit, filiabus tribus, Helena, Catharina & Maria (quarum natu maxima non ampliùs quàm decimum sextum ætatis annum agebat) domi relictis, vt quicunq; casus foret, suppellectilem, fundos & reliqua bona, tanquàm legitimæ hæredes, partim ex voluntate & testamento patris defuncti, partim ex matris donatione inter viuos illæ occuparent. Eam donationem prudentissima matrona ex Iurisperitorum consilio fecerat, esseque rata & firma debebat, si vllus æquitati locus in Anglia hodie relinqueretur.

Relictis filiabus domi, iterum abit.

Filiabus dat omnia sua bona.

Eadem nocte accessit ad ædes nuntius quidam, vt simulabat, (nam reuerà explorator erat, vt die insequenti manifestè patuit) missus à D. Edmundo Fleetevvood; qui accuratè & diligenter de Domina Alana postquàm quæsiuisset, debere se quoniam domi non erat, reditum eius expectare dixit. Interim nocte illa singulos domus angulos quoad potuit, vir improbus explorabat, cæteraque omnia obseruabat.

Explorator mittitur ad ædes D. Alanæ.

Proxima die, quæ erat Epiphaniæ Domini festa, Præfecti Prouincialis vicarius vnà cum Hudlestono iustitiæ publicæ conseruatore, summoque Catholicorum hoste, facta manu improbissimorum nebulonum, ex ædibus Domini VVorthingtonij à Blainscough quas pridiè barbarè diripuerant, summo mane ad domum Dominæ Alanæ in Rossehal aduolant, ibique summa verborum & actionis asperitate, fa-

Ædes Domini VVorthingtonij diripiuntur.

Vicari⁹ Præfecti Prouin-

miulis

cialis inua-dit domū D. Alanæ. mulis nomine Regiæ Maiestatis mandant, ostia omnia vt aperiant, sibique claues vniuersas & arma omnia quæ in domo essent, in manus tradant. Respondent famuli se id præstare nec posse nec debere, nisi prius videant Principis mandatum, seu vt vocant commissionem, qua hoc illis præciperetur. Hîc Hudlestonus: Satis commissionis (inquit) id vobis sit, quòd Præfecti Prouincialis vicarius hoc fieri præcipiat. Cui famulorum quidam: Istud quidem aliquid est (ait) quod adfert Dominatio tua, nobis tamen haud satis est, cupientibus Regiæ Maiestatis mandatum, quo vobis hoc liceat, intueri. Contentionis demùm huius is fuit exitus, vt furentibus Caluinianis canibus vimq; facientibus, impedire non poterant famuli, quin absentis viduæ domum inuaderent.

Inquiris vbi illa sit. Aedes igitur ingressi, primùm vbi sit Domina Alana & quid agat, morosè interrogant, tum de sacerdote eius, tum de Domino Coniers ab Hinton in prouincia Eboracensi, nobili honorato & insigniter Catholico pari cura sciscitantur; famulis respondentibus, nullum illorum in ædibus adesse: statim iuramentum nomine Reginæ offerunt, quo nisi vinculis astringi velint, protinus aperiant non solùm vbi iam nominati latitarent, sed etiam quæcunque alia peterentur. Eiusmodi iuramentum vt temerarium & illicitum cùm famuli recusarent, idem proposuerunt statim cæteris præsentibus exploratori illi, cuius anteà meminimus. *Exploratoris mendacium luculentum.* Is præstito iuramento asseruit, putare post suum accessum Dominam Alanam domi fuisse, atque vt figmentum istud probabilius redderet, affirmauit se tota nocte in cubiculo quo dormiuerat inclusum, ne scilicet eam latitantem domi cerneret. Quod hominis impudentissimi mendacium adeò erat luculentum, vt Gulielmus Anianus à Chirckbridge, qui in eodem cubiculo cum altero dormierat, non veritus fuerit in os hominem scelerati mendacij arguere, atq; ad agnitionem sceleris reuocare.

Iam verò tricliniam ingressi, grauem quandam imaginem ex pariete pendentem vident, eamque suspicati esse (vt erat) clarissimi viri & *Prædones barbari deformant imaginem Illustrißimi Cardinalis Alani* nationis Anglicanæ ornamenti præstantissimi Domini, Gulielmi Alani, nunc S. R. E. Cardinalis amplissimi, non solùm conuicia plurima & barbaras voces in virum optimum sycophantæ coniecerunt, verùm etiam cultris suis ac pugionibus mirum in modum imaginem deformarunt, ac tandem in solum deiectam pedibus protriuerunt.

His peractis claues à maxima natu filia accipiunt, totamq; domum & cistas singulas perscrutantur, vbique barbaras querelas deponentes, quòd pecuniam, cuius desiderio in primis tenebantur, nusquam præter sex annulos aureos, cum monili quodā valoris 20. circiter corona-

torum

torum alijsq; huiusmodi in cuiusdam filiolæ cista inuenirent. Non tamen manus à virginum nobilium vestibus abstinuerunt, quin omnes ablatas personis quibusdam leuibus & conditionis non admodum honestæ distribuerunt, sperantes se posse illarum opera in aliarum rerum ac personarum notitiam venire.

Domina Alana mittit quosdam rusticos ad ædes suas.

Interim sub noctem, neque enim citius potuit D. Alana, quæ non procul ab ædibus cum suis latitabat, quid agerent exploratores & carnifices in domo sua, quòd non essent inde breui abituri intelligens, id consilij subitò cepit, vt ad ædes viginti septem circiter homines ruricolas, partim subditos suos, partim vicinos & amicos mitteret, qui cũ improbis illis hospitibus cibum & potũ liberaliùs eò sumerent, quod citiùs discessuri prædones viderentur, si commeatu necessario se destitutos viderent, præsertim cùm nullum esset oppidum aut pagus vicinus, vnde posset facilè comparari, sed nec poterat pia mulier suspicari eos isthûc venisse, vt ibidem diu hærerent, aut se & proles suas omnibus omninò fortunis spoliarent.

Vicari' Præfecti timet sibi & suis à rusticis.

Accedunt ergo ad ædes rustici homines more suo armati, ac tantum Præfecti Prouincialis vicario, qui tunc primùm cum socijs suis mensæ accubuerat, timorem inijciunt, vt à mensa surgentes, partim silentio suo, partim vultu deiecto & conscientiam pessimam, & factum improbum testarentur, tandemque clamore sublato quasi forent rusticorum fustibus malè accipiendi, sibi suisque consulere cœperint. Id animaduertentes famuli, cùm nullo negocio improbos & abiecti animi homines è domo deturbare potuissent, ne tamen vllam aduersarijs vel malè de Catholicis suspicandi, aut de vi illata conquerẽdi occasionem darent, humaniter significarunt, non esse, cur sibi timerent à rusticis istis, qui non eò venirent, vt mali quidquam ipsis inferrent, sed vt more patriæ Dominam suam hoc tempore sacro inuiserent, illamque sua præsentia recrearent, & cœnam apud ipsam (si domi fuisset) sumerent; proinde posse vicarium cum socijs suis liberè mensæ accumbere, ac inceptam cœnam sine timore absoluere. Benè habet, inquit Vicarius, postquàm his famulorum verbis animum nonnihil resumpsisset, detur ergo illis cibus. Non tamen potuit ille aut eius socij cibum mente pacata sumere, quamdiu se viribus impares rusticis viderent.

Duodecim noctes egerãt

Itaque circa horam noctis octauam imperat Vicarius rusticis nomine Regiæ Maiestatis, vt ex ædibus quamprimùm discedant: quod cùm moras trahendo non ita expeditè facerent, iterum Principis nomine, vt quàm citissimè se indè abriperent, mandat, quo quietem agerent ministri Regij commodiorem, qui duodecim noctibus

D superio-

prædones regij insomnes in diripiẽdis Nobilium ædibus. superioribus, ob continuas vigilias ac labores (sic enim iactitabant) quos in Nobilium ædibus perscrutandis ac diripiendis suscepissent, vix dormire potuerint. Qua demùm denuntiatione effectum est, vt rustici omnes, septem exceptis, aliò se contulerint.

Porro Latrones isti Regij ex cæterorum rusticorum abitu & præsentium paucitate animosiores facti, hos audaciùs inuadunt, magnisq; verborum fulminibus minitãtur, se Lancastriam ad carceres publicos ablegaturos, nec inde dimissuros, donec vadibus datis promittant se proximis comitijs Prouincialibus comparituros, rationemque reddituros, cur ad ædes tunc potissimùm temporis D. Alanæ accesserint, ibidemque tota illa nocte manserint, prætereà Iudicibus responsuros ad cætera quæ illis obijcerentur.

Dum hæc verò ab exploratoribus geruntur, Præfecti Prouincialis vicarius ab alijs diligenter inquirit de causa aduentus rusticorũ, & quãuis nihil dignum reprehensione aut pœna potuerit comperire ab illis actum, nisi quòd paulò diutius mansissent quã à vicario illis imperatũ esset, & quidam iuuenis, chartis lusorijs prolatis, socios ad ludendum illa nocte inuitasset (quod sanè mirum est ab Euangelicis istis Chattertoni Superintendentis Cestrensis ouibus veluti indignum facinus iudicatum esse, cùm pastor ipse pro sua grauitate Episcopali non vereatur integras noctes diesq; vertendis huiusmodi chartis loco scripturę sacrę, adhibitis etiam iuramentis parùm dignis tàm spirituali pastore, consumere) nomine tamen Regiæ Maiestatis mandauit, proximis vt comitijs Prouincialibus comparerent, rerumq; à se illa nocte & loco gestarum iudicibus rationem redderent. *Superintendentis Cestrẽsis Chattertoni studia.*

Parent infœlices rustici, adsunt comitijs, ibique iubentur, non solùm septem illi qui tota nocte manserant, sed reliqui etiam omnes quotquot præsentes erant in principio noctis, quique à magistratu moniti paulò post recesserunt, Præfecto Prouinciali 17. solidorum Anglicanorum, id est, trium ferè coronatorum aureorum mulctam dare, præter id quod accedendo ad comitia exposuerunt, & iacturam temporis, quo sementem facere oportebat. Hanc pecuniam statim coacti sunt numerare septem illi rustici, qui iussi erant in comitijs comparere; reliquis verò, qui tunc pręsentes non erant, mandatum fuit per nuntium publicum proximis Comitijs vt adessent, ac simul pecuniam quę Vicecomiti pendenda foret secum adferrent, nam æris & auri iam in Anglia maior, quàm aut innocentiæ aut iustitiæ ratio ab istis gryphis habetur, qui sic administrant iustitiam in Britannia nostra miserabili, vt non solùm Catholicos, sed etiam Catholicorum amicos, cęterosq; *Rustici mulctantur.*

rosq; omnes qui fauent afflictis, si opes vel argentum habere putantur, quocunque tandem modo siue iure siue iniuria opprimere expilareque studeant.

Cæterùm, vt vnde digressa est, eò reuertatur oratio, eo ipse die quo septem rustici de quibus anteà, præstito vadimonio abierant, Præfecti Prouincialis vicarius cùm statuisset ad aliquot dies in ædibus Dominæ Alanæ morari, decem ex comitibus suis & latrocinij socijs Mancestriam ablegauit. Hi profecti in itinere obuium habent exploratorem quendam sibi suisque moribus (nam in Anglia omnia sunt plena huiusmodi sycophantis) persimilem, offert is obsequia sua & labores, si qua in re impia illorum studia promouere posit; atq; vt inditium aliquod præbeat fidelis in reliquis operæ, asserit se ad Sabbati præterlapsi vesperam, nobilem illam fœminam Dominam scilicet Alanam, quam quærebant, in ædibus cuiusdam Anionis vidisse; eò se statim cõferrent, fore, vt vel eam ibidem comprehenderent, vel aliquid saltem ab ea depositum inuenirent. Quibus proditoris verbis inflammati lupi rapaces ad prædam, statim ad ædes Anionis mutato itineris cursu accelerant, ibique tandem post longam rerum omnium perscrutationem & euersionem, in arca farinaria quingentas libras nummorum aureorum reperiunt vase exiguo inclusas, quas cum multa tela linea, quam eò ante biduum adferendam nobilis matrona Alana curauerat, ad vicarium Præfecti Prouincialis qui in ædibus D. Alanæ morabatur, è vestigio mittunt.

Proditoris eiusdam opera pecunia D. Alanæ intercipitur.

Sunt 1500. & amplius coronati.

Vicarius fœlici hoc prædonum successu vehementer exhilaratus, prædam pecuniariam per eosdem ad Præfectum Prouincialem destinat; sed prædones veriti, ne parùm sibi lucri ex labore accederet, si tota præda ipsi Præfecto traderetur, ex quingentis libris 48. aut 49. sibi reseruant, quod ex Præfecti tabulis quas exhibere post cogebatur, facilè patuit: siquidem 451. tantùm libras accepisse se in ijs confirmabat. Nec mirum sanè, si latrones inferiores sibi maturè citra omnem conscientiæ scrupulum prospiciant, cùm maiores illi & antesignani tàm barbarè in bona aliena inuolent, vt verè de Anglia dici posit illud Prophetæ: *Quomodo facta est meretrix, ciuitas fidelis, plena iudicij? iustitia habitauit in ea, nunc autem homicidæ. Argentum tuum versum est in scoriam, vinum tuum mistum est aqua. Principes tui infideles, socij furum, &c.*

Verùm hac nobilis viduæ præda nec dum contenti exploratores scelerati misero Anioni in cuius ædibus eam repererant, tres etiam libras extorserunt, & farinam prætereà, qua pauperem familiam alere oportebat, in terram proiectam pedibus conculcarunt, sicque desce-

Anio, in cuius ædibus pecunia D. Alanæ inuenta.

 darunt

-ta fuit, mul-ctatur.

darunt vt nulli deinceps posset esse vsui. Et quamuis miser posteà supplicaret magistratui, vt pro æquitate sibi restitueretur non solùm pecunia, sed etiam damnum à prædonibus illatum sarciretur, nihil tamē potuit ab illis, vt quibus volupe esset Catholicorum, & Catholicis fauentium expilatione famelicos suos ministros locupletari, præter hoc responsum impetrare, pecuniam scilicet vniuersam in domo eius repertam D. Alanæ, non ipsius Anionis fuisse.

Eodem tempore duos abduxerunt secum ad Præfectum Prouincialem ministros D. Alanæ captiuos, quos ille vir omnis humanitatis expers, statim in antrum profundissimum detrusit, indeque post viginti quatuor horarum spacium eductos multa verborum asperitate accepit, omnia tormentorum genera illis minatus, nisi statim faterentur, Dominam Alanam eo consilio hanc pecuniam conuasasse, vt ad affinem suum Doctorem Alanum Remos transmitteret. Illi, se hoc non posse fateri quod nescirent respondent, etiamsi mille tormentorum genera illis infligeret.

A famulis deinde ad Anionem itum est, eique nomine Principis iuramentum oblatum, & simul imperatum, vt verè fateretur, num hæc pecunia sibi tradita fuerit ad Doctorem Alanum destinanda nec ne. Ad quæ ille præstito prius iuramento se illam pecuniam à Domina Alana eò accepisse respondit, vt si quid aduersi matri in hac iactatione accideret, eam filiabus posteà traderet. Sed nullum hæc attestatio locum apud rapacem Præfectum habere potuit, qui suum commodum, filiarum emolumento atq; adeò ipsi veritati præferens, noluit homo improbus vt idem Anion in posterum quidquam testaretur, quamuis eadem re interrogandus ex iure esset, nisi prius promitteret se in fauorem fisci regij contra filias, iustitiam & pietatem testimonium prolaturum.

Aloisia Haddoca virgo nobilis & infirma in vincula conijcitur, eò quòd oraret pro Pontifice Romano.

Erat in ijsdem locis D. Aloisia Haddock virgo illustri genere & filia insignis Christi confessoris, Nobilis omni laude digni, D. Haddoci à Cottam. Hanc licèt prędones isti intelligerent, & ipsi coràm viderent graui infirmitate conflictari, morboq; comitiali frequēter obnoxiam esse, ac propterea promisissent se illam apud virum nobilem quendam vicinum hoc ipsum petentem in custodia relicturos; nihilominus tamen, cùm eam audirent contra ipsorum impias voces & Caluiniana in Pontificem Romanum iacta conuicia, pro sua sanctitate Deo vota facientem, adeò excanduerunt vt nihil morati promissionem factam, aut nouas amicorum preces, omninò decreuerint virginem in vincula conijcere, si non vnà secum maledictis Christi vicarium proscinderet,

veniamq;

veniamq; tàm horrendi facinoris, quòd scilicet pro sua sanctitate orasset, à Regina sua, id est, Pontifice apud Anglos peteret. A qua impietate tantum absuit virgo religiosissima, vt contrà non dubitarit multò maiore constantia & zelo, easdem preces ipsis audientibus pro Pontifice Romano & omnibus Sacerdotibus Catholicis sub eius obedientia viuentibus repetere, palàm & apertè ipsis aduersarijs professa, non destituram id ipsum facere, quamdiu aliqua loquendi facultate vteretur. Ita nihil remittens propter barbaras & frementes insanorum voces, reliquam ab illis intentatam crudelitatem magno & alacri animo ferens ad carceres progressa est, virgo verè digna nobili stirpe Haddocorum, quæ duobus confessoribus patre & filio natu maiore, & vno martyre Georgio Haddoco filio minore, sanctissimis Christi Sacerdotibus illustratur.

Sed non possum, quin hoc loco spiritum nostrorum Euangelicorum obseruem, qui licèt vbique crepent verbum Domini, nihil tamen minus faciunt, quàm quod præscribit verbum Domini. Siquidem mandat verbum Domini, *inimicos nostros vt diligamus, & benefaciamus his qui vos oderunt, iubet etiam oremus pro persequentibus & calumniantibus nos*; ac preterea *religionem ait mundam esse & immaculatam apud Deum & patrem, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum & immaculatum se custodire ab hoc sæculo*. Contrà autem sanctuli nostri Caluiniani, *religionem mundam esse ducunt & immaculatam apud Deum & patrem, amicos odisse Catholicos, maledicere & malefacere his qui amant ipsos, eos punire & vinculis constringere, qui maledictis & conuitijs nolunt perstringere vicarium Christi, eiusq; sacerdotes execrari; furari præterea & latrocinari, ac bona pupillorum & viduarum abripere*, Theologia est eorum practica, quam insigniter sanè exercuerunt in huius sanctæ viduæ domo diripienda; ex qua non solum duces ipsi & antesignani sceleratæ cohortis, sed ministri etiam atque adeò equi ipsorum, pecunia, vestibus, tela linea, libris, & id genus alijs plurimis onusti abiuerunt, nihil pensi habentes in rem suam à Principe iam ea furari, quæ ex mandato Principis & pro Principe serui Christi fuerant anteà furati.

Matthæi 5.

Iacobi 1.

Religio Caluinianorum qualis.

Atque hæc ad eum quem descripsimus modum gerebantur, cùm pia & multis modis afflicta vidua cernens aduersariorum moram in ædibus suis multò esse longiorem, quàm futuram existimauerat, non iam de pecunia, domo aut supellectili, sed de filiabus suis, virginibus præstantissimis, quas tanquàm vnguibus leonum, immanitati helluonum relictas videbat, admodum sollicita esse cœpit. Quocirca in Deum primùm intuens, ardenti prece ab eo contendebat, vt pignora illa

D. Alana sollicita est de filiabus.

tenera, vita sua sibi chariora eripere dignaretur ex ore leonis, & sub vmbra alarum suarum protegere à facie impiorum, qui eas affligebant: deinde verò ne humana videretur contemnere pręsidia, eas rationes filias ex periculo liberandi secuta est, quas prudentia in tantis angustijs, afflictissimoq; rerum statu suppeditare potuit, virgines porrò ipsæ maternum imitatæ zelum & prudentiam, cùm ex impijs huius crudelis actionis ministris eorumq́; verbis minacibus percepissent se aliô abducendas esse, vbi diuersam viuendi, credendi & Deum colendi rationem, quàm cui hactenus sub matre assueuissent, edocerentur, æquè ac pia mater de sua salute curam gerentes, omnem euadendi oportunitatem studiosè captabant, pręsertim cum ex varijs exemplis iam antè didicissent, quàm periculi plena res foret in manus hæreticorum tàm luctuosa tempestate incidere.

Virgines cogitāt de fuga

Iam quartus dies illuxerat, ex quo mater & filiæ hac graui anxietate premebantur, quando Præfecti vicario constitutum erat eo die virgines ad ædes Præfecti ablegare, factumq́ue esset, nisi clementissimus Deus suorum semper memor potenti dextera misellas de laqueo venantium liberasset. Vicarius enim abiturus, curam virginum abducendarum quibusdam ex suis cùm reliquisset, ij discessum non admodum maturantes, sed in dies aliquot iter differentes, virginibus de libertate sua & cogitandi & sperandi occasionem præbuerunt. Itaq; agitatis inter se, quantum per tempus licuit consilijs, illud operæ pretium omnibus visum, vt claues tandem portę exterioris in sua haberent potestate. Hanc ergo in curam excubant singulæ, ac tandem voto potiuntur. Nam die quadam, reliquis nihil tale suspicantibus, claues tollunt, ijsq́; in loco abdito sepositis, in causa fuerunt, cur nocturno tempore haud aliter claudi porta quiuerit, quàm pessulo intrinsecus obiecto, qui externis prohiberet accessum, ab internis verò posset nullo negocio amoueri. Nec mora tantam nactæ virgines euadendi commoditatem, intempesta nocte dum omnes somno sepulti iacent, amoto pessulo ostium aperiunt, & ad proximum brachij maris traiectum festinant; ibi scapha, quam sibi quasi diuinitus paratam inuenerant, conscensa ad alteram fluminis ripam confestim transmittunt, indeq́ue per deuia oberrantes, ac vix hospiti vlli propter aduersariorum insequentium, & omnes angulos perscrutantium immanitatem ausæ se committere, tandem ad matrem inter spem & metum suspensam post quatuordecim dierum miserabilem vagationem veniunt.

Claues abscōdunt, ne porta claudatur.

Aufugiunt intempesta nocte.

Hîc bona mater charissimas proles complexa, etsi maximam periculorū partem superasse sibi videbatur (amissis enim bonis omnibus,

quid

quid supererat, cui insidiaretur aduersariorum improbitas) cœpit tamen mulier verè prudens atque fortis, quanam ratione filiabus parente orbatis fortunisq; omnibus ac patrimonio amplo spoliatis succurrere posset, circumspicere. Occurrebat illud, vt nobiles quosdam viros ac amicos suos, quibus antè omnium bonorum suorum in vsum tamen filiarum donationem fecerat, rogaret, vt illi pro sua erga Deum & proles afflictas fide, dignarentur sicut facturos se receperant in hac extrema necessitate orphanis subuenire. Sed ab his nihil præter nouam mœroris materiam obtinere potuit. Quasi enim periculosum isthic scopulum pertimescentes ad quem humanæ auræ naufragium faceret, nulla habita amicitiæ, consanguinitatis, vicinitatis, pietatis, promissionis, aut fidei publicæ ratione, apertè negarũt se quicquam velle in gratiam virginum tentare, donec viderent quid lex ipsa de tota lite decerneret; perinde ac si dicerent, se tunc futuros amicos earum & protectores, cùm nulla ipsorum opera & auxilio indigerent, alioquin contra manifestam iniuriam, vim & furtum se nolle vrgere legis rigorem, aut causæ odiosæ suscipere patrocinium. Hanc dissimulatorum amicitiam nunc temporis in Anglia passim experiuntur Catholici afflicti, vt cùm maximè indigent illorum opera, tunc minimè sentiant fideles. *Deseritur ab amicis, quib' maxime fidebat pia vidua.*

Sed Deus, qui consolari oppressos solet in vltimo discrimine, non defuit piæ matronæ in hac sua & suorum agitatione; quin alios subministrauit fideles patronos atque amicos, nobiles scilicet quosdam viros, quibus æquitas & iustitia magis quàm hominum fauor & gratia cordi esset. Hi igitur Præfectũ Prouincialem accedentes, illum ne quid contra legum præscriptum aut iustitiæ rationem in causa nobilis viduæ tentaret, commonefaciunt, simulq; docent pecuniam, supellectilem, hæreditatis paternæ cæterorumque fundorum instrumenta ablata, & fisco regio ab illo aduincta, filiarum esse non ipsi' matris bona, ac proinde licèt mater veluti omnis iuris patrij expers proscripta esset (quod nec dum satis liquere affirmabant) non tamen propterea deberent aut vlla lege possent filiæ bonis suis spoliari, aut patrimonio priuari. Quibus Præfectus se duodecim viros designaturum ait, qui pro more patriæ ac iuxta leges regni definirent, quorum bona illa & sint modò, & in posterum essent futura. *Non tamen à Deo; qui alios statim subministrauit, deseruit.*

Dies iudicio indictus erat 24. Ianuarij, quo Mancestriæ sententia proferretur; multique planè sibi persuaserant misellas filias bona sua, iniustè ex ædibus maternis ablata recuperaturas, cùm interim amici non pauci, humana potius quàm diuina sapientia præditi, illisq; duodecim viris, quibus causæ decisio fuerat commissa, valde familiares, *Suadẽt amici, vt filia mittãtur, acturæ causam propriam corã Iudicibus*

multis

multis argumentis conati sunt Dominæ Alanæ persuadere, filias suas vt permitteret tribunal accedere, & coram bona ablata repetere, quæ sibi ex patris testamento, & matris inter viuos donatione, legibus Angliæ deberentur. Verùm hoc consilium Catholicis multis, maximè verò D. Alanæ vehementer displicuit, quæ nullis rationum momentis potuit induci, vt spe alicuius temporalis commodi filias suas in manus luporum iterum incidere fineret. Videbat enim mulier prudentissima, & magna multorum annorum insectatione iam didicerat, filias non prius à iudicibus pro tribunali sedentibus audiendas esse, quàm promitterent se ad synagogas Caluinistarum accessuras; quod si abnuerent, aut carceribus statim mancipandas, aut omnibus bonis vnà cum matre exuendas: quapropter sex nobiles viros veteri necessitudine sibi coniunctos designauit, qui Mancestriæ nomine virginum comparerent, & duodecim viris totius causæ rationem euoluerent. Illis præterea alios quatuor honesto loco natos adiunxit, qui testarentur de donatione bonorum à se facta filiabus suis, idq; publico instrumento, quod secum habebant probarent.

Hoc non permisit mater

Ad dictum ergo diem Mancestriam conuenerunt, tum nobiles iam dicti & testes ex parte virginum, tum Præfectus Prouincialis cum suis collegis, qui nomine quidem Principis iustitiam se administraturos ex legis præscripto pollicebantur, re ipsa tamen nihil minus facturi, quemadmodùm ex iuratorum designatione statim patuit: nam illorum Principem constituit Præfectus Edmundum Fleetvvodum, qui & ipse nescio quid iuris prætendebat ad viduæ domum, quàm Rossehal vocant, olimque ad monasterium quoddam vicinum pertinebat; sed Edmundi pater, vt ipse asseruit, ab Henrico octauo, (hic enim impius rex & Ieroboam imitator, cùm sedi Apostolicæ atque adeò ipsi Deo & omni virtuti nuntium remisisset, monasteriorum bona vel sacrilego ausu vendebat, vel parasitis suis pro arbitratu donabat) multis antè annis emerat. Quin etiam Fleetvvodus iste sæpiùs omnes perquisiuit vias, quib⁹ huius domus & fundorum possessionem ex manibus D. Alanæ extorqueret, quamuis annos elocationis ab ipso Abbate maioribus D. Alanæ ante monasteriorum euersionem factæ, nondum finitos esse cognosceret. Ea propter, iuxta legum Angliæ morem ac consuetudinem, virginum amici hunc hominem vt iniquum eiurant, atq; vt ex albo iuratorum deleretur, petiuerunt. Sed Præfectus illum sufficientem esse ad huius causæ decisionem dixit, nec reijciendum, cuius vti opera in hoc negotio Principi placuisset.

Iurati designati ad ferêdam sententiam quales.

Atque hac responsione cum eiurationi à parte læsa factæ abundè se putar-

se putaret satisfecisse, inducere animum non potuit vt hominem iniquum a iuratorum numero remoueret, etiamsi virginum aduocati & amici non semel obijcerent, illum contra leges, patriæ consuetudines & conscientiam propriam, æquissimam aduersariorum aduersus hominem minus æquum ad causam decidendam, exceptionem reijcere. Adeò autem nihil promouerunt, vt cùm iurati soleant in huiusmodi causis vigintiquatuor conscribi, Præfectus pro suo arbitratu viginti tres alios socios similes planè cum Fleetvvodo conditionis atque fidei adiunxerit.

Excipiunt hæredes contra iuratos, sed non audiuntur.

Quo animaduerso virginum procuratores, iam quidem de fœlici sententiæ euentu spem omnem planè deponebant; ne tamen viderentur quidquam eorum prætermisisse, quæ fieri per se in causa æquissima oporteret, instrumentum donationis maternæ protulerunt, & simul testes quatuor, honestæ conditionis viros tribunali stiterunt, qui iureiurando dato testarentur contractum hunc seu inter viuos donationem eo modo factam esse, quo in instrumento describebatur. Verùm hæc omnia eadem impudentia, qua antè exceptionem reiecit Præfectus, ne quidem testes paratos quod verum esset asserere dignatus audire, propterea quòd Papistis, proditoribus, & reipublicæ hostibus fauere (vt bonus vir aiebat) contra Regiam Maiestatem viderentur; libenter autem eos se tùm auditurum, si ad suæ Maiestatis commodum loqui vellent. Hîc quidam ex nobilibus qui causam agebant afflictæ prolis, significant Præfecto inter alia scripta ablata ex domo D. Alanæ, fuisse instrumentum elocationis prædij cuiusdam dicti Toderstaffe, quod Dominus Richardus Alanus patruus virginum antè mortem suam duabus iunioribus virginibus dono dederat; id igitur vt ad earum sustentationem restituatur obnixè rogant, sed in hac etiam petitione vt in cæteris, repulsam passi sunt ab iniquissimo Præfecto, asserente nec illud quidem hostibus Reginæ esse concedendum.

Cùm itaque nobiles viri illi, qui procuratores agebant virginum, nullum viderent iustitię locum in illo tribunali sub homine perditissimo esse reliquum, deinceps tacuerunt, totamq; causæ determinationem iuratis, id est, eiusdem farinæ cum Præfecto 24. hominibus reliquerunt; qui vt speciem aliquam legis obseruare viderentur, ad tempus abcesserunt tanquàm de negotio deliberaturi, qui ex Præfecti mente & instructione quid definirent iam antea didicerant. Interim dùm simul in cubiculo seu loco consultationis ad speciem hærerent, Anion hospes D. Alanæ vt antè diximus, rei indignitate commotus, ad ipsum locum accessit, eosque hortatus est, primùm vt Dei timore ob

oculos posito quod ęquum esset & iustum decernant; deinde vt quosdam homines suspectos, quos nominatim recensebat, de numero suo pręcipuè verò Fleetvvodum, summum cumq; notum D. Alanę & filiarum eius hostem atq; aduersarium mouerent: sed frustra fuit is boni viri labor apud illos, quorum oculos lucri proprij amor, & timor offendendi Principem iam planè excęcauerat. Nam post breuem in loco consultationis moram, prodeunt simul, atq; omnium nomine prolocutor & princeps impiæ cohortis Fleetvvoodus hunc in modum sententiam pronuntiat: *Cùm proles, quarum nomine bona petuntur, non coràm adsint, autumamus illas aut vita functas esse, aut ex regno aufugisse, ac proinde ex vi legis mortuas censeri. Ex quo sequitur bona omnia quæcunque inuenta sunt matris esse, non prolium: & quoniam mater tanquàm iuris patrij expers proscripta est, iudicamus bona omnia ad fiscum Regium pertinere, eoq; reuocanda esse.*

Sententia iuratorum.

Prolata igitur à iuratis sententia, Præfectus Prouincialis vix vlla interposita mora, ad vtramque viduæ domum tàm illam quæ dicitur Rossehall, quàm alteram dictam Toderstaffe se contulit, indeq; curauit omnia pecora abigi, cæteraque bona auferri, & simul cum illis instrumenta elocationum & donationum, syngraphas item debitorum, atque adeò ipsius viduæ bona dotalia. Neque his contentus homo rapacissimus, alia etiam plurima domi inuenta secum abripuit, licèt ad viduam illa non spectarent, cuiusmodi erant fundorum patrimonialium instrumenta, eo scilicet prætextu, quod D. Ioannes Alanus hæres paternus æquè ac maternus ex regno (vt ille violentus prædo comminiscebatur) aufugisset, & in regionibus transmarinis vitam contra leges Angliæ Caluinisticas duceret. Ad hæc virginum ornamenta reliquumq; mundum muliebrem adiunxit, eò quòd pręsentes coràm sua non repeterent, quemadmodùm & magnam vim vestium, quæ affinium & amicorum erant, raptores Regij veluti sacerdotum indumenta atq; exuuias ouantes secum abstulerunt.

Præfectus Prouincialis omnia bona viduæ & filiarum inuadit.

Quoniam verò ministri Regij hanc latrocinio suo prætexebant causam, quòd scilicet Domina Alana, velut quæ à legibus nullum habere queat præsidium, accusata esset, condemnata & proscripta, sicq; de bonorum omnium possessione ex iuratorum sententia iustè deiecta; per amicos operam dedit prudens matrona, descriptionem vt impetraret huius accusationis & proscriptionis, non dubitans quin aliquis error in eiusmodi actione facilè inueniretur, vnde secundùm Angliæ leges ansam caperet suæ & prolium suarum causæ contra aduersas partes restituendæ. Sed & hic obsurduit Præfectus iniquus, Reginæ secretiq; consilij obtendens decretum atque mandatum, cuius auctoritate omnia hactenus à se acta esse affirmabat. Postre-

Negatur viduæ copia proscriptionis.

Poſtremo vt optimam matrem omnes tandem iuuandæ prolis rationes pertentaſſe in confeſſo eſſet, ſupplicem libellum conſilio ſecreto offerendum parauit, tùm ne fortè qui à conſilijs ſunt (vt aliàs ſolent apud exteros principes & nationes, cùm ſummæ huius tyrannidis & barbaræ crudelitatis arguantur, comminiſci) ignoratam ſibi cauſam fuiſſe fingerent; tùm etiam vt ab illis, ſi vſquàm ab vllo tribunali in Anglia, contra vim aduerſariorum iuſtitiam & æquitatem, qua ſibi orbatiſq; virginibus ſubuenirent, poſtularet. Verùm Gulielmus Cicilius ſupremus regni quęſtor, cui maximè ſupplicabat, quiq; pecuniam non minùs quàm inferiores illi de quibus hactenus egimus latrunculi amare ſolet, non multò maiorē æquitatis aut miſericordię ſpem quàm cęteri prędones piæ viduæ eiuſq; prolibus fecit. Quare ex tota hac litis perſecutione duo illa retuliſſe videtur afflicta matrona; primùm, vt quò in ſublimiori dignitatis gradu eſſet illi, quib⁹ ſupplicabat, eò maiores ſumptus & grauiores labores tū per ſe, tùm per nobiles viros amicos ſuos fruſtrà ſubiret; deinde vt quātò iniquius cū illa agi omnes videbāt, tantò plures Caluiniani ſatrapę inuenirētur qui prędæ inhiarēt.

Offert illa libellum ſupplicem conſilio ſecreto Reginæ.

Gulielmus Cicilius ſupremus regni quæſtor, non minus quàm Præfect⁹ Prouincialis inhiat viduæ bonis.

Pręciſis enim viduæ ac proli omnibus in bonorum ablatorum poſſeſſionem redeundi rationibus, primùm Pręfectus Prouincialis cum ſocio ſuo Vvorſleo, ſibi prędam totam in compenſationem obſequij pręſtiti Regiæ Maieſtati vendicabant, atq; officij ſui ratione primam eius poſſeſsionem inierunt. Pòſt duę nobiles fœminæ per donationē generalem à Regia Maieſtate factam omnium bonorum, quę fiſco Regio ſolent in Comitatu Lancaſtriæ per damnatorum proſcriptionem cedere, prędam eſſe ſuam confirmabant. Ac cum his quidem lubens negocium compoſuiſſet Pręfectus, aſſerens ſe ipſarum nomine prędam vniuerſam abſtuliſſe. Sed ecce tibi Baptiſta quidam aulę Regię penſionarius, in vulgus ſparſit, à Regina mercedis nomine ac pręmij omnia ſe viduæ & liberorū bona obtinuiſſe, ea tamē conditione, vt ſtudioſè tenellis virginibus proſpiceret, eaſq; curaret honeſtè educandas. Sic enim placet noſtris Angliæ moderatoribus, fucatæ pietatis pallio latrocinia ſua & Turcicas prędationes tegere, vulgo interim dictantibus opus magnæ miſericordiæ & pietatis æſtimandum, ſi Princeps curet innocentes proles tenellaſque virgines Catholica fide piè imbutas à parentibus auelli, teterrimiſque tradi Caluiniſtis, à quibus doctrinam impuri & ſanguinarij huius Euangelij diſcant, ſimulque crudelem ſpiritum Caluini, qui illis omnium bonorum, & hęreditatis tàm paternæ quàm maternæ iactura ſtet, à primis annis hauriant: tanti ſcilicet emitur libertas Caluiniana & prædandi ſpiritus.

Certāt de bonis D. Alanæ varij Caluiniſtæ.

1. Præfectus Prouincialis cum ſocijs.

2. Duæ nobiles fœminæ aulicæ.

3. Baptiſta quidam Penſionarius.

 His

4. *Gulielmus Cecilius, qui omnia tandē occupat.* His Gulielmus Cecilius regni quęstor, tametsi postremus petiturus accessit, tamen quia auctoritate munitus, & consilio veteratorio armatus prædam aggressus est, facilè silentium reliquis omnibus competitoribus imposuit; viduæ quidem & filiabus, quod hæ sententia iuratorum (aduersus quam nulla esset admittenda appellatio) iure priuatæ essent; Pręfecto deinde Prouinciali & Vvorsleo, quòd suas partes ex officio peregissent, pro quo ordinarium habent à Principe stipendium; ac proindè non deberent aliud expectare, nisi fortè Regia Maiestas quædam alia minoris momenti, idq; sua sponte ipsis largiretur: fœminis etiam nobilibus, quòd donatio illis facta intelligeretur de bonis, quę fisco addicenda essent ex legibus ijs, quæ tunc temporis vim habebant obligandi quando donatio facta est, non autem quæ posteà condendæ erant; cuiusmodi sunt quæ contra Papistas religionis causa sancitæ iam primùm essent. Postremò & Baptistæ os conclusit, promissionem Principis illi factam fuisse asserens, de præmio quingentarum librarum tantùm, non autem de bonis viduæ, quæ ter mille libras excedebant.

Quibus rebus breui effecit Cecilius, vt Pręfectus Prouincialis, qui omnia hęc bona habebat in manibus, Londinum per fecialem Regium vocaretur. Eò per podagram cùm Præfectus proficisci non posset, filiū suo nomine vnà cum Vvorsleo vicario misit, qui statim atque comparuerunt, in vincula sunt coniecti, donec vadibus datis promitterent exactam se omnium acceptorum rationem ipsi Quęstori regio Gulielmo Cecilio reddituros, qui maximam vtiq; partem eorum quæ recuperari poterant sibi ipse reseruauit; nam alij etiam inferioris ordinis latrunculi licèt occulti, huius immanis latrocinij participes fuêre.


Ad extremum spectatæ virtutis matrona olim diues, nunc autem inops Christi causa effecta, omnibusque huius vitæ commodis, imò spe commodorum quæ ex Anglia spectari poterant deiecta, nec vllam iam viam cernens recuperandorum bonorum ex manibus potentium in iniquitate, magno & inuicto animo gratias agens Deo, qui *pauperem facit & ditat, humiliat & subleuat*, statuit vnà cum duabus natu maioribus filiabus de terra sua, in qua tantam experta esset iniquitatem, & de cognatione sua & de domo patris sui, vnà cum magno Abrahamo egredi, ac proficisci in terram, quam clementisimus Deus demonstraturus esset ei, *magis eligēs affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Anglorum improperium Christi.* Itaq; mente tota aspiciens in remuneratorem Deum, reliquit Angliam, non verita animosam Reginæ crudelitatem, inuisibilem enim tanquàm

videns


videns sustinuit; nec timuit sanctimoniæ laude præstans mulier pauperem vitam in terra degere aliena, sciens multa se & filias habituras bona, si Deum timerent, & à peccato perfidiaq; Caluiniana recedentes facerent benè, seruientes Deo in Ecclesia sua sancta, humili corde & intentione pura.

Neque huic sancto fœminæ sanctæ consilio, clementissimi Dei, qui nunquàm derelinquit sperãtes in se, prouidentia defuit: sed multis difficultatibus & periculis plurimis terra mariq; post duos menses & eò amplius, quibus nocturno quidem tempore magna conficere itinera, diurno autem in syluis & dumetis aliisue locis abditis latitare cogebatur, defuncta, bonorum Angelorum ductu Diuorumq; tutelarium, quibus se suaque omnia semper commendabant, suffragijs; fidelium item in terris amicorum auxilio, tandem Remos salua cum duabus filiabus natu maioribus, incredibili sua suorumq; consolatione, & summa cum Illustrissimæ familiæ Guisianæ, tùm præcipuorum prælatorum & nobilium Remensis Ecclesiæ atque vrbis congratulatione, Anglorum quoque omnium qui Christi causa in exilio ibi viuunt, ac præcipuè Doctoris Alani leuiri sui, cuius causa magnam huius acerbitatis partem subiuit, ineffabili lætitia atque gaudio peruenit.

Horum igitur sancta societate iam ibi fruitur, & nacta demùm exoptatam diu conscientiæ libertatem mentisque admirabilem tranquillitatem cum ea, quam maximi facit, quotidiana sanctissimis sacramentis vtendi opportunitate, illud in se experitur verum esse, quod ab ipsa veritate proditum habemus: *Amen dico vobis, nemo est qui reliquerit* Marc. 10.
domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros propter me, & propter Euangelium, qui non accipiet centies tantum, nunc in tempore hoc, & in sæculo futuro vitam æternam.



LIBELLVS SVPPLEX OBLATVS CONSILIO secreto Reginæ Angliæ, in quo nobiles quidam ob Catholicam religionem vincti, extremam quam patiuntur calamitatem exponunt, gratiam'q; à Regina & misericordiam petunt.



Atholici, qui partim clarissimarum Dominationum vestrarum iussu, partim mandato supremorum Regiæ Maiestatis Commissariorum in custodiam (cui nomen N.) dati & ob religionem vincti, hoc libello supplice honoratissimis Dominationibus vestris omni qua par est hu-

militate ſignificant, quòd ex quo ſunt accuſati & condemnati ad varias mulctas pecuniarias perſoluendas, vt habet Decretum ſuper ea re ſcriptum & promulgatum; cuius vi (vt ex vſu legis colligere licet) quamuis aliquid libertatis aliquamdiu accuſatis poſt ſententiam pronuntiatam gratia quadam & fauore concedi ſoleat, tamen nihilominus ijdem arctiſsimis vinculis aſtringuntur, & pro mulctarum exſolutione varia ſunt ad Præfectos Prouinciales data mandata.

Multis impoſitis longè inferiores ſunt omnes annui prouent⁹ nobiliũ Catholicorum.

Calamitates Catholicorũ in vinculis.

Quibus nos, qui ſupplices V. Clariſs. Dom. accedimus, licèt iuſtis de cauſis non teneamur, variaſque rationes afferre poſsimus, quamobrem iſtiuſmodi mulctas minimè licuerit à Pręfectis Prouincialibus exigi, ijs tamen prętermiſsis, ad ſuæ Maieſtatis ſolitam clementiam, & clariſſ. Dominationum veſtrarum miſericordiam confugiunt, obnixè rogantes, vt velint ſecum expendere, quàm ſint his multis longè inferiores omnes annui prouentus & redditus, quos vel è patrimonio vel è fundis noſtris colligere queamus; præterea vt periculum nobis ab aëris intemperie iam imminente impendeat; tùm carceris anguſtiæ, captiuorum multitudo, (quæ indies augeſcit) contagio quoq; ex horum locorum anguſtijs, aëriſque incluſione, & nonnullorum ægritudine periculoſa immineat, & indies vires capiat maiores: quæ nos vrgent, vt honoratiſsimas Dominat. Veſtr. quàm maximè rogem⁹, vt apud Reginæ Maieſtatem noſtræ cauſæ patrocinari velint; primùm quidem, vt apud ipſam aliquis reliquus ſit gratiæ locus; deindè vt mulctæ pecuniariæ modum dare velit, quo & ſoluendo ſimus tanquàm Regiæ Maieſtati ſubiecti, nimirum quatenus modò noſtræ facultates ferunt, & deinceps temporis progreſsione poterunt ferre; vt ſimul è redditibus aliquid ſuperſit, quo noſipſos, vxores afflictiſsimas, & liberos egentes alamus, & æs alienum diſſoluamus: deniq; vt aliquantò liberiore carcere vtamur & vinculis.

Petũt ex bonis proprijs tantum ſibi relinqui, vt pauperẽ vitam ſuam & ſuorũ ſuſtentent.

Quod ſi à Regia Maieſtate veſtro patrocinio, viri clariſsimi, clementer impetremus, (quamuis iam pridem vincula paſsi fuerimus, & tandem condemnati, quòd Caluiniſtarum conciones & templa adire recuſauerimus) tamen ingenuè proteſtabimur & ſyncerè, non ideò nos illorum templis abſtinere, quaſi obſtinato animo ſimus, aut Regiæ Maieſtati minus obſequi velimus; ſed ſola religione obſtricti id recuſamus, cùm ipſi libenter agnoſcamus Reginæ Maieſtatem Dominam noſtram, Principem ac Reginam clementiſsimam, noſque paratos eſſe profiteamur quoties res ipſa popoſcerit, aut Regiæ Maieſtati viſum fuerit, hoc ipſum cum capitis & vitæ dimicatione, omniumque bonorum profuſione teſtari.

Cauſa cur abſtineãt à templis Catholicorum.

Fidelitas eorum erga Reginam.

Adhæc

Adhęc quo mulctæ irrogatæ commodiùs ſoluantur, infimis ab ipſa Regia Maieſtate precibus contendimus, vt bona cum ipſius venia, qua in ſuos eſt clementia, nobis fiat poteſtas domi rem familiarem adminiſtrare, & agrorum culturæ prouidere; ſic enim & inopi familiæ faciliùs ſubueniemus, & quæ à nobis exiguntur pecuniæ, minore negotio conficiemus. Id à nobis ſinccrè nullaq; ſimulatione dici, damus vades nos in regno manſuros, imò quandocunq; Regiæ Maieſtati placebit, & veſtris honoratiſsimis Dominationibus, reditum ad carceres ceu captiui pollicemur. Hoc ſi à vobis impetratum nos Clientes veſtri ſenſerimus, non modò vt fœliciter Regina regnum adminiſtret, ſed vt Deus quoque veſtras clariſsimas Dominationes conſeruet, nos, vxoreſq; noſtræ ac liberi in perpetuum Deum orabimus.

EXEMPLAR SCRIPTI CVIVSDAM SEV PALINODIAE, QVAM ANTONIVS TYRELLVS SACERDOS ſuis manibus inter auditores diſperſit apud crucem D. Pauli Londini, cùm in ſermone progredi non permitteretur, nam eò adductus fuit vltima die & Dominica Ianuarij 1588. conſilio & ſuaſione Proteſtantium, primùm vt ibidem confirmaret falſas illas informationes & iniuſtas accuſationes, quas anteà obtulerat Concilio Regio contra nobiles quoſdam Catholicos; deinde vt fidei Catholicæ renunciaret; verùm cùm in principio quædam verba quibus ſe Catholicum eſſe indicabat, proferret, continuò fuit illi ſilentium imperatum, & paulo poſt in carcerem coniectus eſt.



Nullum mihi dubium eſſe poteſt (Reuerendi & chariſsimi in Chriſto ſaluatore noſtro) quin magna vos teneat admiratio, primùm quidem quę cauſa exiſtat concurſus hodierni, deinde verò quòd ego vobis hîc obuius fiam: tertio & poſtremò, quid me impulerit, vt hunc locum hodierno die conſcenderim, quídue ego dicturus vobis aut facturus ſim: nec immeritò ſanè miramini; ſed tamen ſi patienter mihi aures prębueritis, & me, quæ Dei miſericordia menti meæ indidit proferentem benignè audieritis, & vos qui hîc coràm adeſtis, & vniuerſus pręterea mundus agnoſcet meum ad hunc locum acceſſum nec vanum nec inutilem fuiſſe. Cœlum teſtor & terram, me Dei duntaxàt honorem, animæ meæ ſalutem & veſtram conſolationem qua vos ſatis ſuperq; video deſtitutos, quęrere, ſi poſſum: non autem longa vos aut moleſta & minùs vtili oratione remorari. Certus ſum vos omnes, quorum maxima pars me optimè nouit, vehementer admiratos eſſe, me tàm pręcipitem

tem eò dementiæ & cæcitatis corruere potuisse, vt tàm infestus Deo fierem, & Ecclesiæ suæ sanctæ perniciosus, vt me fuisse confiteor.

Catholicos innocentes accusat. Audiuistis sat scio de priori meo lapsu & apostasia à fide, de crudeli persecutione Ecclesiæ sanctæ, deq; iniusta accusatione multorum hominum innocentium, ac graui damno illis per me illato; audiuistis etiam de pœnitētia mea, errorum agnitione, & de reditu in gratiam cum Ecclesia; nec vos latet me, gratia Dei cooperante, veram ac synceram confessionem errorum meorum in lucem edidisse, vt hac ratione testarer me omninò statuisse & vitam in melius commutare, & de prçterito lapsu ex animo dolere, eaq; de causa relicta Anglia in partes transmarinas commigrasse. Ac proinde non potestis modò non admirari hanc meam cçcitatem seu potius desperationem, qua ausus sum in Angliam redire; & eorum imprudentiam, qui post palinodiam & relapsum fidem meis verbis habere velint, maximè cùm perspicuè & claris verbis publico scripto euulgauerim, causam lapsus mei à fide fuisse improbas aduersariorum machinationes, diaboli fraudes & peccata mea propria. Et sanè, vt fatear quod res est, ego ipse etiam nunc miror (quamuis me anteà desperatio excæcauerat) quî scilicet fieri potuerit, vt homo meæ professionis & literaturæ, eò desperationis veniret, vt non solùm gratiam Dei contemneret, sed etiam ipsam humanitatis naturam exueret: verùm intelligo hçc & his deteriora accidere illis, qui fidem Christi, timorem Dei, & ipsum Christianismum abiecerunt. Miror prçtereà me vnquàm potuisse mentiendo fauorem ac gratiam comparare, quia in humanam societatem denuò admitterer.

Secūdò labitur in heresim.

Imprudentia Consiliariorū Reginæ Angliæ.

Causa primi lapsus.

Mēdaciis cōparatur gratiam Angliæ.

Causa igitur (vt paucis multa perstringam) mei ad hunc locum accessus est, vt coram Deo & Angelis eius, ac vobis omnibus qui coràm adestis, agnoscam & confitear me execrandum esse peccatorem & hominem consceleratissimum, indignumq; qui in conspectu Dei aut hominum gratiam inueniam aut misericordiam; prçtereà vt tester publicè causam defectionis meæ à Catholica fide & ruinæ miserabilis dæmonem fuisse & peccatum. Notum sit igitur omnibus & persuasum me hûc conscendisse, vt confirmem veritatem prioris meæ confessionis & palinodiæ, quam gratia Dei cooperante edidi, postquàm per pœnitentiam in gratiam cum Ecclesia redijssem; & ex Anglia cùm discederem, hîc reliqui veluti publicum testimonium veritatis, & confutationem impudentissimorum mendaciorum & impijssimarum calumniarum, quæ non multò antè aperueram honorato & illustri viro Domino Gulielmo Cecilio supremo regni quçstori. Et quamuis eo animo hinc discesserim, vt commodiùs in partib⁹ transmarinis vitam corrigerem meam,

Cōfitetur sua mendacia.

meam, diabolus tamen cum peccatis meis, hûc me denuò reduxit, vt Deum iterum relinquerem, & ea omnia quæ anteà verissimè asserueram, in dubio posteà reuocarem, imò impudenter negarem, cum iniuria veritatis & animę meę maximo detrimento; vt meritò me iudicem propterea reũ non vnius tantũ, sed plurimorũ scelerũ atq; peccatorum ob quę dign' sum omni cõfusione & pœna tàm temporali quàm æterna, omni odio & contemptu, & indignus omni fauore & misericordia.

Relabitur.

Fateor etiam & notum esse cupio omnibus modò viuentibus & in posterum victuris, me falsò accusasse sanctissimum Pontificem Gregorium XIII. piæ memoriæ, dum affirmarem eum consensisse in necem serenissimæ Dominæ nostræ Elizabethæ Reginæ; item D. Ballardum, cùm dicerem eum similem quæstionem de Regina occidenda proposuisse Doctori Ludouico Mediolani, & patribus societatis Iesu Romæ, & illi qui tunc temporis Doctor erat, nunc autem Cardinalis est Alanus, & alijs personis seminariorum. Nunquàm enim noui nec audiui huiusmodi quæstionem propositam, aut aliam machinationem vel coniurationem contra personam suæ Maiestatis, ac proinde D. Eduardus Vvinsor & D. Carolus Tilneus, iniustissimè fuerũt à me in crimẽ vocati, & cęteri tàm illustres quã nobiles viri falsissimè accusati.

Agnoscit esse falsum quod sparserat de Regina Angliæ occidenda.

Deum etiam testor me non plura de negotijs * Babingtonij & Ballardi sciuisse, quàm sciuit infans tunc primùm natus, nisi quòd semel audiuerim Ballardum dicentem, magnum esse apparatum Principum seu hostium externorum præ manibus: quare ex ijs duntaxàt quæ acta sunt in † Camera stellata, ego multa finxi & intuli, quæ vana erant & omninò falsa. Simili perfidia in periculum induxi Dauidem Inglebeium, cùm dicerem illum statuisse arcem Londinensem inuadere, & Comitem Arundelliæ libertati restituere. Huic mendacio affine erat & alterum, quo fingebam Gilbertum Giffordum literas quasdam seu legationem ab Illustrissimo Duce Guisiano ad dictum Comitem attulisse, easq; tradidisse Illustrissimæ Comitissæ Arundelliæ, Comitis vxori. Nec absimile figmentum erat, quod in nobiles viros septentrionales sparsi, D. Thomam Methamum, D. Radulphum Graithorum, D. Radulphum Bapthorpum, D. Typpingum, D. Duuingtonum, & vtrumq; Crosselandum. Per summum scelus etiam & iniustitiam accusaui D. Iaquis, & multos alios illustres & nobiles viros, vt Ioannem Arundellium equitem auratum, & Illustrem Baronem Comptonum, quasi perduelles & læsæ Maiestatis reos: item Sacerdotes omnes & Catholicos cuiuscunque ordinis & conditionis quasi seminatores discordiarum, & auctores dissentionum. De quibus omnibus scripsi ad Reginæ

** Hi duo accusati fuerũt & mactati, quasi coniurassent in necem Reginæ Angliæ instigante eos ad hoc Regina Scotiæ.*

† Est locus in quo Consiliarij regij pro tribunali sedent.

Multis modis insidiati sunt heretici vitæ huius Comitis.

Illustres & nobiles viri innocẽtes accusati.

ginæ Maiestatem literas peculiares, & spiritu Dei me tunc dirigente, perspicuè refutaui & falsissima esse demonstraui, quæ in priori libro de rebus prędictis à me scripta erant, vt non sit opus eadem hoc in loco repetere. Quare vt concludam, & veritatem syncerè confitear, in qua confessione propositum mihi est & viuere & mori, hæc vobis trado.

Quæ scripsi ante abitum meum ex Anglia, verissima erant & certissima; quæ deinde post reditum euulgaui, falsa sunt & ab omni veritate aliena, quantumuis conatus fuerim his posterioribus illa priora euertere penitus, & veluti figmenta reijcere. Ac proinde cùm ea sit voluntas & potestas Dei, vt velit & impellat me ad veritatē manifestandam, quacunq; renitente & reluctante creatura, discant omnes meo exemplo, quicunq; hanc declarationem mea manu scriptam legerint, spem suam omnem in Deo fixam habere, eiusq; misericordię & prouidentiæ in omnibus rebus inniti, qui solus proteget & defendet innocentem, contra omnem inuidiam & malitiam inimicorum. Ego porrò, omni qua possum animi demissione, genibus nixus peto à Deo in primis, & ab vniuerso mundo veniam & misericordiam pro delictis meis, simulq; animam meam offero infinitæ Dei misericordiæ, corpus verò relinquo ijs pœnis afficiendum, quas scelera mea atque peccata pro voluntate eorum quorum interest, promerentur.

Caueant omnes meo exemplo, ne quisquam aut timore pœnæ vel mortis temporalis, aut spe dignitatis vel honoris se separet à communione Christi, & Ecclesiæ eius sanctissimæ, cùm solus Deus norit, an sit ad sanctorum communionem postea rediturus. Caueant etiam omnes à dissimulatione in causa fidei, & à peccatorum lenocinijs, quæ viam muniunt ad omnia mala, nec vnquàm deserunt, donec hominem in sentinam omnium scelerum præcipitent. Maximè verò aduertant Sacerdotes diligenter, qui vitam sectantur sanctiorem, & Deo seruiunt in professione altiori; animaduertant, inquam, diligenter, vt in via Dei ambulent magna cum solicitudine & consideratione. Omnes etiam qui vel exemplo meo impio, vel persecutione & accusatione iniusta, in vero Dei cultu & religione sancta lapsi sunt, meo tandem exemplo resurgant, & ad Deum suum reuertantur, à quibus etiā veniam peto, & indulgentiā huius admissi facinoris, meaq; pœnitentia & peccatorū detestatione, ad verā pœnitentiā & errorū agnitionem inuito.

Dissimulatio in negotio fidei est periculosa.

Quod ad reliquam meam vitam mortalem attinet, solam misericordiam exposco, misericordiam, inquam, in vita futura, nam quod ad hunc mūdum attinet, nullam recūso ignominiam, confusionem, castigationem ac miseriam. Nullam habeo in hac vita consolationem, nisi in pœni-

in pœnitentia & satisfactione: Deus pro sua infinita misericordia, det mihi vires ad tolerandum, & mundus sæuiat seu castiget quàm potest maximè. Hoc solum à Catholicis peto omnibus, vt ne dedignētur pro me orare, atq; adeò velint ardenti precatione grauissimas iniurias à me sibi illatas compensare; præsertim verò illos quos falsò accusaui & in fraudem induxi, vehementer oro atq; obtestor, vt mihi velint ignoscere grauissimum hoc scelus commissum, & simul pro me diuinam implorare clementiam, vt mei misereatur. Atq; ita in hoc loco liberè ac sponte in manus omnipotentis Dei animam & corpus meum, quæ ab ipsius Maiestate accepi, restituo.

Et quoniā in præsentia perfectū habeo vsum tàm memoriæ quàm reliquorum sensuum meorum, & ignoro, an volūtas mea in posterum possit vi metus peruerti, aut sensus tormentorum & pœnarum grauitate alienari, mea sponte ac liberè iterum atq; iterum confiteor meam iniquitatem, à solo Deo sperans gratiam & misericordiam; nam quod ad condonationem mihi à Regina oblatam, & temporalis vitę vsuram attinet, si propterea donauit, vt vel fidem desererem, aut priorem accusationem falsissimam & iniustissimam confirmarem, eam penitus recuso, paratus millies vitam fundere potiùs quàm Ecclesiam Catholicam deserere, aut innocentes prodere. Spes mea tota in vnica Dei indulgentia & misericordia est fixa, qui solus potest per infinitam suam misericordiam peccata mea delere.

Præterea ex animo detestor omnem hæresim, ac simul profiteor me in fide Catholica Ecclesiæ Apostolicæ atq; Romanæ victurum in posterum atq; moriturum. Agnosco sanctissimum Dominum nostrum in omnibus rebus spiritualibus summum meum Pontificem atq; pastorem. In rebus verò sęcularibus me submitto Reginæ Maiestati, quam vt legitimam Principem & gubernatricem meam agnosco, cuiusque leges & decreta eatenus amplector, quatenus consentiunt legibus Dei, & Ecclesiæ suæ sanctæ.

Peto etiam veniam in primis à Reginæ Maiestate, quòd à Christiana obedientia & fidelitate deflectens, sua Maiestate mendacijs meis quam plurimis fuerim abusus; deinde verò ab Illustri Domino Cecilio supremo regni quæstore, & ab vniuerso consilio honoratissimo Maiestatis suæ, itemque ab omnibus Protestantibus Angliæ, quibus hypocrisi mea & dissimulatione imposui, occasionem illis præbens grauissimè offendendi Maiestatem diuinam, & augendi meam ipsius damnationē: quod autem spectat ad gratiam humanam, & promotiones ac honores, qui possent mihi in hac vita offerri, si propterea vellem

aut diuinam offendere Maiestatem, aut rebellis esse Ecclesię Catholicæ, illis hoc in loco & tempore velut instrumentis pestilentissimis liberè renuntio, & sperans diuina gratia fauente, me nunquàm in posterum his medijs peruersum iri. Deinde verò cùm non habeam quo me conuertam, nisi eò vnde aberraui, ad Deum omnipotentem patrem meum cœlestem, & Ecclesiam Catholicam matrem meam sanctam, quantumuis cœlum & terra iustissimè clament confusionem & vindictam contra me, & amici carnales cum vxore Iob inclament auribus meis: *Maledic Deo & morere*, nullâq; habeam mihi reliquam modò consolationem Catholicam, ad quã sub cœlo confugiam, non tamẽ desperabo de Dei clemẽtia, sed ab eo consolationẽ sperabo, quãdiu memoriam habuero illorũ verborum: *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.*

Iam verò desiderarem & ex animo optarem me similem esse sancto illi viro Francisco in cordis affectu, quemadmodùm in reliqua conditione similis existo; qui destitutus omni temporali & mundano commodo, priuatus vestitu quo indui solebat, & summa nuditate, omniumque rerum inopia pressus, magna confidentia ad cœlestem patrem confugit, ab illo auxilium expectans & solatium; vtinam, inquam, & ego pari modo, qui merito incidi in hanc summam desolationem, possem modò consolationem omnem meam firmare & formare in sanctissimis meritis Dei omnipotentis. Te igitur rogo, dulcissime saluator, per merita amarissimæ passionis tuæ, vt me vilissimum peccatorẽ abdere velis in profundo sacratissimorum vulnerum tuorum. A conspectu hominum absconde me sub velo sacræ tuę protectionis, à furore hostium meorum & potestate Sathanæ, abde me sub alis gratiæ tuæ cœlestis, vt merear tãdem intueri faciem illam gloriosam, quæ ob peccata Ierusalem aspersa fuit lachrymis copiosis, dulcem illam aquam & sanguinem, qui nocte passionis expressus fuerat; vultum illum gratiosum, qui alapis ab impijssimis Sathanæ ministris cęsus fuerat, tunc temporis quando hostes te falsissimis calumnijs petebant; qui tunc pugnis cędebatur, & sanguine fœdatus erat cùm spinea corona coronabaris, & in ara crucis suffixus pendebas. Aut hanc mihi largire gratiam, vt cum Magdalena sub mensa repens, prosternã me ad pedes tuos sanctissimos, & cum magna copia, imò flumine lachrymarum omnibus diebus vitę meæ, si fieri potest, defleam scelera & peccata mea contra tuam Maiestatem & sacerdotes tuos commissa. Anima mea plena tristitię & mœroris aliud non potest, quàm sanctissimæ Trinitati dicere ac dare gloriam, laudem & honorem nunc & in omnem æternitatem.

Per me Antonium Tyrellum presbyterum manu propria.

TERTIA PARS

CONTINENS APOLOGIAM MARTYRVM, PALINODIAS QVATVOR, DVO ELIZAbethæ contra Catholicos edicta crudelia, & horum contrà defensionem.

ITEM LIBRVM AD PERSECVTORES ANGLOS, quo confutatur Iustitia Britannica, & respondetur sex articulis sanguinarijs Puritanorum: deinde aliud edictum sæuum planè atque barbarum, & breuem eiusdem confutationem.





AVGVSTAE TREVIRORVM
Excudebat Henricus Bock, ANNO
M. D. LXXXVIII.
Cum Gratia & Priuilegio Archiepiscopali.


AD LECTOREM.

MARTYRVM indefessos hactenus labores, & diuersas quidem, quas ipsi ductu atque auspicijs supremi moderatoris Dei iniêre præliorum vias, spectasti, beneuole lector. Certè, primo quidem libro velut sacri belli quendam apparatum ob oculos tibi proponere instituimus, quò clariùs nimirùm constaret, quo consilio quibúsue fulti præsidijs, in arenam descendere atque huius tàm ardui gloriosiq; certaminis vltrò decus petere, in animum Martyres induxissent. Altero, qui proximè sequitur, vt cum dolore fortiter pugnarint, acerbißimisq; cruciatibus inuicto animo restiterint, declarauimus. Superest iam tertius atque postremus, cuius in Martyrum vindicanda præclarè iniuria munus & argumentum omne consumetur. Etenim cùm hominum pertinaciter ab Ecclesia Catholica dißidentium ea sit vel inuidia vel malignitas, vt quos, seu vita laudabiliter acta, seu mors pro Christi amore ac patriæ salute constanter oppetita, cœlestium animorum cœtui inseruit, hos iniquis ipsi ac falsis Maiestatis criminibus oneratos, in hanc teterrimam vitæ labem, quantum in ipsis est, demergere, atque impij's votis suis, quasi cœlo deuocare studeant; orbi Christiano pateat vniuerso necesse est, quàm nefarijs technis, vanisq; mendacijs præcellentem Martyrum obfuscare virtutem, ac gloriam nullo vnquàm æuo intermorituram conuellere, sed nequidquam, attentarint. Verò enim aduersus omnem falsæ criminationis impetum, inexuperabilis semper & inuicta stat veritas.

Cœtus Martyrum ad Lectorem.

Si fidem sparso tueor cruore,
Me fides, par est, tueatur: iste
Me liber, partus fidei, tuetur.

Inspice Lector.



APOLOGIA MARTYRVM, QVA IPSORVM INNOCENTIA VARIIS RATIONIBVS DEMONSTRATUR; eosque solius religionis Catholicæ causa, quam susceperant propagandam & propugnandam, crudelissimè enecatos fuisse.

Huic adduntur literæ & confessio publica Ioannis Nicolai, quibus fatetur se falsò accusasse suprà nuncupatos martyres, causamq; præbuisse, non postremam eorundem crudelissimæ necis.

Item Palinodia trium sacerdotum, qui in hæresim, metu tormentorum infirmati, blandisq; promissionibus pellecti, aberrauerant; in quibus & defectionis ab Ecclesia, & cur ad eandem redierint, causæ magna animi demissione declarantur.



DOCVIT iam vetus consuetudo, vsusque longus, non Apostatas modò, & qui à salutari Ecclesiæ Catholicæ doctrina deflexerunt, hæreticos: verùm & Ethnicos, quos vocamus, vniuersos, cum omnes Christi sanctissimis sacris initiatos, tum maximè ijsdem diuino consilio præpositos sacerdotes, vtpote duces ac Dominici gregis pastores affligere, atq; communi luce priuare semper conatos esse; in id etiam omnibus naturæ instrumentis atq; machinationibus adhibitis sedulò incubuisse, vt quos suis fraudibus atque anili superstitioni, quàm maximè aduersari intelligerent, hos omnibus insidijs atque dolis circumuentos, exquisitissimis supplicijs afficerent, ac tandem è medio auferrent.

Quod vt cum maiore populi applausu ac consensu, & sine vlla etiam hominū inuidia fieri posset, causas quasdam politicas & ciuiles in iudicijs agitarunt, quarum indignitate atq; turpitudine omnium oculis proposita, faciliùs innocentissimos quosq; in perniciem atq; extremū vitæ periculum pertrahere possent; singulari interim astu atq; vafricie, præclarissimo fidei ac religionis nomine suppresso.

Sic Arrianus olim Imperator, Arrianorumque Episcopi, singulari innocentia virum, sanctum dico Athanasium, grauissimi necromantiæ sceleris, adulterij, & coniurationis insimularunt. Pari fraude, Præses Ponti sub Valente Imperatore hæretico, cùm sanctissimū Antistitem Basilium, religionis ac fidei causa è sede sua conaretur deturbare, grauissimis sceleribus virum omni virtutū genere ornatissimum onerauit; vsq; adeo, vt cubiculū eius, quod, teste Gregorio Nazianzeno, ipsis Angelicis spiritibus ob summā puritatem, venerationi esse solebat, instar prostibuli

Ruffinus in hist. Eccles. lib. 10. c. 17.

Greg. Naz. orat. de Basilio.

buli à ministris suis explorari mandarit: vt, quod post longum inuestigandi studium ne inuenire quidem potuisset, scortum, reperire ibidem liceret.

Hist. tripart. lib. 6. c. 27.

Ad eandem modum Iulianus Apostata, insigne Sathanæ instrumentum ad Catholicam fidem funditus euertendam, & inanem paganorum superstitionem eius loco non solum inuehendā, sed etiam Christi nomine repudiato, magis magisq; propagandam, ministros Christi morte, exilio, atq; vinculis mulctauit, non quidem religionis nomine, sed quod populum, vt ipse mentiebatur, ad seditionē commouerent, statumq; reipublicæ perturbarent. Ita Vandali mirum in modum Catholicos in Africa depresserunt, quasi cum Romanis in capita ipsorum coniurassent. Iisdem exagitata furijs Theodora Imperatrix hæresis Eutychianæ patrona, crudeliter Syluerium Pontificem Romanum clerumque vniuersum persecuta est, quòd literis suis (vt ipsa aiebat) non solum Gothos, sed alios etiam principes externos contra vrbem atq; Imperium Romanum concitassent; quorum tamen innocentia atq; integritas adeò erat peruulgata, vt vniuersus penè orbis eandem contestaretur.

Victor de persecutione Vandali.

Sic in Anglia fingunt literas interceptas.

Et quidem hac calumniandi arte insigniter fuerunt semper instructi aduersarij, eaq; nixi plurimùm conturbarunt statum Ecclesiæ; verum vt in cœteris, ita & in hoc conuitiandi genere non patiuntur se superari hæretici nostri Anglicani, qui longè maiore impudentia quam antiqui in hac sua persecutione Anglicanæ Ecclesiæ, conuitiandi ac calumniandi fraudes egregiè exercuerunt, vetè vt mihi liceat dicere in hac vna nostra persecutione posse lectorem velut in speculo contueri non vnam vel alteram, sed omnes simul adductas calamitates, quas vnquam Ecclesia Christi vel olim passa est ab Arrianis, Gothis, Vandalis, Lombardis, Donatistis, Eutychianis, Mahometanis, Hussitis; vel hac nostra tempestate patitur ab ipsis Hugonotis, ac quibusuis alijs coniuratis hostibus.

Cuius rei quamuis plurima possent adferri exempla, vno tamen vel altero hoc in loco contentus ero, vt ex illis lector candidus ferat iudicium de reliquis passim diuulgatis, & imposterum à nobis commemorandis. Paucis ab hinc annis rumore improbo sparserunt aduersarij Reuerendissimum in Christo Patrem, ac confessorem Christi nobilissimum, D. Archiepiscopum Armacanū, virum omni virtutum laude cumulatum vim virgini intulisse, nefandumq; crimen stupri commisisse.

Accusatur Archiepiscopus Armacanus stupri.

Lege historiam mortis eius, suprà.

Pari impudentia ausi sunt Satanæ ministri sanctum Christi sacerdotem, ac martyrem gloriosum Dominum Thomam Cottamum, in ipso supplicij loco, cum animam Deo creatori pro veritate fidei Catholicæ esset redditurus, adulterij crimine grauare, publicè vt ipsi aiebant Londini perpetrato. Quę quidem calumnia in martyris laudē, concionatorū verò, non vulgarem cessit ignominiam, cùm ex ipso ministrorum ordine non defuerint, qui publicè virum sanctum ab hac liberarent infamia, asserentes hoc crimen non ab illo, sed à fratre, vt anteà indicauimus fuisse perpetratum; quò vno procedendi modo apertè commonstrant se nec Dei tribunal reuereri, nec sui honoris vllam rationem habere, modo ad tempus suæ sectæ fauorem & patronos, Catholicis econtrà odium conciliare & hostes possint.

In martyrio D. Cottami.

Institutū authoris. Machiauilianī.

Mihi porrò in hoc libello propositū est diuina fauente gratia, non solum Anglorum, sed omnium etiam Christianorum oculis obijcere, insigne quoddā spectaculum hæreticæ crudelitatis, & consilia aperire Machiauilianorum, qui cum

sint

ſint hoſtes omnes religionis & pietatis, nec tamen hoſtes videri velint, homines innocentiſsimos crudeliſsimè, non quidem religionis, ſed ementiti criminis læſę Maie. nomine trucidatunt, ex qua re ſibi & patriæ ſuæ ignominię ſempiternę notam inuſſerunt, Reip. autem euertendæ (ſi iuſtum Dei iudicium ſpectare velimus) viam patentiùs aperuerunt: ſolet enim Diuina iuſtitia communem huiuſmodi iniquitatem, communibus etiam calamitatibus caſtigare. A quibus tamen, vt Deus pro ſua miſericordia patriam chariſsimam vindicare dignetur, rogamus propter ingentem illorum multitudinem, qui huic iniuſtæ crudelitati cõſenſum non præbuerunt, quantumuis à publica videatur profecta auctoritate.

Vt ergo ad inſtitutum noſtrum reuertamur, vbi ſtatuiſſent illi, qui rerum potiuntur in Anglia, aliqua tandem ratione, Catholicos illos, quos vinctos retinebant è medio tollere, tum quia doctiores inter illos expetiebantur multos, quàm vt ab illorum miniſtris ſuperari poſſent, tum vſq; adeò etiam in fide conſtantes, & charitate incenſos, vt nemo illorum à ſocietate Catholicæ atque Romanæ Eccleſiæ poſſet diuelli, fraude atque fallacijs rem totam exiſtimabant eſſe cõficiendam, vt tanquam rei læſæ Maieſt. potiùs quàm fidei Catholicæ aſſertores occiderentur.

Recenſentur cauſæ, ob quas hæretici noluerũt occidere Catholicos religionis nomine.

Quibus autem rationibus commoti fuerint aduerſarij, vt viros ſanctiſsimos ſolo religionis aut fidei Catholicæ propugnatæ nomine non interimerent, iam paucis expediam, ſunt enim illæ partim antiquis hæreticis cum ipſis communes, partim nationi noſtræ, & ſtatui rerum præſenti propriæ atque peculiares.

I. Quàmuis an hæretici ſint plectẽdi mortem, dubitent multi, omnes tamẽ conſentiunt reliqua crimina eſſe punienda.

Prima itaq; ratio hæc eſt. Cum variæ ſint hominum de religione, & religionis aduerſarijs puniendis ſententiæ, variaq; iudicia pro cuiuſq; affectu & inſtitutione, alia autem crimina cuiuſcunque tandem generis omnium conſenſu atque approbatione ſint vindicanda, maluerunt aduerſarij alius criminis quàm religionis nomine, Catholicos viros trucidare.

II. Secunda ratio. Ea opinio iam occupauit mentes prudentium huius ſæculi, præcipuè verò Atheorum, qui Deum ipſum, rerumq; humanarum prouidentiam tollunt, vt religio non vltrà curanda videatur, quam vt ad reipublicæ ſtatum vel conſeruandum, vel fundit us euertendum conducit.

III. Tertia. Quoniam res ardua & perquàm difficilis videbatur, poſſe hominibus ingenuis & liberalibus perſuaderi, illius fidei profeſsionem (in qua non ſolum maiores ipſorum, ſed reliqui etiàm populi vniuerſi plurimis ſęculis, educati vitã ſanctè peregerunt, mortem piè ac religiosè obierunt, & denique ſalutem ſempiternam ſunt conſecuti) crimen eſſe tam horrendum, vt plectenda cenſeretur capitis amiſsione, cum maximè firmiſsimis argumentis non ſolum propugnetur, ſed etiam veriſsima demonſtretur, non in vna duntaxat Anglia, ſed per vniuerſum terrarum orbem, quemadmodum ad ſenſum patet ſolem radijs ſuis terram hanc noſtram meridiano tempore colluſtrare: ideò conſultius viſum fuit, non tam religionis nomen, quàm læſę Maieſt. crimen in vulgus ſpargere contra ſeruos & miniſtros Chriſti.

Quarta. Cum nullàm habeant aduerſarij maiorum noſtrorum legem, nullum conſiliorum decretũ, nullam ſcholarum determinationem, nullum deniq; parlamentũ, quo Catholica religio velut hæretica reprobetur, aut illorũ noua Secta cõprobetur, non ſunt auſi illius propugnatores, hoc ſolo nomine, quòd eam tueantur, in periculũ capitis vocare, ne dum viri prudentes haberi velint, nimiùm pue- IIII.

hæreticis, se liberos esse atque immunes, Sanctissimorumq́, virorũ innocentiam conscientiæ testimonio comprobantibus.

Quem sanè insolitum agendi modum præter omne ius & fas, prudentissimi cuiusq; ordinis viri (paucis quibusdam feruentioribus Puritanis, qui vehementer gaudebant eos quacunq; demùm ratione è medio sublatos, exceptis) vehemẽter sunt admirati, plurimumq; doluerunt iustitiam publicam tàm nefariè violari, & grauissimorum Consiliatiorum actiones tàm apertæ fraudi, & manifestis hominum calumnijs subiectas esse, vt nec nostra nec patrum memoria vix vnquàm simile contigisse sit obseruatum. *Iustitiã publicam violatam prudentes ac boni viri dolent.*

In cuius rei fidem possem hoc in loco magnorum quorundam virorum, qui non minima pars huius tragœdiæ sanguinariæ fuerũt, referre collocutionẽ, quam ipso eodem funestę actionis die, postquàm à tribunali discessissent, inter se habuerunt, rei indignitatem deplorantes, & inde secuturam infamiam; quorum nomina, quamuis hoc loco ne in pericula incidant, supprimam, non verebor tamen, si aduersarij factum negauerint, etiam cum eorum dedecore atq; infamia in publicum proferre ad Dei gloriam, sanctorumq; eius honorem, qui ex duplici ignominia, quam hìc sustinuerunt, duplicem coronam à Deo receperunt, alteram martyrij, pro fidei confessione, quę vnica & vera causa erat mortis eorum, alteram gloriæ & honoris, quòd cùm innocentes essent, iniusta tamen morte plecterentur, quemadmodùm Abel & alij sancti viri, inter quos illustris est Nabothus, iniustè quidem accusatus & damnatus ob verba in Deum & regem prolata, quæ tamen ipse nunquam protulerat. *Duplex honor & corona Martyrũ.*

Quæ certè iniquitas & summa iniuria viris innocentibus illata, non solùm facit, vt mors illorum sit gloriosa in conspectu Dei, sed prætereà, vt homines, cuiuscunq; tandem sint religionis vel conscientiæ, vices illorum doleant, scelusq, exe-crentur: sic enim natura comparati sumus, vt si videamus quempiã, de Republ. alioquin malè meritum, iniustè propter scelera quæ non perpetrauit, capitis damnari, naturali quodam affectu condoleamus, ipsamq; iniustitiam abominemur, maximè si in illo loco exerceatur, vbi iustitia & æquitas vigere deberet. Et sanè hæc res multos eò adduxit, vt diligentiùs secum perpendentes totum negotij statum, planè statuant apud se, causam necis horũ virorum innocentissimorũ fuisse Catholicam religionem; fidemq; Protestantiũ omnis religionis ac conscientię expertem habeant suspectam, quippè quæ non potest aliter quàm fraude sulta propugnari. *Impietas Protestantium.*

Quòd verò ad nos attinet, qui singulari Dei gratia Catholici sumus, nunquàm profectò conquesti fuissemus de hac iniusta violentia nobis illata, sed æstimantes eam profectam esse à conscientia errronea & imperito zelo aduersariorum, fratres nostros tanquàm falsos & erroneos doctores è medio tollentium, dolorem nostrum silentio compressissemus, nisi illi insigni quadam calumnia, & viros illos sanctos, & vniuersos Catholicos Ecclesiæ afflictissimæ Anglicanæ, insimulassent eorum scelerum, quæ nunquàm ab illis vel nobis fuerunt cogitata: modò autem si taceremus, verendum profectò nobis esset, ne cœlum ipsum & terra huius tam immanis sceleris nos condemnarent; & Deus iustissimus scelerũ vindex, nos velu-ti iniuriæ conscios, vindictæ etiam faceret participes, quam facer ille sanguis per summum scelus effusus à Deo ter Opt. Max. postulat. *Hæretici in causa sunt, quòd Catholici scribant in sui defensionem.*

Quoniam verò placuit aduersarijs hos Christi seruos eo potissimùm nomine criminari,

criminari, quasi in Angliam ad animos subditorum à Regia Maiest. alienandos venissent, & nescio quam viam Principibus externis inuadendi prouinciam muniendam, libuit hoc in loco Catholicorum voces atque quærelas ascribere, quæ passim in Anglia exaudiuntur, vt vel inde omnes intelligant, quam insigniter hac in parte sint mentiti aduersarij.

Vox communis & testimonium Catholicorũ, de sanctis martyribus.

O bone IESV, nos qui secretissima istorum virorum consilia nouimus, qui quotidiè audiuimus, quid publicè, quidque secretò loquerentur: qui ab illis sanctissima Christi Sacramenta, ingenti animi consolatione percepimus, piisq; concionibus informati, sumus, qui illis secretissima cordis nostri consilia in confessionibus aperuimus, illosq; in ædibus nostris dies noctesq; hospitio suscepimus, si quid huiusmodi, quale illis affingitur, moliti fuissent, præ cæteris hominibus intelligere debuissemus, & tamen ne vnum quidem verbum vnquam ab illis audiuimus, quòd vel minimam suspicionem huius criminis præ se ferret. Proindè vt nos ipsos & vniuersos Catholicos Ecclesiæ Anglicanę in conspectu totius orbis purgemus, Deum ipsum testamur diuosq; omnes, hos viros, quòd ad hæc crimina attinet, iniustissimè ab aduersarijs occisos & trucidatos esse.

Exterorũ testimoniũ de ijsdem sanctis.

Nec solùm Angli Catholici, sed etiam Principes externi, quorum instrumenta finguntur sancti Dei fuisse ad regnum euertendum; ac superiores societatis atque collegiorum, à quibus missi in Angliam venerunt, possunt & volunt si res postulauerit, testes huius rei esse locupletissimi. At quid opus est testes adhibere, cùm ipsi aduersarij, qui quæstioni & tormentis præsentes interfuerunt, ipsi cruciatus, quos grauissimos sustinuerunt sancti viri, ipsa accusatio, insolens ordo iudicij, ac deniq; mors longè crudelissima, sanctorum innocentiam abundè, vt iam patebit, contestentur?

Accusatio instituta cõtra martyres.

Quamuis enim verbis ad fallendum aptè compositis incusarint eos, quòd in Reginæ necem, regniq; inuasionem conspirassent sæpiusquidem Remis & Romæ, sed præcipuè tamen Remis, vigesimo secundo anno regni Maiestatis suæ, vltimo videlicet die Martij, & vltimo Maij, id tamen nec productis testibus conuincere, nec tetrum confessione extorquere, nec vlla probabili (quæ ad illos, quos postridie condemnarunt, pertineret) præsumptione docere potuerunt.

Rursus placuit aduersarijs omnes vnius & eiusdem coniurationis criminari, cùm tamen certò certius constet, multos eorum, priusquam ad tribunal accederent, nunquam se mutuò anteà conspexisse, nec ad se inuicem literas dedisse, quod certè argumentum est manifestum integritatis ipsorum. nam si aduersarij potuissent probare eos vel simul collectos, vel per varia loca dispersos, huiusmodi consilia agitasse, aut sermones habuisse, id proculdubio cumulatè præstitissent.

Alienis criminibus grauantur sancti cum propria nõ habeant.

Illud prætereà plurimùm facit ad innocentiam martyrum, quòd primo die, quo tribunali sisterentur, nihil nisi aliena crimina fuerint illis obiecta, & eiusmodi quidem, quæ nullo negotio repelli poterant, cuiusmodi erat tumultus Anglicanus excitatus in septentrione, commotio Hybernica, Pontificis excommunicatio in Reginam lata, Doctoris Sanderi scripta, D. Bristoi de motiuis liber, eiusdéque libri approbatio per Doctorem Alanum, literæ interceptæ, nescitur à quibus vel ad quos scriptæ, signis tamen peregrinis, & characteribus ignotis exaratæ, quæ quamuis legi non poterant nec intelligi, aduersarijs tamen & personas, & loca, & præparationem quandam ad regnum inuadendum poterant designare.

Iustissima

Quid quòd sancti viri, cùm à Consiliarijs regijs peterent, ne in fraudem duodecim

decim virorum paterentur aliena crimina contra se amplificari; supremum iudicem pariter obtestarentur, ne in præiudicium æquitatis & iustitiæ, permitteret ea sibi obijci, quæ nec ipsos nec causam præsentem concernebant; duodecim etiam viros rogarent, vt pro officij sui ratione & conscientiæ securitate, maturè considerarent, criminàne obiecta ad omnes pertinerent, vel ad quosdam tantùm, si speciem aliquam probabilitatis habere viderentur, ne omnes simul propter vnius hominis improbitatem iniustè condemnentur, aut insontem pro reo trucidari sinant: quod facilè posset fieri in tàm fraudulenta criminum coacervatione, quæ vel in Anglia, vel extrà Angliam fuissent viginti annis iam retroactis commissa: cùm, inquam, per viscera Christi, & fidem communem, hæc quæ iustissima visa sunt, postularent viri sancti, tantùm abest vt exaudirentur, vt planè contraria illis euenirent; nec mirum sanè, cùm enim longè anteà ad cædem essent designati, nec propria scelera, ob quæ mors inferretur, haberent vlla, aliena intentarentur necesse fuit. *Sanctorū petitiones non audiuntur.*

Vt autem prudens lector meliùs intelligat, quanta fraude fuerint vsi aduersarij ad Christi seruos è medio tollendos, aduertat oportet, Iudices iniquissimos sic iudicium instituisse, vt diuersis temporibus atq; locis, rei ad tribunal euocarentur, vt hac ratione, crimina cōmentitia, illis qui primo die euocabantur, obiecta, quasi iam sufficienter probata, reorumq; confessione euicta, postero deinde die cæteris obtruderentur, & è contrario, vt accusationes eò maioris viderentur esse ponderis, ad duodecimuiros persuadendos (quorum officium erat martyres Christi vel capitis damnare, vel innocentes pronuntiare) quò minùs redargui possent ab illis, qui tunc absentes erant, &, ne quid ab alijs responsum esset præcedenti die, cognoscere liceret: cùm tamen, si omnes ad vnum tribunal appellati fuissent, facilè quilibet cùm suam tùm aliorum innocentiam docuisset, & omnes simul crimina obiecta euidenter repulissent. *Fraudulenta planeq; diabolica inuentio.*

Sic Dominus Hartus coràm præsens facilè confutasset ea omnia, quæ aduersarij mentiebantur illum in quæstione fuisse confessum: sic etiam Dominus Richardsonus, (cuius nomen fuit vsque ad mortem ignotum, vnde pro altero occidebatur) si primo die cum reliquis fuisset condemnatus, P. Campiani testimonio liberari potuisset. *Vnus pro altero occiditur.*

Sed si in vlla alia, maximè certè in causa Domini Payni, summus Iudex, qui ratione officij sui medias debebat agere partes inter Reginam & reos accusatos, insignem ostendit iniustitiam & animum planè corruptum, cùm crimen obiectum falsò probari permisit, & iuramentum suppeditauit testi in eius cōfirmationem, quamuis crimen & actio neminem præsentem, sed absentem concerneret: quod ideò contra omnem iustitiam factum est, vt crimen illud obiectum ac probatum, ad eos qui tunc præsentes accusabantur, spectare videretur, quò faciliùs hoc fuco imponeretur duodecimuiris existimantibus omnes tunc præsentes reos peragi cuiuscunq; tandem criminis illo die obiecti, quantumuis ad alios reuerà pertineret. Fraus profectò hucusq; inaudita, & maximè deploranda, excogitata tamen in speciem publicæ iustitiæ, ad effundendum sanguinem innocentem, quod sanè longè grauius est in oculis Dei, longeq; maiorem meretur pœnam, quàm priuatū & sine vlla auctoritate perpetratum homicidium. *Summi Iudicis iniquitas.* *Publica iniustitia longè grauior quā priuata.*

Præterea multi sanctorum Dei nō solùm accusabantur, sed etiā damnabantur conspirationis, Remis & Romæ factæ vigesimo secundo anno regni Maiestatis *Damnantur sancti crimi-*

Ggg suæ,

Eum commissorum in locis, vbi non fuerunt. suæ, vltimis diebus mensium Martij & Maij, cùm tamen certò constet quosdam eorum nunquàm fuisse Remis aut Romæ, vt Dominum Fordum & D. Colingtonum; alios nec tunc nec aliquot annis antè ibidem egisse, vt D. Shertum; alios nec tunc nec multis antè mensibus, vt D. Briantum & D. Richardsonum.

Quòd si Deus singulari quadam prouidentia non liberasset Dominum Colingtonum, per quendam nobilem virum tunc temporis præsentem, eiusq; innocentiam apertè demonstrantem, haud dubio cum cæteris mortem eandem obijsset. Nec sanè deerant similes rationes iuuandi cæteros, si vllus æquitati locus fuisset reliquis: nam abundè doceri poterat ex archiuis Collegij Remensis, Dominũ Briantum Remis discessisse Angliam versus, tertio die Augusti, An. 1579. id est, octo mensibus, antequàm coniuratio illa cõmentitia dicitur fuisse facta, cui Sledæus & Mundæus testantur Briantum interfuisse.

Cæterùm perinde est, siue absentes tunc temporis siue præsentes fuerint, quod ad coniurationem attinet, nam manifestum est illos, qui tunc Romæ aut Remis degebant, nunquàm machinatos esse huiusmodi conspirationem, nisi fortè tunc conspirasse in necem Reginæ censeri debeant, quando sacrum fecerunt vel audiuerunt, quando horas canonicas Deo persoluerunt, lectiones sacras audiuerunt, vel disputarunt: aut alia huiusmodi scholastica exercitia, quæ in illis locis quotidiè instituuntur, subierunt.

Sed, esto, concedamus aduersarijs, id quod nunquàm probarunt, nec probare poterunt, huiusmodi crimina læsę Maiestatis Remis aut Romæ fuisse suscepta, nunquid proptereà existimabunt auctores eorum adeo fuisse impudentes, vt ad hæc consilia vocarent sacerdotes quosuis, aut literarum studiosos promiscuè, vel Sledæum aut Mundæum, vilissima mancipia ad negotia tanti ponderis admitterent? non adducor profectò, vt credam, siquidem nec communi illos sensu omninò priuatos esse video.

Hæc de iudicio & Iudice, nunc ad ipsos testes stylum conuertamus, huius tàm nefarij sceleris prima instrumenta. Equidem ausim dicere homines nefarios, eos lęsę Maiestatis & similium facinorũ insimulasse, quos nec vnquàm nouerunt, nec viderunt, imò fortè nec nomina eorum audiuerunt: nam Sledæus & Mundæus, nunquàm Campianum, Bosgrauium, Fordum, Briantum, Colingtonum, Shettũ, aut Filbium, antequàm in vincula conijcerentur, conspexerunt oculis, nec cogitassent aut cogitare potuissent de illis, nisi hæc interuenisset occasio. *Testes quales fuerunt.*

Quod verò attinet ad Georgiũ Eliotum, primarium huius immanissimi sceleris auctorem, constat eum nunquàm vidisse P. Campianum, nisi ipso captiuitatis tempore, quo velut alter Iudas interfuit sacro eius atq; concioni, ex qua cùm vellet religiosum patrem veluti reum læsę Maiestatis arguere, quòd auditores ad summi Pontificis obedientiam fuisset cohortatus, aperti mendacij coram ipsis Iudicibus pro tribunali sedentibus, fuit conuictus: palàm etiam cum vrgeretur à P. Campiano præsente, contestatus, se nõn meminisse, eum in tota concione fuisse de Pontifice Romano locutum. *Eliotus fatetur se memini sum.*

Iàm verò consideret mecum, si placet, beneuolus lector, horum testium mores & conditiones, vt intelligat, quibus instrumentis & fraudibus Protestantes, cum meliora desint, ad perniciem atq; interitum Catholicorum vti cogantur. Vocant illi quidem Iesuitas, & reliquos sacerdotes Catholicos, instrumenta Pontificis Romani ad eius machinationes prouehendas atq; perficiendas; sed, bone Deus, *Qualitates et cõditiones testium explicamur.*

quantum

quantum discriminis intereſt, inter Pontificis inſtrumenta, & hæreticorum? quales quæſo ſunt Nicolaus, Sledæus, Eliotus, & Mundæus: homines profectò nulli' religionis, & omnis religionis doloſi, impoſtores atque exploratores, & quod rei caput eſt, qui ſe viuiuos in omnia ſe flagitia vſq; adeò ingurgitarint, vt nulla turpitudinis nota ſit, quæ non harum pecudum iuuſta ſit vitæ, nullum animi vitiū, quo non mens illorum oppreſſa. Hinc illa fœdiſsima ac immaniſsima adulterij, homicidij, ſimiliumque facinorum ab ijs editorum monſtra; hinc vita ſumma cum turpitudine coniuncta, vitæq, infamia; quorum tunc ſcelerum iuſta vltione, à mente conſilioq; deducti ſic ſe tempori accommodarunt, vt aptiſsimi viſi fuerint, qui eorrumperentur.

Et quid hi, niſi ſordes & quiſquiliæ mūdi, ſi cum illis, de quibus egimus, comparentur, viris profectò, ſiue eruditionem, virtutem, aut conſtantiam; ſiue rerum mundanarum contemptionem, cæteraque humanæ conditionis ornamenta ſpectes, clariſsimis: id quòd non ſolùm eorum fautores Catholici, ſed ipſi etiam hoſtes atq; aduerſarij & intellexerunt, & fateri coacti ſunt. Nihilò ſeciùs tamē vnius Elioti hominis impuriſsimi teſtimonio, abſq; vlla alia probatione Dominus Paynus contra leges Dei & regni crudeliſsimè trucidatus eſt: licèt in ſui defenſionem, non ſolùm ſcripturas, ſed ipſa præterea decreta Parlamenti, quod appellant, Anglicani protulerit, iuſtitiamq; petiuerit & æquitatem in propria cauſa.

In quo Iudicio, ſi aduerſarijs Apoſtoli ſententiā ſequi libuiſſet, nunquàm profectò eo deueniſſent inſanię, vt ſacerdotem Chriſti, ex vnius hominis atque infamis ſententia condemnarent: cùm ipſe clariſsimis verbis edoceat, nullam eſſe cōtra ſacerdotem audiendam accuſationem, niſi duorum teſtimonio fuerit confirmata, imò ſi glorioſus ille Doctor Auguſtinus, locum apud nouos iſtos Doctores ſuum retineret, nullus procul dubio horum teſtium, nec centum alij eiuſdem farinæ contra fideles hos Chriſti ſeruos audirentur; ſic enim ſcribit ad Pancarium, virum celebrem, apud quem grauiſsimi criminis fuit accuſatus Secundinus ſacerdos: *Quod videntur obijcere presbytero, non eſt contemnendum, tantùm ſi Catholici ſunt qui obijciunt; nam hæreticorum accuſationes contra Catholicum presbyterum admittere, nec poſſumus nec debemus.* Sed alia rerum facies modò apparet in Anglia noſtra, vbi vera religione pulſa, (id promerentibus peccatis noſtris) honor Dei ſimul, cum ea quæ ſacerdotibus debetur reuerentia exterminatus eſt, ac planè fugatus; locoque priuilegiorum ac prærogatiuarum, quæ illis diuino & humano iure debentur, iniuria, opprobria, contemptus & calumniæ paſsim ab omnibus irrogantur. Nunc vnius prophani Doeg teſtimonium ſufficiens exiſtimatur probatio, ad octoginta ſacerdotes innocentiſsimos, perduellionis ſimul & capitis damnandos.

1. ad Timot. c. 5. v. 19.

Epiſt. 210.

Auguſtinus nō permittit hæreticos ferre teſtimoniū in Catholicos ſacerdotes.

Eccleſiaſticorum virorum calamitas in Anglia.

2. Reg. 22.

Cæterùm, vt meliùs intelligatur, quantæ ſint fidei ſeu potius perfidiæ, teſtes prædicti, huius barbaræ crudelitatis præcipua inſtrumenta; operæ pretium erit in medium proferre, impudentiſsima quædam mendacia eorum, omnibus nota & manifeſta, quippè quæ publicè ad confirmandam accuſationem erant producta, quæq; ego vel viua voce eorum, qui in Anglia degunt, vel literis virorum fideliſſimorum ex Gallia accepi, vt alia pleraque ab impuris his nebulonibus confiƈta.

Recenſentur mēdacia quædam impudētiſſima teſtiū & primùm quidem Mūdæi.

Et vt à Mundæo incipiamus, ſparſit ille quidē in vulgus, martyrologiū quoddam Romæ fuiſſe impreſſum, idq; in Collegio Romano, comprehendens martyria eorum, qui ob crimen læſę Maieſtatis, paucis ab hinc annis fuerunt in Anglia morte mulctati, vt Ioannis Feltoni, Madderi, & vtriuſq; Nortoni, quod ſęmentū 1.

adeò constat esse falsum, vt omnes quotquot viuunt in Collegio Romano, possint Mundæum impudentis mendacij arguere.

II. Alterum est quod finxit tale: mandatum fuisse omnibus alumnis vtriusque Collegij Romani & Remensis, vt quàm diligenter quisq; teuolueret atq; intelligere conaretur libellum illum, quē Doctor Bristous de motiuis conscripsit: nam vtriusque Collegij superiores, per literas suas, & vniuersi præterea Alumni, qui vel modò in Anglia sunt, vel vnquàm in illis Collegijs fuerunt, palàm testantur falsum esse figmentum: addunt præterea, non esse plura quàm quatuor eiusdem libri exemplaria in vtroq; Collegio, idq; non solum literis suis ac verbis, sed etiam iureiurando, si opus erit, parati sunt confirmare atque adeò confirmant. Eiusdem generis est, id quod dixerat de Catechismo à Doctore Alano edito, cùm notissimum sit eum nunquàm scripsisse eiusmodi librum.

III. Hùc spectat aliud, quod effuderat, nimirum Doctorem Alanum Romæ fuisse concionatum, patremq; Robertum Personium inter medios Alumnos confidentem in Reginam verba multa maleuolentiæ plena protulisse, quę aperta sunt mēdacia, & tali inuentore digna; nam P. Personius proprio suo ore, Doctor verò Alanus alia via certissima per fidem suam & sacerdotium testantur (quod certè pluris faciendum est ab hominibus probis, quàm integer mundus, & quotquot scelestissimos continet Mundæos) se nec concionē Romæ habuisse, nec huiusmodi verba protulisse. Equidem puto vtrumq; eorum maioris esse prudentiæ, quàm vt hæc negocia (si talia machinarentur) in tali loco & hominum corona tractarent. Rursus omnes Alumni, quos ego hactenus aut vidi, aut ea de re consului, negant confidenter se vnquàm Romæ vel huiusmodi concionem, vel in hanc sententiā prolata verba audiuisse, idq; iuramento interposito, salutisq; periculo confirmant, & si quid simile factum fuisset, plures procul dubio auditores, quam vnū Mundæum interesse oportebat.

IIII. *Horribile mendacium.* Pari modo inficiantur atq; adeò exsecrantur colloquia illa, quæ Mundæus immundus finxit eos frequenter habuisse de nece Reginæ, & regni proditione, tempore recreationis ipso præsente & audiente.

V. *Crassum mēdacium.* Simile mendacium est, quòd dicit omnes seminarij Romani Alumnos iuramentum præstare, se Pontifici Romano obtemperaturos, eiusq; imperijs in omnibus obsecututos: nullum enim tale iuramentum exigitur ab Alumnis Remensibus aut Romanis.

VI. Est & aliud, vt impudentissimum, ita etiam notissimū, quod non per se modò facilè conuincitur, sed prudenti etiam lectori, quantum fidei reliquis huius impuri hominis figmentis tribuere debeat, nullo labore commonstrat. Ausus est Muudæus publicè pronuntiare, omnes illos, qui sacris ordinibus initiantur, in summi Pontificis verba iurare, quod mendacium, nobis tacentibus, Pontificale Romanum abundè coarguit; vbi ratio & modus consecrandi sacerdotes describitur.

VII. Nec à calumnia alienum, quòd neminem in Collegium Anglicanum admitti posse, aut in eodem manere asseuerat, nisi sacerdotij dignitatem se amplexurū, & iuramentum illud, cuius anteà meminimus, præstiturum recipiat: possent plures huius rabulæ proferri calumniæ, nisi hæc ad singularem hominis impudentiā, & mentis inopiam comprobandam, sufficere putarem.

VIII. Nunc ad Eliotū accedam, cuius perfricta frons, ac singularis impudentia omnium

nium oculis obijcitur, cùm vanissimum illud ac planè diabolicum cudit mendacium, quo virum sanctũ ac gloriosum Christi Martyrẽ, Dominũ Paynum in capitis discrimen pertraxit, asserens eum sibi aliquãdò coniurationem, quam Duaci à Comite VVestmerlandiæ, & Doctore Alano, in Regiæ Maiestatis caput fabricatum audiuerat, detexisse, cùm tamen hunc, alterum eorum nunquàm vidisse, alterum, quoniam Romam anteà concesserat, quàm Paynus in illas pàrtes appelleret, videre nequiuisse constet. *Mendacium diabolicum Elioti.*

Nec ab hoc hominum genere sunt excludendi huius noui Euangelij ministri, qui iisdem imbuti disciplinis, nõ sunt veriti publicè modestissimum virum, Dominum Paynum accusare, quòd hanc eandem in Reginam machinationem, nobili cuidam fœminæ, fratriq; germano aperuisset, quàmuis ipse nec mulierem conspexisset vnquàm, nec hac de re cum fratre, vt superiùs in eius Martyrio docuimus, locutus esset. *IX.*

Quòd verò ad Sledæi figmentum, de conspiratione in ædibus D. Nortoni facta spectat, sua ipsius leuitate ruit: nec enim credibile est, nebulonem pauperem, eleemosynis Doctoris Sandersoni, aliorumq; victitantem, & in abiectissimis rebus hero suo famulantem ad conspirationem, quàm à viris prudentibus habitam esse fingit, euocatum. *X. Sledæi figmentum.*

Nec opus est aliorum testimoniis, aut coniecturis humanis, ad eius sycophantiam conuincendam, cùm suo se gladio ipse iugularit. Siquidem amico cuidam suo confessus est, sibi aliquandò fuisse propositum, sanctũ illum virum D. Iohnsonum (postea ob fidei Catholicæ confessionem morte mulctatum) cùm ex Italia simul redirent, trucidare. Narrauit etiam, Parisiis cùm moraretur, cuidam Hieronymo Vayno, homini eiusdem conditionis atque farinę, se rumoris auctorem fuisse Romę sparsi, de classe Hispanica comparata ad Angliam inuadendam; seque vt id faceret, admonitum esse à viris magni nominis in Anglia. Ex quo colligere licet, omnes illos rumores de summi Pontificis, aliorumque principum confœderatione, ab ipsis hæreticis, quò probos affligendi maior daretur occasio, excogitatos fuisse, atque in vulgus disseminatos. *XI. Sledæus professus fuerat sibi trucidare D. Iohnsonum, martyrẽ postea Christi.*

Ille idem Sledæus satis, vt sibi videbatur, mentiendi arte instructus, aliumque similem sui proditorem efformare conatus, prædictum Hieronymum Vaynum egregiè instruxit, quanam ratione, sine vlla suspitione, aut capitis periculo, Romæ omnia explorare posset. Et quamuis conscientiam planè corruptam habeat, negare tamen, si harum rerum illi ratio danda foret, non queat, se eum Hieronymo Vayno, tùm alteri cuidam nobili viro (cuius nomen iusta de causa reticemus) grauissimè conquestum, multò quidem se tempore Romę vixisse, ibidemque artem hanc proditoriam exercuisse, nunquàm tamen iustam laborum suorũ mercedem ab illis, quibus hac in re operam suam elocarat, accepisse. *Proditor docet proditorem.*

Est & illud, quod corruptissimam hominis mentem orbi vniuerso facilè planam facit. Cum elocasset operam suam aduersariis, in D. Ortoni proditione, qui tunc temporis Londini morabatur; remq; totam, ex animi sententia confecisset, id est, virum bonum in manus hæreticorum tradidisset, continuò Magistratum vehementer obtestatus est, sibi vt abire liceret, & quod precibus fortassis se obtenturum diffidebat, nummis tentandum arbitrabatur; è vestigio itaq; coronatos aliquot offert, simulq; rogat, ne se in Ortoni venire conspectũ cogat: adiunxit etiam, summo sibi fore dedecori atque infamię, si hominem corã videre compelleretur.

Et quoniam confusionis sibi periculum imminere, si diutius cum Magistratu disceptaret, animaduertebat, fuga sibi consulendum ratus, ad proximum hospitium, quod non longè aberat, sese recepit: atq; in fœnili quodam absconsus iacuit, donec Magistratus adueniens, eum ex fœno per satellites extrahi curauit, comminatus, si non sponte egrederetur, illum vecti impositum ilicò vi exportandum.

Porrò non laboriosum esset hoc in loco recensere, quàm simulatè hypocritam egerit Remis, cùm in seminarium Pontificium admitti obnixè rogaret, quamque callidè Catholicum se esse simularit, vt gratiam sibi compararet, ac fauorem: quotidiano enim sacramentorum vsu, non solùm Remis, sed etiam Romæ atq; adeò Parisijs gaudebat, & eo quidem tempore, cùm & hanc seruorū Christi proditionem moliretur, & signa alios etiam, qui Remis commorabantur, nacta opportunitate tradendi certiora exploraret, vt mirum non sit, hominem perfidum & sceleratum peierando, nulla religione, conscientia nulla tangi potuisse, qui tàm impio & sacrilego animo non veritus sit sanctissimum Eucharistiæ sacramentum suscipere: quiq; cùm in Angliam traijceret Catholicos ibidem proditurus, virū quendam religiosum, criminum expiandorum gratia, fraudulenter accedere non erubuerit.

Præfecti arcis & Nortoni de Sledæo iudiciū. Nec sanè meliorem de homine improbo aduersarij opinionem conceperunt, quàm Catholici; quanquàm eius opera, ad horum perniciem abuti non grauentur: nam & proditorem illum, & sycophantam egregiū experti sunt. Hinc Nortonus vxori suæ, sententiam Sledæi de filio suo referenti, nimirùm eum mores Sledæi, atq; indolem exprimere, & labentibus annis, virum illum industrium sapientemq; euasurum, respondisse fertur, omnem Sledæi prudentiam in execranda quadam fraude ac impostura sitam esse; seq; meliorem filio fortunam, quàm vt hominis maledici, atque proditoris ingenium referat, exoptare.

Nortonus ob lęsam Maiestatem eodē carcere detinebatur, in quo anteà P. Campianus. Ad hæc, præfectus arcis non dubitauit hunc eundem hominem, nebulonem insignem & sycophantā appellare, quòd regio consilio significasset, eum, qui custodiæ Nortoni in carcere præerat, dixisse iam se dæmonis, anteà verò hominis sancti curam habuisse, Campianum videlicet hominem sanctū denotans; cumq; hoc ipsum, duobus se testibus probaturum suscepisset, nec id præstare potuisset, Præfectus arcis eum vnà cum lacte materno fallendi ac mentiendi artem suxisse palàm testatus est.

Hi sunt, beneuole lector, testes, hæ calumniæ, hæc ex malitia & odio in Catholicos viros conficta mendacia, quæ licèt veri speciem præ se tulissent, nullū tamen eorum qui tunc præsentes accusabantur, in perniciem, vt anteà declarauimus, potuisset deducere. Sed parum aut nihil hoc emolumenti iustorum hominum causæ attulit, vbi regij Consiliarij, causarumq; ingeniosi actores, nouo quodam atq; insolito ratiocinandi genere excogitato, si non directè, per cōsequentiam saltem, omnia in criminationem innocentiū adducta, ad præsentes Christi famulos spectare, siue illa gesta dictáue Romæ, siue Remis, siue hic, siue alibi tentata, concludere potuerunt. Hinc iuxta religiosas illas nouæ Dialecticę præceptiones, in hunc modum ratiocinari licebat. An quis tam vecors atq; amens, qui hunc, cū Romani Pontificis pedes osculatus sit, pestem atq; cędem patrię principiq; molitum esse dubitet? At hic in Romano siue Remensi collegio, vbi huiusmodi videntur tractata colloquia, habiti sermones, qui ad Angliæ regnum funditùs euertendum facere plurimum possent, operam literis nauauit, quis igitur hunc reum esse non

Per cōsequētiam verborum fiūt proditores.

Noua dialectica Puritanorū & Caluinopapistarum.

I.

II.

pronunciat

pronuntiat eorum omnium, de quibus reliqui accusantur? Quid? cum Doct. III.
Alano sermonem habuit, contulit, communicauit, meritò reus læsę Maiestatis
censendus est. Et hic, cum Bristoi libros diligenter legerit atque euoluerit, dubio IIII.
procul proditor, ac perditus publicæ tranquillitatis perturbator est. Vixit etiam V.
Pragæ, & inde Romam Remosq; profectus, in Angliam tandem appulit, quidni
igitur scelus atq; perniciem anhelans, patriæ interitum machinatus sit? Et vt syl- VI.
logismum concludamus, horum aliquid, hic homuncio perpetrauit, atq; idcircò
reus omnium capitis damnandus est? Imò tanta horum criminum, si per se sin- VII.
gula intueamur, grauitas est, vt ob hæc, simul omnes, & seorsum singulos morti
adiudicare æquissimum arbitremur?

O cœlum, o terra, ô Deus Iudex æquissime, tantámne iniuriam atq; iniquitatem per Angliam illam impunè grassari permittis, quam olim tota Europa, ob singulare æquitatis studium, celebrauit: sed missas faciamus querelas, & ad earundem causas rursus accingamur, quidq; ad ciuium fratrumq; nostrorum innocentiam comprobandam amplius adferre possimus, videamus.

Alia demonstratio innocentiæ.

Cum igitur aduersarii eos in principio apprehenderent, in vincula primùm conijciebant: deinde torquebant in eculeo, ac demùm de ijs duntaxàt rebus examinabant, quæ ad religionem spectare videbantur, quos nimirum Ecclesiæ Catholicę restituissent, quibus in locis Missæ sacrificium peregissent, apud quos diuertissent, à quibus sustentati, quid in exomologesi (quod superat omnem barbaricam impietatem) audiuissent, & eius generis alia complura.

Catholici torquentur pro rebus leuissimis.

Eò enim nunc temporis in Anglia (proh dolor) deuentum est immanitatis, vt non tantum pro criminibus magni momenti extorquendis (quemadmodum legimus a maioribus, idq; rarissime factitatū) sed vt plurimùm pro rebus leuissimis, Catholicos omnes, maximè autem Christi sacerdotes, absque vlla misericordia omnibus tormentorum generibus crudelissimè & sæpissimè affligant, non tam vt crimina extorqueant, quam vt eos puniant, aut fidem in tormentis negare cogant; tantum est aduersariorum in fidem Catholicam odium, tamque inueterata malitia.

Dominus Tomsonus.

Hac comitati hostes religionis infensissimi, virum cùm morum pietate, tùm doctrina grauissimum, Christiq; sacerdotem D. Tomsonum nullo alio obiecto crimine (o rem crudelem atq; iniquam) quam quòd altaria quædam portatilia (vt vocant) apud se reseruaret, eculeo suspensum, primò grauissimè cruciarunt, tùm pecuniis omnibus ablatis, quibus vitæ necessitatibus subueniendum fuerat, in specum coniecerunt teterrimam, ibiq; eum quinq; continuis septimanis cum Thoma Burschoago, adolescente docto simul atque Catholico (qui in eodem squalore mensibus ferè tribus versatus erat) sine aqua & lumine compresserunt, donec ex fœtore latrinarum, quæ in eadem specu erant, ferè præfocatis illis exiguum adhuc vitæ reliquum esset.

Thomas Burschoagus.

Ioannes Henslous.

Pari modo Ioannem Hensloum, ea solùm de causa, quòd matrem suam Catholicam fœminam (ex Synagoga hæreticorum ob fidei Catholicæ professionem eiectam) sepeliuisset in cœmeterio, pecunijs omnibus spoliatum, (nam hic illorū est medius semper terminus, quem spectāt in Syllogismo) in antrum immundissimum pariter & fœtidissimū incluserūt, vbi toto quadragesimę tempore, omni solis splendore, igne, locoq; quo posset naturæ necessitati satisfacere, priuatus egit, donec propriò excrementorum fœtore, propemodum confectus esset.

Et quod

Catholici sacerdotes diebus dominicis & festiuis extenduntur in eculeo. Immanitas Caluiniana.

Et quod magis mirandum est, vel potiùs communibus Christianorū lachrymis deplorandum, quò grauiùs affligant non solùm corpora, sed etiam mentes Catholicorū, hoc veluti cumulum, ad calamitates augendas excogitarunt, vt diebus dominicis, & quos Ecclesia Catholica magna obseruat religione, festis, fratres nostros quæstioni subijciant, ac vi acerrimorum tormentorum conficiant.

Atque vtinam sic tandem crudelitati finem imponerent, verùm vlteriùs progrediuntur, & quò iucundiùs seipsos nostris pascant calamitatibus, nóstrosque cōmilitones vinculis ac funibus constrictos, à fide Christi, terrore, minisq; propositis, auertant, nonnunquàm eos, quos recens ex eculeo deposuerunt, ad fenestras carcerum portasq; adducunt, vt quos blanditijs seducere non possunt, suspirijs saltem aliorū, & lamentis miserandis, quæ acerbissima luxatorum membrorū pœna suis quasi compagibus disruptis excitat, à fidei constantia deterreant: imò ipsos fortissimos Christi milites in angulis obscuris, quò crudelissima illa eculei tormenta partim intueri, partim cōmilitonum miserabiles audire voces cogantur, interdùm collocant.

Puritanorū spiritus.

Nec sanè minores, tùm animi tùm corporis cruciatūs patiuntur Catholici, cū inuiti rapiuntur ad hæreticorum Ecclesias, & ad profanas eorū conciones, blasphemam planè & impiam audituri doctrinam, accedere coguntur. Vbi si tacent, à Puritanis indignè tractantur, canesq; muti appellantur: si verò loquuntur, doctrinamq; erroneam repræhendunt, patiuntur verba, violentas manus, interdùm & verbera fratrum Euangelicorū. Exemplo sit cuiusdam Puritani furibunda actio. Hic enim totus odio, & ira ardens, dentibus frendens, manibusq; pugionem compræhendens, sic Sacerdotem optimum allocutus est: Si timor legis me non coërceret, peream, si non ilicò pugionem hunc in viscera tua adigerem. Huiusmodi testes iudicibus & duodecimuiris, ad mille Catholicos perdendos facilè sufficerent, nec sanè desunt istius farinæ homines passim in Anglia, qui bono pretio cōducantur. Hæc ergò Catholicorū in Anglia nostra calamitas est, quòd non solùm leges habeant iniquissimas, & in sui interitum paratas, sed etiam impios quosuis & sceleratos homines totius Regni in capita sua & perniciem armatos.

D. Hart⁹ miserè vexatur sola religionis causa.

Quorum omniū malorum, quæ verior causa esse potuit, quàm fidei Catholicę confessio? nulla profectò, vt iam ipsis aduersariorum factis demonstrabo. Postquàm egregium Christi Athletam, & sanctum sacerdotem, D. Ioannem Hartū, sacræ Theologiæ Baccalaureum, capitis damnassent, nullas non tentauerunt vias eum à fidei constantia dimouendi. Siquidem ad eum miserunt D. Reinoldum, ministrum Synagogæ Anglicanæ non vulgarem, qui cum Christi confessore de difficultatibus inter Catholicos & Caluinistas controuersis, dissereret; idque sanè præstitit quam diligenter.

Verùm, cùm D. Hartum firmiores videret egisse radices in fidei fundamentis, doctrinaq; esse solidiori, quàm vt adhibitis à se arietibus, subuerti posset, re infecta, vnde venit, recessit. Hinc ad alia consilia se conuerterunt, armaq; illa arripienda duxerūt, quibus faciliùs, quàm scripturis, sua dogmata persuadere solent. Nam pium Christi militem in latebrosam cauernam, vbi miserandum in modum, inedia, alijsq; calamitatibus conflictabatur, dimiserunt: cuius dirissimæ tractationis causam aliam prætendere nequeunt aduersarij, quàm quòd hisce modis eum ad suam perfidiam attrahere conati sunt. Nam res in Anglia est planè inaudita, vt quispiam, post sententiam capitis acceptam, tot tormentis afficiatur.

Porrò,

Porrò, quæ facinora à sacerdotibus illis fuêre commissa, quos præfectus arcis Londinensis tantopere à collega suo Doctore Hammonio, ad locũ infame, qui dicitur Bridevvel, flagellis & virgis cędendos mitti contendebat? O profanũ, impiũ, & malitiosum Atheum. Nã hoc fuit Nortoniei spiritus inuentũ, qui simili furia agitatus, præfecto arcis, vt honorandũ Christi Confessorem D. Poundum, ad domũ Bethleemiticam mitteret, persuasit, vt quem stolidũ atq; amentem habebant, cum insanis & furiosis hominibus cogerent cõsuescere. Sed (quæ Dei est prouidentia) locus ipse non ita multò post, aptior est visus vxori Nortoni, quàm nobili viro, fideique Catholicę acerrimo propugnatori.

Præfecti arcis crudelitas.

Nortoni consilium.

Scribunt aduersarij Epistolam persecutionis Anglicanę, nimiũ rhetoricè Catholicorum calamitates atq; miserias amplificare, sed Christus Deus noster, qui solus intuetur afflictiones, quas patimur, optimè nouit in illa Epistola ne minimã quidem partem calamitatum nostrarũ expressam: nouit etiam illas non aliam ob causam, quàm ob Catholicæ fidei confessionem nobis inflictas esse, id quod principiũ & exitus huius inauditæ crudelitatis abundè testatur. Siquidem omnia quæ initio gesta sunt, eò spectabant, vt Catholici vel fidem Romanam propugnare desisterent, vel in huius defensione remissiores se saltem præberent. Postea verò compertum est eos omnes, qui relicta Romana Ecclesia, ad Caluini aut Puritanorũ castra cõfugerunt, nõ solum humaniter acceptos, sed libertate donatos, atq; aliorũ commodorũ spe erectos summam sibi gratiã apud improbos comparasse.

D. Humpfredus in scripto suo cõtra Iesuitas.

Qui abiurata fide Catholica, Calumniarũ sectã amplectũtur, humaniter tractantur.

Huius rei testes sunt, Pascalis, Nicolaus, Osbernus, Cadæus Pontificis alumni, & pauci alij eaſdem ob causas in Angliam missi; qui tamen postquàm semel aut timore perculsi, aut spe fauoris pellecti in verba Reginæ iurassent, ipsam scilicet caput Ecclesiæ Anglicanæ confitentes, nunquàm læsæ Maiestatis aut coniurationis alterius fuerunt accusati. Nec sanè credibile est aduersarios voluisse tàm sceleratis proditionibus pepercisse (si vnquàm fuissent suscepte) ob confessionem potestatis regiæ in causis Ecclesiasticis, nisi probè intellexissent hanc à fide Catholica defectionem, magis quàm læsæ Maiestatis agnitionem fuisse spectatam.

Osbernus & Cadæus redierũt in gratiam cũ Ecclesia, vt patet ex palinodijs quæ subijcientur.

Cæterùm has subtiles machinationes, & figmenta coniurationum, nondùm inuenerant Consiliarij ingeniosi, donec in potestate sua haberēt R. P. Campianũ, cuius generosum sanguinẽ vnicè sitiebant, quemque effundere vehementer contendebant, modò vlla alterius sceleris illi intentandi, (excepto religionis crimine) offerretur occasio, siue per tormenta, siue alia via extorti.

Desideriũ occidendi Campianum causa fuit totius persecutionis.

Multi ante Campianum fuerunt quęstionibus subiecti, grauissimisq; tormentis propemodum enecati, nullis tamen pœnis eò adduci potuerunt, vt vel minimũ, quod leuem etiam coniurationis haberet suspitionẽ, proferrent. In contrariũ verò tot tantaq; dederunt constantię in religione, & patientiæ in pœnis sufferendis argumenta, vt & ipsos Regios Cõmissarios vehementer commouerent; adeò vt Doctor Hãmonius eum quæstionibus de Domino Brianto habitis inter fuisset, hominisq; singularem patientiam expertus esset, non sine ingenti conscientię suæ horrore dixisse feratur; Hominem non solidè in fide fundatum, ex hoc spectaculo vehementer commoueri potuisse.

D. Hammonij sententia de constãtia Catholicorũ.

Quid quòd Nortonus ipse, crudelis alioquin Catholicorum hostis, cùm à D. Harto recens ex eculeo in terram deposito, causam petiuisset, cur tot modò sacerdotes in Angliam commigrarent, responsumq; tulisset, vnicam Anglorum ad fidem Catholicam conuersionem, idq; non ferro & armis, sed concionibus doctis

Norton⁹ profert sententiam in sui damnationẽ.

& pacificis persuasionibus in propriæ animæ damnationem hoc protulisse fertur testimonium: conscientiam meam testor Harte, me veritatem te dixisse arbitrari. Talis erat tunc rerum status in Anglia, donec Magistratus ex causis iam dictis grauiora facinora, proditionis nimirùm patriæ, læsęq; Maiestatis innocentibus intentare statuisset: quibus posset non modò sarto tecto honore suo, sed etiã maiori hominũ applausu sacerdotes Catholicos è medio tollere.

Primum perduellionis crimen obiectũ. Primùm itaq; in vulgus sparserunt sacerdotes istos, eo consilio in Angliam redijsse, vt à Catholicis Anglis pecuniã colligeret in subsidium eorũ, qui contra Regiam Maiest. arma in Hybernia suscepissent. Quæ accusatio, cùm non satis firma videretur, nec illũ exitum sortiretur, quem sperabant, mutata vice, alia crimina intentanda duxerunt, coniurationẽ nimirùm in Règinę internecionem, & læsam regalem Maiest. operam ad tàm præclarum stabiliendum mendaciũ, duobus perditis nebulonibus suam nauantibus, mercedeq; oblata quæuis affirmare & negare, & si opus foret, iurare quoq; & peierare paratis, siue vera siue ficta essent, quæ obijciebantur crimina; tempori enim duntaxat inseruiendũm putarunt.

Huic etiã accusationi, manus auxiliares attulit Ioannes Nicolaus libello quodam suo, & palinodia in lucem edita; si tamẽ fas sit horum tàm insignium operũ auctorem illum extitisse credere, etenim sunt, qui putent (nec fortè falluntur opinione sua) non Nicolaum, sed Vvilkinsonum quendam, horum mendaciorum, atq; adeò totius fraudis & veneni in illis latentis architectum fuisse: solent enim ministri operam suam in tali causa, quibusuis apostatis non facilè denegare, quo voluminibus impressis rudi populo persuadeant, se nihil magis quam Dei gloriã, animarumq; salutem spectare, seq; non minis sed rationum momentis, non honoris aut dignitatis promissione sed veritatis vi victos, Catholicam & Romanam deseruisse Ecclesiam, atq; ad Caluini castra confugisse.

Auctor libri editi nomine Nicolai.

Ministri noui Euangelij insignes Architecti mendaciorum.

Sic Nicolaus, quò maioris esset ponderis ad imponendũm populo quam edidit palinodia, vtq; rem totam religionis zelo, conscientiæque impulsu aggressus videretur, finxit se vsq; adeò piorum concionatorũ rationibus, argumentisq; validis conuictum, vt non potuerit non acquiescere illorum sententiæ, fidemq; Romanam abiurare: cùm tamen ex propria ipsius confessione (si fides vlla sit verbis eius habenda) constat eum cuidam amico suo significasse, se cùm Roma rediret, in perfidia sua hæretica vsq; ad finem vitæ perseuerare statuisse, seq; Præfecto arcis Londinensis, prima nocte qua peruenerat eò, paratum obtulisse prodere Catholicos sacerdotes omnes, per quemcunq; tandem maritimum Regni portum ingredientes, nominaq; omniũ eorũ, qui Romę literis operã nauant, præfecto dedisse.

Lege confessionem Ioannis Nicolai inferius.

Nicolaus nõ est conuersus à ministris, vt prætendebant.

Ex quo, luce clarius patet, hunc peruersum hominem non à pijs concionatoribus doctisq; viris persuasum, fidem Romanam deseruisse: sed sua propria sponte, nullis argumentis conuictum (nisi fortè minæ, aut gratiæ pollicitationes argumenta eiusmodi sunt censenda) manus dedisse, seu potius perfidiam dissimulatam apetuisse.

Nec mirerur lector, hanc aduersariorũ fraudulentam actionẽ, qua Nicolaum ministrorũ suorum opera, & pia eruditione cõuersum fuisse testantur. Hoc enim ipsis vulgare est, vt huiusmodi strophis populo imponentes sibi auctoritatẽ apud vulgus comparent. Sic duos rusticos, vnà cum P. Campiano captos, timore mortis atq; equlei exagitabant, vt fidem Catholicam infelices desererent, priusquam in conspectũ ministrorũ venirent, & tamen à pijs cõcionatoribus ad sanam mentem

tem reducti dicebantur. Pari modo quidam alius Cooperus nomine, homo pauper & egenus, oblatis sibi à præfecto arcis Londinensis viginti libris monetæ Anglicanæ, id est, sexaginta coronatis plus minùs, vt idem faceret, adductus est. *Cooperus.*

Hæ sunt artes, quibus aduersarij Catholicos infirmiores transuersos agere conantur, cùm eruditione aut pietate nihil præstare valeant: tàm enim sunt abiecti nominis nunc temporis in Anglia Concionatores hæretici, vt vix aliquid amplius ad Catholicorum peruersionem præstare possint.

Sed vt ad Nicolaum nostrum reuertamur. Hic licèt libellis suis Regię Maiestati eiusq; ministris dicatis, omnia quę deinceps seruis Christi pro tribunali fuerunt obiecta, & ab alijs suis socijs confirmata diuulgasset, nunquam tamen ad ipsum tribunal accedere, coramq; reos accusare permissus est, cuius rei causa fuit hominis leuitas & inconstantia probè cognita consiliarijs, suspicantibus fortè si in publicum prodiret, omnia ipsorum consilia pateficeret. Quanquam etiam fieri potuerit, hominem perditum conscientiæ stimulis nonnihil agitatum vltro se subduxisse, ne eius opera aduersarij, ad tàm præclaros & insignes viros, quorum integritatem habebat exploratam, perdendos vti possent. *Cur Nicolaus nō productus fuerit ad tribunal accusaturus Catholicos.*

Illud certè nobis constat, eum sua sponte accessisse D Lucam Chirbęum, & ab illo socijsq; suis veniam sceleratæ proditionis suæ petiuisse, publiceque testatum esse, omnia quæ in illos coniecerat crimina, falsa esse & commentitia, seque hoc ipsum Secretario Regio indicaturum. Addidit præterea Sledæum & Mundæum proditores esse vilissimos, & eosdem si tales vnquàm terra tulisset, nebulones fraudulentos, sibiq; impias eorum, & diabolicas machinationes planè perspectas esse: sed de hisce latius D. Lucæ Chirbęi literæ quas anteà posuimus, agunt. *Sentētia Nicolai de Sledæo & Mundæo.*

Eliotus porrò, alter huius iniustæ criminationis socius atq; testis, cùm suā primùm elocasset operam aduersarijs, nunquàm fore putabat, vt mortem P. Campiano intentarent, quemadmodum in hæc verba, ipse religioso viro cōfessus est. Si putassem (inquit) te præter carcerum molestias aliquid aliud ex mea accusatione passurū, nunquàm profectò illam protulissem, etiamsi grauissima mihi incōmoda subeunda fuissent. Quòd si ita est, inquit Campianus, te per Deū immortalem obtestor, vt vera pœnitentia ductus, scelus susceptum ad gloriā Dei, animæq; tuæ salutē detesteris. Cumq; Eliotus se magno iā periculo versari, multumq; ne à Catholicis ob hanc proditionem occidatur, se timere diceret; falleris plurimùm, ait Campianus, si Catholicos odium ac iram ad vindictam fouere existimās, vt tamen securior euadas (si placet conditio) te in Germaniā ad ducem quendam Catholicum, vbi securissimè viues, ablegabo. *Collocutio Elioti & Cāpiani.*

Cui iam dubium esse potest innocentissimos fuisse Christi martyres, cùm nō solùm ipsorum confessiones, sed etiam aduersariorū, persecutorūmq; voces, clarè demonstrent omnia crimina illis obiecta falsa fuisse & fictitia, vt interim mortē omittamus ipsam, atq; adeò extremam protestationem in mortis articulo factā, quæ vt omnibus reis siue ad culpæ agnitionem, siue ad integritatis declarationem instituatur, apud homines Christianos vera pietate & religione imbutos, maximi momenti esse solet, quandoquidem ex veritatis assertione, vel negatione, nihil aut parum cōmodi possint rei in illo momento reportare: ita sanè, si fiat cum diuini numinis attestatione ab illis, qui vt crimē agnoscant inuitantur, nō solùm vitæ spe diuturnioris, sed etiam honoris & dignitatis pollicitationibus, quantò magis fidem apud viros cordatos merebitur. *Clarissimum argumentum innocentiæ.*

Ecquis ergo putabit istos sanctos atq; integrę vitæ viros, in suum ipsius interitum tum animę tũ corporis, mentiri voluisse, idq; in extremo illo vitæ articulo, cùm iam iam sistendi essent horrendo Dei tribunali, quorũ etiam consciẽtia vsq; adeò fuit religiosa, vt nec pro dignitate vel honore oblato, imò verò pro vita ipsa (qua nihil homini carius esse potest) vel facto, vel verbo, ad latum vnguem à fidei Catholicæ professione deflectere, aut id quauis ratione committere, quod sibi nõ licere existimabant, voluerint.

Negari non potest Consiliarios Regios plurimùm laborasse, & tentasse singulos, vt crimina obiecta agnoscerent, nec non erga eum qui postremus fuit morte affectus, insigni vsos arte, vt vel verbum extorquerent, quo videretur à socijs antè occisis dissentire, crimen intentatum confiteri, & propterea à Regia Maiestate vita donari.

Conantur inducere Cottamũ in fraudem, vt falsẽ agnoscat socios fuisse culpabiles.

In hunc enim modum aggressus est Magistratus Cottamum solutum iam & laqueo expeditũ; facilè, inquit, intelligimus Cottame, te non eo consilio quo socij, in Angliam venisse, vt nimirùm populum concitares ad seditionem, sed vt valetudinem afflictam recuperares. *Proinde de curru descendito, sperabat vtiq; vir ingeniosus, se his verborum lenocinijs facilè posse viri sancti animum mollire. Tùm hæc etiam verba subiunxit:* Verè fœlix tu es, Cottame, quòd huiusmodi hominib' facinorosis sociũ te ipse non adiunxeris; non est quòd dubites de misericordia Reginæ, illa enim se clementem erga te principem præstabit.

Quæ cùm audiuisset Cottamus, seq; solutũ conspexisset, verè existimans sibi vitam esse donatam, gratias egit quas potuit maximas Regiæ Maiestati. Cæterùm vbi à Magistratu intellexisset, illud vnum adhuc restare, vt nimirùm se apud populum de criminibus intentatis purgaret, palamq; testaretur se non ob easdem causas in Angliam venisse, ob quas cęteri ante ipsum capitis damnati accessissent, sibiq; in hoc instituto Pontificis Romani consilia vehementer displicere, tanta libertate pro sua sociorumq; suorũ innocẽtia dixit, vt facilè videre fuerit Deũ Opt. Max. in hoc conflictu, & gratiam & lumen militi suo præstitisse; quò nimirum fraudem aduersariorum depręhenderet, & foueam iam sibi paratam declinaret. Cùm itaq; se hostes in astutia sua depræhensos aduertunt, omnique spe fallendi martyrem se planè frustratos, longè crudeliùs quã cæteros eum trucidari curarũt.

Innocentia Martyrũ probatur euidẽtissimè.

Porrò quemadmodum videmus aduersarios in subsidium causæ suæ plurimùm laborasse, vt vel vnus ex tàm multis, se reum agnosceret, quanquàm nemo non iudicasset eum (si tamen quispiam eorum id fecisset) vitæ saluandæ gratia illud præstitisse; ita in contrarium constans illa criminum inficiatio, coniuncta cum insigni pietate, doctrina, morumq; integritate vsq; ad vitę profusionem, animęq; in ęternum damnandæ periculum, viris sanctis argumentũ firmissimũ præbet innocentiæ: aduersarijs verò Ecclesiæ Catholicæ, atq; sacerdotij hostibus notã inurit sempiternæ infamiæ Nam vt verè dixit ille, qui omnium postremò supplicium subiuit: si inter tot reos nullus extiterit, qui veritatem facti (si aliquid commissum fuisset) aut spe vitæ conseruandæ, aut animæ saluandę desiderio vellet confiteri, profectò non tàm homines, quàm monstra quædam & portenta hominum essent censendi.

Hinc non solùm Angli, sed exteræ etiam nationes Christianæ plurimùm videntur tantorum virorum dolere calamitatem, quos (vt verè erant) cùm integerrimos & innocentissimos fuisse sibi persuadeant, per summũ scelus occisos esse

deplorant

deplorant, idq; ad gloriam Dei & honorum martyrum, libris plurimis, carminibus varijs linguis atq; figuris impressis, & in lucẽ editis vniuerso mundo testatur.

Quæ sanè res adeò commouit Magistratū iudicesq; iniquos, (qui sceleris nefandi memoriam, vnà cum sanctis sepelire cogitabant) vt non modò omnes conatus adhiberent, ne facinoris horrendi fama ad exteras nationes perueniret; verùm etiam interposita vi auctoritateq; Regia, crudelitatem suam barbaram defendendam existimarent. Ac primò quidem, illos grauissimè puniuerunt, qui ausi sunt vel scribere vel loqui, de sanctorum morte vel iniqua condemnatione: alios, quòd de innocentia P. Campiani scripsissent, & vniuersitates & regnū relinquere coëgerunt alijs vtramq; aurem præciderunt, vt Vallingero accidit; alios alijs pœnis sic afflixerũt, vt abundè se in visceribus medullisq; veritatis odiũ consouisse, & præclarum facinus admissum erubescere contestarentur. Qua tamen seueritate, tantum absuit, vt vel hominum refrenare linguas, vel aures occludere potuerint, vt si omnium hominum aures, quæ in Anglia & reliquis Europæ prouincijs, hoc iniquo iudicio complerę sunt, (quod malum Deus auertat) præscinderentur, ausim dicere mediam illorum partem auribus destitutam iri.

Defensores martyrũ puniuntur.

Vallingerus amittit aures.

Edicto etiam publico nomine Reginæ edito, primoq; die Aprilis, Anno 24. regni sui diuulgato, mandatum fuit omnibus regni subditis, vt certa suæ Maiestatis & consiliariorum fide atq; scientia inducti, sibi persuaderent tres illos non ita pridem occisos, Campianum nimirùm, Scheruinum & Briantum legitimè fuisse accusatos, conuictos, & capitis damnatos; quod & de cęteris Iudicum sententia damnatis, credi volebant. Quæ noua & insolens agendi ratio effecit, vt plurimi multò magis, quàm anteà aliquid in hoc iudicio latere fraudis, quod istiusmodi extraordinarijs edictis tegendum esset, aut potiùs compescendum, suspicarentur; omnibus enim compertum erat, nec Maiest. suam, nec consiliarios regios, plura de reis cognoscere potuisse, quàm quæ publicè pro tribunali obiecta fuerunt, probata etiam atq; amplificata nomine suæ Maiest. in quo omninò nihil celari potuit, quod vlla humana suspicio vel directè, vel in obliquum (vt ex dictis patet) sanctissimorum hominum mores perstringerent.

Edictum Regium inusitatum.

Ac quoniam hæc omnia vt vana ac commentitia, abundè à nostris & pro tribunali in totius populi conspectu, & post per publicam innocentiæ professionẽ in loco supplicij & extremi mortis certamine fuerunt refutata, ijsdem enucleandis supersedemus. Et quamuis Regiæ Maiest. auctoritati detrahere non velimus, (omne quidem obsequium & debitam ei obedientiam concedimus) tamen nec possumus nec volumus (cùm de Dei sanctorumq; eius honore agatur) illos criminum obiectorum reos agnoscere; imò confidenter asserimus, non ob aliã causam, quàm ob Catholicæ fidei professionem constantissimos milites sanguinem profudisse, falsoq; omnem illam perduellionis criminationem in Regiã Maiest. & regnum excogitatam. Ad hæc, nec Regium edictum tanti momenti vel ponderis esse potest, vt nobis contra propriam nostram ac certam harum rerum cognitionem, sanctos Dei iustè fuisse occisos persuadeamus, cùm in huiusmodi dubijs læsę Maiest. criminibus, ipsa Regina personam actoris sustineat, ac ob id nullo edicto, quod vi vllius prærogatiuæ Regiæ stabilitũ sit, aliter testari posit, quàm certissima iuris regula normaq; præscribit.

Nec solùm in alijs rebus, quæ ad iudicium prædictum spectant, sed etiam in hoc ipso de quo agitur edicto, constat Regios ministros ab aduersarijs nostris

Nec Iesuitæ nec sacerdotes seminario rum fuerunt in tumultib. hyberni is.

m sic instructos atq; informatos esse, quædamq; in lucem emisisse & à veritate aliena, & cum calumnijs quàm coniunctissima: scribunt enim, & omnibus Anglis subditis vt firmissime credendum proponunt, Iesuitas & seminariorum sacerdotes huiusmodi in Hybernia tractasse consilia, quæ tandē in apertam proruperint rebellionē: quòd vt putidissimū mendaciū inficiamur, scientes certissimò, nec Iesuitam vllum nec sacerdotem, aut vllum seminariorum studiosū, vel illius tumultus minimam fuisse partem, vel eidem interfuisse.

Eo ipso quod omnes Iesuitas & sacerdotes perduellionis damnent, non minus quā istos martyres, docent omnes innocētes esse.

Cæterùm in hoc negocio, eo licet nobis esse breuioribus, quò nullus, qui non sit rationis sensusq; communis expers, non facilius ex ipsius edicti tenore cognoscit, nullū peculiare crimē à sanctis illis sacerdoribus tanta crudelitate occisis fuisse cōmissum, nullumue scelus susceptum, ob quod veluti proditores cōdemnandi essent, magis quàm à cæteris eius societatis hominibus, vel seminariorum Pontificis alumnis, tametsi multi ipsorum vix dum pueriles annos excesserint, nec quid magis ab hisce mali cōmissum sit, quàm ab ijs qui in posterùm vel societatis Iesu institutum amplexuri, vel se in huiusmodi seminariorū disciplinam traditu- ri sint, licèt necdum nati, possint admittere, non video.

Infantes nōdum nati declarātur proditores si societatem in posterū sint ingressuri. Edictum absurdissimum.

Rursum quis tàm cæcus est, qui non videat illius edicti absurditatem, quo & vniuersa societas nominis Iesu, & corpora collegiorum siue seminariorum, eorumq; personæ singulæ (licèt secundū se innocētissimę sint) citra vllius legis hactenus sancitę pręscriptū iam proditores denuntiatos esse & reos læsę Maiestatis? Neminem arbitror esse, qui non facilè rem hanc longè absurdissimam esse perspiciat, Patremq; Campianū & socios suos, non ob particulare aliquod, vel perduellionis vel coniurationis facinus, sed ob illud cōmune religionis crimē interemptos esse. Quæ legis ratio si auctoritate fulciatur, opus non fuerit singulos in posterum singulatim examinare, testibusq; productis reos peragere, cùm omnes in vniuersum lege hac generali iam pridem rei sint denuntiati, capitisq; citra iudicis sententiam damnati.

Et quamuis in hoc rerum cardine Catholicorū negotia versentur, eaq; sit non eorum modò calamitas, qui iam morte sunt mulctati, vel qui in carceribus squalore atq; molestijs afflicti, similem exitum in momenta expectant: sed etiam eorum, qui vel in societate Iesu, vel in seminarijs Pontificis trans mare degunt; tamē (quę Dei bonitas est) sic indies excellentiæ & integritatis omnium opinio crescit, vt ipsi regni proceres vehementer dubitarint, expediretne reliquos sententia iudicis damnatos internecioni dare, an verò absolutos dimittere; quippè qui natura sua plurimùm à crudelitate abhorrent, Regiamq; Maiest. semper ad misericordiā fuisse propensam norunt.

Regina & proceres propensi ad misericordiam.

Et quamuis inuiti reliquorū mortem conspexisse viderentur, tùm quòd eorū integritatem probè sibi perspectam haberent, tùm etiam quòd pro sua prudentia magnam animorum mutationē, mortem tantorum virorum subsequuturam facilè viderent: quia tamen ex altera parte timebant, ne si eos sine vlla criminum confessione, aut negatione religionis vita donarent: viderentur hoc ipso, iniustè etiam illos fuisse damnatos fateri, seque in pœna mortis innocentibus inflicta grauiter errasse, magnamque Catholicis conquerendi, alijs etiam calumniandi præbuisse occasionem: statim post Campiani, Scheruini & Brianti cędem, quosdam ad reliquos damnatos amandarunt, qui eis, vt à Regina veniā errato peterent, persuadere conarentur, & generatim tantùm se Maiestatem regalem

Ratio cur occiderint martyres quos sciebant esse innocentes.

Si voluissent vllam suam

lem offendisse confiteri, aut saltē de constantia illa in religionis negotio nonnihil eos remittere consulerent: quòd si faciant, vitam à sua Maiestate & veniam certissimam promittunt. *culpam agnoscere, aut de constātia remittere, vitā impetrassent.*

Et ne post tot conflictus tantamq; tormentorū perpessionē leuiter sententiam mutasse, fidemq; Romanā inuicti homines deseruisse viderentur: ecce tibi ministri hæretici adducuntur subitò, vt qui operam suam in sanctorū cōuersione præclarā præstitisse videantur. Quo cōsilio ingeniosè excogitato, etsi æquitas iudicij fucū admittere, vitaq; sanctorū saluari potuisset, nulla tamen ratione adduci potuerunt, vt eo pellecti in aduersariorū sententiā descenderent, quamuis certo se grauissima ex eo accepturos incōmoda prospicerēt; nec falsi sunt opinione, nam statim atq; negassent se posse aut velle cōsilio tàm noxio saluti atq; perniitioso acquiescere, in ergastula subterranea dètrusi fuēte, & per aliquot menses, indignis modis eousque vexati, donec vltimum malorum mors omnes tandem hasce calamitates finiret atque concluderet.

Porrò quoniā paulò antè noui sparsi rumores, nouę querelæ ob id excitatę fuerant, quòd Dominus Paynus (ex cuius cōfessione reliquos fuisse conuictos, & capitis damnatos asserebant) aliò sententiā mortis extremumq; suppliciū subiturus ablegaretur, ne error posterior priore peior ipsis foret, ad noua figmēta excogitanda, omnes ingenij vires applicarunt, (vtpote quę longò iam vsu & experiētia sunt ad noua inuenienda promptissima) tùm vt sanctos minori populi offensione necarent, tum vt Reginā ad horum interitionē inflecterent, quæ præ naturæ suæ clementia, qua prædita est & misericordia, non facilè eam alioquin permisisset.

Rationem igitur expeditam inuenerunt, qua non modò ex sententia Reginæ, sed etiam populi approbatione, veluti proditores & hostes patriæ, licèt haudquaquam tales essent, & digni morte iudicarentur. Quæ sanè crudelitas, & iniqua eos in populi conspectu necandi ratio, ob crimina, de quibus nec anteà accusari, nec in iudicio quidpiam actum fuerat, quæquè nec vllam reuetà læsæ Maiestatis speciē præseferebat, euidēter probat à prioribus illis facinoribus pro tribunali obiectis eos fuisse immunes, nec ob eadē viros integerrimos morte mulctatos esse.

Vt autem lector hanc tàm præclatè excogitatam inuentionem pleniùs intelligat, paucis eam verbis describere proposui. Miserunt consiliarij ad vinctos Christi famulos quatuor Iurisperitos, Procuratorem scilicet Regium, & eiusdem (vt vocant) Solicitatorem, Lenes deinde & Hammonium Doctores, vt hi propositis sex articulis siue interrogatiunculis quibusdam extorquerent, non quæ crimina læsæ Maiest. aut alia facinora cōmisissent (cùm huiusmodi in innocentes minimè caderent) sed quid in intimis animi recessibus cogitarent, quid faciendum foret ab alijs, aut quid ipsi si hic vel ille casus sese offerret facturi essent, quidq; sibi tentandum existimassent, si in Hybernia cum illis, qui paulò antè arma in principem cœperant consueuissent. An putarent vllā causam iustam excogitari posse, ob quam Angliæ Regina vel quispiam alius princeps Christianus, de statu suo dimoueri posset. *Nouæ quæstiones proponuntur captiuis.*

Etenim hominibus prudentibus non satis erat, quod sancti viri, se Elizabetham Reginā suam & principem legitimā agnoscere, nec vnquàm verbo vel facto in ipsius Maiestatē peccasse antea confessi essent, quin sibi declarari volebāt, quid in posterū sibi aggrediendum putarent, si vel ob Atrij, Atheorumq; hæresim, vel eiusmodi grauiora facinora, quibus principes naturæ quadam propensione, quem-

quemadmodum & cæteri mortales obnoxij sunt, Reginam sceptro priuari contingeret, quidq; consilij in hoc casu populo proponendum arbitrarentur. Num etiam propter huiusmodi scelera, iure deponi possit: Quibus interrogatiunculis sibi 13. Maij obiectis ea animi sinceritate ac candore pij viri, qua par erat, vt etiam anteà meminimus, responderunt.

Et licèt hę responsiones principi Regijsque ministris tanquàm signa animi malè erga suam Maiest. affecti visæ fuerint, quia in illis maximè, Reginam iustis ex causis regno spoliari posse intellexerant, indeq; populo odij atque inobedientiæ ansam præbere existimarent: nulla tamē lege, ea quæ in responsionibus compræhendebantur, ad læsæ Maiest. crimen poterant reuocari. Quod cùm nec ipsos aduersarios lateret, non eas responsiones in condemnatione, quādo pro tribunali mortis sententia proferebatur, vrgebant, tametsi ex sanctis illis atq; innocentibus viris nonnulli, id quòd antè (vt ab aduersarijs etiam in libello notatum est) responderant.

Quoniam autem illud propositum habebant, vt omnia congererent, quæ malæ causæ auxiliari possent; consultius se facturos arbitrabantur, si easdem responsiones, additis quibusdam sententijs, hinc inde ex Sanderi Bristoique scriptis ad maius odium concitandum, corrasis in lucem ederent. Quibus, tum vt res tota authoritate publica geri videretur, tum vt maioris etiam apud populum fidei esset, quàm libellus in morte cæterorum editus; præfationem nouam adiunxerunt, & in ipso supplicij loco, qualis noua institueretur accusatio, pronūtiarunt; quę sanè res nec anteà vnquam visa est vel audita, nec in monumentis maiorum reperta, vtpote cùm non iam duodecimuiri iuxta consuetudinem receptam nomine totius patriæ sententiam proferrent, sed populus vniuersus iudicis personam sustineret.

Noua instituitur accusatio sanctorum in loco supplicij.

Hinc postquàm serui Christi in loco supplicij perduellionem suam confiteri iussi, grauissimis verbis se tali scelere obstrictos esse negassent, parari æterna subire gehennæ supplicia, si contrariū doceri posset; productus fuit Anthonius Mundæus, vnus ex primis accusatoribus, homo perfidus, & omnia quæcunq; proponerentur ad populo imponendum, aut affirmare aut negare paratus.

Qui quamuis omnes accusaret, & ne in minima parte officio suo defuisset, in populi tamen iussus est prodire conspectum; illoq; præsente in hanc vocem prorupit Magistratus: Ecce vnus ex socijs vestris adest, Romani Pontificis quōdam alumnus, qui verissima esse omnia, quæ vobis obiecta sunt, quantumuis ea negetis testatur. Sed hæc omnia apud viros prudentes parui erant momenti, qui facilè intelligebant Mundæum ex illis septem sacerdotibus, qui duobus prædictis diebus occisi fuerunt, nunquàm vel vnum in illis locis, vbi cōspiratio dicebatur peracta, conspexisse, solo Domino Luca Chirbęo excepto, de quo nihil tamen peculiare quod diceret habebat.

Mūdæus producitur ante martyres, omnes accusaturus, cùm tamen vix vnū in locis designatis cōspexisset.

Egit itaq; Mundæus, quantum potuit, non quantum Magistratus expectabat: quapropter illo vt homine minus apto ad negotium tanti momenti conficiendum valere iusso, ad nouam suam de qua agimus, accusationem confugerunt, eaq; obiecerunt crimina quę in libello edito, atq; à ministro verbi iuxta patibulū lecto, vnà cum responsionibus sacerdotum Catholicorum ad eadem datis continebantur.

Quoniam autē responsiones frequenter eiusmodi erant, quæ nihil, aut parùm causam

causam iniquam promouebant, Magistratus subinde ministro præcipiebat, vt folium verteret, librique præfationem legeret, vt sic vel ex responsionibus, vel saltem ex Sanderi & Bristoi, quæ citabat, scriptis sacerdotes imprudenti multitudini malè saltem erga suam Maiestatem affecti viderentur, licèt reliqua crimina à moribus suis vitaque depellerent, proindeque mortis supplicium iustè etiam putarentur subire.

Præterea ex humili plebe, nonnulli à ministris (solet enim hoc hominū genus patibula quoque frequentare) sunt excitati, vt signo dato, non solùm ipsi clamores hos ederent, sed alios etiam ad cōclamandum, (tollantur è viuis, tollantur è viuis) instigarent. Non tamen ex illa multitudine, aliquot hominū millia defuerūt, qui domum ex tristi spectaculo redeuntes, lachrymis atque suspirijs dolorem suum contestarentur, reique indignitatem deplorarent.

Ex hac ergo noua & insolita Iudicij forma facilè nobis foret, & martyrum innocentiam comprobare, & apertè etiam, nihil præsidij causæ aduersariorū hinc allatum esse, demonstrare: sed diutius hisce rebus inhærere non libet, satis enim id nobis esse debet, quòd Deus iustissimus iudex seruorum suorū nouerit innocentiā, quòd tota etiā Anglia, imò ferè tota Europa Martyrū integritatē clarè perspexerit; quòd denique fateatur Deo immortali ex ipsorū morte ingentē gloriæ cumulū accessisse, Ecclesiam Catholicā, insignium virorū martyrijs, condecoratā.

Aduersarij nihil, Ecclesia verò Catholica multùm lucrata est morte martyrum.

Velim etiam lector intelligat, nobis in hoc loco non esse propositum, imò nec decere personas nostras, causas cur vulnus illud antiquū proscriptionis à Pio V. Pon. Max. in Reginā larg, iam denuò refricarint aduersarij, exquirere, cùm quod ad nos Catholicos attinet, hanc sempiterna obliuione deletā (nisi ipsi aduersarij planè friuolis rationibus, eam in quæstionem vocassent) ex hominum labi memoria passi fuissemus.

Proindè si nostrarum partiū viris doctissimis hîc præclarissima occasio oblata est, veram Ecclesiæ Catholicæ sententiā, Academiarum iudicia, & eruditorum virorū placita tàm aduersæ partis, quàm Catholicorū, enucleandi seu discutiendi, (fiet enim diuina fauente gratia in opere quod propediem de illis sex articulis siue quæstionibus, ab aduersarijs propositis in lucem dabimus) non est quòd nobis succenseant hostes, qui id tantùm studemus, vt nos nostrosque defendamus, & propugnemus innocentiā: ita tamen, vt disputationem illā particularē de suæ Maiestatis titulo atque iure, propter studiū, atque amorem singularē, quem erga ipsius personam gerimus, euitemus, quamuis ad eam nos importunitate quadam aduersarij prouocarunt. Nec in verba vel doctrinam Sanderi, aut Bristoi de excommunicatione, vt vocant, iurare cogitamus, nam & nos ipsi, & viri multi prudentes admirantur, quid aduersarijs in mentem venerit, quòd populo horum virorum sententiam aperire decreuerint, quorum nomina sic in scholis, & ore Anglorum celebrantur, vt vel ipsa rei mentio, non possit non copiosam hęsitandi materiam in plurimorum animis generare.

Liber de sex articulis propositis martyribus promittitur.

Aduersariorum imprudentia notatur in mouendo quæstionē de excōmunicatione.

Nihil dicimus de infidelitate, quam omnibus Catholicis cōmuniter obijciūt, cùm eos malè erga principem suā affectos, talesque se præbere, vt meritò illis fides nō sit habenda, dicunt; quæ sanè res tàm domi quàm foris, multis occasionem inquietudinis, ne dicam desperationis præbet, illis verò maximè, qui non vsque adeò firmas in schola patientiæ radices egerint, quique perindè esse existimant, siue proditores reuerà sint, siue tales habeantur, gratiaque & fauore principis priuentur: in quibus fortè locū inuenerit quod dici solet, patientia læsa sæpè in furorē vertitur.

Iii Nec

Hæretici Angli videntur de alia Regina præter Elizabetham cogitare.

Nec opus est hic commemorare quàm incautè, & insolitè quidam magnæ authoritatis viri à Campiano primùm, & deindè alij ab alijs peterent, quos videbant omni studio ac beneuolentia suam Maiestatem prosequi, proq; salute eius Deum assiduè precari, pro qua Regina orarent, aut quam Reginam intelligerent, & id genus alia.

In quem autem finē, hęc omnia dicta factaq; fuerint, quidue inde Respub. cōmodi acceperit, nostrum non est discutere: id enim viris sapientibus, minimeq; corruptis perpendendū relinquimus, hoc vnū conquerimur atq; deploramus, sex illos articulos fratribus nostris fuisse propositos, eorumq; fidē, & erga principem studium, ex responsionibus suis ad eosdem æstimari: vnde cogimur vel inuiti omni animi demissione, paucis verbis demonstrare nō solùm nobis factā esse iniuriam, sed præterea ciues nostros, viros integerrimos iniusto iudicio damnatos atq; trucidatos esse: (id fusius in tractatu de sex articulis præstituri) quippè qui crudelissima simul, & ignominiosissima morte enecati sunt, non modò propter crimina falsò illis obiecta vel verba, factáue externa, quę lege humana puniri possunt, sed etiā propter intimas animi cogitationes, ex inanibus quibusdā suspicionibus insolito more exploratas: imò quod grauius est, ipsamq; Antichristi tentatem exuperat, propter delicta futura, quæq; in posterum committi possent.

Catholici Angli propter cogitationes internas et peccata nondum perpetrata occiduntur.

Solus Deus punit cogitationes.

Etenim quamuis Deus ter Opt. Max. naturæ sit auctor, legumq; iustarū, quæ naturæ adminiculo ab hominibus sanciuntur, vires excedit, suoque quod in nos habet iure iustissimè intima cordis humani scelera puniat, eo quòd illi æquè sint nota, atq; externa quęq; omnibus patent opera: nemini tamē vnquā obijcit tempora futura, nec in peccata, quæ quispiam perpetraturus est, aut perpetrare posset, si longiorē vitam nactus occasiones peccandi habeter, animaduertit; nihilò secius tamen nos qui vltrò Elizabetham Reginam nostrā, Principem atq; Dominam agnoscimus, quiq; omne illi præstamus obsequium, studiaq; deferimus omnia, quæ vel lex diuina vel naturalis, vel humana illi deferenda dictat, aduersarijs nostris satisfacere non possumus, sed authoritate Regia, iuramentis tormentisq; adhibitis, præfari cogimur, quid in hoc vel illo casu incerto, vel venturo aut fortè nunquàm eventuro, facturi simus. Quibus si respondemus nihil nos de futuris contingentibus certi statuere posse, nisi quòd legibus, legumq; transgressioni subijciamur, si in Regiam nos Maiestatem, vel in Rempub. delinquere tunc temporis cōtingat, vel (vt aliqui ex nostris magis generatim responderunt) tunc id nos facturos, docturos, & credituros, quod ea tempestate Ecclesia Catholica docendum credendūq; de istiusmodi inter Principē, summumq; Pontificem, vel quemcunq; alium intercidentibus quæstionibus, proposuerit; si, inquam, ad eum respōdemus modū, tū statim criminis damnamur interni, quod aduersarij in pręfatione libelli contra septē vltimos martyres editi, prauam erga principem animi affectionem appellant, eosq; tandem morte acerbissima ob hanc duntaxàt internam animi affectionem voluerunt mulctari, quibus anteà veniam facinoris commētitij, cuius causa damnati erant, obtulerunt.

Misera conditio Catholicorū in Anglia.

Crimen læsæ Maiest. veniam & vitam obtinet, nō tamē mala affectio Catholicorū etiam si interna sit.

Sed vlterius rem prosequamur: quanquàm crimen læsæ Maiestatis, ex legum præscripto, recteq; rationis dictamine, morte dignū sit, sine cuiusquam scandalo aut offensione, potuit tamen illud multò facilius vitam veniamque impetrare, quàm hoc de quo agimus malæ affectionis delictum, quod tamen ex se nec est, nec esse potest, alicuius legis Anglicanæ sententia pœna dignum. Hanc autem cogitatio-

tationum inquisitionem, intentionisq; indagationem, siue criminum in posterũ perpetrandorum, quorum nemo mortalium potest notitiam habere certam, vel vllam sibi regulam præscribere, dicimus cum ipsa natura pugnare, intolerabilem esse, atq; Reipublicę perniciosam.

Præterea nemo est qui non agnoscit modum hunc agendi, omninò esse insuetum atque pestiferum, si quispiam existimaret, vxorem, liberos, subditos atque seruos examinandos esse, quid facturi essent, si contingeret in posterum maritum, parentes, principes, aut dominos armã contra regalem Maiestatẽ velle suscipere, vtri parti adhærere, an maritos, parentes, & dominos sequi, illisq; occultè suppetias ferre, aut saltẽ interno mentis affectu illis in hoc rerum statu bene velle, vel Regiæ Maiest. sese cõiungere cogitarent, & tamen in hac causa nostra multò peruersius examinantur Reginę subiecti, an vllo in casu liceat ipsis reijcere Principis imperiũ, illiq; non obtemperare: quoniam hic nec obliqua responsio, nec dilatio iudicij, imò nec ipsa directa in alterutram partem ἀναλύσις peccat in leges Regni, nec vllam arguit prauam animi erga princ. pem affectiouem.

Si Catholici Angli tempore Mariæ principis fœlicissimæ memoriæ interrogati, nùm illa propter hæresim, apostasiam, infidelitatem, aut simile scelus susceptum iustè à regni proceribus & populo, vel à summo Pontifice imperio deturbari potuisset, respondissent, vt modò sacerdotes nostri, ánne propterea ipsius Maiestatem odisse, aut malè erga ipsam affecti fuisse conuincerentur. *Regina Maria.*

Nos summum Pontificem Romanũ amare, illumq; mirum in modum colere, venerariq; asseritis, & verè quidem cùm omnem ei venerationem, studiũ, obsequium iure diuino debeamus, si tamẽ hæc nobis discutienda proponeretur quęstio, vtrum, si summus Pontifex, aut vt pressiùs agamus, modernus Gregorius 13. (cui tantum profectò in fidei, religionisq; negotijs debemus obsequij, quantum Elizabethæ Reginæ nostræ in causis ciuilibus) haberetur in hæresim, ab Ecclesia vel Concilio generali dignitate sua spoliati possit, mille sine dubio inuenire liceret Theologos, ne dicam plures, qui partem tuerentur affirmatiuam, nec tamen idcirco vel a Pontifice, vel à viro quopiam sapiente existimarentur malè erga suã sanctitatem affecti, quamuis fortassis, ipse si conscientia alicuius sceleris obstringeretur, ex hac doctorum virorum sententia nonnihil commoueri posset. *Summus Pontifex.*

Rursus si tàm accuratè ex hypothesibus, & rerum futurarũ cognitionibus, de hominum affectu, & erga principẽ voluntate iudicare liceret (bone Deus) quæ corda, qui animi inuenirẽtur in ipsis Puritanis? vt si verbi causa Reginã Elizabethã mutata religione, factam esse Papistam demus, rogentur Puritani, coganturq; iurati respõdere, quid sint facturi, aut quid in animis suis, posito hoc casu, faciendum exoptent? profectò si tam syncera sint conscientia, vt candidè quid cogitant explicare velint, longe magis deprauatas sinistrasq; affectiones proment, quàm vnquàm in Catholicis experti fuerint. *Puritani vrgentur.*

Etenim si non potuerint non aperire verbis turgidis, librisq; seditiosis consilia sua corruptissima, ob id solum, quod Regia Maiestas nonnihil cum principe quodam Catholico de matrimonio contrahendo contulisse videretur, quos non peruersos erga suam personam affectus habituri credendi sint, si ipsam ad Catholicã fidẽ, quam tantoperè insectantur, redire cõtingeret: Siccinè hi Puritani qui Iudices, & exploratores conscientiarum nostrarum, abditarumque cogitationum *Seditiosi libri ipsorũ aduersus Reginam Elizabetham.*

coronatis punitur. Prima mulcta eorum, qui Ecclesias hæreticorum nō adibant, fuit duodecim denariorum persolutio: nunc verò singulis mensibus, qui absens deprehenditur, viginti libras, quæ 60. plus minùs coronatorum Francicorum attingunt pretium, numerare cogitur.

Nec hic quiescit Nortoni ingenium, sed modò fertur sedulò laborare, vt ob idem factum, in proximo quod dicunt Parlamento, non solùm nos stringere cōpedibus, sed etiam fortunis, libertate, atq; adeò vita ipsa spoliare sibi concedatur. Scripsit enim ad quendam magnæ auctoritatis virum, se eo nomine plurimū dolere, quod in vltima Parlamenti sessione nouam hanc legem à se excogitatā, proceribus confirmandam non proposuisset: qua nimirùm communi omnium suffragio decerni volebat Elizabetham esse ac necessariò quidem legitimam Angliæ Reginam, quæcunq; tandem scelera, quæcunq; facinora committeret: quantumuis etiam à Pontifice, vel Proceribus & subditis vniuersis Angliæ deponeretur, aut quicquid denique in partem aduersam contra ipsam in posterum ab iisdem statueretur. *Nortoni crudele ac Turcicū ingeniū. Eiusdem iniquissimæ leges.*

Publica prætereà concilij auctoritate, simile inuentum corroborari petiuit, quo in posterum crimen fore læsæ Maiestatis decerneretur, non directè de quacūque hypothesi, siue per iuramentum, siue per interrogationem proposita, id respōdere, quod mente quispiam contrectat: quàm legem ausim affirmare, adeò esse iniquam & inhumanam, vt nec ipse Antichristus possit vnquàm promulgare iniquiorem, aut magis barbaram, cùm nec si vellet, de occultis hominum cogitationibus iudicare possit. *Caluinistæ Antichristi prodromi.*

Idem ille Nortonus, cùm quadam vice Catholicū captiuum examinaret, formamq; iuramenti præscriberet, qua compulsus omnia, de quibus interrogaretur, manifestaret, illiq; quòd iusiurandū iniquū esse sibi persuaderet, ac ob id negligeret, summo furore in virum bonum debacchatus est, in hæc verba, miserum aggressus: *Næ si tu bonus ac fidelis cliens esses, iusiurandum quodcunq; in gratiam tuæ principis, iurare non recusares*: quod dictum vt Atheo hominiq; Puritano propriū, in gratiam Nortoni diligenter notandum est.

Atq; hunc in modum non solū corpora nostra tormentis excruciant, verùm ipsas etiam conscientias affligunt, dum sacramenta de rebus quibusq; vanis & leuibus à nobis exigunt, quamuis eatenus tantùm fidem iuratis adhibeant, quatenus eorum institutis ad nos affligendos hæc inseruiant. Hunc ego ipsemet Nortonum aliquando dicentem audiuisse memini, se non crediturum Catholicis etiā iureiurando deuinctis, nisi templa & Schismatica Caluinianæ religionis exercitia frequentent. *Catholicos cogunt iurare, & tamen iuratis non habent fidem.*

Quin ipse Nortonus non modò ob affectum malum erga principem, satis in omnibus exploratum: sed etiam ob verba omninò odiosa, imò manifestam perduellionem (quæ sufficiens causa centum quoq; Catholicos in crucem tollendi fuisset) coniectus in arcem Londinensem vinculis coërcendus, multum de inhumanitate illa, & ingratitudine conquestus est, quòd ob paucula quædam verba temerè à se prolata, nec tamen à viris prudentibus omninò improbata, vt ipse aiebat, tàm indignis modis exerceretur, maximè cùm tantis beneficijs Remp. Anglicanam illustrasset, operamq; egregiam, non ciuitati modò Londinensi, sed etiam Parlamento, atq; adeò ipsi Reginæ, in fidei religionisq; negotijs dedisset: à quibus vicissim gratitudinem, ob tàm præclara in Rempub. merita sibi expectandam putabat. *Nortonus in vincula coniectus ob perduellionē cōqueritur de ingratitudine.*

Nortonus in vinculis ob lesam Maiestatem, iubetur à Secretario Regio rationes concipere affligendi Catholicos.

Si iam liberet cætera dicta, factaq; Nortoni diligentiùs exquirere, posset vxor eius (modo tam syncerè concilio regio, quàm quibusdam vicinis suis, id quod in re est, aperire velit) ei operam nõ exiguam præstare, qui Regiæ Maiestati a secretis est. (Is enim id officij Nortono, dum captiuus teneretur in arce Londinensi, ob læsam Maiestatem commisit, vt aliqua negotia quæ ad Reipub. statum pertinerent, animo conciperet, ordinesq; describeret, & articulos contra Catholicos in Parlamento proponendos) quo vteiq; simul indicet, quid Nortonus, per hæc sua verba in afflictione prolata significare voluerit: *digni, digni destruunt totum: sed gratiosi, gratiosi possunt facere sapientiores, sapientiores emendare omnia*; ex quibus verbis eculeus procul dubio, tam iustam hominem comprimendi occasionem extorqueret, quam ex alicuius innocentis Catholici pectore.

Verba Nortoni suspecta.

Stubbæi liber cõtra Reginã Angliæ.

Ille præterea, qui per literas hoc à Nortono scriptum Aenigma retulit: *Defende me, & noli mihi parcere iuxta prouerbium Hybernicum*, occultam eius significationẽ & sensum latentem poterit explicare. Nec vxorem Nortoni latet, quo in loco maritus instar thesauri secreti, librum Stubbæi contra suam Maiestatem scriptum retrusserit: quæ consilia diligenter examinata, peiorem animi afflictionem erga Reginam, quàm vnquam extorserint, vel in posterum extorquere poterunt à Catholicis viris, suæ Maiestati subiectis indicabunt.

Præfectus arcis fauet hostibus Reginæ.

Et quamuis Stubbæus iste, capitalis Regiæ Maiestatis hostis extiterit, atque ob librum seditionis ac proditionis plenum, vinculis constrictus, consilio tamen, fauore, atque gratia prefecti arcis, multò melius, siue victum spectes, siue quod aliud humanum solatium, habitus fuit, quàm Comes Klanrickardus: imò quod magis est, ipsius præfecti opera, earum rerum, quas Catholici inter examinandum aperuerunt, secretissimarum etiam factus est conscius.

Charcki liber cõtra Cãpianũ scriptus traditur Stubbæo homini seditioso perlegendus.

Huic prætereà, Charckus homo importunus, & cùm ob Puritanismum, tùm ob alia quædam deteriora, si tamen deteriora possunt excogitari, iussus aliquandò silere, librum suum contra Campianum in lucem editum, misit relegendum: quod certè nunquam arcis præfectus permisisset, si illum erga Reginam habuisset affectum, quem tantoperè in Catholicis requirit, cum eos de cogitationibus & rerum futurarum intentionibus examinat.

Caluinistæ suadent Reginæ, vt mittat Catholicos nobiles Angliæ, ad occupandũ terram floridã, quo eos spolient bonis, quæ in Anglia possidẽt.

Crediderim facilè vnum ex his rerum nouarum inuentoribus, aut aliũ quempiam simili spiritu afflatum, illud consilium excogitasse, quo miseros atque infœlices Catholicos tanta malorum concursatione domi iam propemodum fractos atq; exhaustos, ad terram floridam, quo ibi & liberius Catholicam religionẽ exercerent, & libertate conscientiarum citra impedimentum vterentur, ablegare cogitarunt. Quæ sanè machinatio, & fraus planè insolida, ingeniosè tamen eoq; fine videtur excogitata, vt nobiles Catholici oblatæ dignitatis nomine, & spe regionis occupandæ inducti, patria regnoq; deturbarentur.

Verùm maxima Anglorum pars optat potius, atq; desiderat Puritanos ipsos, feces regni, & pestiferas cloacas plenis nauigijs eo transportari, quò sic Britanniæ Respub. inutili hoc hominũ genere, ac planè pernicioso purgetur, quiq; illas mũdi plagas, melius fortè quàm Catholici exploratas habent, vtpotè Geneua eò ab optimo duce Caluino missi, quandò iam anteà Galli similem nauigationem tentarant, patiq; nisi fallar euentu, quem nostri homines sortiti sunt: nam nec lege diuina, nec bona conscientia, eas regiones possunt inuadere, quas ex fœdere, sub Alexandro summo Pontifice icto, ad alios principes Christianos pertinere sciunt.

Catholici

Catholici sunt, qui mille retro annis Angliam possederunt, nec sine summo scelere atq; iniuria, illinc ad Indos ablegari possunt, vt nouas sedes sibi comparēt. Verùm non ita sumus hebetes, vt quo consilio has fraudes meditati sint aduersarij, non intelligamus, perspicimus vtique, hoc vnū illis propositum fuisse, vt imminutis viribus Catholicorū, quibusdamq; è medio sublatis, qui reliqui sunt faciliùs opprimantur, cùm illuxerit illa vindictæ dies, qua Puritanis cæterisq; Caluinianæ fecis hominibus impunè suam exercere crudelitatem licebit. Potest ergò hęc scelerata machinatio, quæ ab ingenio longè proteruiori, quàm Nortonus habeat, profecta videtur, non postrema calamitas existimari.

Has omnes verò, quas sustinemus patimurq; iniurias & calamitates, nō tàm à Maiestate regali, eiúsue Consiliarijs, viris grauissimis atq; clarissimis, quàm ab hominibus impijs ac sceleratis, qui cùm flocci veritatē pendent, mendacia in nostri perniciem coquunt, recoquūtq;, ex animo illis ignoscimus, Deumq; obtestamur, vt pro sua immensa misericordia, dignetur grauissimum iustitię suæ flagellum à patria nostra auertere, & ab omnibus incolis eius, qui mortem horum sanctissimorū virorum vel procurarunt, vel in eandem consenserunt, ne sanguis & mors eorum, quæ pretiosa est in conspectu Dei, vindictam, sed è contra gratiam ac clementiam inimicis pariat, quatenus in hac vita, vera salutarique rei gestæ pœnitētia ducti, contemplentur potius, in quem recalcitrarint, quàm in futura sentiant & experiantur cum sempiterna sui ignominia.

Quidquid autem vel inimicis sanctorum Dei, vel nobis eorum amicis, in statu patrię afflictissimo Ecclesiæq; facie deploratissima, adhuc viuentibus, propter ista scelera, aut similia eueniet, negari tamen non potest, hos martyres beatos esse, liberos atq; securos, quippè qui omnes illas mortalium miserias inuicto animo superarunt, & iam in beatissimo illo beatorū spirituum domicilio collocati, tranquillā tutamq; vitam peragunt, vbi nec inimicorū proditio nefaria, nec criminationum inuidia, nec vlla deniq; hostium immanitas, vlterius sæuire poterit, postquàm in corpus semel suam expleuerunt crudelitatem nequissimam. *Conclusio.*

Verè beati, milliesq; beati hi viri sancti, simul atq; innocentes sunt prædicandi, tum quòd vita fœliciter defuncti, nullis aduersæ fortunæ casibus periclitari aut frangi, nullis vitæ incommodis difficultatibusq; in posterum affici possint; tùm quòd immensam illam à diuino numine gratiam consecuti sint, qua sanguinem pro veritatis confessione, hæresis extirpatione, diuinoq; furore à patria ciuibusq; charissimis auertendo, potuerint profundere.

At, Deus bone, quantis beneficijs homines obscuri sunt ornati, quantis cumulati donis: præter enim id, quòd charissima mors illorū, & gratissima sit Deo, vita illa longè beatissima, vereq; iucunda & perpetua cum Christo perfruuntur, nullaq; laudes eorū obscuratura est obliuio. Quid de animabus dicam, cùm ipsa cadauera, pars Machabęę cohortis infirmior, siue portis, palis, hastis atq; patibulis affixa, siue bestijs atq; volucribus in escam data, fœlicissima pace requiescant, multoq; maiori affecta sint honore & reuerentia, quàm corpora principū huius mūdi potentissimorum, quæ balsamo & aromatis condita tumulo mandata sunt.

Ipso etiam die, eademq; hora, qua in plaustris sub patibulis cōstiterunt, sordibus (vt videbatur rudi populo) & squalore fœdati, atq; de spe deiecti, multò ipsis gloriosi certaminis spectatoribus fœliciores, omniū sapientū, recteq; sentientium iudicio extiterunt, nam illa quæ corporibus fortiter excipiebantur tormenta,

breui

breui temporis spatio concludebātur: animarum verò gloria, atq; fœlicitas nunquàm intermoritura, priusquàm corporū partes à carnifice crudeliter discerptæ frigescerent, inchoata fuit. Quin ipsas fœlices animas, quæ iam beatissimam illā vitam sortitæ, in perpetua tempora cum Christo, captis ab hoste spolijs, exultant, viri pij & Catholici hic in terris implorarunt, suumq; patrocinium ab illis suscipi contenderunt, salutare illud D. Augustini secuti consilium, quo vt nō pro martyribus oremus, sed illos orando inuocemus, exoptat.

Quàm amplam verò, quamq; laudabilem posthac in Ecclesia gloriam sint cōsecuturi, maximè autem in Britannia nostra, vbi fuerit hæc sæua crudelitatis tempestas sedata, facilè ex eo datur intelligi, quod licèt hostis prodigioso se furore atque effrenata audacia iactet, licèt, inquam, optimum quemq; Catholicorū, oculis ad cædem atq; calamitatem designet, omniq; cura atque diligentia incumbat, ne sanctissi norum hominū nomina vel præsens ætas celebret, vel posteritas intueatur, (quod nemini mirum videri debet, cùm horum maiores, immanissimi Ecclesiæ Catholicæ hostes, in Polycarpum, Albanum, & alios plures Christi martyres eandem sæuitiam exercuerunt) fama tamen ipsorum, sic per orbem vniuersum diuulgata est, atq; adeò etiam corda hæreticorum penetrauit in Germania, Gallia, nec non Geneua, alijsq; locis quam plurimis, vt vix vllus sit sermo frequentior (si fide dignis viris credendum sit) quàm de gemina nuper in Anglia perpetrata cæde, P. Campiani primùm & sociorum eius, deinde aliorum septem, qui & ob parem numerum, paremq; constantiam meritò sibi Machabæorum nomen vendicare possunt.

Hinc etiam Catholici non solùm per vniuersum Angliæ regnum, sed etiam Italiæ, Hispaniæ atq; Franciæ, sic sunt erga martyres affecti, vt magnorum munerum loco horum reliquias, siue corporum siue vestium, sibi donari plurimùm desiderent, tantaq; in illud desiderium pietate feruntur, vt fateantur ingenuè, se tantum auri vltrò pro vlla sanctorum corporum parte offerre paratos esse, quantum ipsa in alteram stateræ lancem imposita pondere suo possit æquare.

Multi etiam viri existimatione, virtute, ac nobilitate illustres, (vt pium syncerumq; populum omittam) multum operæ in hanc rem contulerunt, quinimò æmulationem planè Christianam adhibuerunt, quò cum ingenti capitis sui periculo, vel minimam sacrorum corporum partem sibi compararent, idq; vt nō tam suo, quàm hominum quorundam, cùm motum splendore, tùm vitæ integritate illustrium desiderio facerent satis, qui cùm longissimè à Britanniæ finibus dissiti, atq; remoti vitam agunt, id sibi beneficium præstari vehementer optarent.

Martyrū reliquiæ petuntur ab exteris nationibus.

Nec sanè illud silentio prætereundum est, quòd plurimi nostrates, cùm non alia via se sacras corporum reliquias obtinere posse vident, peregrinationis ergò loca ipsa, vbi sancta cadauera palis, stipitibusq; affixa pendent, singulari quadam religione ducti frequentant, & ibidem preces suas Deo & sanctis eius, quorum & innocentiam probè nouerant, & mortem gloriosam admirantur, ardenti animo fundunt. Et quoniam periculo non caret hæc suscepta peregrinatio, solent vrgēte necessitate ab aduersarijs ipsis, qui Catholicorum accessum religionis causa fieri, & verè quidem, suspicantur, subinde sciscitari, quænam illa cadauera, quorum sic in altum eleuata capita, vel qui nam illi proditores, quorum vndiq; dispersa corporis membra, sic volucribus in prædam obiecta sint, & exposita deuoranda? quò hac ratione eorum aduersariorum manus effugere queant.

Catholici peregrinātur ad loca, vbi martyrum reliquiæ sunt.

Bone IESV, quantum hostis hosti præstitit obsequium? quantum beneficium? honoris quanti, quantæq; fœlicitatis vitis hisce causa fuit, qui breuissimo temporis spatio ad sempiternam illam gloriam, & diuinorum spirituũ societatem eos transmisit? Quidquid illis præclarum necessarij exoptare, quidquid magnificum affines, quidquid opum, honoris, dignitatis, potentissimi Reges seruis Christi largiri potuissent, id totũ si cum immensa illa fœlicitate ac gloria, quam Deus immortalis per hostium immanitatem, & suam ipsorum inuictam virtutẽ, emularè ipsis donauit, comparentur, ne minimæ quidem illius parti æquari cõferriq; possit. Illaq; igitur Dei Opt. Max. in rebus humanis prouidentia est, vt quod summo cum scelere atq; ignominia crudelium aduersariorum coniunctũ erat, in sempiternam gloriam, totiusq; Ecclesiæ splendorem conuertatur.

Te itaq; Christe Iesu, Opt. Max. te Deum ac redemptorem nostrum obtestamur, per acerbissima perpessionis tuę merita, per sanguinem Martyrum, per suspiria, lamenta, lachrymas illas, quibus se tot millia robustissimorũ militum, qui sub tuis signis merent stipendia, tradiderunt, qui cathenis vincti, sordibus ac squalore propemodùm confecti, tuæ doctrinæ veritatem profitentur: vt Ecclesiæ tuæ hostibus infensissimis, sanctorum tuorum, nostrûmq; omnium qui Catholico nomine censemur, inimicis gratiam & auxilium donare non grauetis, quo se & longè à vera Reipub. conseruandæ via aberrare videant, & quantis in periculis, non huius solùm gloriæ vitæq; amittendæ, sed perpetuæ illius vereq; beatæ versentur, intelligant.

Da illis pientissime Christe spiritum humilitatis, vt verè agnoscant summam tui vicarij generalis in terris potestatem, eiq; & sponsæ tuæ Ecclesiæ sanctissimæ sese totos libenter submittant, vt sic tuo suauissimo subiecta iugo Elizabetha Regina nostra, tanquàm verum viuumq; Ecclesiæ tuæ membrum, non eiusdem caput, regnum & populum tuum ad Christiani orbis vnitatem atq; consensum tandem reducat. Sicq; ciuilem illum Reipub. statum, maxima cum nominis sui gloria, regniq; totius salute ac incolumitate gubernet, Amen.

LITERAE ET CONFESSIO PVBLICA IOANNIS NICOLAI, QVIBVS FATETVR SE FALSO ACCVSASse suprà nuncupatos martyres, causamq; præbuisse non postremam, eorundem crudelissimæ necis.

Admonitio ad Lectorem.


QVoniam hic locus postulat, vt Ioannis Nicolai palinodia & literæ subiungantur, operæ pretium facturum me putaui, si paucis verbis, quid causæ fuerit, cur ille relicta Anglia, in Galliam post tot scelera commissa se contulerit, paucis perstringam. Duæ potissimum fuerunt huius rei causæ, vt ex eius scriptis, & sermonibus licet colligere, altera quidem perpetuus conscientiæ cruciatus, quo sic de iniusta sanctorum condemnatione & nece, ex suo testimonio prouenïente, angebatur, vt quoquò versus se conferret, nullam quietem, nullàmue mentis tranquillitatem inueniret: id quod ipse coram alijs confessus est Domino

Causæ cur Ioannes Nicolaus redijt in Galliam.

Caluiniani Superintendētes pensiones annuas proditori promissas non persoluerūt.

Lucæ Chirbęo, quemadmodum ex literis, quæ in martyrio Chirbęi habentur, palàm constat. Altera verò causa fuit, eaq; maxima, quòd Episcopi siue Superintendentes Caluiniani Angli, non ea præstiterint, quæ misero, vt operam suam illis in sanctis accusandis collocaret, partim sua sponte, partim etiam aliorum imperio promiserant. Nam cum pensiones annuas, quas ab vnoquoq; eorum in remunerationem perfidiæ promissas, percipere non posset, illaq; tantum verba (tu vides) cum Iuda proditore à Scribis & Pharisæis reportaret, maluit ignotus alibi artes suas exercere, quàm domi confusus ludibrio haberi.

Comparata igitur, fauore cuiusdam patroni sui, pecunia nonnulla, Anglia relicta in Belgium transmisit, indeq; in Germaniā rectè contendebat. Verum cum nec ibi mens, suorum scelerum cogitatione oppressa, tranquillum portum inuenire valeret, Turcos adire, eorumq; sectam experiri satagebat, donec a socio suo Laurentio Caddæo ab illo desperato itinere reuocatus, in Galliam rediret, cuius pio studio & opera diligenti, certiores tandem facti Catholici de hominis reditu in Galliam, eum Rhotomagi curauerunt deprehendi, vnde literas subsequentes scripsit. Libertati deinde restitutus, palàm in conspectu hæreticorum, & Catholicorum profitebatur se Protestantem esse, ac in posterum futurum, & prętereà ab iisdem interrogatus, num cùm sui iam iuris esset, ea omnia confirmaret, quæ vel in literis ad Doctorem Alanum scripserat, vel coram iudicibus confessus fuerat, respondit omnia verissima esse, seq; nihil eorum reuocaturum vnquam.



EXEMPLAR LITERARVM, QVAS IOANNES Nicolaus ad Doct. Alanum scripsit, postquàm esset Rhotomagi captus, nulla dictione vel litera mutata.

DOCTOR Alane, tua meam petulantiam vicit charitas, ad te (temeritate ductus magis quàm prudentia fretus) acriter scripsi, tu ira non commotus omnia bona mihi optasti, pollicitus es cùm fueram tibi inimicus, ea quæ non sperauerā à te concedi, tua clementia me superauit supra modum. Parisijs Remos venissem, si mea culpa tanta non fuisset, quantam explicare verbis nequeo. Pudore impeditus, Remos petere nolui. Tua patientia mea maior fuit malitia, tua verba ex charitate fraterna producta ostenderunt quo spiritu suffultus eras. Laurentius Caddæus, qui meas tibi dedit literas, iuramento facto prædicta confirmauit, qua charitate audita in quæ prorupi verba testetur.

Si illam Domine D. Alane animæ meæ curam te habere verum sit, vt tuam Reuerentiam nō pigeret peregrinationis multorū locorum, modo saluares eam, det nunc operam vt saluetur, & mea anima salua tua opera, saluabitur anima tua iuxta verbum diuinum. Si anima & corpore peribo tua incuria atq; negligentia, redditurus es rationem huiusmodi mortis meæ in die iudicij. Sum detentus in carceribus, & non indignè. Sustentor lautius huc usq; quàm deberem, appello ad tuam Reuerentiam, & non ad Papæ Numinum. Si promittes tuis literis, quod mea culpa quoquo modo commissa contra quoscunq; ignoscetur mihi, & quòd nemo ob mea delicta perpetrata, me è medio tollere conabitur, Remos veniam, & ponam vitam meam in manibus tuis si hoc mihi negabis, sanguis meus à te requiretur, & eris causa perditionis animæ meæ. Non curo propter vitam corporis mei, singulis diebus contentus sum mori, si semel animam meam & virtute & religione verbo diuino innixam, suffultam sentirem: oh nemo mortalium me lætior esset.

Dicunt multi me nullam religionem habere, & verè dicunt secundum opera mea: flagitijs enim

enim multis coopertus sum, hoc ego dico, & in suggestu sæpè dixi. Quodcunque scriptum est in veteri atque nouo testamento firmiter credo, si me ad ignem, aut ad patibulum lictores tum traherent, aliud non crederem, instar vmbræ est vita mea, à carcere Rothomagensi clamo ad te vir magne, & vir plene charitatis, vt mihi succurras, dum hac vitæ vsura fruor. Si conquereris de scriptis meis, quod falsum est, retractabo, causam indicabo, cur sic scripseram, totam mentem meam iuxta veritatis limites satis abundè explicabo. D. Alane, etsi grauiter offenderam, tamen curam tibi committo animæ meæ.

Nescio quid de me consultum est, si Papa & Cardinales, & omnes alij, qui auctoritate præcedunt alios, consultius æstimant esse, vt vindictam sumant iniuriæ illatam illis immeritò, fiat voluntas Domini, sciunt vbi me inueniant: exequantur quod in mentem venit, sed aliter de illorum charitate spero. In his angustiis quibus constitutus sum D. Alane, præsto mihi sis, & consilio & labore, & aliis omnibus charitatis operibus, & accumulabis tibi magnum thesaurum in cœlis, & me tibi in æuum deuincies.

Non sum obstinatus, cupio saluus esse, saluum me reddat Deus anima à corpore dissoluta. Scripsi: bene vale, oraque pro me peccatore maximo. Dum viuo, spero. Redde bonum D. Alane pro malo, & eris discipulus Christi: sic fecit Christus, sic docuit.

Per me Ioannem Nicolaum Anglum, tui amantissimum.

POst scriptum. *Spiritus pugnat contra carnem, caro contra spiritum, ad tempus spiritus diluuio peccatorum submersus carni succubuit, sed spero quòd spiritus emerget, & carnis vires inualidabit. Deus sit mihi propitius. Captiuitas est medium, per quod viam ad cœlum inueniam.* D. *Alane, partim quia Christum agnoscis, & partim quia conterraneus meus es, consule mihi dum tempus est. Lego vestros libros, non tædet me legere, aliquam mihi legendo consolationem comparaui. Legam, & sermonem habere cum Catholicis Romanis inficias non ibo. Scripsi, & expecto responsionem voluntatis tuæ propensæ, vt spero in meam salutem. 18. Februar. Anni 1583.*

Per me peccatorem grauissimum, Ioannem Nicolaum indignum hac vita quam dego.

ALIAE LITERAE AB EODEM AD eundem scriptæ, nulla dictione mutata.

D*Octor Alane, contra Papam, Cardinales & Episcopos quæcunque scripsi, scripsi ambitionis causa: & quæ audieram in Italia de moribus Papæ, Cardinalium, Episcoporum aliorumque inter agrestes & inopes homines, literis in Angliam mandaui: nullum librum edidissem (Deus est mihi testis) nisi Præses Castri Londinensis me ad scribendum prouocasset. Partim tunc temporis grandi promissione delusus, partim appetens æternitatem gloriam, à me publicè scripta sunt ea, præsertim de moribus Papæ, Cardinalium, Episcoporum, totiusque Ecclesiastici ordinis, quæ fama acceperant à viris non fide dignis, libertate mihi eo tempore concessa. paulò post resipui & me nequiter scripsisse Domino Lucæ Chirbaeo iam vita defuncto, cùm in carceribus detentus fuerat, confessus sum.*

Multa scripsi, multa feci, quæ scribere aut facere negaui prorsus, antequàm Præses Turris

Londinensis sæpè minatus sit, grauissimum torqueris tormentum, quam acerbam pœnam pati mea fragilis caro abhorruit. Illius igitur inuentionem atque voluntatem executus sum, quod imperabat: scripsi, feci, sic locutus sum, non ex malitia, sed ex impulsu, non ex praua voluntate, sed ex sathanica suggestione.

Multa scripsi falsò, quæ scripsisse pœnituit me antequàm ex Anglia, tanquàm profugus ob enormia peccata mea, quæ conscientiæ meæ magnam inquietem diu & noctu intulerunt, discesseram. Nunquàm in Anglia steti coram Iudice, aut alio quouis magistratu tanquàm testis contra quemuis Catholicum Romanum, quando in iudicium vocati sunt, ex proposito absui Londino.

Papa, Cardinales, Episcopi, & alij Catholici Romani, in me multa contulerūt beneficia, quæ ingratitudine recōpensaui, sed causa ostenditur, metus grauissimi supplicij, magnifica promissa me à Deo auocauerūt, si vos viri dignissimi, in eodē periculo versaremini, nescio quid faceretis.

Nihil aliud audire potui in carceribus quàm has minas. Fac sic, aut satellites te ducent torqueri: maluissem si dixisset suspendi. Non bona res est, corpus isto cruciatu longius fieri per duos ferè pedes quàm natura concedit. Narratus est mihi modus torquendi, cùm audiueram, timor & horror istiusmodi supplicij me omninò vicit in mea examinatione. Quorum voluit ille Præses aut seruus illius nomina scribi, scripsi. Georgius Peccam Eques auratus in Catalogo fuit Papistarum, Iudex Southcotus, & alij multi mihi ignoti, & ad nomen & ad personam (antequā ad castra Londini veneram) in meo Catalogo suggestu prædictorum locum occupauerunt inter cæteros Romanæ religioni addictos.

Si captus non fuissem, cunctis Papistis indicassem interrogantibus me, causam scribendi talia mendacia in mea examinatione. Ego fui scriptor, sed Deus scit, alios esse auctores. Si mea fragilitas me non excusabit, appello ad misericordiam vestram, qua munitos esse dicitis: Ostendite tunc illam, & pro amore Dei liberate me, & non vrgeatis me sicut cæteri, loqui & scribere contra conscientiam meam, & posteà cernetis sine impulsu, quòd liberè fatebor veritatem.

D. Alane grauiter te offendi, sed tamen dico, quòd recumbo in tuam clementiam. De religione nihil dico, quod scriptura docet (nullum excipio librum neque veteris neq; noui) firmiter credo: nihil aliud credam, facite mecum quod vultis, comburite, suspendite, interficite, decapitate, ego idem sum: si veritatem non habeo, Christus est veritas, ostendat mihi veritatem, & aperiat oculos meos.

D. Alane, Odowenus Hoptonus Præses Castri Londinensis minis iussit, vt examinationem iuxta voluntatem illius scriberem. Quando nomina Papistarum patefeci (quorum quam plurima nomina nunquàm antè audiueram) eos fautores Papæ, Reginæ Scotorum, acerrimos inimicos Regiæ Maiestatis, virorum à consilijs, & omnium illorum, qui defensores sunt religionis, quæ publicè in Anglia docetur, asserere non vererer, & omnes illi, de quibus mentio facta est, nobiles & generosi fuerunt. Hoc si à te factum erit, Regina promouebit te, inuenies me promptissimum fore ad te iuuandum. Cuncti proceres te magno prosequentur amore, & nihil indigebis. Mittam tecum seruum Oxonium, ibi sustentaberis, centum Marcas singulis annis dabo operā vt adipiscaris, & sine dubio pingue sacerdotium tibi dabitur. Si hoc non præstabis, grauissima pœna mulctaberis, consule tibi igitur. Et hanc ob causam, partim metu ductus, partim adulatione victus, hoc in me quadrauit adagium: Quid ipse aiebat, confirmaui; promissum illius iuramento perstrictum fuit. Hæc quæ exaraui adeò vera sunt, vt nihil verius.

Videte homines, qua mecum Tragœdia vsus est ille Præses. Quamprimùm veneram in conspectum D. Odowēni Hoptoni, ductus cum satellite, confessus sum me illius religionis fuisse, & tamen hypocrisi maxima me vti voluit: paratus eram in die Dominico istius hebdomadæ qua captus eram, in Ecclesiam venire mea sponte, & tamen iussit, vt apparerem reluctari, & seruus illius iussus fuit trahere me ad Ecclesiam quasi inuitus fuissem: ex his paucis colligite plura.

De Bulla affixa parietibus Remis, hoc non audeo confirmare, sed ita fama volauit inter alumnos Papæ in Collegio Anglicano Romæ sito, vtrum ista excõmunicationis Bulla contra nostram Reginam Elizabetham renouata fuit, & ex integro impressa Romæ prorsus ignoro, sed ignoscite mihi quæ tali modo temerè & falsò scripsi, & feci.

Quæ literis mandantur, à me libera sponte sine compulsione vlla, vt cõscientiã meam liberam redderem, in præsentia Gulielmi Iohonson, & Georgij Robinson, mandata sunt in carcere Rothomagensi in die Sabbathi. 19. Februar. Anno 1583.

Ioannes Nicolaus.

CONFESSIO PVBLICA, QVA FATETVR SE MVLTA MENDACIA CONTRA SVMMUM Pontificem, Cardinales, & Catholicos Anglos protulisse eo tempore, quo in Anglia versabatur.

1.



CCVSAMVS Ioannem Nicolaum, primùm quòd famosos libellos fecerit, & prælo mandauerit contra Principes & publicas personas atq; Collegia, qui famosi libelli etiam in ditionibus suæ Maiestatis Christianissimæ in multorum manus venerunt, & famam multorum læserunt.

Respondeo vt sequitur. *Ego Ioannes Nicolaus, protestans in religione, 20. Februarij, Anno 1583. neque metu, neque fauore cuiusquam hominis, aliquid à me respondebitur. Quantum ad hunc primum articulum, fateor me iure rectèq; accusatũ esse.*

2. *In his libris turpissimorũ criminũ mendaciter & calumniosè insimulat nominatim certos Cardinales, obijciens eis stuprum & scelera pessima, ex mera contra sacrum ordinẽ malitia.*

Ad secundum sic respondeo. *Fateor me sic scripsisse, sed fama atque relatione hominum prauorum, vt opinor.*

3. *Sanctissimum Dominũ nostrũ Papam seditiosè & maledicè in ijsdem scriptis incusat iniustitiæ, furti, rapinæ, & omnis iniquitatis, particulatim nominans quasdam rapinas, quas eum fecisse fingit.*

Respondeo, *me sic scripsisse, sed magis ambitionis & malitiæ causa, quàm veritatis, & ipsi vt acceperam illum fecisse aliquid, quòd à me literis mandatum sit, à viris illius conatibus minimè fauentibus, quod nunc non omninò à me approbatur.*

4. *In suis libris prædictis iniquissimè, & (quod postea confessus est) falsissimè accusauit, proditionis & læsæ Maiestatis, homines sanctissimos & innocẽtissimos, per quod ipsius & aliorum suorum complicum falsissimum testimonium, plurimi, id est, 12 religiosissimi viri aut plures, fuerunt crudelissima morte sublati. Eumq; interrogari cupimus, an aliorum instinctione vel sua sola malitia, eos falsò accusauerit, & qui eum induxerunt ad hoc.*

Ad quartum sic respondeo. *Me semper negasse aliquod testimonium induxturum contra quemcunq; hominem qui ob religionem passus est: sed in libris meis insinuaui, quod multi in Collegio Anglicano Romæ sito, optauerunt mortem Reginæ, & multorum aliorum, vt scribitur isto libro, & in illo articulo addidi plus quàm veritas concessit. Et quantum ad nomina illustrissimorum virorum, vt nomen Domini* Leicestriæ, *vt nomen Domini* Burleighi, *Reginæ conquæstoris, Domini* Francisci VValzinghami, *&c. quos viros neque accusatos, neque minatos ab aliquo in isto Collegio audiui, sed hoc ambitionis & lucri causa finxi.*

5. *Accusauit mendaciter & malitiosè Anglorum Collegium (suæ Maiestatis fauore Remis residens) quòd Bullam Pij V. contra Reginam Angliæ datam, Remis publicauerit, & valuis & postibus illius vrbis affixerit, ex quo iniquißimo mendacio, & calumnia, illius Collegij alumni, magnam posteà incurrerunt Reginæ suæ indignationem.*

Ad quintum articulum sic respondeo, *Quod iuniores studentes retulerunt mihi, quòd Bulla anathematis per Pium V. facta contra Reginam nostram Elizabetham, renouata fuit per Gregorium Papam XIII. & retulerunt mihi, quòd illa Bulla Pij V. publicata fuit Remis, & valuis & postibus illius vrbis affixa. Hoc leui illorum relatione scripsi: sed hac de re, non melius sciui, quàm infans vnius diei, quia Remis tunc temporis non fui.*

6. *Nuper etiam in Gallijs existens scripsit ante 10. dies, apertas literas ad quendam grauem virum, in quibus famam & honorem Collegij Anglorum multiplici mendacio, conuitio, calumnia, & detractione grauissima læsit: dicens prædictum Collegium docere & committere omnia mala, & quod viderit oculis suis continuò in Collegio fieri, quæ nimis sunt dictu turpia & horrenda, vt ita falsissima calumnia, & Patres Societatis Iesu, qui illud Collegiũ Romæ regunt, & ipsorum discipulos Collegij alumnos infamia notaret.*

Quantum ad sextum, hoc respondeo. *Istiusmodi literas scripsi, sed superbia, & animus cupiens in Anglia promoueri, ad scribendum me duxit. Et quantum ad Collegium* Remense, *hoc dico, quòd plus ex malitia, quàm ex veritate dixi, & sic alterum Collegium quod est* Romæ *falsò à me accusatum est. Et de Doct.* Alano, *in conscientia loquor, nihil aliud scio aut audiui quàm innocentiam, sua religione excepta.*

7. *Præter ista, periurij crimen ipsum incurrisse probabimus, non solùm ex eo, quòd post publicam, solennem, & voluntariam hæreseon abiurationem Romæ ante quadriennium factam, relapsus sit in abiuratas hæreses: sed ex eo, quòd interposito iureiurando promiserit (cùm Collegij Romani alumnus esset) se suscepturum sacros ordines, & in Angliam profecturum ad propagandum fidem Catholicam, quandocunque à superioribus id esset sibi mandatum. Quod promissum iureiurando confirmatum, iam ipse cum ingenti scandalo irritum fecit.*

Ad septimum articulum respondeo. *Illum articulum esse verum, & incurri periurium, quia* Romæ *vixi vt hypocrita, nunquàm existens in religione Catholica Romana, præsertim corde.*

8. *Porrò obijcimus illi, quòd Pontificem dolo malo fraudauerit, quando sub prætextu aduersæ valetudinis, & quòd aërem Romanum ferre non potuerit, petijt à sua Sanctitate veniam eundi ad Collegium Remense, vt ibi studia prosequeretur, & sacerdotium susciperet, in eum finem postulans & accipiens à sua Sanctitate 50. aureos, cùm ille accepta per fraudem hac pecunia rectè profectus est in Angliam.*

Ad octauum articulum respondeo. *Me defraudasse Papam 25. aureorum, quos mihi dedit in via viatici, vt* Remos *peruenirem, sed* Remos *non veni, rectè in* Angliam *profectus sum.*

Ob omnes prædictos articulos sic à me Ioanne Nicolao *concessos dolor magnus me tenet, & sub pedibus cuiusque quem sic malitiosè & grauiter offendi, meipsum prosterno & subijcio. Deus scit, animo euadẽdi fortunatus promotionibus, quàm desiderio veritatem loquendi ductus. Deus sit mihi misericors, & propitius, & ignoscat mihi pariter cum illis, quos sic temerè & impiè offendi. Peto vt omnes illi qui per me offensi sunt, pro amore Christi, tantæ iniuriæ immeritò illis illatæ obliuiscantur, partim hanc tetigi culpam Sathanæ suggestu, & partim quod multi laudauerunt ea, quæ sic imprudenter scripseram.*

Per me Ioannem Nicolaum Anglum.

ADDIDIT DEINDE AD PRAEDI-
ctas responsiones hæc, quæ sequuntur.

MAGISTER Stubbæus subministrabat mihi materiam & argumenta libri in arce Londinensi, quem inscripseram, Recantatio Ioannis Nicolai. M. VVilkinsonus adscripsit ad marginem annotationes, & alia addidit iis quæ ego scripsi, erroresque, qui incuria & inscitia mea irrepserant, correxit. Præterea ad diem festum omnium sanctorum, Anno 1582. hæc sequentia verba domino Thesaurario dixi, si placuerit Dominationi vestræ honoratissimæ audire veritatem, fateor me vehementer dolere, quòd eiusmodi libros ediderim, in quo plus falsi quàm veri contineatur. Quibus ille respondit Papistas iam deprehendisse mea mendacia. Postquàm indicassem Domino Lucæ Chirbæo in arce Londinensi me plurimùm pœnitere facti, quòd scilicet eos libros scripsissem, qui cum veritate pugnarent, ille hæc mea verba retulit M. Reginaldo Oxoniensi, qui & ipse eadem narrauit D. Francisco VValzinghamo. Hic autem re intellecta admonuit præfectum arcis, vt me, præsente D. Luca Chirbæo examinaret, an ita res haberet, vt ille relatione acceperat, nec ne. Vnde mihi, cùm iam turrim accessissem examinandus de prædictis verbis, in hunc modum locutus est Dominus Chirbæus: Veritatem fateare (Nicolae) & diabolum confunde: hoc ipsum faciam (liberè respondi) nihil ea de re dubites. Dominus Chirbæus separatim examinabatur: ego quoque veritatem non celassem, si per præfectum arcis, integrum mihi fuisset. Nam cùm hæc verba dicerem: Ego Domino Chirbæo dixi hos libros me ambitione inflatum scripsisse. Noli ita dicere, inquit præfectus, sed ad Secretarium se conuertens, hæc verba (inquit) scribas, fatetur se dixisse Domino Chirbæo se dolere, quòd hos libros tàm impolitè & rudìter scripserit.

Cùm Magister Reginaldus coram Doctore Humphredo mihi diceret, se præsente Domino Humphredo & Domino Chirbæo probatum me hæc verba protulisse, quòd nimirum dolerem meos libros, qui plura falsa quàm vera continerent, euulgatos esse, quodq; non amplius quicquam ederem in pulpito, vel in prælo contra Papistas: cùm, inquàm, hæc fierent, Dominus præfectus arcis tunc temporis imperauit Magistro Reginaldo, ne de illa re amplius loqueretur.

Auguſt. lib. 1. de Symbolo. c. 5.

Ipsa est Ecclesia sancta, Ecclesia vna, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica, contra omnes hæreses pugnans, pugnare potest, expugnari tamen non potest. Hæreses omnes de illa exierunt, tanquàm sarmenta inutilia de vite præcisa, ipsa autem manet in radice sua, portæ inferorum non vincent eam.

PALINO-

PALINODIA LAVRENTII CADDEI.



Contra propriam conscientiam palinodiam cecinit.

ATHOLICOS omnes, qui vel in Anglia vel extra illam degunt, & de mea retractatione Londini ad crucem Sancti Pauli Anno 1581. facta audiuerunt, cuperem admonitos, eam à me contra propriam conscientiam institutam fuisse: idque vt verum esse credant, Deum iustissimũ Iudicem testor, me nunquã illius religionis & sectæ, quam tunc temporis verbo & voce efferebam, placitis credidisse, planumq; faciam, nullam, cur à sanctissima matre nostra Catholica & Romana Ecclesia deficerem, causam veram, aut necessariam extitisse. Ex quo licebit manifestè colligere, me à prima mea reconciliatione cum Ecclesia Catholica facta, ex animo nunquàm fuisse hæreticum: nam si animo me à Catholica Ecclesia separaui, ideò factum est, quòd vel aliquos articulos doctrinæ Ecclesiæ falsos esse putarim, aut quòd malam vitam Catholicorum detestatus sim.

Quòd verò ad primum attinet, quamuis nunquàm Theologiæ operam dederim, aliter quàm catechumeni, & iuniores discipuli solent, qui vel in scholis Philosophorũ aut Rhetorum exercentur, non tamen (Deo sit laus) adeò sum hebeti aut tardo ingenio, quin ex sermonibus Doctorum virorum, quos antè audiui, & ex cõsuetudine, quam habui cum doctis quibusdam societatis Iesu Patribus, (qui quotidiè controuersias religionis nostræ difficiliores explicabant, & vana hæreticorum sophismata accuratè soluebant) possim de religione, & religionis inter Catholicos & Protestantes discrimine quoquomodò iudicare. Ac proindè verè iam scio & à primo meo reditu ad Ecclesiam sciui, singulos articulos Catholicæ religionis verè cum Dei verbo conspirare, quantumuis hæretici falsò & fraudulenter clamitent eos humanis solummodò traditionibus inniti. Et sanè mihi cõstat euidenter nullũ esse articulũ Catholicæ fidei iam controuersum, qui nõ possit ex scriptura sacra probari aut indè manifestè colligi & insolubili veritate deduci.

Effugia hæreticorum.

Quòd autem aduersarij solent obijcere, Catholicos scripturis contendere quę in testimonio authoritatem non habeant, aut si sententias verę scripturę proferũt, eas falsò pro arbitratu interpretari, ego sanè ex quo tempore ad Ecclesiæ gremiũ velut postliminio redij, nunquàm fui tàm simplex aut negligens salutis meæ, vt non viderem, hoc esse solitum illud, & commune effugium omnium, quotquot fuerunt, hæreticorum.

Hinc etiam facilè perspexi, nec Lutherum, superbum illum Luciferi primogenitum, nec quemcunq; alium quantumuis excellentem sectarium (etiamsi esset opinione hominum sanctissimus quamuis reuerà & coram Deo & hominibus profanissimus fuerit omniumq; mortalium impijssimus, tamẽ quia vnus erat & priuatus homo) debere hanc sibi potestatem arrogare, vt quæ scripturæ authenticę essent nec ne, pro sui spiritus incõstantis & turbulenti arbitrio statueret: nec in re tanti momenti reijcere iudicium Catholicæ Ecclesiæ & Conciliorum Oecumenicorum, quę hęc & huiusmodi alia determinant ex afflatu spiritus Dei, quem Christus Ecclesiæ promisit, non ad vnum vel alterum sæculum, sed vsq; ad finem mundi, vt ex clarissimis scripturæ testimonijs liquet.

Illud

Illud prætereà vnum abundè sufficiebat, tùm me ad confirmandū in fide Catholica, tum ad cōdemnandā Protestantiū sectam, quòd audiuerim à viris fide dignis (in quam tandem cumq; partē sese Angli sectarij verterint, quò suū defenderent honorē) quendam hæreticū Lutheranu suo sibi suggerente spiritu, quosdā libros sacros repudiasse, quos tamen tanquàm verum ac putum purum Dei verbū è nouis Caluinianis alius haud grauatè probarit: id quod ego ipse experientia nuper didici, cùm viderē illos approbare & condemnare, admittere & reijcere, quæcunq; viderentur, vel ad causæ suæ propugnationem, vel diabolicæ doctrinæ defensionem inseruire. Et quamuis aduersarij omnem erga sacram scripturam, earumq; vsum multò dignissimum, reuerentiam præstare videri velint, & de ijsdē magnificè ad tædium vsq; loquantur atq; garriant, reuerà tamen à Catholicis tàm longè in religiosa earum conseruatione, interpretatione, translatione, citatione, cæteroq; vsu superantur, quàm à veris dominis possessoribusq; alicuius rei distant, fures & ij qui per vim iniustè rem quampiam vsurpant, atq; occupant. Hoc credo, & experientia vtriusq, partis edoctus confidenter dico.

Quos libros sacros spiritꝰ Lutheranus admittit, eosdem Caluinianus reijcit.

Quid sentiãt aduersarij de vsu sacrorū librorum.

Deinde verò quod ad scripturarum expositionem attinet, noui proprium esse omnium hæreticorū abuti, inflectere, & torquere eas ad quamcunq; sententiam ab illis excogitatam, & particularim ad priuatos sensus suorum Patriarcharum, siue sua falsa dogmata confirment, siue aliena eiusdem farinæ condemnent. Audiui ego ipse & vidi in Germania etiam aliquandò easdem omninò scripturarū sententias (si verba spectes) & pro Lutheranis fuère, & Sacramentarijs aduersari: in Anglia contrà similibusq; locis, vbi Caluini regnat Euangeliū, vniuersa Biblia ad nutum Caluino & Bezæ inseruire, idemq; omninò sonare, quod ipsi sentiunt, non solùm contra Catholicos aut Lutheranos, sed etiam contra suum ipsorū librum ritualem (vt vocant) & contra acta atq; instituta, publica auctoritare euulgata. Nam Puritani Angli plusquàm centum & quadraginta errores enumerarūt in officio Ecclesiastico Caluinistarum, pugnantes cum scriptura sacra, quos ego notaui eo tempore, cùm in Anglia commorarer, maximè verò Londini & Cantabrigiæ.

Non conueniunt aduersarij in sensu scripturarū.

Puritani deprehenderūt plusquā 140. errores contrarios scripturæ in officio Ecclesiastico Caluinianorū, qui in Anglia degunt.

Nec solùm scriptores, Concionatores, Lectores & Disputatores, sed etiam alij Studiosi discipuli atq; adeò artificum famuli, qui Puritani sunt, condemnant atq; adeò reijciunt ex verbo Dei illud ipsum officium diuinum (si ita licet appellare) & sacrorum quæ ipsi frequentant quotidiè, administrationem. De quo si quisquā dubitet, legat scripta VVitakeri, & disputationes Fulkij, Charkij, VValkeri, aliorumq; ministrorū, nuper in arce Londinensi habitas, & inuenient hanc meā obseruationem esse verissimam, videbuntque multos articulos Puritanismi ab illis decisos & definitos per speciem scripturæ sacræ, contra proprium ipsorum publica potestate approbatum officium.

Sartores & sutores iam disputant in Anglia de ritu & mysterijs Caluiniani, an conueniãt verbo diuino.

Non opus est pluribus docere, quàm Lutheranorum interpretationes verborū Christi (Hoc est corpus meum) discrepent à Zuinglianorum & Caluinistarum expositionibus, quamq; illi expresso Dei verbo hos probarunt esse hæreticos, & hi vicissim vt gratiā rependant, eos carnales homines atq; idololatras demōstrarunt, & tamen vtriq; detorquent sacra Christi verba ad suas falsas & damnatas sectas, contra naturam & claram sententiam, quam litera, circumstantia, locorū collatio, Patres antiqui, Concilia & vniuersa Ecclesia nobis tradiderunt & etiamnùm tradunt.

LlI Animaduerti

Sectarij vani sunt superbi & sui amatores.

Animaduerti præterea sectarios nostræ Britanniæ, vt aliarum etiam regionũ, cùm singulares sint, inanis gloriæ cupidi, sui amatores, & propriarum opinionum aut falsorum cõmentorum tenacissimi, nihil aliud quærere quàm nouitates, & in scripturarum expositione ea cõminisci, quæ nec stulti nec sapientes ante illos inuenerunt, & hæc omnia quidem ita ridiculè iactitando proponũt, vt quisq; suum spiritum, donum, & scientiam præstare velit. Quę sanè res non mihi soli, sed alijs etiã, qui vident illorũ mores ac eruditionem, & ex parte norunt finem in quẽ intueãtur huius tam subitæ conuersionis artifices, mira videtur & planè peregrina.

Interpretationes scripturarũ variæ & discrepantes inter aduersarios.

Vt vt sit, hęc illorũ scripturarũ interpretatio tàm noua, tàm improbabili, tam inconstans, tàm varia, nõ solùm discrepat à cõmentarijs antiquorũ patru(qui tamẽ his nouis magistris gratia & eruditione longè excelluerunt) sed etiã à decretis Oecumenicorũ Conciliorũ, quæ non ex paucorum hominum sententia, sed concordi consensu doctissimorũ virorum totius orbis Christiani, ex scripturæ diuinæ sensu rectè & verè intellecto, per sancti spiritus operationem, omnia ferè quę modò in controuersiam vocantur, ante nostra tempora definiuerunt. Quæ sanè hæreticorum & inter se dissidia, & ab omni antiquitate dissensio, ac præterea irreligiosa scripturarum ac patrum tractatio, totiusq; Ecclesiæ quæ longè lateque à Christi temporibus per orbem est dispersa, contemptio, quam hoc tempore quo apud aduersarios vixi, multò melius quàm ex librorum lectione vel aliorum relatione didici aut discere potui, fidem meã quoad vixero, vti spero (diuino numine adiuuante) sic confirmauit, vt facilè non possit a sectarijs labefactari.

Cæterùm quoniam mihi non est propositum in breui hac satisfactione, longã ingredi disputationẽ, nec velim mihi profundam ac subtilẽ aliquam harum rerũ cognitionem arrogare, nihil aliud in confirmationem eius de quo agitur dicam, nisi quod (si fuissem ad hæresim propensus, cùm in Angliam proficiscerer, quemadmodum reuerà non fui, eiusq; rei testem inuoco supremum numen) quò familiarius Protestantibus non solùm vulgaribus, sed etiam doctioribus vsus fuissem, eò facilius reuocari potuissem ab hæresi eorum.

Cæcitas hæreticorum.

Nam vt liberè dicã, quod sentio & res est, quamuis in alijs rebus dona mentis tàm copiosè à diuina bonitate atq; alij mortales acceperint, in Theologia tamen, maximè verò in quæstionibus controuersis, sic sunt occæcati, & malo hæreseos immutati, (quod ex iusto Dei iudicio, tum ob peccata cõmissa, tum ob defectionem ab Ecclesia Catholica, semper est coniunctũ cum tenebris intelligentiæ maximè in illis, qui gloriantur de luce) vt quando nil nisi sophismata contorta & aculeata, ad confirmandã suam religionẽ producunt, existiment tamen audacterque affirment, se veritatem demonstrasse. Sed hìc more suo exclamabunt, se scripturam sacram fideliter proferre, meq; Dei verbum sophismata vocitare. Absit à me, vt tantum maledictum proferam, nam ego falsam illam & puerilem expositionem deductam ex corrupta aduersariorum interpretatione, sophisma voco; quod facilè ab illis potest intelligi, qui vel minimũ habent iudicij sensumue cõmunem, maximè si Deus per Ecclesiæ doctrinam mentem illorum & intellectum dignetur illustrare.

Qui apud Catholicos ineptissimi habebantur, inter

Ad hæc si hæresi admodum addictus fuissem, sanè hæc consideratio me facilè reuocasset, quòd viderim aliquos eorum, qui in partibus cismarinis dum inter Catholicos viuerent, habebantur & reuera erant inanes omniũ donorum & bonarum affectionum mentis, & præterea indociles, post reditum in Angliam, de-

ſignatos fuiſſe publicos concionatores, eorumq; ſermones (qui aliud nihil erant quam ſigna Sycophantarum & execrandorū mendaciorum) veluti oracula quędā cœleſtia & concluſiones deductas ab expreſſo verbo Domini æſtimatas eſſe.

Caluinianos post defectionem à fide vt ſummi concionatores & ſcriptores celebrantur.

Sapiens quidam de Ariſtotele prodidit memoriæ, cum in Philoſophia ſua vſum eſſe terminis quibuſdam difficillimis, vt imperitos à ſuorum librorū lectione deterreret, ne omnia harpyarum more immundo contactu conſpurcarent. De Philoſophia non laboro, certè de ſacris literis id omnibus conſtat, eas plenas eſſe ſecretiſsimis myſterijs, & tamen non modò docti in pulpitis & ſcholis, ſed etiam indocti & imperiti artifices Angliæ noſtræ audent eas priuatim in menſis, tabernis, & publicis conuentibus confidenter, audacter & cū pertinacia interpretari, adeo vt nunc temporis laici, ſeruorum operarumq; manus maximè, & imberbes grammatici, (ſi poſſunt Cæſarem græcè ſalutare, aut legere teſtamentum nouum Anglicè editum) imò mulieres ipſæ audebunt ſtatim cum doctis diſputare de controuerſijs religionis, & audacter damnare excellentiſsimos doctores orbis Chriſtiani.

Non ſolùm docti in Anglia diſputāt de controuerſijs, ſed etiam ſutores & textores, atq; adeò mulierculæ.

Nonnè hoc eſt minuere Maieſtatem verbi diuini? profectò ſi hæreſeos fuiſſem ſtudioſus, hæc ſola conſideratio me reuocare meritò debuiſſet. Poſſem in hanc ſententiam plures eaſq; firmiſsimas rationes adducere, ſed quoniam nouitius adhuc ſum & inſolens ſubtiliſsimæ eruditionis, exiſtimo ea quæ dicta ſunt ſatis ſuperq; teſtari poſſe, nullā fuiſſe cauſam, quoad animum atque voluntatem meā, quæ me poſſet ad defectionem inducere, finem imponā primę parti declarationis meæ.

Nunc verò in altera parte id mihi incumbit, vt apertè & perſpicuè doceā nullam fuiſſe iuſtam cauſam, cur ob malam vitam & corruptos mores Catholicorū, Eccleſiam ipſorum desererem, & ad caſtra Proteſtantium propter ſingularem aliquam vitæ ſanctitatem me conferrem. Eſto igitur, ſint mores Catholicorum corruptiſsimi, quemadmodum confingunt aduerſarij in fraudem populi, certè hi mores perditi nunquàm efficerent, vt à fide eorum deſciſcerem, ſi exiſtimarem religionem ipſorum veram eſſe atq; rectā: ſi enim liceret veritatem & fidem metiri virtute, & innocentia profeſſorum & ſectatorum, ea ſanè eſt humana fragilitas & miſeria in hac vita, vt Deus nullum haberet populum nec partem in hoc mundo, cum omnes ſint peccato & periculis mortalis vitæ obnoxij.

Fides Catholica non eſt deſerenda ob malam vitā quorundā Catholicorum.

Attamen ſi veritas religionis æſtimanda eſſet ex vita & conuerſatione vtriuſq; partis, Proteſtantium nimirum & Catholicorum, profectò longè forem ſtupidior aſino, ſi ſtudio Proteſtantium contra Catholicos ſententiam dicerem. Nam inter Catholicos primi profeſſores ſancti fuerunt, præcipui deinde duces atque doctores excellētis vitæ & virtutis, eorūq; veſtigia ingredientes poſteri, omnes quanquā homines fuerint, & naturæ quadam communione peccatis obnoxij, ad fontes tamen ſalutaris medicinę, ſacratiſsima, inquam, Chriſti ſacramenta, pœnitentiam, reliquamq; Eccleſiæ Catholicæ diſciplinam accurrentes, morbis ſuis mederi ſoliti ſunt.

Catholicæ fidei profeſſores.

E contrario verò primi huius noui Euāgelij auctores, vel vt ipſi ſolētēos vocare, inſtauratores, & reformatores religionis, Lutherus, Caluinus, Beza, & eius farinæ plures, non tantùm vulgariter, ſed inſigniter improbi ac ſceleroſi extiterunt, ſi vitæ infamiā & morū corruptelā attendas, quales etiā ſunt miniſtri reformati & zeloſi ſectatores, tū in alijs regionibus, tum maximè in Anglia, vbi peſsimis fru-

Auctores & propagatores nouæ religionis quales ſint.

Lll 2 ctibus

ctibus prodiderũt apertè perfidiã ſuam, & verè deformatã religionẽ: etenim Anglis iam innotuit per doctrinã hanc nouã, omnes omniũ ordinũ homines in peius mutatos eſſe, pulpita prætereà atq; exedras miniſtrorũ aliud non eſſe, quàm ſcelerum ſcholã, præpoſteræ libidinis & libertatis officinam, vt prudentes omnes vehementer demirentur hanc rerum ac morum mutationem, & boni lachrymis miſeriam deplorent.

Adeò inuiſa & onerosa facta eſt Proteſtantibus noſtris virtus, pietas, & vita Christiana, vt non modò ſummo conatu laborent dilacerare & è medio tollere libros, qui vel noſtro tempore, vel retroactis ſæculis ſcripti ſunt in defenſionem Catholicæ fidei, (quod per ſpeciem tollendi è medio errorẽs in illis contentos, videri volunt feciſſe) ſed etiam igni tradere omnes quotquot inuenire poſſunt libellos pios, contemplationes, meditationes, & inſtructiones vitæ & morum hominis Chriſtiani, tametſi nullam contineant diſputationem rerum cõtrouerſarum: ſic iam pridem hòrum opera deperijt libellus de imitatione Chriſti, ſic etiam nuperrimè combuſſerunt plurimos libros orationis & meditationis compoſitos a Ludouico Granatenſi, vnà cum nouo Teſtamento. Nec mirum ſanè, ſi huiuſmodi libros non patiuntur, norunt enim homines acuti orationem, pœnitentiam, & vitę emendationem facilè auocare poſſe homines ab hac ipſorũ religione, in qua nulla vera reperitur pietas.

Cuperem etiam Lectorem beneuolum, hoc vnum diligenter mecum obſeruare, doctos Proteſtantes huiuſmodi argumenta non pertractare, quæ ad pœnitentiam, orationem, vitæq; emendationem poſſint homines incitare, ſed omnes ſuos labores & ætatem ipſam inſumere in pugnis verborum, in diſsidijs, æmulatione, contentione, contradictione & deſtructione: facilè ſe expediunt in negocijs maximi momenti, vt eſt pœnitentia, & vitæ emendatio, totumq; attribuunt vni paſsioni Chriſti, quam tamen neq; defixi cogitatione meditantur, nec opere imitantur. Sed vt vno verbo dicam, gratiam Chriſti conuerterunt in carnalem concupiſcentiam & libertatem.

Vt autem hęc manifeſtè videantur (quemadmodùm in Anglia indies facilè videntur) non tàm opus eſt ſubtili & accurata eruditione, quàm debita conſideratione & aliqua experientia cæterarum nationum: quam ſi haberent Nobiles noſtri, ſtudioſi, & reliqui, qui vel Londini vel in Academijs, aut alijs in locis, ſtudiorũ aliorũmue negociorũ cauſa morantur, facilè viderent quantum diſcriminis interſit inter vitam, mores, educationem, & conuerſationem Proteſtantium & Catholicorum: id quod multis Anglis contigit, qui exterarum prouinciarũ ſcholas, vel ſeminaria noſtra Anglicana inuiſerunt. Hoc vnum confidenter dico, ſtudioſos ſiue alumnos ſeminarij Romani, (in quo ego abſens à patria magnam partem vixi, & propterea illud optimè noui) tàm eſſe pietatis & virtutis ſtudioſos, quàm ſint vlli alij in vniuerſo terrarum orbe, quantumcunq; calumniatores elaborarint idipſum infamare, eiuſq; æſtimationem diminuere.

Illud etiam addam, ſi Proteſtantes noſtri Angli poterunt mihi impoſterũ vel vnum ſtudioſum Oxonij & Cantabrigiæ, quamdiu Academiæ ab illis regentur, nominare, qui vitæ ſanctitate, morum integritate, & conuerſatione probata ſit comparãdus cum illis, quorum numerus magnus eſt in Romano ſeminario, promitto me idem dictarũ in D. Petri templo Romæ, quod anteà poſt lapſum meũ dixi ad crucem S. Pauli Londini.

Omnes libros qui de pietate tractant & vita rectè instituẽda, comburunt Caluiniani.

Vt eſt libell⁹ de imitatione Chriſti.

Opera Ludouici Granatenſis.

Et nouũ teſtamentũ Catholicè tranſlatum.

Studia & ſcripta Proteſtantiũ quo ſpectant.

Laus ſeminarij Romani.

Quamuis

Quamuis hæc ita se habeant, non tamen propreteà mala vita, (vt ante dixi) demonstrat hominem esse hæreticum, fateor enim me peccatorem esse, quemadmodũ cęteri homines, & fortè maximum omniũ peccatorum, nihilominùs tamẽ remedium inueni, misericordiã & salutem in Ecclesia Catholica, in qua sola passio Christi omnis remissionis causa, prodesse potest, & extra quã nihil est nisi damnatio, quamuis hominis vita iusta videatur & sancta. Propter quam sacratissimã passionem, spero diuinam misericordiam obliuioni tradituram delicta iuuentutis meæ, & hanc etiam negationem exteriorem siue defectionem à sua sancta Ecclesia, quam attestor ex humana fragilitate contra propriam meam conscientiam & scientiam accidisse.

Extra Ecclesiam Catholicã nulla salutis spes.

Deum qui omnia nouit, non latet, me non abnegasse Catholicam fidem, quòd probarem vel vitam vel religionem Protestantium, (de vtroq; enim cõmemini summi sceleris & impietatis) sed diabolum falsis quibusdam, & subtilibus persuasionibus me in hanc fraudem induxisse. Nam cùm ingens me teneret desiderium videndi parentes & amicos, timeremq; ne non auderent me recipere in domum suam, ob metum legum pœnalium, existimabam è re mea futuram, si hypocritam agerem coram Episcopo Londinensi (si hypocrisis sit dicenda, induere habitum & formam iniquitatis) meq; simularem hæreticum, vt hac ratione ipsis impetrata licentia, sine meo & amicorum periculo liberiùs eos accederem. Episcopus autem, vt est instar vulpis callidus, statim mandauit, vt hoc ipsum in publica hominum corona meis verbis contestarer: atq; hinc initium sumpsit tragœdia miseriæ meæ & calamitatis.

Causa lapsus Laurentij Caddæi.

Ego statim cœperam me veluti meticulosum excusare, simulq; effusis lachrymis apud illum qui agit pędagogum filiorum Episcopi, & eiusdem sacellanum Ioannem Dias hanc publicam retractationem deprecari. Deindè mecum cogitabam, si Episcopo reluctarer, mille inde consecutura incommoda, eo quòd anteà dixeram me eiusdem cum illo esse religionis: quæ omnia, eo procul dubio consilio, diabolus ideò mihi suggessit, vt penitùs me prosterneret, sed tamen spero, Diuina gratia adiuuante, me illum suosq; omnes in fine prostraturum, nunquamque in posterum in similes tentationes & laqueos prolapsurũ: quod ne fiat, Beatissimam Virginem Mariam, omnesq; cœlestes spiritus, & bonos Catholicos in terra degentes obtestor, vt pro me communem Deum precentur.

Possem hoc in loco nominare quosdam viros pios & bonos (si id liceret citra illorum periculũ) qui testes fuerunt doloris mei, & internæ concertationis, post considerationem meæ defectionis. Vnum tantum addam, ex quo omnes mortales videant, me nunquàm fuisse corde & animo Protestantem, à principio reditus mei ad Catholicã Ecclesiã. Primò quidem, cùm essem conclusus in carcere, qui dicitur Gatehorose, quondiè accessi ad ostium cuiusdam Catholici iacentis in proximo cubiculo, & amaris lachrymis indicaui ei, me contra conscientiam propriam debere palinodiam canere, a quo facto ille me insigni quadam charitate dehortatus est, atq; adeò consolatus, magnisq; rationibus conatus persuadere, vt constans in fidei Catholicæ confessione manerem. Sed diabolus, ministri quoq; eius, & mea imbecillitas præualuit vsq; eò, vt omnia præstarem in gratiam hæreticorum, quæ à me exigebantur. Hoc autem postquam cõmisissem scelus, graneque vulnus conscientię proprię inflixissem, contigit vt varijs in locis cum Catholicis conuersarer, quos tamen neq; læsi vnquàm, neq; manifestaui, nec certè id facturus fui-

Caddæus toto tempore, quo vixit in Anglia, verbum Catholicum [illegible] fit.

 rus fui-

rus fuissem in gratiam alicuius hominis vel cõmodi temporalis: eorum nomina hoc loco adscriberem, si id tutò fieri posset sine periculo.

Cùm in Academia Cantabrigiensi morarer, multis consului, vt in partes transmarinas sese conferrent, & plane persuasissem, vt vnà mecum Angliam deseruissent, si metus Tutorũ non obstitisset: multi enim adolescentes sunt ibidem, plurimùm animis inclinati ad Catholicam fidem & religionem, quos vt inde educat liberetq; Deum ex animo rogo. Adhæc cùm interdum eueniret vt contubernales mei, maximè verò Huttonus quidam, Doctoris Huttoni nepos, detraherent P. Campiano, in eumq; probra conijcerent, ego hominem vsq; adeò defendi, vt frequenter me etiam appellarent Papistam, proditorumq; defensorem, simulq; minati sunt se delaturos me ad superiores Collegij, in quo morabar. Hoc idem repetij de Patre Campiano, illumq; fuisse iniustè accusatum dixi in patria mea cuidã viro Catholico, dum vnà ambularemus animi causa ad littus marinum.

Idem defendit innocentiam P. Campiani.

At fortè obijcient nonnulli, me vsum fuisse consuetudine Ioannis Nicolai, hæretici peruersi, fateor equidem me cum illo nimium conuersatum esse: qui & seipsum, & me etiam, (si illum sequi voluissem) in ruinam præcipitasset, certus enim sum nullam vnquàm matrem tàm horrendum & deforme monstrum protulisse, si mores spectas, æquè ac ille est, quamuis illud etiam fatendum est, si finis conuersationis meæ, cum homine scelesto consideretur, spero vix quenquam futurum, qui existimabit me multùm propterea culpandum. Nam illud mihi imprimis propositum fuit, vt diligenter explorarem spiritũ eius mendacem, & mores corruptissimos, quos (licèt cum meo ipsius detrimento famæq; iactura feci) exactè noui, si quisquam alius: deindè maximè laborabam hominem ex Anglia euocare, ne præberet amplius occasionem effundendi sanguinem innocentem, quod obtinui, Deo sit laus & gloria, & prætereà id effeci vt caperetur, non quidẽ ex odio, quòd vellem ei quicquam molestiæ inferri, sed desiderio seruandi animã eius, & detegendi mendacia turpissima, cæteraq; conuicia ab illo in Ecclesiã Dei, eiusq; filios petulanter & malitiosè prolata.

Causa cur cõuersaretur cũ Ioanne Nicolao homine planè impio.

Nunquàm sanè fui illius ingenij ita malitiosi, & peruersæ naturæ, cuius Nicolaus erat, (Deum ipsum testor & facta mea,) nam si eius partes sequi libuisset, vsquequaq; haustum potuissem euomere venenum in Catholicos, potuissem eos ad Conciliũ priuatũ Regiæ Maiestatis deferre, potuissem meipsum cõmodis huius mundi munire, quẽadmodũ fecerunt alij, potuissem oblatas conditiones vitæ egregiè instituendæ acceptare, potuissem etiam Cantabrigiæ parentum (qui illius sunt conditionis, vt possint me honestè alere) sumptibus, studijs dedisse operam, & vt semel dicam, non defuerunt variæ & commodæ viæ ascendendi ad dignitatem, si conscientia mea in hæresi acquiescere voluisset, nec fuisset opus, vt ad exteras regiones me conferrem, in quibus probè sciebam pauperrimam mihi vitam esse ducendam.

Concludam ergò, toto hoc tempore quo in Anglia iam postremò fui, nunquã habuisse me conscientiam quietam & tranquillam, eiusq; rei causam esse, quòd conscientia reluctante omnia fecerim. Nec esset mihi difficilè plures adserre rationes, si breuitati studens mihi non persuaderem has sufficere. Vnum me multũ in spem erigit & consolatur, quòd multi non minùs grauiter quàm ego ceciderint, & postea tamen constantissimi perstiterunt, & in fide immobiles.


Nũquàm habuit conscientiam quietã post defectionem.

Restat proindè modò, vt pro hoc publico delicto & offensa, reliquisq; meis peccatis,

peccatis, veniam petam inprimis à Deo Opt. maximo, tum ab Ecclesia sancta Christi, deindè à Gregorio XIII. Christi in terris vicario, Ecclesiæq; sanctæ militantis capite, & postremò ab illis omnibus quibus hac in re scandalum præbui. Omnesq; veros & bonos Catholicos rogo, vt dignētur me veluti fratrē in Christo Iesu amplecti, ac pro me orare, ne vnquàm ampliùs in hæresim incidam: sed vt viuam & moriar in Catholica & Apostolica, eademq; Romana Ecclesia, & post hanc vitam fruar gaudijs regni cœlestis, ad quæ Deus per Iesum Christum nos perducere dignetur, cui cum Patre, & Spiritu sancto, sit omnis honor, potestas & gloria nunc & semper, Amen.

Laus Deo ac Deiparæ virgini Mariæ.
Per me Laurentium Caddæum.

Hæc omnia vera esse iureiurando confirmauit idem Laurentius Caddæus.



PALINODIA Richardi Bainei.



VEMADMODVM miseria mea & impietas magna fuit, vt modò aperiam ad inuulgandam ingratitudinem meam in Deū, Ecclesiam, & superiores meos, sic iustitia Dei, misericordia & prouidentia in seruanda, vt spero, anima mea, fuit planè admirabilis. De quibus omnibus ad gloriam Christi, Ecclesiæ sanctæ, eiusq; filiorum quos offendi satisfactionem, & ad meam ipsius temporalem confusionem, statui hanc publicam edere confessionē, vt qui stant, videant meo exemplo ne cadant, & qui ceciderunt, celeriùs resurgant.

Principiū & origo defectionis Richardi Bainei fuit superbia.

Fundamentum casus mei omnisq; iniquitatis, vel cogitatione conceptæ, vel admissæ, fuit superbia, quæ impulit me in tædiū quoddam vitæ ordinatæ secundùm præscriptum obedientiæ, præcipitauit etiam in amorem mei ipsius, dignitatis propriæ immodicam cupiditatem, & contemptum scholasticæ conditionis in qua viuebam, in desiderium quoddam immoderatum maioris quietis, commodi (& in quod maximè animū intendebam) victus delicatioris, & illicitæ voluptatis, quam licuit sperare in loco hoc exilij, quamuis (væ mihi qui vsq; eò non poteram anteà aciem oculorum intendere) reuerà conditio alumnorum seminarij, in quo ego honesto loco & honoris quadam obseruantia habebar, adeò est in omnibus bona & fœlix, vt plurimi viri sapientes admirentur singularem Dei misericordiam & abundantem prouisionem in alendis tot hominibus, in statu vitæ tàm pio & sancto.

Præterea, licèt non solùm fuerim Theologiæ studiosus, sed etiam Sacerdos, (qua dignitate me multis modis ostendebam indignissimum) vereq; persuadere maioribꝰ meis conarer me sacrarum literarum cognitioni operam nauare debitam, reuerà tamen maximè delectabar prophanis scriptoribus, iisque pessimis, qui vel apertè veritatem impugnarant, aut certè veram religionem vix redolebāt, vnde sacri scriptores Christianæ meæ professionis & sacerdotij, indies magis ac

magis.

magis mihi displicuerunt, meq; tędio quodam affecerunt, adeò vt in publicis illis exercitijs, quæ mihi ratione studiorum, vel præscripti superiorum erant obeunda, studerem magis os meum auditorumq; aures implere delicatis, cultis, & ridiculis phrasibus, quam salutari, solida, & sacra doctrina.

Hinc tandem vsq; adeò mihi placui, & in amore proprio progressus sum, vt per verborum nouitatē coniunctam cū iocularibus quibusdam prouerbijs & dicterijs, quibus partim ex naturali inclinatione, partim ex vsu illo, de quo memini, authorum profanorum, multum eram addictus, inuenerim tandem rationem iuuandi me, familiaritatemq; contrahendi cum iunioribus quibusdam studiosis adolescentib', quos putabā facilè posse abduci à disciplina illa domestica, & subiectione superioribus debita, ac proindè vtebar ordinariè scomatibus quibusdam contra singulos Collegij & superiores & moderatores.

Conabar etiam artificiosè, sub prætextu tamen sanctæ cuiusdam simplicitatis, peruertere & ad meas partes pertrahere, quosdā viros probos & honestos, eò quòd existimabam eos secreta quædam consilia superiorum cognoscere, quorum notitia statueram abuti, prout occasio sese posteà offerret, ad incōmodum & detrimentum Ecclesiæ, seminarij Remensis, præsidis, & aliarum insignium personarū, quibus lege diuina & naturali, & ratione beneficiorum acceptorum, omne obsequium præstare teneor.

His ergò modis incipiebam paulatim, cum scandalo & ruina multorum iuuenum & aliorū sociorum, (si Deus singulari sua gratia illos non præseruasset) nōn solùm exemplo licentiosæ vitæ, sed etiam impijs verbis & sermonibus, quibus ostendebam mihi non placere ieiunia & orationes, sed ex aduerso carnales delitias, adeò vt frequenter in cubiculum meum diebus Veneris sub vesperum curarem clam importari artocreata & id genus alia. Omisi etiam officia diuina, quæ ratione ministerij præstare tenebar, illaq; coram amicis quibusdam meis, quorū amori erga me, & silentio multū confidebam, iocis quibusdā & salibus aspergere.

His iam ex animi sententia peractis, cœperam irridere illa, quæ minoris videntur esse momenti in religione nostra, quæ via est aperta ad hæresim, infidelitatem & Atheismum, vt magno meo periculo in propria causa eaque lamentabili experientia sum edoctus. Rogo igitur omnes Christianos, cuiuscunq; sexus & conditionis, vt meo exemplo cauri prospiciant sibi, nam apertè profiteor, totiq; orbi palàm dico neerationem esse, nec scripturas, nec spiritum Dei, quæ tantoperè iactitant Protestantes, quæ hominem deducant ad sectam illam execrandam qua patria nostra iam penè funditus intercidit, sed voluptatem, sed indomitæ libidinis laxamentum, superbiam, ambitionem, qua obstricti præcipites raptantur in amorem sui ipsorum, trahunturque peccatis cooperti in hæresim hanc Protestantium, proximamq; portam, imò proximum gradum huius sectæ censendum esse Atheismū, & nullam omninò fidē aut religionē. Pauca verba sufficiunt sapienti.

Quibus gradibus in hæresim labatur.

Finis Caluinianæ religionis.

Posteà verò quàm mentem meam exposuissem ad eum modum quo perscriptum est, & aliquot dierum spacio probassem eos, quibuscum consilia mea & sermones hæreticos cōmunicassem, omnia silentio supprimere, fretus hac illorū familiaritate & taciturnitate, ausus sum euomere horrendas quasdam & blasphemas voces, non obscurè vt anteà, sed palàm & apertè contra præcipua capita religionis nostræ, maximè autem hoc feci coram quodam meo collega (vel studiorum eorundam socio) qui deinceps (hoc enim fatendum est ad diaboli confusionem)

fusionem) piè & verè ad vtriusq; nostrum emolumentum & salutem, rem totam aperuit superiori Seminarij, quòd iam confiteor singulari Dei misericordia accidisse, alioquin ego certissimè periissem in æternum.

Nam per integrum mensem cum illo meo socio audacter agebam, conabarq; non solùm argumentorū momētis, & frequentibus colloquijs, eundem ad hæresim pertrahere, sed etiam cum illo cōmunicare consilia mea impia planè atq; scelerata, quòd scilicet apud me statuissem redire in Angliam, hæresim publicè professurus, communi Catholicæ Ecclesiæ causæ, maximè autem seminario Remensi, Præsidi & superioribus eiusdem pro virili incōmodaturus, damnumq; illaturus. Addebam præterea, varijsq; rationibus confirmabam, consiliarios Regiæ Maiestatis Angliæ, debere omnibus modis contendere, vt dissoluatur seminariū illud Remense, nî velint statum Reipublicæ suæ, temporis progressu interire & labefactari.

Consilia impia & scelerata.

Hinc vlterius progressus, magis horrenda animo versabam, varia enim media modosq; illi amico meo proponebam, quibus Præses seminarij è medio tolleretur, vel si in eo erratum esset, quomodò vniuersi alumni, cæteriq; seminarij domestici incolæ vel veneno occiderentur, vel alijs modis dispergerentur. Adhæc stipulata manu asserebam Præsidem seminarij post biennium, à die quo illa loqueret, non futurum in viuis, & tamen vno iam elapso anno viuit, Deumq; obtestor vt in multos annos viuat.

Consiliū tollendi è medio Præsidē Doctorē Alanū, & alumnos seminarij Remensis.

Hæc fuerunt mea consilia, & colloquia diabolica, quæ an fuissent habitura effectum suo tempore, & an diabolus eò me perducturus fuisset, vt hæc omnia aperirem Concilio Regio Angliæ post reditum, ad tollendum è medio Præsidem, totumq; seminarium euertendum, haud sat scio: illud constat diabolum iam tum occupasse cor meum, & ad pessima quæq; me potuisse impellere spe præmiorū, honoris & dignitatis acquirendę in Anglia, quæ hisce iniquissimis medijs vnicè aucupabar. In quem finem etiam obseruatam fraudulenter quædam secreta, eaq; scriptis mandaram ea mente, vt pro re nata & tempore Concilio Regio exponerē, qua in re meam ipsius malitiam potiùs, quàm aliud ostendebam, quoniam quæ notaueram nullius erant momenti.

Breuiter fateor me cōmissurum fuisse omnia illa impia & scelerata facinora designata, potius quàm exciderē spe veniendi vel ad dignitatem, vel ad opes, mea solius opinione mihi decretas, cuius impiæ & detestandæ perduellionis in Deū & Ecclesiā sanctā susceptę, abominationis præterea, dissimulationis & hypocrisis (qua per integrum mensem postquàm animum meum socio aperuissem, sacrum faciēbam, petebam veniam & viaticum à Domino Pręside in Angliam redeundi, quo concionibus Catholicis & alijs officijs promouerem Catholicam causam) periurij etiam (nam per sacra Christi Euangelia adiurabam me credere omnibus articulis Catholicę fidei, nec vllum alium habere finem redeundi in Angliā, quàm Catholicæ Ecclesię conseruandæ & amplificandæ) à Christo saluatore per infinitam eius misericordiam veniam peto.

Rogo etiam optimum virum D. Præsidem, & vniuersos Seminarij alumnos, per sanctissimam mortem & vulnera Christi saluatoris, cuius solius causa illi omnē hanc a me & alijs peccatoribus sustinent contradictionē, vt mihi velint ignoscere, simulq; suis precationibus ad veram pœnitentiam, & remissionem peccatorum impetrandam iuuare. Illum præterea pium sacerdotem amicum meū charissimum

tissimum, quem socium cupiebam habere & consortē impiæ & sceleratæ defectionis, flexis genibus rogo, vt mihi ignoscat, illiq; gratias ago, quòd mea aperuerit consilia superioribus nostris, (quamuis fortè carnalibus hominibus iniuriam mihi intulisse videatur) nam si id factum non fuisset, procul dubio in æternum omni salutis spe excidissem, sed hoc totum à dulcissima misericordia, & suaui dispositione Domini nostri & saluatoris emanauit, qui meis consilijs hac in parte fœliciter obstitit in ipso cursu malitiæ, & execrandæ facinorum designationis, suaq; sapientia ineffabili non solùm effecit, vt carcerum hęc perpessio aliæq; corporis afflictiones, quas ille mihi tunc temporis immisit, quando ego maxime triumphare inter eius inimicos cogitabam, sed etiam mea scelera & iniquitatem ad gloriam nominis sui, & meam salutem conuerttir, cùm eodem tempore & seruos suos innocentissimos seminarij Remensis, cœterosq;, quibus mea nefaria consilia conatusq; potuissent nocere, & me vnà cum illis insigni quadam & maioris quā cuiquam credibile sit misericordiæ suæ significatione à periculis imminentibus eriperet.

Nam verè licet mihi dicere diuinam eius bonitatem, non minùs potenter & velut prodigijs ostentisq; me ab ijs quæ plus quàm flagitiosè animo moliebar inhibuisse, quàm Saulem à Christianorum cæde retardasse, imò multò maiorē misericordiam in me reuocando ostendisse, quòd ille ignorans veritatis professores persequeretur, ego contrà sciens prudensq; illam fidem Romanam, quam probè intelligerem veram esse, Christianam, antiquā, & Apostolicam, impugnarem, tametsi me fingerem de illa dubitare, quò facilius assequerer quod maximè aucupabar, & viderer non sine causa iusta hæc impia consilia suscepisse. Illud etiam addā me omnibus modis conatum esse conscientiam pertinacia quadam erroris obfirmare contra Catholicam fidem, quam tamen animo credebam veram esse.

Nunc igitur, vt qua ratione valeam, Ecclesię Dei satisfaciam, sacrosanctā Trinitatē, cœlitesq; omnes contestor, hacq; tetractatione mea, quā propria manu subscripsi confiteor, me in omnibus adhærere & credere sanctæ, Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ Ecclesiæ, meq; illi & supremo eius gubernatori, sanctissimo Domino nostro Gregorio XIII. summo Christi in terris ministro submittere atque subijcere: præterea detestor, execror, anathematizo, & damno ex animo omnes hæreses, schismata omnia & sectas, maximè verò hæreses Lutheri & Caluini, & cæteras vniuersas & singulas quibus voluntatis quodam assensu visus sum accedere, vel idcircò quod cum nouis hominibus & veræ religionis inimicis familiariùs viuere sim solitus; Deumq; obtestor, & sanctam matrē nostram Ecclesiam, vt me non velint diutius esse saluum & misericordia diuina donatum, quàm obseruem, profitear, & propugnem pro virili mea illam fidem, quam à maioribus nostris acceptam, prædicta sedes Apostolica proponit atq; docet. Datum in cubiculo meo Remis 13. Maij Anno 1583. præsentibus Domino Thoma Bailæo sacerdote, Domino Humphredo Elij Iuris Doctore, & M. Setho Fostero sacerdote.

Hanc meam esse retractationem agnosco.
Richardus Baineus sacerdos.

PALINO-

PALINODIA EDvvardi Osberni.



VMMA præpotentis Dei sapientia & misericordia, in eo vel maximè elucet, quòd inter cætera iudiciorum suorum erga impios signa, siue temporalia illa sint siue æterna, peccatores soleat plerunq; interna quadam molestia, & occultis conscientiæ stimulis pungendo corripere & castigare, dum in hac mortali vita degunt; vnde Augustinus grauis Ecclesiæ doctor, de hac re scribens, inquit: tu mandasti domine, & ita est, vt omnis inordinatus appetitus, sibi ipsi pœna esset.

Hanc tamen internam mentis carnificinam, nullum peccatum ita efficit atq; illud, quod ab homine reluctante propria conscientia cōmittitur, maximè verò, quando homo sciens & prudens illam repudiat fidem, veritatem & religionem, quam diuini spiritus benignitate à Matre Ecclesia scripturisq; diuinis accepit. Non loquor hîc de illis hominibus, qui ex malitia veritatem agnitam impugnant quemadmodum scelerate faciunt & fecerunt multi Archihæretici, (hoc enim peccatum est contra Spiritum sanctum) qui frequenter talia sustinent conscientiæ tormenta impiorum manibus debita, atq; in tantam desperationem præcipitantur, vt in hac vita videantur æternam suam damnationem inchoasse: sed de ijs, qui ex carnis fragilitate, timore & quæ alicunde affertur afflictionis, metu temporalium tormentorū, & indignitatis, aut simili humana infirmitate, coguntur interdum cedere minis, persuasionibus, aut blanditijs carnalium amicorum, vel spiritualium hostium. Nam & isti, propterea quòd Christum negarunt corā hominibus, corpus prætulerunt animæ, cœlestis patriæ salutisq; sempiternæ perdendæ periculum adierunt, ob breuem, incertum, & miserabilem statum vitę huius fluxæ ac caducæ, circumferunt illi in sinu suo tormenta longè grauiora, quàm in arce Londinensi possint corporibus adhiberi, quæ tamen vt vitent, pleriq; infœlicem illam sortem, quam iam diximus, subeunt, quemadmodum experientia nos edocuit.

Carnificina mentis, quā patiūtur desertores Catholicæ fidei.

Hanc miseriam (quæ mea infœlicitas est, & peccatorū grauitas) nimium ego sum expertus, tametsi (vt spero) ad æternam meam salutem; sic enim placuit diuinæ misericordiæ paternè mecum agere, meumq; lapsum ad sui nominis gloriam, & ad propriam animæ meæ vtilitatem & instructionem conuertere. Nam postquàm ego ipsum denegassem, dereliquissem, abiurassem, impieq; subscripsissem articulis quibusdam apertè blasphemis, auertissem postea me à suprema illa auctoritate vicarij Christi saluatoris in terris, negassem Catholicam fidem, nefariè prodidissem sacerdotium meum, imò vlterius subtili machinatione hostium Ecclesiæ Catholicæ inductus, seu potius impulsus prodidissem iniustè quosdam sanctos, honorabiles, & illustres confessores, & contra eosdem falsum testimonium dixissem: post hæc (inquam) omnia, summa illa & infinita maiestas dignata est me ijsdem oculis gratię & misericordiæ de summo cœlo aspicere, quibus conuertit Paulum, restituit Petrum, Magdalenæ omne æs & debitum dimisit, alijsq; non modò fragilibus & infirmis amicis, sed etiam manifestis persecutoribus, & continua conscientiæ meæ castigatione atq; remorsu, ex lamentabili consideratione tur-

Egregiū exemplum misericordiæ diuinæ.

 ne tur-

ne turpissimi casus mei & detestandæ conditionis, exciuit tandem ex corde meo lapideo amaras lachrymas, & denuò me reuocauit ex Sodoma illa perditæ nostræ patriæ, reposuitq; in sancta societate, & cõmunione corporis sui mystici, quod est Ecclesia Catholica, vnica & vera mater omnium fidelium, *domus Dei, columna & firmamentum veritatis*. In qua sola est omne solatium, omnis gratia, omnis benedictio, extra quam (vt iam experientia mea didici, & consuetudine eorum, quibuscum in Anglia nuper conuersatus sum) nihil aliud quàm error inuenitur, cæcitas, dubitatio, manifesta desperatio.

Machiauillianorũ & Politicorum, id est, Atheorũ studia.

Sit nomen eius benedictum in æternũ, qui tàm potenter miseratus incõmoda, liberauit me pauperem & indignum seruum suum, ex his & similibus miserijs, & ex laqueis eorum, qui nihil aliud moliuntur, quàm terroribus, Machiauillianis machinationibus & politia, impellere homines non tàm ad suam ipsorum religionem (nam qui ordinarij sunt huiusmodi rerum actores, nullius omninò sunt religionis) quàm vt videantur esse illius sectæ, cuius illi vellent videri esse.

Ego sanè non possum pro honore patriæ, & reuerentia quam debeo auctoritati publicæ (quamuis vt verum fatear, non sunt in magna constituti dignitate, qui causæ sunt communiter tantarum nostrarum miseriarũ) aperire fœdas, barbaras, & impias rationes, quibus abusi sunt fragilitate mea, dum elaborarẽt me auertere ab Ecclesia Catholica, & præcipitare in iram & indignationẽ Dei, quas alioquin ad confusionem illius impudentissimæ hæreseos, meamq; ipsius confusionem in hoc mundo, vt in proximo maiorem inueniam misericordiam, libenter manifestarem Christiano lectori.

Miracula Caluinistarũ & Machiauillianorũ sunt impudentia mẽdacia.

Hanc vnam, quæ minima est in millibus ipsorum collusionibus peruersis, nõ possum prætermittere, quin eius admoneam Catholicæ Ecclesiæ filios, eos quotiescunq; aliquem aut metu, aut pusillanimitate perculsum, aliòue mundano respectu ad suas partes attraxerint, proclamare solitos esse, hoc opus solius Dei esse, miraculum & opus diuinum, procedens ab insuperabili vi spiritus, Euangelij, & doctrinæ Caluinianæ, contra quam nulla eruditio, nulla hominis obstinatio potest constare, illiue resistere. Sic certè in causa mea egerunt, eum peruersa machinatione procurarent lapsum meum, quamuis in conscientijs suis probè iudicarẽt rem aliter habere, meq; nunquàm ab illis mente & indicio interno victum esse, quantumuis externa specie viderer illis cedere: Deus enim scrutator cordis & renum (quem hac in parte vt omnes etiam cœlites testor) optimè nouit, me per nullas eorum argumentationes fuisse vnquàm mente commotum, vt relicta fide Catholica, eorum sectæ adhærerem.

Nulla eruditione Caluinistarũ commotus Osorneus defecit ab Ecclesia Romana.

Nunc ergo charissimi fratres, & quicunq; alij lecturi sunt miserabilem lamẽtationem afflictionum mearũ & actionum tragicarũ, contestor coram Deo, Angelis eius, & cæteris cœlitibus, meam defectionem a vera Christi Ecclesia ad sectam Caluinianam non prouenisse ex vllo spiritus sancti impulsu, nec ex argumentorũ vi vel probabilitate, non ab auctoritate sacrarum literarum, doctorũ, & aliarum causarũ verisimilium, aut ex eo quòd dubitarem, vtrum Catholica Romana religio esset vera & vnica fides & cultus Dei nec ne, (quãuis enim simplicissimus essem, si tamen sensu cõmuni gauderem, maximè cum vtriusq; partis tàm Catholicæ quàm Caluinianæ, in ijs locis quibus vixi habuerim experientiam, fieri tamẽ non potest, vt vel ego vel quisquam alius, re & animo præferrem Protestantium religionem Catholicæ fidei) sed (vt verũ voce mea confitear ad diaboli & mei

ipsius

ipsius confusionem qui hac in parte secutus sum eius peruersas suggestiones) ex mea concupiscentia, prauo appetitu, & delitijs, quæ in membris meis reluctabantur menti, vt inquit Apostolus, & præualueruut spiritui, captiuauerunt me atque impulerunt, vt cederem carni & sanguini, timerem pœnas & tormenta, vel voluptatum amissionem Christi causa tolerare metuerem, qui tot ac tàm varia mei causa pertulit, effudit tot lachrymas, tantamq; copiam innocentis & pretiosi sanguinis amore mei.

Aduersarij minati sunt mihi Phalaridis taurum, (vt sic nominem tormenta illorum crudelia) vel, vt ipsi vocant, Domini Odoeni Hoptoni scholam, simul cū specubus subterraneis, & morte ipsa, nî vellem iuramento execrando meipsum obstringere, ad fideliter respondendum omnibus illorum interrogationibus captiosis & maledictis, ad accusandum meipsum, & prodendum electos Christi, ac Dei nostri seruos. *Argumenta Caluinistarū quib' ad suā sectam homines trahunt.*

Christus Dominus noster in illo conflictu mihi non defuit, multisq; modis tunc temporis admonuit, vt terroribus aduersariorum resisterem & tentationib', variasq; iniecit menti inspirationes, quibus animus corroborabatur ad contemnendum dulces promissiones sacerdotiorum, & id genus aliorum huius vitæ cōmodorum, quæ tum offerebantur mihi, si ipsorum religioni aures & animum accommodarem. Sed væ mihi peccatori, aduersarius ad tempus præualuit, maximè verò carnales amici, qui nescio quo dulci veneno carnalis amoris, & prætextu naturalis coniunctionis, altius vulnerant cor & mentis oculos fascinant, quam alij possunt inimicos suos capitales.

Hæc sunt (beneuole lector) argumenta, non scripturæ aut eruditionis, vel vlla alia probabilitas, quibus hæretici ad suā religionē solent homines attrahere, quæ sanè (Deum testor) ad Turcismum æquè ac ad Caluinismum persuadendum valent. Quamuis enim illi, qui à pueritia educantur in Academijs, scholis, & Ecclesijs Protestantium, non possint sine speciali & quasi miraculosa gratia Dei, alterius esse religionis quàm Caluinianæ, quia non possunt ordinariè sine auditu credere, aut lectione librorū Catholicorū, (quos omni diligentia aduersarij prohibent, ne in manus eorum veniant,) nemo tamē illorū, qui in exteris regionibus Catholicæ religionis synceritatem experti sunt, aut ad fidem maiorum nostrorum, qui vel in Anglia vel alibi floruerunt, oculos conuerterunt, potest corde & animo hæreticus esse.

Vtinam iuuentus vtriusq; Academiæ Anglicanæ, maximè verò charissimi fratres mei, (quos Deus ingenio, doctrina, & indole bona dotauit) viderent, quanta sit charitas, synceritas, aperta & suauis conuersatio eorum, qui morantur in seminario Remensi (vbi ego modò dego) quamque facilè paucorum dierum collatione citra eculeos, tormenta, timorem, violentiam, pollicitationes amplissimas beneficiorum, aut blandimenta, sola veritatis vi, scripturarum euidentia, & alijs argumentis, quæ suppetūt Ecclesiæ Christi scholisq; Catholicis pro confirmatione articulorū nunc temporis controuersorum, vt nihil dicam de discrimine quod interest inter mores, institutionesq; Ecclesiarū ac scholarum Catholicarum, quæ sunt in his partibus, & agrestes mores conuersationemq; immodestam magistrorum nostrorum ac discipulorum, qui in Anglia literis operam nauant. *Pium Osberni votum.*

Vtinam liceret alumnis seminariorum nostrorū Remēsis & Romani, alijsue Catholicis eadem libertate Academias Anglicanas inuisere, qua ipsi ad nostras

Catholicas accedunt, ibidemq́; siue minis carcerum & mortis, siue opprobrijs & conuicijs experiri, vtrum spiritus eorum aut verbum, de quo frequenter admedum & pueriliter gloriantur aduersarij, possit nostros homines & disciplinarum studiosos adolescentes in Ecclesia Catholica educatos, conuertere ad sectam ipsorum planè improbabilem & absurdam.

Fateor equidem à principio, cùm adhuc nouæ essent merces Caluinistarum, & cum nouitatibus coniunctę promissiones, doctrinaq́; plena libertatis & libidinis, aliquos fuisse inuentos adolescentes literis deditos, modoq́; inueniri quosdā, qui sectam ipsorū amplectātur libidinis & carnis causa, nullos tamē puto vel iuuenes vel senes vi momentisq́; argumentorū persuasos esse, vt ipsis adhęrerent vnquàm.

Multùm gloriantur miseri, si cogant quempiam infirmiorem, voce tantùm suæ religionis assensum præseferre, quorum tamen (Deo sit gloria) pauci sunt, si comparentur cum multitudine eorum, qui gloriosè & constanter terrores & persuasiones aduersariorū contemnunt, quorumq́; precibus & meritis, existimo Deum mihi cœteris q; infirmis fratribus gratiam impertiuisse & misericordiā, vt per nos, inimici confusionem pro gloria reportent, infirmi qui ceciderūt, aut offensis nonnihil auersi resurgant, & vnà nobiscum lapsus pœniteat, vtq́; illi qui cōsistunt firmis adhuc vestigijs, nostro exemplo fragilitatis, & Spiritus sancti admonitione cauti videant ne cadant.

Quod ad me attinet, ex quo quidem tempore veræ religionis symbolon agnoui, Deum testor me nunquàm, ne tunc quidē, cùm nuper me cogerent subscribere placitis suis, adhæsisse ipsorum opinioni. Subscripsi equidem ijs quæ excogitata erant, & literis mandata à quodam VVilhelmo Harto Concionatore conuiuali siue cubiculari auunculi mei, Domini Roberti Laui equitis aurati, quæq́; ego nec præsciui, nec scripsi, nec vera esse vnquàm credidi.

Cuius sceleris vt etiam prioris meę defectionis author fuit quidam Richardus Leues minister verbi, pastor Ecclesiæ parochialis, vbi & ego natus & educatus fui, vbiq́; per idem tempus moratus sum, & concionator celebris, sed vita planè infamis, spirituq́; vt videtur energumico afflatus: cuius rei iudicium hoc mihi erat, quòd cùm videret signum Christi pendentis è cruce in fenestra vitrea cœnaculi patris mei hac sentētia inscripta: *Compatiaris patienti, qui nostrā operatus est redemptionem*, sententiam hanc pietatis plenam eraderet, signumq́; passionis ferre non posset, cuius impietatem nemo mortalium Christi spiritu pręditus, potest, vt ego existimo, approbare, nec ego ipse quamuis anteà in falsam opinionem aberraueram, probare potui: vnde factum est, vt semel grauiter cum homine de hoc suo scelere expostularem, ineptissimè suas partes defendente.

Spiritus Caluinianus non potest ferre crucem Christi.

Ipsa eorū consuetudo, actiones, & verba, quę frequenter effutiūt in colloquio familiari & conuersatione secretiori, facilè alienarent hominis prudentis animū ab ipsis, cuius rei vnum libet asscribere hoc in loco exemplum. Cōtigit me nuper incidisse in disputationē de necessitate bonorū operum ad iustificationē & salutē cum Ioanne Foxo (auctore ingentis illius voluminis mendacijsq́; refertissimi, quod inscripsit, Acta & monumenta Ecclesiæ Anglicanę) cui cū ego designassem locum ex c. 1. ep. 2. D. Petri, ad fidem faciendam bonis operibus causam esse iustificationis nostrę & salutis, ille apertè respondit in hunc modum, ego non memini me huiusmodi verba legisse, si tamen Petrus asserit nos præsidijs bonorum operum in veram salutem vindicari, audacter dicerem illum mentiri, quoniam mihi certò constat, Paulum docere contrarium.

Quanti faciant Caluiniani ministri Apostolos Christi, in hoc loco videre licet.

Ex

Ex quo liquet istos socios metiri religionem omnem suo inani vanoq; iudicio, susq; deq; ferentes Petrum, Paulum, aut Christum ipsum, nisi quà possunt eorum verbis contortis suæ perfidiæ patrocinari. Est tamen quod fatear me aliquid debere huic viro, vel eo nomine, quòd à principio conuersationis nostræ mecum cõmunicaret secretũ quoddam consiliũ nemini hactenus (vt tunc affirmauit) cõmunicatũ; secretũ hoc erat, *se à Deo electũ fuisse vt conscriberet librum suũ Latinis literis de iustificatione.* Eodem tempore extra ollas excurrens, dixit mihi, nescio in quem finem, se misisse nummum aureum, quem An elatum vulgò appellant, ad senatorẽ Martinum, minutioribus commutandum numismatis, vt haberet quæ pauperibus erogaret. Quam hominis vanissimi simulationem cùm audirem, vix potui mihi temperare à risu, existimans mecum hypocritam cupere iustum videri.

Vanitas Ioannis Foxi ministri quinti Euangelij & auctoris Martyrologij Caluiniani.

Hi impij & scelerati ministri diaboli, fuerunt causa ruinæ meæ, quippè qui fraude, astutia, & vanis promissionib⁹ me subuerterunt, induxeruntq; vt subscriberem articulis, & alia iniusta perpetrarem. Quos omnes articulos septem numero, ego hoc publico testimonio reuoco, & mea sponte non solùm corde, vt anteà, sed etiam manu & lingua, in conspectu totius mundi retracto, profiteorq; me, diuina gratia aspirante, victurum & moriturum in cõmunione & societate Catholicæ & Apostolicę Ecclesiæ Romanæ, meq; in rebus spiritualibus, obtemperaturum sanctissimo patri nostro Gregorio XIII. eiusq; successoribus in sede Apostolica, & Christi vicarijs in terra, à qua Ecclesia eiusq; societate defectio, causa extitit omnium errorum, sectarum, diuisionum, & calamitatis nostræ, quòd non possimus frui pace & trãquillitate cõscientię in patria nostra infœlici, vt olim maiores nostri, sed miserè spoliemur & trucidemur, non ob crimen lęsæ maiestatis, proditionis, aut similia facinora, sed ob confessionem illius fidei, in qua omnes maiores nostri & nos ipsi sumus baptizati, & extra quam scio nullam spem salutis ostendi in futuro sæculo, nec gratiam in præsenti. Deumq; obtestor ac seruatorem meum Christum Iesum, vt mihi qui ab illius vultus lumine vultum paulisper auerti, & veritatem eius, timore hominum & pœnarum metu negaui, velit pro sua infinita misericordia, condonare quidquid est culpæ scelerisq; conflatũ.

Omnes prætereà Catholicos per Christi charitatem rogo, quos ego immeritò & iniuria offendi in hac mea infirmitate, vt mihi velint ignoscere, meq; suis precibus iuuare, ne in similem tentationem vnquàm posthac incidam: maximè verò à gloriosis illis confessoribus, quos diligo vt animam meam, & vt vasa electa Dei honoro, licèt illos magna iniuria, præter omne eorum meritum, anteà affecerim, vt hanc mihi culpam donent, vehementer peto.

Fateor etenim & conscientia me cõstrictum teneri agnosco, me debuisse quęuis potiùs & exquisita tormenta huius vitę sustinere, quam manifestare ac prodere pia illorum officia, & functiones sacras cum detrimento ipsorum, siue vera illa fuerint, siue falsa: confiteor etiam me nec debuisse, nec potuisse ex præscripto diuino, huiusmodi aliquid aperire, quamuis iuramento confirmassem me id manifestaturũ, & responsurum interrogationibus ad illud pertinentibus, quoniam certò mihi constat, huiusmodi iuramenta illicita esse, nec posse admitti, nec obseruari, si ex fragilitate humana suscipiantur, nemo enim potest seipsum iuramento, voto, aut alia obligatione obstringere, ad accusandum vel prodendũ hominem innocentem persecutori: quapropter huiusmodi se obstringere est peccare, illudq; obseruare grauius est delinquere.

Graue scelus est se iuramẽto obstringere ad prodẽdum innocẽtes.

Sed

Sed crimen iam est cōmissum,nec reuocari potest, quod factum est, quamuis remitti queat, id quod spero me obtinuisse: confido enim tàm Deum quàm homines,considerantes hanc meam synceram confessionem, humillimam veniæ petitionem,& publicam satisfactionem, veniam mihi non denegaturos, cùm Deus ipse omnium bonorum auctor, tot conscientiæ stimulis mentem meam afflixerit,vt nullam quietem internam,nullam medicinam vulneratæ conscientiæ reperire potuerim, nec ad aram Dei munera sacra sacerdotij oblaturus accedere ausus fuerim, ob functionis mysteria secretissima, sceleris mei grauitatem,populiq; scandalum atq; offensam, donec hanc publicam edidissem confessionem iniquitatis atq; doloris mei.

Quam veniam culpæq; remissionem,cùm iam per Christi misericordiam, & cōmunem Catholicorum charitatem spetem me impetrasse, non desinam quotidiè quoad vixero, sacratissima religionis munia pro illis obire, atq; pro charissima mea matre,amantissimisq; fratribus & sororibus Germanis: Deum obtestās & semper obtestaturus,vt zelum ipsorum vera foueat intelligentia.

Adhęc humiliter peto à fratre meo & sorore amantissimis (qui vádes me sistēdi quandò opus foret iudicibus fuerūt,promiseruntq;,quòd ego in religionē Caluinianā concederem aut Protestantiū quam vocant) ne existimēt me, eo animo excessisse ex Anglia, & vadimoniū deseruisse, quasi negligerē aut nihil pensi haberē damna & pericula,in quæ illi possunt incidere discessus mei causa,contra illorū promissionem graui pœna pecuniaria, si ego non obirem vadimonium, mulctandā: (Deus enim nouit hanc curam plus cæteris me vnum affligere) sed putent hoc damnum esse patrimonij mei supplementū (quod longè exæquare posset illam iacturā) & causam abitus fuisse animæ meæ & corporis salutem, cum qua non sunt comparandæ omnes huius mundi opes & cōmoda temporalia.

Illos prætereà obtestor per amorem fraternum, si cōtingeret ipsos perpeti difficultatem ob meum discessum (quod spero non futurum, cùm innocentia eorū sit Concilio Regio perspecta, & zelus diligentiaq; qua vsi sunt ad inserendum me vel potiùs insuendum isti religioni, quam ex errore & mala educatione credunt veram esse, facilè sit ipsos reductura in gratiam & fauorem) ne ægrè ferant hanc pecuniæ iacturam, quam vel in hoc mundo, vel in futuro, Deus aut homo poterit resarcire, maximè cùm cedat hoc damnum pecuniarium in salutem carnis & sanguinis proprij,id est, fratris germani: aut si putent hanc viam quam ego elegi non perducere ad salutem, saltem æquo animo tolerent hoc detrimentum,propter conscientię meæ tranquillitatem, cum qua velle pugnare, & contra eius præscriptum quicquam facere, nòn potest peccato vacare.

His ergo finē impono, rogans eos, omnesq; Catholicos fratres meos in Christo dilectissimos, vt pro me orent, Deoq; mecū gratias agant, pro ea misericordia & clementia,qua mihi animæq; per omnia benignè fecit,vtq; nomē sanctum eius laudet & benedicat anima mea in sempiterna sæcula. Datum Remis 19. Maij ipsa videlicet Ascensionis Christi Iesu, cui omnis gratiarum actio & æterna gloria Amen. Anno 1587.

Per me pauperem peccatorem, fratrem
vestrum in Christo,
Eduardum Osbernum presbyterum.

DVO EDICTA ELIZABETHÆ REGINÆ ANGLIÆ CONTRA SACERDOTES SOCIETATIS IESV, ET ALVMNOS SEMINARIORVM, QVAE A GREGORIO XIII. Pont. Max. Romæ & Remis pro Anglis sunt instituta, quibus non solùm illi vt perduelles proscribuntur, sed Angli omnes, qui in ijsdem Collegijs viuunt reuocantur: vnà cum Apologia doctissimi viri D. Gulielmi Alani pro ijsdem sacerdotibus societatis Iesu, & alijs seminariorum Alumnis, in qua explicantur causę institutionis prędictorum seminariorum, & cur sacerdotes Catholici in Angliam mittantur.

Additur eiusdem Gulielmi Alani piissima admonitio & consolatio verè Christiana ad afflictos Catholicos Angliæ.

EDICTVM REGINAE ANGLIAE, AD REVOCANDVM PLVRIMOS SVAE *Maiestatis subditos, prætextu quidem studiorum in transmarinis partibus degentes, re autem vera contra diuinas patriasq́; Regni Anglicani leges viuentes: item contra eos, qui recipiunt aut retinent Iesuitas & Missificantes Presbyteros, seminatores seditionis, & aliarum proditoriarum molitionum.*

* * *

REGINAE Augustissima Maiestas intelligens Collegia quædam, & Societates sub nomine seminariorum, superioribus hisce annis proximis, ab Episcopo Romano instituta, tàm in illa ciuitate sua, quàm in aliorum principum ditionibus, maximè propter sui Regni subditos, eo fine vt in falsis & erroneis doctrinis instituantur & enutriantur, vnde plurimi sui subditi boni alioqui ac fideles, non solùm in religione deprauati fuerint, sed abstracti etiam ab ingenita & natiua obseruantia, atq; ab officio erga Maiestatem suam tanquam Principem ac supremū Dominum suam agnoscendo: insuper etiam ministri facti nequissimarum quarundam machinationum, non solùm ad perturbationem Regni huius & cæterarum suæ Maiestatis ditionum, sed ad intestinam etiam rebellionem in patria ipsorum gente concitandam spectantium.

Hæc igitur intelligens sua Maiestas, rem valdè consentaneam existimauit, & qua Chri-

stianæ principis maximè interesset, curare diligenter & prouidere, vt sui subditi in vera ac Christiana religione, quæ mero Dei verbo, non humanis somnijs vanisq; traditionibus nitatur, instituantur: atq; ad eam rem maturè præueniendam, omnibus remedijs eniti atq; contendere. Quapropter omnibus suis subditis, quotquot habẽt liberos, pupillos, cognatos, aut alios quoscunq; quorum specialis cura ad ipsos pertinet, aut quibus suppeditant ad vitam necessaria, in transmarinis partibus cõmorantes, seuerè mandat & præcipit, vt post decem dies à publicatione huius edicti, nõ solùm tradant Ordinario loci nomina talium suorum liberorum, pupillorum, aut cognatorum, quibus aliquid subministrarunt, tunc vltra mare tempore dictæ promulgationis existentium, absq; speciali suæ Maiest. licentia adhuc vigente & non expleta: verùm etiam efficiant vt ijdem liberi sui & reliqui anteà nominati, reuertantur infra spacium quatuor mensium à tempore dictæ publicationis huius Edicti.

Qua in re illud præterea sua Maiestas vult ac iubet, vt parentes & alij suprà nominati, statim post reditum suorum liberorum & cæterorum, qui suprà memorantur, illud ipsum significent Episcopo & loci Ordinario. Quòd si præfati liberi & illi reliqui, post cognitã per parentes & cæteros amicos Maiest. suæ voluntatem, non redierint infra tempus præstitutũ, tùm non licebit alicui ex parentibus aut cæteris personis prædictis, ad eorum sustentationem quicquam suppeditare directè vel indirectè, sed nec alios qui ijsdem suppeditauerint celare, verùm ad Episcopum aut loci ordinarium deferre atq; detegere sub pœna grauissimæ indignationis Maiestatis suæ, & aliorũ præterea suppliciorũ, quæ propter suũ hac in parte contemptũ iustè ipsis infligi poterunt.

Mandat præterea sua Maiestas & decernit, ne post expletos supradictos dies liceat vlli mercatori aut cuiuis alteri, per modum cambij seu permutationis, aut alijs modis quibuscunque cambire, commutare, transmittere, tradere, aut procurare aliquã pecuniã aut aliud quodcunq; subsidium aut sustentationẽ, vel expensas alicuius aut aliquorũ vltra mare degentium, qui iuxta intentionem & propositũ huius Edicti prohibentur aliquid subsidij aut sustentationis ex quibuscunq; suæ Maiestatis ditionibus recipere, sub pœna indignationis & aliorum suppliciorum, quæ pro tali contemptu ipsis infligenda fuerint.

Porrò autem intelligens sua Maiestas plurimos ex suis subditis in dictis Collegijs & Seminarijs transmarinis institutos & educatos, ex quibus aliqui nominantur Iesuitæ (vt sub specie tàm sancti nominis decipiant & circumueniant simplices) eosq; in hoc regnum nuper cõmigrasse à Papa & delegatis eius specialibus mandatis directè missos, cum hac intentione & proposito, vt optimos & amantissimos suos subditos, non solùm in fide ac religione corrumpant atque peruertant, sed etiam vt eosdem à debita obseruantia & obedientia abducant, & (quantum in ipsis est) prouocent atq; instigent ad moliendũ aliquid, vndè præsens pax & tranquillitas Reipublicæ, qua multis iam annis per Dei benignitatem & suæ Maiestatis prouidam gubernationem hoc Regnum fruitur, perturbetur.

Sua igitur Maiestas prospiciens & præuidens ingens malum, quod per tàm nefarios ministros quasi pessima quædam instrumenta consecuturũ videtur, (cuius rei exemplum & experimentũ nimis recens iam nunc in regno Hyberniæ vidimus) declarat idcircò omnibus suis subditis, quod si quisquam eorũ aut aliorũ quorumcunq; intra suas ditiones commorantiũ, immediatè post huius Edicti promulgationem, recipiat, sustentet, foueat, aut sublenet illos Iesuitas, Seminarianos, Missificantes Sacerdotes, aut alios quoscunq; prænominatos, qui aut iam venerunt, aut venturi sunt, seu mittentur in hoc Regnum, aut alias quascunq; ditiones suas: vel si non detexerit, quos nouerit recipere ac hospitio fouere personas suprà memoratas, aut alios tales vagabundos quoscunq;, de quibus meritò suspicio esse poterit, quòd tales eiusdem farinæ sint, & nefariæ cõditionis: vel si eiusmodi personas apud se fortè tempore dictæ promulgationis aut postea cõmorantes, non statim sistent corã proximo magistratu, seu iustitiæ Præfecto viciniore, vt ab eo tra-

dantur

dantur in carcerem, aut coram alijs publicis magistratibus, vt ab eis similiter incarcerentur, postea examinandi & pœnas luituri factis suis condignas arbitrio suæ Maiestatis, tunc hi omnes reputabuntur & æstimabuntur sustentatores, fautores ac patroni eiusmodi rebellium & seditiosorum hominum, & pro illo suo contemptu pœnas recipient tàm acerbas, quàm vel per leges huius Regni, vel per suæ Maiestatis authoritatem regiam illis infligi poterunt. Quod si alius quispiam ex subditis Maiestatis suæ aliquando certò cognouerit tales aliquos in hoc, &c. Conclusio edicti desideratur, sed non videtur esse alicuius momenti, vt facilè colligitur ex subsequenti.

EDICTVM REGIVM, QVO IESVITAE ET alij Sacerdotes denuntiantur perduelles.

REGINAE *Maiestas excellentissima iam pridem intelligens societates quasdam & conuenticula, partim sub nomine seminariorum, partim sub appellatione Iesuitarum, paucis abhinc annis ab Episcopo Romano instituta esse, tàm in vrbe Romana, quàm in aliorum Principum ditionibus, præcipuè verò & nominatim propter suæ Maiestatis subditos, eosq; qui in ipsius regnis & ditionibus nati sint; eo animo & fine, vt falsis & erroneis doctrinis informentur. Vndè plurimi suæ Maiestatis subditi, non solùm in rebus fidei deprauati sunt, sed etiam abstracti ab agnitione ingenuæ & natiuæ obseruantiæ, cæterorumq; officiorum, quæ suæ Maiestati tanquàm Principi naturali ac supremæ dominæ debentur, & prætereà singulari Pontificis, suorumq; Delegatorum directione, instrumenta & ministri sunt designati quarundam nequissimarũ machinationũ, non solùm ad concitandos animos rebellium seditiosorumq; hominum, intra ditiones suæ Maiestatis (quod tamen singulari Dei bonitate suæq; Maiestatis prouida gubernatione hactenus præcautum est atq; prouisum) sed etiam in fraudem, & periculum personæ suæ Maiestatis.*

Hæc ergo intelligens sua Maiestas, præuidensq; incõmoda, quæ possent per huiusmodi impia & perfida instrumenta regno huic inferri, edicto quodam suo dato in palatio VVestmonasteriensi 10. Ianuarij, Anno 23. fortunatissimi regni sui omnibus subditis intimauit, vt si quispiam eorum, vel quicunq; alius intra suæ Maiestatis ditiones, post illius edicti publicationem reciperet ædibus suis, defenderet, sustentaret, foueret, aut subleuaret vllum Iesuitam, Seminaristam, mißificantem Sacerdotem, aut huiusmodi alios qui accederent, vel mitterentur in hoc regnum aut alias quascunq; suæ Maiestatis ditiones: aut si non detegeret eos quos nosset recipere, vel hospitio fouere personas prædictas, aut alios eiusmodi vagabundos vel personatos quoscunque, de quibus meritò suspicio esse potest, quod tales eiusdem farinæ sint & nefariæ conditionis: vel si eiusmodi personas apud se fortè tempore dictæ promulgationis vel posteà commorantes, non statim sisteret corã proximo magistratu, seu iustitiæ Præfecto, seu quocunque Officiali publico, vt ab hoc coram iudice sisterentur, examinandi, & pœnas luituri factis suis condignas, arbitrio suæ Maiestatis.

Edixit (inquam) tunc sua Maiestas, vt qui hæc non præstarent, reputarentur & æstimarẽtur sustentatores, fautores ac patroni eiusmodi rebellium & seditiosorum hominũ, & pro hoc suo contemptu pœnas tàm acerbas reciperent, quàm vel per leges huius Regni, vel per suæ Maiestatis authoritatem regiam, illis infligi possent.

A quo tempore aliquot exempla edita sunt condignæ punitionis, tùm eorũ, qui per contemptũ violarunt suæ Maiest. expressum mandatum atq; edictum hac de re promulgatũ, tùm prædictorum perduellium, nominatim autem Edmundi Campiani Iesuitæ, Radulphi Scheruini, & Alex-

andri Briãti sacerdotum seminaristarum, qui dum secretò & ementito habitu regnum peragrarent, depræhensi tandem, iustè, legitimè, publicè, & ordinatè accusati, conuicti, condemnati, & neci dati sunt, ob diuersa perduellionis crimina, quemadmodum etiam eorum complices, ob similia crimina iustè sunt capitis damnati.

Cæterùm quoniam Maiestas sua intelligit, tùm propter malitiam & pertinaciam quorundam, tùm propter aliorũ affectatam ignorantiam, eos reformationũ effectus non subsecutos, quos post promulgationem edicti sui, & exempla prædicta iustitiæ expectabat desiderabatque. Intelligens præterea quosdam maleuolos proditores, literis atq; adeò libris impressis sparsisse in publicũ, prædictos proditores & profligatissimos rebelles, sine causa condemnatos & occisos esse: hæc, inquã, cùm sua Maiestas consideraret, suarũ partiũ putabat esse, omnib⁹ suis subditis bonis atq; fidelibus, & generatim omnibus alijs, intra suas ditiones degentibus, (ne in fraudem ab huiusmodi impijs, falsis, & periculosis proditoribus atq; seductoribus inducantur) notum facere, quod suæ Maiestati, suisq; consiliarijs manifestè constet, tàm per multifarias examinationes, quã per ipsorum varias literas & confessiones, & manifestas præterea similium seminariorum & Iesuitarum, à Papa missorum coniurationes, quæ in Hybernia tandem in apertam eruperunt rebellionem, finem atq; scopum Iesuitarũ, seminaristarũ, & similiũ sacerdotum, in hoc regnum & cæteras suæ Maiest. ditiones missorũ, aut imposterum mittendorũ ex partibus transmarinis, non solùm esse ad præparandũ animos quorundam suæ Maiest. subditorum, ex se propensos ad inobedientiam (quo aptiores sint ad opem ferendam externis principib⁹ volentibus inuadere regnum) & ad excitandũ populũ ad rebellionem, sed etiam (quod maximè periculosum est) ad priuandũ Maiest. suam diademate, dignitate, atq; adeò vita ipsa, cuius prouida gubernatione, diuino auxilio fauente, hæc regna fæliciter & diuitissimè floruerunt, summa rerum omnium abundantia, pace, atque securitate.

Præuidens etiam magna incommoda, quæ possint vniuerso huic regno, cæterisq; suæ Maiest. ditionibus accidere, si hæ coniurationes, earumq; auctores seuerè non prohibeantur puniantur q;, ne vllus post hanc promulgationem relinquatur locus excusationis, prætextu alicuius ignorãtiæ, Maiestas sua admonet omnes suos fideles atq; amantes subditos, cæterosq; qui in suis ditionibus agunt, quatenus prædictos Iesuitas, seminaristas, & sacerdotes, qui in has suas ditiones occultè ad modum iam dictũ accedunt, habeant, & existiment ob causas an edictas, vt proditores suæ Maiest. coronæ, & regni. Decernit præterea eos omnes, qui huiusmodi Iesuitam, seminaristam, aut sacerdotem, post publicationẽ huius edicti scientes & prudentes recipient, adiuuabunt, consolabuntur, fouebunt, aut subleuabunt, tractandos, puniendosq; vt eos tractari, atq; puniri conuenit, qui sua sponte sunt adiutores, confirmatores, fautores, & defensores perduelliũ & reorum criminis læsæ Maiest. eosq; qui scientes aut prudentes habuerint huiusmodi Iesuitam, seminaristam, aut sacerdotem in domo sua aut contubernio tempore huius promulgationis, aut posteà, & non statim dederint operam quam poterunt diligentissimam, vt adducantur ad magistratũ proximũ seu iustitiæ præfectũ, vel ad alium publicũ officialem, in carceres cõijciendi, responsuri & pœnas luituri condignas factis, secundũ leges suæ Maie. qui, inquam, hoc non præstiterint, reputandos, existimandos, & tractandos, vt defensores ac adiutores proditorũ, quiq; sciens, & prudens huiusmodi Iesuitam, seminaristam, vel sacerdotem, aut vllas eorum machinationes antedictas celabit, æstimabitur & tractabitur, vt reus læsæ Maiestatis.

Vult præterea, & mandat sua Maiestas, ne quispiam subditorũ suorũ, aliorúmue, qui ei obedientiam præstare tenentur, permittat liberos suos, aut quemuis aliũ ipsorum curæ aut gubernationi subiectum (exceptis nautis, legitimisq; mercatoribus, & alijs eiusmodi hominibus, qui citra fraudem erunt agentes & factores, & ministri legitimorum mercatorũ, in negotiationibus suis transmarinis) ex regno hoc exire sine speciali suæ Maiestat. licentia prius obtenta, sub

pœna

pœna indignationis, grauiorisq; animaduersionis huiusmodi transgressoribus, & contemptoribus, secundùm legum præscripta infligendæ. Vult præterea. & mandat quatenus illi sui subditi, qui impræsentiarum viuunt, in ijsdem seminarijs & societatibus erectis in regionibus transmarinis, & domum non reuertentur intra spacium trium mensium post huius edicti promulgationem, illi etiam qui post hanc promulgationē sint ad illas partes migraturi, & inter illos numerabuntur, qui degunt in prædictis seminarijs & societatibus, ipso facto habeantur, æstimentur, & reputentur proditores suæ Maiestatis, coronæ, & regni, vtq; omnes illorum defensores, adiutores, fautores, & confortatores, similiter æstimentur, habeantur, & tractentur vt defensores, adiutores, fautores, & confirmatores proditorum, & perduellium. Datum primo die Aprilis, Anno 23. regni nostri.

APOLOGIA GVLIELMI ALANI PRO SACERDOTIBVS SOCIETATIS IESU, & Seminariorum alumnis contra edicta Regia.

PRAEFATIO AVCTORIS.

QVAMVIS quod ad crimina nobis obiecta attinet, (ciues in Christo Iesu dilectissimi) testimonium certissimum innocentię, & integritatis reddant nobis conscientię nostræ, Deusq; iustissimus Iudex, non solùm in generali illo iudicio, toto inspectante orbe: sed etiam in vniuscuiusq; nostrum obitu, sine vllo vel ordinis; vel conditionis discrimine, causam nostram sit discussurus, studiorum pręterea nostrorum, atque conatuum ęquitatem contra aduersarios demonstraturus: nihilominus tamen, quia ab Apostolo iubemur reddere actiones nostras, non solùm Deo, sed etiā hominibus probatas, & ex veteribus, quidam illustris docet magnam eam esse crudelitatem, sic in confidentia propriæ conscientiæ acquiescere, vt famam negligamus, cùm hoc sit æquè necessarium proximis, quam aliorum nobis, statuimus diuina gratia, & vestro fauore freti verè, syncereque in conspectu Christi Saluatoris nostri, cum ea interim animi submissione, quam Regiæ Maiestati & superioribus debemus, explicare & defendere conatus & studia nostra, male quidem ab aduersarijs interpretata, admodum tamen patriæ nostrę charissimę (si calamitosissimū horum temporum statum intueri velimus) necessaria, quò coacti sumus vel inuiti patria relicta, externas regiones peragrare, sperantes hac ratione obtentum iri, vt Deus animos multorū, qui aliter quàm oportet facta nostra interpretantur, immútet, & aures Regiæ Maiestatis, Consiliariorumq; illustriū ab auscultatione calumniatorum auertat, suæ quoq; indignationis ab afflictis ciuibus manum retrahat, ac deniq; cor regium ad consuetam in subditos suos Catholicos misericordiam & clementiam inflectat.

Augustinus.

Intentio auctoris in hac Apologia.

Nec sanè longa opus fuisset Apologia, nec ardua aut ambigua altercatione, si causa nobis agēda esset coram vniuersa Christi Ecclesia, siue antiqua illa, siue moderna: quæ vt olim in similibus causis, sic etiam hoc nostro sęculo, in summis suis Conciliorum, sediumq; Apostolicarū tribunalibus, grauissimis illis quidem & legitimis, huic etiam instituto nostro accommodatis, sententiam in fauorem fidei, studiorum, atq; laborum veritatis causa à nobis susceptorum protulit.

Causa Catholicorū in Anglia omnium tribunalium sententijs cōfirmatur.

Minus etiam in eadem causa difficultatis occurreret, si coram cæteris Christianorū nationibus disceptandū, standū florentissimarū Rerumpu. iudicio, & in Academijs celeberrimis viritim disserendū foret; quę profectò res nostrę afflictas

solatio,inopiam liberalitate subleuarunt:quin etiam testimonijs luculentissimis, ijsq; honorificis (quæ & posteritas intelliget) studia nostra comprobarunt, labores autem & concertationes scholasticas, veluti nostrę professioni consentientes, & aberrantium animarum reductioni accommodas, egregijs laudibus prosecuti sunt,adeoq; nobis laborantibus opem tulerunt.

Nec in præsenti negotio, antiquorũ illorum,vereq; Christianorũ Regum conspectum reformidamus,imò nec suę Maiest.maiores vllos despicimus,quin nullũ honorabilium virorũ consessum,siue parlamẽti,synodi,consistorij, aut alio quouis nomine notentur, refugimus; amplectimur doctorũ virorũ & Academicorũ congregationes, quæ a primis fidei nostræ iactis fundamentis vsq; in hodiernum diem perstiterũt,quorũ omnium leges,decreta,definitiones,statuta,scripta,actiones,vita & exitus probant nostra facta & studia, eisq; contraria omnia reprobant ac damnant.

Nec dubitare possumus (tametsi veritas & clara huius causæ nostræ notitia,vt cæterorũ soli Deo nota sit) quin posteritas nostra, vbi sese nonnihil recollegerit ab hac tempestate & turbine erroris, (nam experientia & monumenta aliarum ætatum docent hęc genera morborum, vt facilè prouincias inuadunt, ita etiam non altas radices agere) nunc tandem paucorum annorũ experientia, tædioq; erroris affecta, officia & studia nostra vt Deo, & Ecclesiæ Anglicanæ debita atq; grata, sit approbatura,quamuis in principio huius turbinis,pleriq; sceleris licentia & rei nouitate pellecti,præcauere noluerint.

Cùm itaq; vniuersam Christi Ecclesiam nobiscum consentientem habeamus, nationes externas,Britanniæq;nostræ incolas omnes,quorquot à iactis fundamẽtis fidei ibidem vixerunt,vsq; ad nostra tempora, & vt confidimus omnes in posterum habituri sumus, profectò defensio nostra tàm Deo quàm hominibus facilis,expedita,grata,vt speramus,& accepta erit.

Catholicæ fidei progressus vnde impediatur. Vndè difficultas in solo præiudicio, & præsentis conditionis, ac temporis ratione posita videtur: nec mirum sanè, cùm auctoritas, vis, timor legum, fauor principis,domestica educatio,plausibilis modus concionandi, & persuasio lucri, cõmodi,pacis,& voluptatis mutet nonnunquàm,imò planè inficit atq; peruertit iudicium interioris hominis, & frequenter actiones externas hominum mundanorum,contra naturalem ipsorum inclinationem à rectæ rationis tramite distorquet. cuius generis (proh dolor) in Anglia nostra plurimi reperiuntur, non modò eorum,qui potestate legum coërcentur, sed eorum etiam, qui præcipui vnius partis fautores,& persecutores alterius videntur.

Hi enim cùm sapientes sint,non possunt esse Protestantes 23. annis,id est,multo tempore, sed quia mundo addicti sunt, nec possunt nec volunt priorem suum lapsum,cum damno& dispendio præsentis vitæ,quam æternæ gloriæ præferunt, confiteri:nec mirum,quoniam ingenium & experientia, licèt sæpenumerò sufficiant ad falsitatem detegendam,non tamen sine gratia Dei, (quam multi quia habere nolunt,non habent)ad redeundum denuò,& veritatem fidei amplectendam sufficiunt. Et istorum hominum (vt ingenuè quod res est fateamur) exterior assensus difficulter ad actiones nostras comprobandas, quantumuis euidens sit & manifesta nostra defensio, obtinebitur.

Cæterùm cùm spes nostra, & fiducia tota in Deo sit posita, qui manu sua versat corda & facta Regum & populorum,proq; suo arbitratu & sapientia infinita, potest

potest in momento efficaciter tangere, atq; adeò inclinare illos ad causæ nostræ æquitatem agnoscendam, quiq; iam largitus est nobis corda & animas multorū nostrorū, pro qua te æterna gloria & honor nomini ipsius sanctissimo debetur, audebimus spe magna erecti & gaudio, ora in defensionem causæ nostrę aperire, & cum omni animi submissione ac obsequio, Maiest. suæ suisq; ministris quibuscunq; demonstrare, falsas esse informationes illas, quas inimici quidam Catholicæ Ecclesiæ nuper contra nos & fratres nostros obtulerunt, id quod magno dolore nostro intelleximus, tùm ex edictis promulgatis in mensibus Iulio & Ianuario proximè elapsis, tum alijs etiam signis & rationibus.

Sed ne videremur aliquo modo velle publicę auctoritati repugnare, aut occasionem præbere vlterioris offensæ, maximè hisce temporibus quibus natura sua homines inclinati ad potestatem superiorū & magistratuum contemnendam ex sectarum præscripto videantur, non sumus ausi hanc nostram defensionem suæ Maiestati, vel Concilio nominatim offerre (quamuis Iustinus martyr, D. Hilarius, & alij sancti patres, idem suis Principibus præstiterint) sed indifferenter & in communi lectoribus proponere, Deum ipsum obtestantes humillimè genibus in terram fixis, quatenus dignetur suæ Maiest. suorumq; consiliariorum honoratissimorum corda ad misericordiam & æquitatem inclinare, vt eam legant & intelligant, hoc enim ab illis profusis lachrymis per Christi Saluatoris nostri mortem & passionem, perq; propriam ipsorum salutem petimus.

CAVSÆ EXPLICANTVR,

CVR ANGLI CATHOLICI IN EXTERnis regionibus viuant, & non in patria sua.

CAPVT I.

PRIMO loco grauitèr accusamur in edicto regio 15. Iulij, Anno 1580. promulgato, quòd in regiones exteras elapsi, patria extorres in natiuo solo viuere recusemus. Ad quod respondemus, atq; adeò toti orbi denunciamus, id non ab animo malè erga patriam affecto, nec aliena ab eadem mente prouenire, vt abundè testantur preces nostræ quotidianæ, & sacrificia Deo pro eius salute oblata, suspiria & lachrymæ continuæ, tàm publicæ quàm priuatæ, officia varia, studia, atq; conatus pij cum vitæ periculo suscepti, sanguis deniq; plurimorum, ad Apostolorū imitationē, pro bono Reipublicæ & cōmuni omnium vtilitate profusus.

Nec ideò in regionibus externis vitam degimus, quòd eas ex odio fortè aliquo concepto vel præiudicio, patriæ præferendas existimemus: licèt & suis haud careant cōmoditatibus, & insignem nobis pleræq; exhibuerint humanitatem (nam vt hoc etiam ad Dei honorem, cuius causa multa nobis præstita sunt, dicamus, fauor & charitas nobis passim exhibita ea est, vt planè digna sit censenda æterna memoria & gratiarum actione) huius enim rei in conspectu Dei, gemitus nostri do- *Ardens desiderium Catholicis.*

licorum, inuandi fratres suos in Anglia.

loris & tristitiæ pleni, deinde lamentationes, quæ inter nostros frequenter audiũtur, testes sunt locupletissimi: quod nunc eò libentius aperimus, vt alij etiam durum esse, & difficilẽ exilij nostri tam diuturni statum intelligant, qui licèt Christiana mentis tranquillitate & multiplici eorum, beneuolaq; apud quos commoramur humanitate plurimũ leuetur, non tamen ijs caret difficultatibus ac molestijs, quæ exules quoq; in alias vsq, prouincias comitari solent.

Tu pientissime Domine nosti, quàm frequenter in vnum congressi, lamentis nos lachrymisq; dederimus, id solũ deplorantes, nostra tanta esse ac talia peccata, vt propter eorũ expiationem, vel totam vel maximã vitæ partem extra patriã charissimam transigere cogeremur, cui tamẽ omnia officia & studia vitæ nostræ meritò debentur, cuiq; omnibus superioribus sæculis grata fuissent procul dubio, & accepta obsequia ea, quæ vnà cum vitis nostris externis hominibus nunc cogimur impendere.

Nec te clementissime Domine latet, quàm frequenter & magna animorũ contentione tuã Maiestatem deprecati simus, vt cor principis ad reuocandos nos aliquando in patriam, quacunq; tandem conditione & statu vitæ proposito, inclinare dignareris, quò ibidem vel in paupertate extrema, vel transactæ vitæ pœnitentia, afflictis ciuium nostrorũ animabus omnẽ operam impenderemus: omnibus interim cogitationibus honoris, cõmoditatũ, aut graduum remotis atq; sepositis, quæ maiores nostri regnumq; vniuersum in eiusmodi functionibus constitutis concessit ac tribuit, quæq; vltrò (quod ad nos attinet) libenter suis possessoribus modernis, aut quibuscunq; alijs Deus permiserit, relinquimus.

Solis Catholicis in Anglia negatur religionis libertas.

Tu præterea nosti, quam meritò statum hunc nostrũ acerbissimũ deplorauerimus, quòd videlicet inter plurimas nationes externas, quibus templa, Deoq; seruiendi libertas pro more ac arbitratu suo, facilè conceduntur in Anglia nostra, id tamen Catholicis denegetur, (qui præcedentibus sæculis omnia habuerunt, quiq; pro se & posteris Catholicis splendidissima templa construxerunt, remq; Christianam egregiè amplificarunt:) imò quòd nec principũ externorum rogatu, nec plurimorum, eorumq; honestate morum illustrium subditorum gemitibus & lamentationibus, vt vel vnus locus in vniuerso Angliæ regno Catholicis attribuatur, in quo cultui diuino, secundùm ritum & consuetudinem ab omnibus alijs principibus Christianis, sacerdotibus, & populis per vniuersum terrarum orbem diffusis receptam vacent, adduci potest.

Catholici cõtra omnia iura diuina & humana coguntur Caluinismum amplecti.

Illam conditionis nostrę miseriam meritò dolemus, quòd cùm nec Iudęi, nec Turcæ, nec Pagani, lege diuina vel naturali, vel iure gentium cogi possint, vt relicta secta sua, falsaq; opinione, ad aliam se quã nec illi nec maiores eorũ, vlla promissione & professione acceperunt, transferant; nos soli cõtra ius diuinũ & humanum, atq; adeò Protestantium ipsorum doctrinam, non modò priuemur ijs, quæ iure Christiani nominis nobis debentur, sed etiam cogamur varijs modis, ijsque planè violẽtis, illos ritus & religionẽ suscipere, cui nec nos, nec parentes vel maiores nostros vnquàm consensisse constat; imò cui clarissimis verbis in baptismo, nuntium remisimus, cùm nos adhæsuros religioni, fidei, & cultui Catholicæ Ecclesiæ professi sumus, nulliusq; alterius sectæ vel opinioni.

Illud etiam plurimùm auget dolorẽ nostrum, quòd cùm oculos nostros ad externas regiones & Respub. Germaniam videlicet, Heluetiam, Suetiã, Poloniã, Boemiam, & alias plures conuertimus, nullum in ijs inter tot tamq; varias hisce

postremis

postremis annis ortas ibidem religionis mutationes, sic ad alterius religionis professionem cõpelli videmus, quin possit si non in hac vel illa ciuitate, regione, Ecclesia aut paræcia, saltem in vicina aliqua, iuxta fidei suæ conscientiæq; præscriptũ, exercere officia. Nec solùm in locis iam dictis, sed etiam in Regnis & prouincijs Turcę, Persæq, subiectis, veteres Christiani liberè sua religione vti permittuntur.

Præterea cùm similes Catholicorũ calamitates ob oculos ponimus, quæ olim sub Arrianis Imperatoribus, præcipuis huius erroris fautoribus, alijsq; sectariis, Ecclesiæ illatæ sunt, videmus eos naturali quadam benignitate inductos fuisse, vt Ecclesias aliquot, & oratoria in cœmeterijs locisq; contiguis, Catholicorũ vsibus assignarent. Sic Constantius Arrianus Imperator, & Valens Athanasio & eius sectatoribus, Alexandriæ locum non denegauit, grauiterq; à Deo Valens posteà punitus dicitur, quod idem Catholicis Antiochenis non concederet. Valens etiam minor eandem S. Ambrosio Mediolani obtulit conditionem. Quam solam gratiam si à Principe nostra impetrare potuissemus, nulla nos regionũ fertilitas, aut exterarum ciuitatũ luxus, nullus ab extraneis oblatus honor vel dignitas, extra Britanniam tàm nobis charam, diu detinere potuisset, quin & immunitatis, libertatisq; conscientiæ obtinendæ causa, (vt antè diximus) optauimus frequēter, multos ex nostris perpetuis addictos carceribus, veluti obsides & vades pacis & obedientiæ perpetuæ, vbiq; locorũ à Catholicis præstandæ relinquere: quod sapientissimi Maiestatis suæ Consiliarij, maximè præ oculis habere videntur. Verùm hoc nostri inter tot vndiq; sibi impendentes minas, terrores, & supplicia flagitare non audent, nec qui foris vitam agimus, in hac sinistra & suspitiosa actionum, & studiorũ nostrorum interpretatione, vel desiderio attentare in animũ inducim⁹.

Arriani mitiores Catholicis.

Soc. Eccl. hi. li. 2 c. 18. & lib. 4. ca. 12. Nicephor. li. 11. c. 49. 50. Li. 5. de Basil. tradend.

Hinc certè constat publicorũ locorũ, pro antiquæ religionis exercitio, concessum vsum, ingentem allaturũ fuisse domesticis lętitiam, ijs verò, qui foris agunt Catholicis, redeundi opportunitatem. Nam vtriq; hoc veluti summũ accepissent beneficium, si hisce afflictis temporibus permissum & indultũ fuisset, sacramenta (quibus destituti homines, necesse in æternũ pereant) vel in domibus suis priuatis, imò in ipsis carceribus secretissimè, sine alicuius mortalis offensione percipere, quemadmodum & Apostoli olim, & Christi confessores frequentet in initio nascentis Ecclesiæ factitasse legimus, & id suo tempore vsurpatum fuisse Cyprianus refert, nec non Athanasius ipse cum Catholicis Antiochenis idem fecisse commemoratur.

Epi. 5. Nicephor. lib. 9. cap. 23.

Iam verò ab hisce exercitijs, multa Catholicorũ millia, imò maxima pars Angliæ, rigore legum, diligenti ciuilis magistratus inquisitionę, vigilantiq; cùm ministrorum, tùm exploratorum continua obseruatione coerciti, domibus suis frequenter etiam pulsi, bonis & fortunis spoliati, in omnibus suis officijs & negotijs veluti abiecti & prostrati, perpetuo mœrore & tristitia consumuntur ac tabescunt.

Summa calamitas Catholicorum.

Nec ob id solum miseri nostri sunt censendi, quòd his omnibus præsidijs salutaribus sint destituti, sed multò magis, quòd illa præstare cogantur, quæ certissimam secum adferant damnationē. In quo rerum statu, res sanè digna lachrymis est considerare, qua ratione, conscientiæ bonorũ omnium, qui in Anglia degunt, oppressæ & afflictæ, suspirijs & singultibus continuis, dolorem inde perceptum contestantur, cùm ad hæreticorum sacramenta frequentanda, officia diuina & conciones, aliaq; præstanda & obeunda munera inuiti etiam pertrahūtur: cumq;

Catholici coguntur adire templa hæreticorum.

(quod maximum est) impellantur non solùm agnoscere, sed etiam iureiurando confirmare supremam potestatem Regiæ Maiestatis in spirituali gubernatione, quæ profectò res omninò est improbabilis, irrationalis, contra hominis naturam & facultatem. Attamen eius iurisiurandi formula, sic est in statuto concepta, sicq; à Catholicis exigitur, vt qui iuramentum præstant, cogantur per sacra Christi Euangelia, (quicquid tandem in corde sentiant) testari se cōscientiæ pondere agnoscere illud, quod nullus vnquàm, cuiuscunq; ordinis vel sectæ vir eruditus existimauit verum esse, & quod aduersarij ipsi omnes Catholicos in corde damnare nō ignorant: imò quod ipsi iuramenti auctores, aut damnosum iudicarunt, aut valdè periculosum, eò quòd se speciali quadam cautione ab huiusmodi iuramento præstando immunes reddiderint. Dum verò illud exigunt ab omnibus ferè magistratibus & officialibus Reipublicæ, ab omnibus etiam ijs, qui in Academijs ad gradus scholasticos promouentur, & per vniuersum regnum dispersis, maximè verò quos suspicantur putare iuramentum hoc esse falsum & illicitū, nihil aliud quàm scientes & prudentes ad crudelissimos mentis angores, remorsum cōscientiæ, & extremam desperationem homines adigunt.

Coguntur iurare Reginā esse caput Ecclesiæ, quod ipsi auctores legis non faciunt.

Notent hoc catholici, qui nondum habent Caluinistarum tyrānidem perspectam.

Quòd si Maiestas sua cognosceret, nunquàm profectò pro ingenita clementia, in gratiam tituli à nullo vnquàm rege (nedum Regina) Christiano vel Ethnico, Catholico vel hæretico vsurpati, in Anglia aut vlla alia externa prouincia, pateretur populum sibi subiectum, fidelem alioquin & afflictum, adeò grauiter animo cruciati, sed dubio procul impositæ calamitatis misereretur, quò & ipsa tandē misericordiam in supremo vitæ die consequatur: quam quò cōmodius propter auctoritatem suam præstare potest in hac vita, tantò magis si eam negligat, eius indigebit in futura. Vbi non modo rationem, pro ijs quæ eius scitu ac mandato commissa sunt, reddet, sed etiam pro ijs, quæ eius auctoritate atque nomine, tametsi nunquàm fuerit eorum conscia, geruntur: licèt Maiestatem suam omnium calamitatum à nostris perpessarum planè inscìam speramus. Et sanè Reges terræ in tremendo illo iudicij die, administrati regni rationes amplas satis & intricatas perspicient, tametsi gubernationi spirituali sese non immiscuerint.

Catholici putant Reginā esse insciam harum calamitatum.

Iam verò vt paucis perstringam, quæ paulò fusius antè explicaui, dilectissimi ciues, vel potiùs, tu princeps amplissima (si liceat nobis tuam Maiestatem ac Celsitudinem compellare, vel si Deus hanc nostram qualemcunq; declarationem in manus serenissimæ suæ Maiestatis peruenire permiserit) causæ, cur relicta patria ad exteras regiones confugerimus, & ab illo loco, in quo nati & renati sumus in Christo, cuiq; omni officiorum genere subuenire, imò vitam mortemq; impendere non recusamus, (modò similia nobis ab illo, qualia veri filij à parentibus expectare solent, liceat) tanto tempore abfuerimus, causæ, inquam, sunt vniuersalis sanctissimi sacrificij, & sacramentorum Catholico ritu administratorum defectio: sine quibus, non secus, atq; corpus suo carens nutrimento, anima pereat necesse est. Deindè hominum Caluinianorū crudelis illa & barbara importunitas, qua ad officia, vt vocant, diuina religioni & fidei nostræ contraria, cum æterna animarum damnatione cōpellimur, iuramentum hoc etiam intolerabile, Deo, Ecclesiæ, Maiestatis suę honori, & omnium bonorum cōscientijs repugnans. His quotidiana pericula, indignationes, perpetuas vexationes, terrores, incarcerationes, bonorum expilationes, odia, quæ Catholici sufferre coguntur, adiungimus. Deniq; conuicia & blasphemias in Sacramenta Christi, sanctos, ministrosq; eius. & sancti-

Causæ cur Catholici in exteris regionibus viuant.
Sacramentorū defectio.
Crudelitas.
Iuramentū.
Pericula.
Vexationes.
Terrores.
Incarceratio.
Bonorum expilatio.
Odia.
Conuicia.
Blasphemiæ.

& sanctitates omnes: quæ vel inuitis in patria frequenter contingeret audire, & compresso labro ad tantam blasphemiam & impietatem nos tacere cogi.

Profugi igitur, vt inhumaniter aliquando, & inciuiliter à nonnullis appellamur, haberi nolumus, nec patriam deserere compulsi sumus, quasi factionis alicuius inter familias nobiles hortatores, vel criminum aut inobedientiæ contra Principem & Rempub. rei, nec ob vitæ infamiam aut turpitudinem, nec ob animi auersionem à præsenti Reip. ciuilis statu, & politiæ gubernatione, aut quòd nobis ministri Maiest. suæ displiceant, quorum personas, prudentiam, moderationem, & dotes multifarias in omnibus, & ex animo veneramur: ijs tamen, quæ de religione in controuersiam vocantur, exceptis, in quibus si eorum consilijs, Ecclesiæ Catholicę ipsiusq; sponsæ Christi iudicium præferamus, nihil indè viris prudentibus offensionis accidere potest.

Catholici profugi nō sunt.

Agnoscimus prætereà Maiest. suæ Regnum, & illorum gubernandi rationem futuram fuisse, & gloria & laudis splendore apud exteras nationes illustrem, fœlicem prætereà & maximè securam domesticis, si fatali hac mutatæ religionis calamitate (vt ita prouidam Dei iustitiam peccata nostra punientem appellare liceat) contaminata non fuisset. Quæ cùm non possint (vt iam anteà declarauimus) cum Christiani hominis & Catholici religione ac conscientia, cum mentis libertate, cum securitate corporis consistere, coacti fuimus patriam, parentes, amicos & quæcunq; alia, quæ vel ipso iure naturę nobis ibidem debentur, relinquere, idq; exempla Christi, Apostolorum, Athanasij, Hilarij, aliorumq; maiorũ nostrorum, in similibus persecutionibus secuti.

Status Reip. Anglicanæ florētißimus, si heresi non esset contaminatus.

Hinc viri quidam bonæ alioquin æstimationis, & non infimæ auctoritatis in Anglia, cùm in regiones has, in quibus moramur, ob negotia publica amandati essent, magna nos affecerunt iniuria, spargentes in publicum apud exteros, qui tantam nostrorum multitudinem in alienis prouincijs degere admirabantur, Regiã Maiestatem plurimum, vt omnes in patriam redeant, desiderare, neminemq; eorum, si quietum alioquin & subditum fidelem se præberet, perturbatum aut molestatum iri conscientiæ causa.


Spargũt aduersarij rumores apud exteros, Catholicos posse frui libertate consciētiæ in Anglia.

Ex quo falso rumore factum est, vt multi extranei nos in Anglia exercere religionem Catholicam posse, conscientiarumq; libertate gaudere, omninò sint arbitrati, quasi ab omni inductione & impulsione violenta ad doctrinam, Deique cultum professioni nostrę contrarium immunes. Quam gratiam vt communem omnibus Catholicis Angliæ, vtinam vitæ nostræ dispendio, si ita ferret voluntas Dei, comparare liceret, cùm profectò hæc vita grata nobis aut iucunda videri non possit, nisi Maiestatis suæ, patriæque dulcissimæ seruitio eam impendere, vbi hoc diuino numini placuerit, & illis mentem & gratiam idem petendi vel admittendi largitum fuerit, nobis contingat.

CAVSAE CVR CATHOLICI ANGLI SVBINDE *Romam proficiscantur, ibiq; in aula Pontificis maximi morentur.*

CAPVT II.

Exploratores & accusatores Catholicorum.



IVVENES quidam perditi & fugitiui à dominis, cùm in his regionibus, in varijs fraudibus, literis adulterandis, & apertis furtis depræhensi essent (per quod genus hominum Athanasius & præcipui Catholici tempore Arrianæ hæresis, insigniter fuerunt afflicti) adiunxerunt sibi alios eiusdem farinę & conditionis homines, qui se aliquando secretò, hominum simul viuentium societatibus, qualis nostra est, insinuarent, vt hominum mores & conuersationem, eosdem postea alijs produturi, explorarent, cuiusmodi vulgò exploratores, à nobis autem iuxta scripturę phrasim falsi fratres dici possunt, multa mala iam breui, non solum nobis, quos spe impunitatis & lucri proditoriè infamarunt, sed etiam quibusdam honoratis consiliarijs intulerunt, qui huiusmodi homines esse planè indignos, quibus crederetur & aures præberentur, existimarunt, idq; contra viros (vt minimum dicam) fideles & honestos, dignosq; qui multis præferentur, & quibus Reipublicę cura cõmitteretur: quod ad maiorem Catholicorum in vniuerso Angliæ Regno cõmorantium afflictionem accidisse credendum est, qui his elapsis mensibus per istos perditos iuuenes, & æqualis sortis homines tantam experti sunt persecutionem quantam nunquàm anteà.

Quæ sanè res nobis absentibus dolorem ingerit ineffabilẽ, cùm audimus charissimos & innocentissimos ciues nostros, tam sæua tempestate conuelli, & ob nostra errata, eaq; non vera sed fictitia & falsa, tàm acriter castigari: studia enim nostra & conatus pro conuertenda patria, ciuibusq; Ecclesiæ Catholicæ reconciliandis susceptos, vt officia & sacerdotum verè Christianorũ munera, excipi volumus, quæ nos vsq; ad mortẽ obituros libenter profitemur, & omnibus etiã neruis elaboratutos, vt ciues nostri ac fidei cõmilitones ad æternã salutẽ perducãtur.

Causa explicatur, cur quidam Angli Romam sint profecti, Anno 1580.

Quod ergò attinet ad iter, à quibusdam ex nostris Romam hoc anno elapso susceptũ, cuius etiam grauiter accusamur; qui princeps fuit & dux illius itinetis, se in toto illo itinere nec rebellibus, nec perduellibus, nec vllis alijs contra Reginã & Regnum quidpiam machinantibus coniunctum fuisse protestatur, nec proditoriè se conatum fuisse, aut laborasse in vllo principe vel priuato ad arma patriæ inferenda concitando.

Fingunt aduersarij fœd' inter principes de Anglia inuadenda.

Deum præterea testatur, animæq; suæ salutem sempiternam, se toto illo tempore, quo in aula summi Pontificis cõmoratus est, nec sciuisse nec vidisse, nec audisse quidquam de articulis confœderationis inter summũ Pontificem, Regem Hispaniarum & aliorum Principum de regno Angliæ inuadendo, quorum mentio in edicto regio mense Iulio promulgato facta est. Affirmat etiam eadẽ interposita religione, se nunquàm vt huiusmodi schedulæ publicarentur, consiliũ dedisse, quamuis tunc temporis, imò ipso die quo aliquot ex illis datæ dicuntur, Romæ cõmoraretur, quasq; ille posteà vidit, cùm iam toti orbi cõmunes essent.

Certus etiam est nullum Catholicum Anglum, aut voluisse aut eius rei auctorem esse potuisse, imò verò nec vllum Principem, vel ministrum ipsorum, qui confœ-

confœderati habentur, rei conscium esse putat, cùm nec sapientia in eo, nec prudens cautio foret, (si quid illis propositum fuisset, quemadmodum nos credimus non accidisse) huiusmodi libellos in vulgus spargere, quo regnum veluti admonitum confœderationis, sibi maturè prospiceret, maximè cùm toti orbi innotescat aduersarios nostros hoc habere pro more, vt quotiescunque aliquid aduersi patiantur foris, statim à Catholicis domi pœnas sumant, quasi egregiè vltrì iniurias suas: vt vel hinc etiam pateat quanta sit Catholicorum nostrorū calamitas. *Caluinistæ si aliquid aduersi patiuntur foris, statim puniunt Catholicos domi.*

Nec alienum à vero videri debet id, quòd quidam præcipui Principum huius fictæ & cōmemoratæ confœderationis sectatores responderunt, Protestantes nimirum ipsos, qui huiusmodi mendaciis & machinationibus vanis assueuerunt, (cuius rei magno suo malo Francia, Belgium, & Scotia testes sunt locupletes) hāc confœderationem excogitasse, & deinde in publicum sparsisse, quò facilius Regiam Maiestatem, à solita benignitate & misericordia, qua hactenus in Catholicos vsa est, ad rigorem illum iustitię, quem in edictis suis minatur, inflecterent.

Quomodocunq; verò res illa habet, & à quibuscunq; excogitata fuerit, Christus Deus nouit optimè, iter nostrum non ea de causa Romam versus institutum fuisse, vt vel huiusmodi confœderationem moliremur, aut similem procurarem⁹ factionem, vel vllam proditionem consiliumue in patriam machinaremur, sed multò magis pro eius honore ac fortuna, tum etiam pro necessaria ciuium sociorumq; qui & studiorum nostrorum & exilij sunt participes, sustentatione: quemadmodum non dubitamus alios Anglos ad aliorū Principum aulas ob eandem causam proficisci; quamuis non ita certò de aliorum actionibus atque de nostris statuere aut definite quidpiam possimus.

Nec hoc cuiquam mirum videri debet: nam cùm patria partim ex timore, partim animorum alienatione, necessaria nobis ad vitæ sustentationem non suppeditet, & ratio & natura nos vrgent quærere auxilium ab illis maximè patronis & principib⁹, qui olim maioribus nostris in simili angustia constitutis succurrerūt: illa enim consuetudo est & humanitas regum, nationumq; exterarum, facilè ad fauendum, auxiliandum, & succurrendum externis, maximè verò si iidem cū miseria & aduersa fortuna, ob fidem & religionem sibi cum illis communem, cōflictentur, inclinari: quæ causa omnium potissima censenda est, ob quam homo mortalis vel agere aliquid, vel pati debeat.

Nec sanè video, quò nos, qui Ecclesiastici sumus & in scholis educati, potius auxilij tum animi tum corporis causa confugeremus, quàm ad caput, aut (vt Hieronymus loquitur) ad securissimum portū Catholicæ cōmunionis, ad petram refugij in doctrinis dubijs & temporibus periculosis, ad primum pastorem & Episcopum animarum nostrarum, ad vicarium Christi generalem, extra cuius ouilis & familiæ septa, nullum exilium potest nos extrahere: ad illum, qui ex officio & vnctione recepit charismata charitatis, misericordiæ, pietatis & compassionis: ad illum, qui nullum Christianum nec domesticum fidei ducit extraneum, cuius ciuitas sedes est, & quasi domus natiua omnium verè fidelium, & exemplar omnis Episcopalis dignitatis & hospitalitatis: ad illum, cuius prædecessores tradiderūt nobis fidem primùm tempore Britannorū, deinde restituerunt temporibus Anglorū, vindicarunt nos à Paganismo, Arrianismo, Pelagianismo, & Zuinglianismo; receperunt frequenter hospitio, & fouerunt sanctos Episcopos & Sacerdotes Anglicæ nationis, tàm in prosperitate, quàm in persecutione & afflictione in *Hier. epi. 61. Ad Romanū Pontificē vt ad communē parentē omnes afflicti Catholici cōfugerūt semper. Beda libr. 1. hist. Ang.*

forum: quique denuò receperunt à principibus nostris, prælatis, & populis omnia officia & obsequia honoris & gratitudinis, multis centenis annis respondentia amori suo, tunc vel maximè, quando regna & prouinciæ ipsorum floruerunt gloria & fœlicitate, & horrori fuerunt inimicis suis, Dei, & Ecclesiæ, inter quos Maiestatis suæ parens ob insignia sua contra Lutherum edita scripta, & alia præclara facta, gloriosum illum & æternum titulum defensoris fidei adeptus est: ad illum, à cuius prædecessoribus, clarissimi quiq; & doctissimi patres auxilium petiuerunt, solatium, & consilium in angustijs, vt Cyprianus à Cornelio & Stephano, Athanasius à Iulio & Marco, Chrysostomus & Augustinus ab Innocentio, Basilius à Liberio, Fœlice, & alijs Episcopis Italiæ; Hieronymus & Miletius à Damaso, Theodoretus à Leone magno, & reliqui omnes ab alijs sanctis Pontificibus, prout tempus & necessitas postulabat: ad illum, cuius sedes, vt refert Eusebius ex Dionysio Corinthiorum Episcopo, semper misit subsidium ad Christianos afflictos & condemnatos metallis, omnesque Christianos ad se venientes non secus ac patens filios fouit atque sustentauit: ad illum qui vt his omnibus ritè succedit in cathedra, doctrina, & dignitate, sic sanè nullis ex superioribus inferior est, multos antecedit, & maximè D. Gregorium magnum, Apostolum patriæ nostræ omni charitate, hospitalitate, zelo, animi teneritudine, & erga desolatos affectione, præcipuè verò si nostræ nationis sint homines, referre videtur: pro cuius spirituali calamitate huius libri auctor illum profusè lachrymantem vidit, afferentemq; audiuit illius sanctæ sedis bona omnia & fortunas, quorum dispensatio penes ipsum erat, pauperibus, afflictis, & domesticis fidei designata esse.

Li. 4. ca. 22. hist. Eccles.

Gregorij 13. erga Angliã charitas.

Postremò, quò maiori fiducia freti confugere potuimus, quàm ad ipsum, cuius singulari benignitate tot Patriarchæ, Episcopi, docti, nobiles, & Christiani omnis sexus ac conditionis, Angli, Scoti, Hyberni, Germani, Hungari, Syri, Armeni, Cypri, & plurimi alij tyrannide Turcica oppressi, aut quacunq; alia ratione Christi causa bonis exuti & afflicti, hactenus refocillati sunt seu recreati, & in posterum eandem expectabunt sentientq; benignitatem.

Si verò particulatim, quas ob causas aliqui nostrûm nuper ad vrbem sese contulerint interrogemur, vt tollamus aut saltem minuamus quantum in nobis erit, suspicionem istam & inanem hominum zelotypiam, respondemus in fide & veritate, aliam causam non fuisse, quàm vt pro perpetua Collegij istius aut seminarij, quod Pont. Max. non multò antè Romæ in loco domus hospitalis, pro natione nostra suscitauerat, vt ita loquar, fundatione & confirmatione laboraremus: quod sanè huic tempori accommodum, & patriæ vtilius multò futurum, quàm anteà, sperabatur, qua in re summus Pontifex multa tunc temporis, ex proprio ærario Collegio donauit, & multò plura posteà ad census antiquos adiecit, denique in mense Ianuario proximè elapso plenè fundauit, & quòd susceperat ad exitum Deo fauente perduxit. Hæc vna causa erat, cur Romam itum est.

Sum. Pontif. fundauit Collegium Anglicanũ Romæ.

Altera erat, vt gubernatores Collegij Romani & Remensis à se mutuò iuuarentur in regimine, disciplina, & educatione maximè nostrorum hominum ingenijs accommodata, & vt tollerentur seu potius succiderentur omnes perturbationes, quibus iuniores & studiosorum sodalitia, præcipuè in exilio & miseria viuentium sunt obnoxia. Nec sanè est quòd pœniteat nos laboris, quin imò maximas Deo gratias debemus, qui hoc tàm pium nobis studium, & tàm vtiles labores suggessit, quandoquidem commune bonum & perpetuum patriæ nostræ honorem

morem concernunt, quæ hac ratione plurimos semper insignes & præclaros habebit viros, in primaria fidei sede institutos & educatos, imò in ipso fonte Christianitatis nostræ, quò quicquid doctum est, quicquid prudentia, virtute, & morum probitate præstans in nobilissimis vniuersi orbis Academijs, monasterijs, societatibus, & Collegijs, reuocatur, & veluti ad perpetuam omnis doctrinæ & prudentiæ mercaturam confluit.

Vnde Hieronymus illam sedem locum maximæ fidei & deuotionis appellat, & aduersarius ipse Caluinus eò hactenus semper fuisse concursum fatetur, quòd sapientissimi & doctissimi orbis viri ibidem morarentur, & perpetuus à Principibus & populo Christiano ob conscientiæ, & religionis, & rerum spiritalium negotia, congressus fieret: quòd etiam videre & admirari ibi liceat promissionem prouidentiamq; diuinam in continua status & regiminis eiusdem conseruatione, tàm in afflictis rebus quàm prosperis, tàm in abundantia quàm paupertate, tàm in morum integritate quàm in vitæ corruptione & turpitudine, frustrà circumlatrantibus hæreticis, vt ait Augustinus. *Præfat. li. 2. com. in epist. ad Galat. Caluinus. De vtil. cre. cap. 17.*

Quis non miretur Arrianos, Macedonianos, Pelagianos, Donatistas, Nestorianos, & omnes alios Sectarios, qui olim hanc sedem impugnarunt, cum summo dedecore & sui infamia sepultos esse? quis nō laudet & suspiciat Dei bonitatem, si videat nostræ tempestatis Protestantes, Anabaptistas, Puritanos, Trinitarios, & infinitas alias cuiuscunq; tandē coloris ac fraudis vulpes (quę pastori obgānire solent, quò gregem tandem improuidum inuadant, quemadmodum D. Cyprianus scribit,) quotidiè deficere, propriamq; malitiam & stultitiam prodere? quis etiā non obstupescat, dum mente percurrit omnia quotquot fuerunt imperia, regna, & Respublicas, temporum vicissitudine aut penitus defecisse, aut penitus immutata esse; hanc contrà sedem videat immobilem perstitisse, & adhuc æquè firmam & florentem in summis hisce rerum perturbationibus, populorumq; defectionibus consistere. *Epist. 55. num. 3.*

Hæc & huiusmodi alia egregia experimenta cum innumeris exemplis virtutis & pietatis, dabit hæc Romana institutio ciuibus & popularibus nostris, si à celeberrimis doctoribus, & præstantissimis iuuentutis gubernatoribus, qui vel hac nostra sunt ætate, vel aliquot antè sæculis extiterunt, se instrui patiantur: quos si non vidissent iuuenes nostri, suspexissent fortè magistellos suos domesticos, omnis erroris & ignorantiæ auctores. Vt ergò hæc obsequia Reipublicæ Anglicanæ præstaremus, suscepimus iter illud Romanum, cuius rei causa nihil dubitamus, quin si redient Britannia ad fidem Catholicam, nō minores nobis reddet gratias, quàm modò calumnias ob nostrum amorem & laborem struit. *Collegij Anglicani moderatores Romæ sunt patres societatis.*

Tertia deniq; causa Romani itineris fuit, vt à summo Pontifice augmentum menstruæ prouisionis & eleemosynæ alterius Collegij Remensis impetraremus, eò quod prior numero studiosorum, & necessitatibus quotidiè accrescentibus, nō sufficeret: quam petitionem nostram Pont. Max. ob incomparabilem erga nostram nationem amorem, benignè audiuit. Deum itaq; testamur hæc fuisse consilia Romæ, hæc studia atq; molitiones, has proditiones nostras, hæc scelera, quæ Romæ in perniciem patriæ nostræ machinati esse perhibemur.

CAVSAE

CAVSAE CVR SEMINARIA SIVE COLLEGIA A *summo Pontifice sint pro Anglis instituta Romæ & Remis.*

CAPVT III.



VOD ad horum seminariorum institutã, & quæ in ijs seruatur viuendi rationem attinet, si alium sibi finẽ scopumq;, quàm nos, Pontifex Max. præfixit, is certè nobis ignotus est, cùm nemo nostrum adeò curiosus, ne dicam, arrogans in hoc negotio esse debeat, vt velit aut possit arcana eius consilia diligentius scrutari, quàm ipsius prudentiæ nobis sponte communicare placuerit.

Nec sanè quisquam iure possit Pontificis facta aliter interpretari, quàm conueniat summę tanti viri amplitudini, & excellentissimo dignitatis ordini, voluntati, studioq; in patriam nostram, vt res ipsa docet, propensissimis, præclaris eius virtutibus, rei demum & vsui per se testatissimis.

Initium Seminarij Remensis eiusq; finis & institutum. Hoc vnum constat Anglos illos, qui in Academia Duacensi, Anno 1568. conuenerunt, seseq; in disciplinam cõmunem, ad normam Collegij institutam sub vno Præside viuendi tradiderunt (quorum etiam aliquot post annis, vbi probata virtus & diligentia eorum innotuisset, singulari Dei bonitate S. Pontifex curam suscepit, & menstruam prætereà educationem ijsdem liberaliter suppeditauit,) hunc sibi laborum suorum, & congregationis ob oculos posuisse finem, primùm quidem vt cuiuscunq; conditionis iuuentutem, quæ tunc religionis causa varias Belgij vrbes incolebat, à libero illo & vago studendi genere, ad methodum rationemq; communem, & eam quidem magis exactam, ad publica etiam exercitia, quæ cuncta superiorum potius designatione, quàm propriæ voluntatis arbitrio persequenda forent, adducerẽt: quò nimirùm hac ratione ad patriam iuuandam instructiores, cùm diuinæ bonitati illos redire visum esset, ablegari possent.

Deinde verò cùm timerent tempus illud diuinæ vltioni tributum, tàm fore diuturnum, vt quos Anglia nunc domi vel foris, alit viros eruditos ac verè Catholicos, vel consumeret ætas vel vinculorum squalores, aliæque miseriæ conficerent, posteritati consulendum ac prospiciendum arbitrati sunt, eamq; rationem ineundam, qua semen perpetuum Catholicorum, maximè sacerdotum ijsdem in locis spargeretur & conseruaretur: nihil dubitantes tandem aliquando datum iri *Nulla hæresis diu perstitit.* tempus & opportunitatẽ, aut citius aut serius, restituendi religionẽ, cùm nulla vnquàm hæreticorum secta, vel placere diu vel sine mutatione aliqua persistere, & ad posteros deriuari potuerit, quòd vna Arrianorum hæresis, patrona ac fautrix omnium errorum dilucidè comprobauit: quæ vt orbem aliquot centenis annis obsedit & perturbauit, sic mutauit loca, lucida habuit interualla, tranquillitatem subinde & pacem Episcopis, Sacerdotibus, & reliquis Christi fidelibus, pro vario Imperatorum in sectã studio, & ad clementiã siue rigorem propensione cõcessit.

Quod sanè à singulari Dei prouidentia & cura, quam erga Ecclesiam suam, fidemq; Catholicam gerit, prouenisse manifestũ est, quam nulla vnquàm hæresis aut potuit hactenus, aut in posterum vlla vi ac humana prudentia excludere posse credendum est: nemo enim delet de cœlo constitutionem Dei, (inquit D. Augustinus epist. 162.) nemo delet de terra Ecclesiam Dei.

Enimuerò, quò ad hoc institutũ homines applicarent aptiores, aduersariorũq; cursum

cursum in pari ratione retardarent, selectam iuuentutē, & optimis ingenijs præstantem ex Anglia ad hoc suum Collegium elicere statuerunt, eamq; potissimum quam vel in religionem Catholicam propenso esse animo, vel exactiorem educationem, quàm hoc nostrum seculum in Oxoniensi, Cantabrigiensiq; Academia tradi experitur, requirere animaduerterant: cùm ibidem propter sectæ Caluinianæ mollitiem nulli facultati, siue prophanæ siue sacræ, diligentiùs inuigiletur, imò ne cogitatio studiorum plurimorum adolescentum mentem subeat.

Quinetiam id plurimùm, vt ad nostras pleriq; partes concederent effecit, ne contra religionem, supremas Ecclesiæ partes Reginæ tribuere cogerentur: quæ res non Catholicorum animos modò, sed plurimorum etiam aduersæ partis conscientiam angit, ac stimulat, imò indignissimè tulerunt, se ad Caluinianæ religionis ministeria, concionatorumq; officia quædam obeunda (quod plurimis in Collegijs frequentissimum ac vsitatum est) cogendos, cùm ille dignitatis gradus, apud ipsos etiam Caluinistas despicatui ducatur, & apud alios in maxima sit contemptione; cuius rei diligens animaduersio, viros nobis plurimos, eosq; præclaros, & ante huiusmodi munera suscepta, & post eorundem administrationem donauit. *Ministerium Caluini ab omnibus contemnitur.*

Nec temissum calcar addidit mens cupida veri, cùm enim pleriq; dubitarent (nec enim tanto negotio sibi solùm suisq; fidendum putabant,) penes quos veræ religionis integritas esse possit, num eam teneant Caluiniani, an potiùs Catholici? Huius certè rei experimentum cùm domi nullum habere possent, quòd ibi vna potissimum religio iniuria temporis, & Principis potentia vigeat, alibi vt in hoc videlicet Anglorum Collegio, & prouincia adeò Anglis finitima, nuper tunc excitato, sine magno labore & sumptu, hanc opportunitatem sibi quærendam existimarunt. Quam etiam leuiter prætermittere nefas esse putarunt, in tanto præcipuè negotio, quod & itinera, peregrinationisq; labores meritò à nobis efflagitare potest, vt & ipse August. testatur. Id ipsum verò multos, vt ad nos se reciperent, incitauit, quo facto, & illorum desiderio abundè fieri satis, & eosdem postmodum clarissimum veritatis lumen perspicere & admirari contigit. *Li. de vtilitate credendi. cap. 7.*

Ex scholis prætereà triuialibus, quæ per vniuersam Angliam plurimæ reperiuntur, multi iuuenes adolescentesq; ad nos accesserunt, & summa industria, in Catholicorum Collegijs hìc educati & literis imbuti, non minùs quàm alij ad patriæ negotijs insetuiendum apti inueniuntur. Reliqui verò in Academijs Anglicanis instituti, facilè dum hìc apud nos degunt, ex comparatione colligunt, intelliguntq; magnam corruptionem vitæ ac morum in iisdem, cùm præcipuè in dies magis ac magis scelera & effrena libertas, comites huius nouæ doctrinæ sese prodant. Quam doctrinam quicunq; conatur corrigere, nostra experientia discat, excusationis loco adferri consuetudinem & delectationem conceptam in pecca to, verecundiam & tædium confitendi, vitamq; in melius emendandi: quibus curatis nulla restat difficultas. *Cur aliqui difficulter redeant ad Catholicam Ecclesiam.*

Hi adolescentes, maximè verò nobilium virorum filij, vehementer (Deo sit laus & gloria, qui vel hinc nobis meliorum temporum spem videtur præbere) erga fidem Catholicam sunt affecti, multiq; eorum inscijs, imò frequenter inuitis parentibus, non sine vitæ periculo ad nos audent accedere: qui quidem parentes, quamuis cuperent filios suos meliùs institui, quàm fieri possit domi, timore tamen offensionis, quam se apud mundi asseclas incurrere arbitrantur, (cuique ipsi *Parentes coguntur proprios deserere liberos.*

magis quàm filij obnoxij sint) recusant persæpè illos sustentare, inani metu superante aliquando naturalem eorum affectionem. Sed Deus interim charissimorũ pignorum curam suscipit, eosq; hic conseruat, patriæ & parentibus suo tempore restituendos.

Causa institutionis seminarij Rom. Quoniam verò vnum Collegium tantæ multitudini sufficere non potuit, & hoc quod in Belgio vel Gallia est, varijs perturbationibus ob iniquas aduersariorũ machinationes obnoxium, vt experientia nos docuit, cùm Duaco migraremus quamuis Catholicus honoratusq; magistratus per literas suas instanter nos postea reuocarit: Deus (quæ sua erga nos bonitas est) summi Pontificis animum permouit, vt aliud Collegium Romę, qui locus ab huiusmodi periculis immunis videbatur, erigeret, quo hęc duo Collegia tanquàm refertissima haberentur Ecclesię Anglicanæ seminaria, simulque operas suas conferrent ad eandem subleuandam.

Primus fructus Collegiorum. Quorum fructus primarius maximeque expectatus (præter temporis futuri cõmorarũ) erat seruare illas animas, quæ non solùm in vtroq; Collegio, simul vno tempore cõmorarẽtur, vel in alijs harum regionum Academijs, dum loca vacarẽt in ijsdem Collegijs expectarent: sed etiam eorum omniũ, qui ibidem hactenus sunt educati, aut in posterum educationem consecuturi, durante hoc schismatis tempore, quorum numerus iam nobiscum cõmorantium maximus est, & futurorum verò in posterum nobis ignotus, soli Christo cognitus: vt illos viatores taceamus, qui nihil de religionis negotio cogitantes, singulari tamen prouidentia Dei, (quæ humana consilia in eorum salutem conuertit) ab alumnis horũ Collegiorum ad Christianam fidem & vitam meliorem, ingenti illorum gaudio & exultatione adducti sunt. Qui omnes si in Academijs Anglicanis mansissent, aut morem alioquin patriæ suæ tuissent secuti, perijssent sine dubio in æternũ, quantumuis erroneo Protestantium iudicio & persuasione, multi non timeant damnosum illum in quo vitam finiunt statum.

Fructus Secundus. Secundus porro institutorum Collegiorum fructus est, vt homines in ea parte Theologię, quæ moralis dicitur, siue quæ de casibus conscientiæ tractat, informẽtur, instituanturq; in controuersijs; deinde vt in illis desiderium quoddam suscipiendorũ sacrorũ ordinũ excitetur, vel his maximè temporibus, quibus nullũ licet sperare honorẽ mundanũ, lucrũ nullum, aut promotionem: sed contra pericula multifaria, indignationem, persecutionẽ, & infensas immundissimorũ hostium vexationes, suis orationibus & sacrificijs (quod præcipuũ munus est & officium sacri illius ordinis, & præ reliquis omnibus Deum ad misericordiam cõmouet) amicos nostros desolatos, & domi afflictos adiuuent, & in Angliã etiam concedant libentius ipsis inseruituri, quorũ corda Deus ad spiritualia auxilia admittenda, & animæ salutem fluxis huius mundi cõmodis præferendam incitabit, iisdemque sacramenta administraturi, quæ ad gratiam & vitam animæ consequendam prorsus sunt necessaria.

Quod plurimi ex vtroq; Collegio prodeuntes, (vt interim alios omittã pios & doctos sacerdores) charitate Christi, quæ morte ipsa est fortior, accensi, pie admodũ & fœliciter præstiterunt. Quis verò explicet, quantum inde solatij, quantũ vtilitatis plurimi mortales perceperint? quis subitã illam per vniuersum Anglię Regnum animorũ mutationẽ, & admirabile illud fidei ac fortitudinis in omni hominũ sexu atq; conditione incrementũ cõmemoret? cũ [illegible] non bene solum de religione Catholica in animis sentiant, verũ etiam aperte, (quę [illegible] hominis

minis professio est) & audacter fidem suam, religionemq; confiteri, imò actus omnes contrarios aduersari publicè non erubescunt.

Quod licèt principio sæculi quibusdam hominibus arduû videretur atq; difficile, nunc sanè ita ómnes affecti sunt, vt priori suæ vitæ statui, vniuersas Angliæ diuitias libentissimè postponant: summã enim hanc esse miseriam fatentur, si maxima hominũ pars Catholicam fidem animo quidem amplectatur & veneretur, Caluinianam interim perfidiam verbis factisque declaret.

Hoc vero quantumcunq; est, homines nostri non armis, tumultu, aut bellico concursu, sed potestate sacerdotali, rationibus spiritualibus, silentio, pacificis deniq; freti consilijs effecerunt. Effecerunt, inquam, his instructi conditionibus ac institutis, quibus Apostolos & alios viros sanctos, in ipsis nascentis Ecclesiæ initijs vsos fuisse cõstat: laboribus nimirùm, vigilijs, ieiunijs, periculis in portu, periculis in mari, periculis in terra, periculis inter hostes, periculis inter falsos fratres susceptis: timore legum, timore offendendi aut lædendi amicos, timore scandalizandi infirmos, contumelijs, indignatione, paupertate, incarceratione, vinculis, ergastulis subterraneis, eculeis, mortibus. Hoc ille Deus omnipotens arduum & laboriosum, quia tamen opus ipsius erat, inchoatumq; ordine & auctoritate præcipui sui hîc in terris ministri, secundauit, ac prosperrimum reddidit, aduersarijs tot annis, gladium, leges, pulpita, cæteraq; omnia auxilia humana possidentibus.

Arma Catholicorũ sacerdotũ in Anglia, longè dissrepãs à cruentis gladijs Caluinianorũ, quibus Euangeliũ suũ propagant.

Aditus autem ad hunc spiritualem laborem & conflictum, apertè satis anteà declaratus est tàm libris impressis, & hinc in Angliam missis, quàm varijs literis, quas pia iuuentus ad suos parentes & amicos transmisit, rogans obnixè, vt animarum suarum salutem attenderent, néue seipsos scientes & prudentes, nomine facultatũ seruandarum & patrimonij ad vtilitatem suam, liberorum etiam & posterorum tuendi damnarent, nullam aliam desiderans hæreditatem, quàm sempiternam parentum salutem, eorumq; in cœlis societatem: cuius boni absentia grauior illis foret, quàm vllus dolor mortalis esse possit.

Ad hæc nostra studia plurimùm contulerunt fructus doctrinæ Protestantium admodum steriles, profana eorum vita & mores, contentiones implacabiles, iurgia & dissentiones mutuæ, scandala præterea, quæ pluta sunt ab ijs profecta paucis his annis, quos florentissimos habent, quàm à vero clero mille antè annis data fuerint: etiamsi omnes rumores aduersariorũ infames de vita eorũ sparsi, tãquàm Euangeliũ recipiantur, & eorum plurimi, nõ plus veritatis quàm Aesopi fabulæ præ se ferant; tædiũ quod vniuersi mortales, & præcipuè homines prudentes conceperunt, euentum huius gubernationis spiritualis præuidẽdo: hęc, inquam, omnia plurimum adiuuerunt studia nostra, atque desideria ad finem optatum consequendum promouerunt.

Seueritas præterea illarum legum, quæ contra Catholicos, & huiusmodi nostra consilia sancitæ sunt, nec non concionarorum perpetui clamores & vociferationes in Romanum Pontificem, effecerunt, vt multi, qui de illo nunquàm aliàs audiuissent vel cogitassent, inquirerent studiosius, quid illud Pontificis nomen designaret, in quo vno animaduerterunt ex vehementi aduersariorum contradictione, concionibusq; stomacho plenis magnũ momentum, quod ad causas istas religionis attinet, situm esse: sicq; tandem opportunè admoniti, oculosq; cõuertentes ad antiquitatem, inuenerunt hoc omnibus hæreticis commune fuisse

Cõmune omnibus ferè hæreticis fuit in Pontificem Romanũ debacchari.

 ac fami-

ac familiate, signumque esse æquè certum rebellionis contra Christum & Ecclesiam eius susceptæ, quàm magistratum ciuilem lædere, signum est rebellionis in Rempublicam molitæ.

Hæc igitur apertè, sigillatim, & syncerè de fine & actionibus seminariorũ nostrorum exposuimus, æquitatem & synceritatem magis fortè secuti, quàm politiæ consuetudinem, in eo quòd aperiamus facta nostra, non sine præiudicio causę, quam multum promouere desideramus, quamuis speremus etiam in Christo Iesu, qui omnia impedimenta humana hactenus conuertit ad nominis sui & veritatis cõpendium, synceram nostram & candidam confessionem nec aduersarios nostros offensuram, nec amicis nostris fraudi cessuram, nec optimam nostram intentionem retardaturam.

Egregia summi Pontificis in Angliã & Anglos munificentia. Quòd verò ad summũ Pont. attinet, qui pro sua singulari benignitate, prædicta seminaria instituit & fundauit, nemo certè potest iustè eius factum reprehendere, quod maximè consonat Apostolicæ suæ curę & sollicitudini omnium Ecclesiarum, nationumq; Ecclesiæ adhærentium, & ipsius competit desiderio quærendi & reducendi oues (quocunq; tandem labore, aut sumptu id fiat) ab ouili suo per errorem exclusas, nec non singulari eius amori atq; charitati, qua in nostrã patriam ex officio & lubens quidem fertur, pro cuius etiam honore, incolatumq; salute (nullo alio cõmodo aut emolumento sibi proposito) proprijs suis sumptibus (vt interim omittam reliquam eius erga plures alios Anglos munificentiam) duo Collegia suscitauit, vt per illa ratione quadam suaui, pacifica, & planè Apostolica, Principem nostram, patriamq; vniuersam, ad omnium Christianorũ & Catholicorũ Regum, regnorumq; præclarissimorũ societatem reuocaret, non obstante ingrata illa à societate fidei, & suæ auctoritatis defectione: non obstantib' etiam agrestibus illis, ac inhumanis legibus, longè grauius in illum quàm capitales religionis hostes, aut ipsos Turcas conceptis, quorum certè legatos aut nuntios non ita inhumaniter, quemadmodum summi Pontificis reijcerent: non obstantibus demùm perpetuis & diris eorum imprecationibus, dicterijs, concionibus, & edictis publicis contra ordinem Ecclesiasticum vniuersum.

Hæc sunt Pontificis cogitationes, hic scopus, hæc de seminarijs consilia: suspicentur quod lubet homines percuriosi ac pleni friuolis negotijs, interim si mentẽ incorruptam, sanumque iudicium adferre velint, facilè perspicient immortalem hinc Gregorio 13 gloriam potius procreari, summasq; Dei Opt. dotes in eo reddi illustriores, cùm tot in afflictarum nationum subsidium, solatiumq; seminaria erexerit: quin etiam summã, qua nos prosequitur clementissimus Deus, benignitatem animaduertent, qui in hisce cladibus ac miserijs nostris fauorem & gratiam suam dupliciter augere videtur.

Sed quid in Pontificis maximi liberalitate declaranda moram facio? seminarium instituit pro Iudæis, qui relicta perfidia Christi fidem amplecti desiderant: *Seminaria variarũ nationum à Põtifice erecta.* erexit pro Gręcis & Hungaris, nefandis Turcarum erroribus alijsue hæresibus imbutis: aliud Collegiũ Germanicũ tàm liberaliter dotauit, vt etiam Polonos, Suecos, & alias nationes vicinas, maximè eas, quæ hæresi Lutherana laborãt, suscipiat. Vnum etiam fundauit pro Dalmatis, plurimum prætereà seminario cleri Romani, alijsq; Collegijs celeberrimæ societatis nominis Iesu contribuit, cuius laboribus S. Pontifici in horum ferè omnium Collegiorum gubernatione, ad æternum populi vniuersi cõmodum, placuit vti. Tribuit prætereà magnam pecuniæ vim,

seminarijs

seminarijs Pragensi & Viennensi: Deinde nobilē illam vniuersitatem Louaniensem, mirè ex hac rebellione Principis Auriaci afflictam subleuauit, cum multis alijs in regionibus remotis, quæ ad nostram notitiam haud peruenerunt.

Postremò hoc in genere etiam iuuat Scotiam nobis vicinam, pro qua nuper noui seminarij fundamenta Parisijs posuit, eodem fine quo nostrum aliarumque narionum seminaria fuerunt instituta. Quæ gens quamuis à plurimis iam annis, per huius temporis sectas atq; sectarios vanis fuerit affecta cladibus, meliorē nunc tamen spem concipere (quemadmodū & tota Christianitas) videtur ex Principe suo, ætate quidem tenera, sed magna animi nobilitate, cuius egregiæ dotes & indolis planè regiæ signa dicuntur elucere admodum rara in illa ætate, vt non dubitandū putemus illū breui recentes adhuc calamitates, quas Regnum suum à Caluinistis perpessum est animaduersurū, horribilem etiam & infamem patris sui occisionem ab illis perpetratam, immanē planè ac plusquàm barbaricam charissimæ matris dum inter illos moraretur tractationem, varia & detestanda perduellionis crimina & machinationes planè proditorias contra suæ Maiest. regalem personam, dum adhuc vtero materno inclusus teneretur, pertentatas, & deinceps frequenter tàm per insolitas artes, quàm prauas opiniones, inficiendo quoad possent, ætatem tunc adhuc teneram, non modò damnatis suis dogmatibus & hæresibus, sed etiam impium in matrem affectum eidem ingenerando.

In Liuonia erexit seminarium pro Liuonib⁹ & Moscouitis, in Iaponia pro Iaponijs.

Caluinistarū immanis crudelitas in Scotiæ principes.

Quæ infortunij acerbitas, ab hæreticorum versutis consilijs profecta, (qui pestes sunt omniū Regum, rerumq; publicarum) suam Maiest. consiliariosq; sapiētissimos admonere potis est, vt tempestiuè sibi Regnoq; nobilissimo consulant, ac prospiciant: seseq; nobili securæq; Ecclesiæ Catholicæ Christi, Regumq; potentissimorū societati adiungant, præclarissimos maiores suos tàm Angliæ quā Scotiæ præfectos secuti, vtq; in regno ad pristinam suam gloriam ac fœlicitatem reducendo, quorundam sibi subiectorum hominum opera vtantur, non modò Catholicæ fidei professione, sed etiam excellenti eruditione illustrium, partim foris in varijs orbis Christiani prouincijs, partim domi in ipsa Scotia degentium: quique simul ad informandum Maiest. suam (quoad illa ætas ferre poterit) plurimū valeant, illumq; quàm necessaria sit futura non sibi modò & consilijs, verùm etiā vniuerso populo paterna illa summi Pontificis cura, & in se regnumq; suum affectus edoceant, & simul cordi Principis innocenti adhuc & candido imprimant, grauissima hæc verba Hieronymi tanquàm præsentissimum contra horum temporū venena remedium: *Illud* (inquit) *te pio charitatis affectu præmonendam puto, vt sancti Innocentij, qui Apostolicæ cathedræ, & supradicti viri (Anastasij) successor & filius est, tenas fidem, nec peregrinam, quamuis tibi prudens callidaq; videaris, doctrinam recipias.*

Epist. S. ad Demetriadē.


Quæ insignis doctrina similiter foret inculcanda frequenter & cōmendanda ob eandem Gregorij 13. eorundem successoris & filij fidem, & Cathedræ possessionem: qui, vt dictum est, & manifestè ex seminarijs ab eodem institutis patet, singularem quendam & ineffabilem erga vniuersum Christi gregem, & Regni cuiusq; commune bonum gerit affectum.

Pro quo sanè amore & studio pastorali, non velle gratias illi agere humillimas, magnæ ingratitudinis esse arbitramur, econtrà verò illum criminari, & beneficia eius actionesq; benignas sinistrè interpretari, rem iudicamus planè intolerabilem. Similia cæteris ferè omnibus nationibus, vel ope & auxilio destitutis, vel aliqua clade affectis præstat, quarum nulla inuenitur tàm suspiciosa, inhuma-

Ingratitudo hæreticorum qui in Anglia degunt, erga Gregor. 13.

aa, aut ingrata, vt summa eius beneficia ad suam spectare perniciē existimet: certè nec Germani, nec Hungari, nec Græci, nec alij deniq; populi, in quorū gratiā Pontifex collegia extruxit, æquè ac Angli hanc ingratitudinē illi rependerūt. Ex quibus Collegijs, licèt omnes nō tantum atq; possent, emolumenti capiant, nulli tamen inde damnū sibi accessurum timent, nec leges contra honestas eius & charitatis plenas actiones, præter solam Angliam ferunt vlli.

Sed benè habet, quòd Deus nobis patrem sit largitus benignissimū, qui perpetuis saltem beneficijs, nostram inhumanā affectione superare conabitur, nihil dubitans, quin & illud à Deo sit consecuturus tandē in cœlo, quod eius immortalia beneficia promerentur, & à nostra posteritate, quæ tandem libera ab huiusmodi prauis præiudicijs, Deo adiuuante florebit, perpetuā memoriam & benedictionem. Et hæc quidem occasione edicti regij, quod mense Ianuario Londini editū, hæc nostra seminaria attingere videbatur, à me dicta sint.



ALVMNOS ANGLOS NON VIVERE IN COLLEGIIS *aut seminarijs prædictis, contra leges Dei & patriæ suæ.*

CAPVT IIII.

QVONIAM verò in prænominato edicto, quòd contra leges Dei & regni Angliæ, in Collegijs nostris Romæ Remisq; viuamus, perstringimur, facilè hanc maculā, si nos ad quotidianā rationē viuendi consuetudinemq;, quòd non speramus prouocent, eluemus. siquidē plurima vitæ transactæ, tàm publicæ quàm priuatæ testimonia habemus, nec desunt nobis Principum, & ciuitatum publica instrumenta, quæ vbi necessitas postulabit, in lucem prodibunt.

Si verò (vt probabilius videtur) de regimine nostro, vitæ instituto, doctrina, religione, & legibus patriæ nostræ, hæc intelligi velint, abs te petimus, benigne lector, vt si vnquā aliàs vel maximè in hoc negotio, tum sui, tū nostri causa, illā attētionem, fauorē & æquū iudiciū, quod causæ grauitas vtrosq; cōcernens expostulat, paululū nobis accōmodare non graueris. Respondemus etenim, si leges Dei & Anglicani regni semper cōspirarent, & re ipsa perpetuò cōsentirent, quemadmodum in hac clausula edicti, multisq; alijs scriptis vulgaribus, quæ ab auctoritate publica proficiscūtur, facilè conuenire, falso tamē declarantur, difficulter admodum doctrinam nostram & facta, ab errore & contumacia erga Principem vindicare possemus.

Leges humanæ repugnāt interdum legi diuinæ.

Cæterùm quoniā leges Regū, & rerum publicarū, non semper in vna sede morantur, sed cōtrariæ esse possunt mandatis diuinis, licet nobis iustè sic cuipiā obedientiā præstare, vt aliā interim nō amplectamur, *Imperatores (inquit August.) si in errore essent (quod absit) pro errore suo contra veritatem leges darent, per quas iusti & probarentur & coronarentur, non faciendo quod illi iuberent, quæ Deus prohiberet.*

Epist. 166. *Luc. 22.* *Matth. 16. 18. 28.* *Ioan. 14. 16.* *Esai. 59.* *Deut. 17.* *Malach. 2.* *Luc. 10.*

Si Principi nostræ, aut Reipub. à Deo promissum esset, illā quam colunt fidem, non defecturā, nec aduersus eandē portas inferi præualituras: Christū adfuturum illis vsq; ad finem sæculi, imò in medio eorū, quotiescunq; de legibus suis cōsultarent: spiritū sanctū perpetuò illos omnē veritatē docturum, eundem futurū in ore ipsorū, filiorumq;, & nepotū vsq; in æternū: siq; in fidei rebus dubijs scripturæ nos ad eos remitterent, si ordines regni in vnū congressi iustè hac sententia vti

possent,

possent, *Visum est spiritui sancto & nobis*, tunc sanè statuta nostra & leges Anglicanæ semper cum lege diuina cōspirarent, & vnius transgressio meritò nos vtriusq; damnaret. De quo certè non est quòd homines Catholici laboremus, manifestò enim constat, regē nullum vel Rempub. ciuilē, eiusmodi priuilegia protectionis diuinæ accepisse, cùm hæc tribunalis Ecclesiæ Catholicæ sit prærogatiua, cuius leges hanc ob causam nunquàm a mandatis Christi discrepant, quemadmodū Parlamenta, quæ vocantur nostra (ex aduersariorū sententia) omnibus sæculis retroactis, a veritate aberrarunt: cùm nos certi simus posteriora potius aberrasse, & reliqua omnia, quæ sibi potestatem causas Ecclesiæ decidendi vendicant, necessario falli ac decipi debere. *Actor. 15.*

Et sanè periculum foret nimis miserandū, magnaq; fidei & salutis apud omnes incertitudo, si sic à Principis voluntate pendendum foret & legibus eiusdem voluntati per omnia respondentibus, vt per viam cōpendiosiorem ad veram tendere religionē non liceret, quam Domino Principiue temporali visum esset, nec aliud quam iisdem placeret, sibi credendum proponere. *Magna miseria eorū qui coguntur sedē qui fidē quā Domini temporales pro suo arbitrio fingunt & refingunt.*

Qua in re nostra natio præ reliquis infamia notatur, (cuius nos frequenter pudet, cum his de rebus coram exteris dicendi præbetur occasio) quod in vnius hominis memoria, ex quo hæc religionis cœperit insolita mutatio, primùm quidē habuerimus Regē talem, qui legibus suis summi Pōtificis auctoritatē, quamuis in reliquis maiorū suorum fidem sectati voluerit, aboleuit: deinde puerum, qui vnà cum Pontificis potestate, simul vniuersam religionē Catholicam exeuilit: Tertio mulierem, quæ vtrunq; denuo restituit, & in Protestantes satis seuerè animaduertit, & postremò serenissimā suam Maiest. modò ad Reipub. gubernacula consi-dentem, quæ suis item legibus, iam pridē vtriq; nuntium remisit, admodum seuerè Catholicos, vt illa ante Protestantes punit, quæ omnes mutationes spatio triginta annorum acciderunt. *Exemplo potest esse Anglia, quæ spatio triginta ferè annorū quater mutauit religionē.*

Nec maiorem nobis in futurum expectare securitatem, aut religionis sperare tranquillitatem licet, quamdiu animarum nostrarum salus vel damnatio, principibus legibusq; ciuilibus cōmissa est. Qui si propter peccata populi aut per iudicij errorem, vel ob status sui incrementū, similemue respectum humanū, quò facilè horum hominum ingenia trahuntur, in Arrianismum aut Apostasiā (quod sanè magis Imperatoribus contigit, cùm Principes non minus, imò multò magis quàm alij, huiusmodi periculis sint obnoxij) illaberentur, eadem facilitate subditos ad suam perfidiam amplectendam cogere possent, idq; legibus nouis, quæ in istiusmodi rebus purum putū verbum Dei æstimari debent: maximè, cùm totius Ecclesiastici ordinis, tam superioris quàm inferioris reluctantis, nulla penitus habeatur ratio, quemadmodum experientia nos in primo Parlamento suæ Maiest. docuit, in quo determinatio, decisio, & definitio veritatis, hæresum & errorum, veri cultus Dei & falsi, tribunali ordinū, non minus imò magis, quàm primis quatuor aut vllis alijs Concilijs generalibus, attributum est. Nam illis in eo potestas decidendi huiusmodi causas hac limitatione adiuncta permittitur, quatenus sua facta expressis canonicæ scripturæ verbis confirmare possent: Parlamento verò absolutè illud etiam decretum fuit, nihil ibidem determinatum existimandum forè vt hæresim, errorem, aut schisma, non obstante quocunque ordine, decreto, sententia, constitutione, aut lege in contrarium sancita, imo ne ipsis quidem scripturis sacris exemptis. *Magistratus sæcularis in Anglia, nulla habita ratione Episcoporum, inuexit nouum primatum Ecclesiasticum.* *Plus tribuitur Parlamēto seu cōuentui procerum sæculariū & ciuiū in Anglia, quā primis quatuor Concilijs generalibus aut vllis alijs.*

Hoc

Abolétur Sacramenta & sacrificia vnà cum Romano Pontifice reclamante clero vniuerso.

Hoc totum fuit in illo Parlamēto decretum, & simul aboliti sunt ritus omnes Ecclesię Catholicę, verusq; vsus administrandi sacramenta & sacrificia, hæcq; noua forma præscripta sunt, quæ in multis cum Zuinglianismo, in nonnullis etiam cum Lutheranismo consentit, idq; præsentibus, atque adeò omni conatu dissuadentibus & refragantibus vniuersis regni Episcopis, præpositis sanè grauissimis, doctissimis atq; honoratissimis: quippè qui primarium locum & suffragium, ex legibus apud Britannos, longa consuetudine receptis in eodem Parlamento obtinent: nec solùm Episcopi, sed etiam clerus inferior eodem tempore conuocatus, humillima animi significatione sese opposuit, quemadmodum & plures alij viri prudentes, tam in Parlamento, quàm extrà hoc factum sibi vehementer displicere significarunt.

In hunc igitur modum præualuit sententia Laicorum, id est, illustrium, nobilium, ciuium, & aliquorum prætereà artificum, (res planè monstrosa) idq; in causa religionis, nō solùm contra omnes Episcopos Catholicæ Ecclesiæ, qui (vt scri-

Li. 4. c. 43. bit Irenæus) vnà cum Episcopatus successione, charisma veritatis acceperunt: sed etiam contra proprios suos Præfectos atq; pastores, quos (vt quod minimum est dicamus) necesse est, siue insignem sapientiam spectemus, siue eruditionem, siue vitæ sanctitatem, siue deniq; vocationē attendamus, debere magis veritatem agnoscere, sententiamq; veriorem in rebus spectantibus ad professionem suā proferre, quos maiori etiam ratione audiendos, quàm illos fuisse, qui nec ætate, nec eruditione, nec Theologiæ cognitione cum illis erant comparandi, quiq; illis & iure diuino & humano (maximè in causis religionis) obedientiam, subiectionē que præstare, vt proprijs pastoribus animarū suarū debebant, nemo sanus dubitat.

Forma iuramenti de primatu Regine in causis Ecclesiasticis.

Adhæc, eodem tempore, & in eodem Parlamento, formam iuramenti quoad spiritualem gubernationem suæ Maiest. excogitarunt, omnibus Archiepiscopis, Episcopis, cæterisq; personis Ecclesiasticis offerendam, maximè verò illis, quos probè ex priori declaratione & protestatione contra eam facta, non posse religione præpeditos hæc admittere, nec etiam velle contra conscientiam suscipere intelligebant, vt si recusarent, statim officio deponerentur, pastores nimirum & parentes ab ouibus suis & filijs. Intereà dum hæc Londini geruntur, lupi nonnulli famelici Geneua isthuc accurrūt, qui pellibus ouinis industriè admodum concreti, iam in horū ouilia latranti stomacho irrumpere parati erant, quod & posteà fecerunt, prędictis Episcopis atq; Prælatis, magna cum nominis sui gloria animique lætitia dignitatis & facultatum amissionem pro fidei confessione sustinentibus, & ab illo tempore incarcerationem. Vnde factum est, vt ipsorum pars maxima temporis diuturnitate confecta, fœliciter & gloriose ad Christum hinc migrarit.

Episcopis veris coniectis in carceres, sufficiuntur lupi famelici Geneuenses.

Hic igitur mos, hæc agendi consuetudo noua & inusitata, contra naturam, Regiæ Maiest. & vniuersi regni dignitatem suscepta, hæ leges Patriæ contra expressa Dei mandata latæ, quæ omnem nobis submissionem, & ergà maiores obedientiā præscribunt; hæc decreta, quæ constantissimā Dei veritatem constringunt, & ad temporalis status vicissitudines impellunt, imò ad fallaces mortalium mentes, & inanes opiniones; hęc sunt instituta regni (non autē ciuiles Principis alicuius cōstitutiones) quibus obtemperare recusamus, quibusq; non solùm vita nostra atq; doctrina, sed ipsa morte etiam, sanguinisq; (si ita opus sit) effusione nos reluctaturos confidimus, optantes semper, vt vel sic saltem afflictissimæ nostræ patrię Deus

misereatur

misereatur, huiusq; violentę perturbationis ignominiam, quæ posteritati nostræ impendet, eluere dignetur.

Nos igitur absentes à patria, non vt obijcitur, hîc contra Dei leges viuimus, sed tantum contra eas, quas cum Dei Ecclesiæ & naturæ legibus, vt ex dictis constat, pugnare competimus, quod certè cum quocunq; etiam Theologo Caluiniano, vel Protestante congressi, vbicunq; terrarum fuerit, demonstrare nobis haud erit difficile. Vlterius affirmamus quòd quemadmodũ Theologorum illorum, qui Protestantes haberi volunt, nullus in in orbe Christiano nos viuere contra leges diuinas docere potest, ita nullus ex ijs Angliæ Iurisconsultis, qui horum perfidiæ assentiunt (siquidē Catholici omnes tàm Theologi, quàm Iurisperiti, nobis hac in re non aduersabantur) euincet vnquã, nos hîc contra leges patriæ vitam agere, quod non ea tantùm de causa asserimus, quia leges eiusmodi, cùm sint iniquę, obligare conscientiam non valeant, aut quia cùm ad religionis statum pertinent, sine cleri consensu (quod fieri non poterat) sint conditæ, aut quia dignitati & priuilegijs Ecclesiæ aduersantur, ac ob id cum iuramento legislatorũ, omniũq; Principum Christianorũ qui legitimè inaugurati sint, repugnant: sed etiam quia reuera leges censeri omninò non debent, eò quod earũ conditores potestate conuenienti, auctoritate, & iurisdictione, quò minùs iuxta iudicij rationem agere, & authenticè se ad audiendum, determinandum, definiendum, aut sententiam ferendam in causis merè Ecclesiasticis, comparare possint, fuerint destituti.

Nec Theologus vllus, nec Iurisperitus Anglus probabit vnquã Catholicos absentes à patria viuere contra leges Dei.

Leges Anglicanæ, quibus fides Catholica oppugnatur, reuera leges non sunt.

Parlamentum autem est conuentus planè ciuilis, in quo nec Episcopi ipsi aliter quam vt regni Barones ius suffragandi obtinent, nec vt Barones, vllam habent tractandi aut definiendi negotia alia, quàm quæ ad ciuilem status gubernationem spectant, potestatem, cum omnis potestas, quam vel Episcopi, vel alij in illo loco exercent, sit à Principe & Repub. ciuili deriuata, ad quos nec lege diuina, nec naturali, huiusmodi rerum definitio spectat. Estq; error manifestus, omni eruditione tam humana quàm diuina damnatus, affirmare primatum in causis Ecclesiasticis, naturalibus aut Christianis legibus, in potestate & iure Regis temporalis includi, aut huiusmodi dignitatē vnquàm in gubernatorē aliquem ciuilem iure collatam aut conferri posse, siue is Ethnicus siue Christianus fuerit, asserere.

Parlamentũ quid sit.

Error Anglorum qui constituunt Reginam caput Ecclesiæ sua breuiter confutatur.

Non enim spectare potest ad imperiũ Principis infidelis seu Ethnici, (cuius potestas Imperialis siue regalis in populũ suum, hoc non obstante, legitima fuerit legi naturæ diuinæq; ordinationi conueniens, de his etiam Apostoli cũ Christianis per omnes suas epistolas, vt pro illis orarent, obtemperarentq;, iuberent, locuti sunt, quemadmodũ & Christus Dominus noster in Euangelio, cùm tributum ijsdem dari præciperet) cùm ab aliquot cētenis euolutis annis, pauci adhuc Principes ad Christum conuersi fuerint, & Ecclesia tamen toto illo tempore suam gubernationem habuerit separatam. Non ergò ad paganos Imperatores hoc spectabat (quamuis non minùs olim Imperiales & regales, quàm nunc temporis extiterint) nec ab illis expetebatur: nam sub Nerone, præcipui Apostoli Ecclesiã Romanam gubernabant, quemadmodũ modò, vbi regna ab auita fide desciuerunt, Ecclesia suam spiritualem necessariò habet gubernationē, quæ à regibus Ethnicis, quibus tamen in rebus sęcularibus obtemperant Christiani, minimè dependeat. Quapropter omnia quæ a Protestantibus ex sacris literis adferuntur, non plus Principi Christiano, quàm Ethnico quoad hanc potestatem, fauent.

Pagani Principes nõ possunt habere supremam potestatē in Ecclesia Christi.

Prętereà nec ad iurisdictionem Regum, vel regnorum, qua ratione Christi fide imbuti

Nec Reges

Christiani possunt eam vsurpare. imbuti sunt, hæc summa auctoritas spectare potest: cùm alioquin Ecclesia, quæ mysticū Christi corpus est & respublica, cōiuncta simul cum terreno & ciuili statu, suam propriam gubernationem, iurisdictionem, & administrandi methodū, à Christo ipso immediatè sibi traditam, imò se, suamq; potestatem rursus terreno imperio, quod Apostolus humanam creaturam vocat, subijceret.

Vnde & illud incōmodi sequeretur, vt quotiescunq; Rex quispiam vel prouincia ad Christi fidē conuerteretur, Ecclesia se illis, non autē illi Christo & Ecclesiæ sese submittere deberent, quod sanè absurdissimum est, cū constet Principes & populos hactenus, post Christi religionē susceptam, semper se Christi eiusq; sanctissimis legibus subiecisse, nec Ecclesiæ gubernatores, aut vlla eius membra ad maiorem subiectionē reuocasse, quàm priusquàm ad fidem Christianā conuerterentur, ab ijs requirebant, imò frequenter remisisse aliquam eius subiectionis partē, Christi eiusq; honoris causa: ac propterea sacræ literæ apertè nos docent, regna quæ Christi fidē admiserint, Christo eiusq; Ecclesiæ seruire debere: hinc Esaias, Gens & Regnum, quod non seruierit tibi (inquit) peribit; & August. non deerit Dominus ad tuendum Ecclesiam suam, qui iugo suo in gremio eius toto orbe diffuso, omnia terrena regna subiecit.

Esai. 60. *Epist. 168.*

Reges dum Christi religionē amplectuntur, non euadunt magistri Christi, aut Domini Ecclesię, quatenus eius respublica mystica est & spiritualis, sed à Propheta eius nutricij vocantur, quemadmodū etiam Reginæ eius nutrices, quoniam ad terrenam spectat potestatem, quam Deus illis largitus est, Ecclesiæ leges defendere, negotiorū suscipere executionem, & punire rebelles atq; transgressores. Oportet igitur Ecclesiam siue inter Ethnicos, siue Christianos versetur, illam retinere & conseruare gubernandi rationem, quam Christus ipse immediatè instituit, quamq; nec elegit nec ordinauit populi decretum & consensus, (qui origo omnium statuum humanorum est & formarum politiæ) cùm constat Spiritum sanctum perpetua sua præsentia protexisse, & propagasse hanc spiritualem gubernationē in omnibus gradibus & functionibus, vt in Apostolis, Episcopis, Sacerdotibus & reliquis omnibus vsq; ad mundi finem; & his Apostolus dixit: Attendite vobis, & vniuerso gregi in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. De his etiam nobis locutus est: Obedite præpositis vestris, & subiacete eis, ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri. Hoc itaq; regimen non est ius regi terreno, Principi, aut statui vlli debitum: hi enim omnes (si Christiani sunt) tenentur subesse pastoribus animarum suarum & Ecclesiæ Christi. Nec eam Ecclesia concessit, nec vnquàm concedere potest, cùm nec à natura illis, vt patet in Ethnicis, cōpetat, nec iure Christianitatis, cuius virtute omnes quotquot in vniuerso orbe viuunt, Ecclesiæ Christi obedire tenentur, non eidem imperare, nec vlla ciuilis respublica eam Principi suo auctoritatem largiri potest, quam nulla vi naturæ possidet: vnde princeps cùm hanc potestatem nec à populo, nec à maioribus per naturalem propagationem, aut alia ratione acceptā consecutus sit, eam Parlamento haud cōmunicare potest, & consequenter nullas ferre leges, nec audire nec determinare per se, vel per Parlamentū, aut aliud quodcunq; tribunal, modo iam dicto sibi subiectum, quidquam de Ecclesiæ gubernatione potest. Et sanè mirum est, maximè in primo illo Ordinum conuentu, qua ratione attentarint inducere spiritualem illam, & propriam Ecclesiæ gubernationem in consultationem, iudicialem cognitionem, & deliberationē, antequàm vel

Esa. 49. *Actor. 20.* *Heb. 13.* *Proceres Angliæ & subditi non possunt*

princeps

Princeps, vel ordines ipsi inuenirentur legitimi iudices huiusmodi causarum, cùm nulla lex tunc temporis firma hanc potestatem illis tribueret, nec ipsa potestas vlla alia via legitima posset ad illos deriuari, nisi ex falsa suppositione, qua Principem supremam in causis Ecclesiasticis habere potestatem existimabant, quæ tamen nec vlla lege, nec natura, ante eius rei in Parlamento decisionem agnosci potuerit: quod cùm nullum haberet modum legitimum ea de re deliberandi, multò minùs sententiam proferre posset. *rant Principem constituere caput Ecclesiæ suæ.*

Verùm huiusmodi nodos, cùm soluere nequeant, audent saltem vi perrumpere, quemadmodum alium similem insolubilem in proximo Parlamento, circa Episcoporum suorum creationem perfregerunt, quæ omnia quoniam in fundamento deficiunt difficulter emendari possunt. Veritas est, nec Regem, nec Parlamentum habere potestatem legitimam præscribendi ordinem Ecclesiæ, vel cleio in hac parte, magis quàm hierarchijs Angelorum in cœlis commorantium. Quare Deus nouit, in quantis versentur angustijs aduersarij, quamq; abstrusas & insolitas rationes excogitare & adhibere, quo has suas nouitates promoueat, cogũtur. Et sanè inter omnia absurda dogmata hactenus proposita, hoc de primatu principis in causis Ecclesiasticis excellit, nã Lutherani illud apertè corrigunt, & Caluin ipse cum omnibus ferè Puritanis multum improbat, & primam concessionem Henrico octauo datam reprehendit, nam perinde est caput Ecclesiæ vocari, & supremum gubernatorem in causis Ecclesiasticis. Verba Caluini sunt: Et hodie (inquit) quàm multi sunt in Papatu, qui Regibus accumulant, quidquid possunt iuris & potestatis, vt ita nequa fiat de religione disputatio: sed potestas hæc sit penes Regem vnum, vt statuat pro suo arbitrio quidquid voluerit, & sine controuersia hoc fixum maneat. Qui initio tantopere extulerunt Henricum Regem Angliæ, certè fuerunt inconsiderati homines. Dederunt illi summam rerum omniũ potestatem, & hoc me semper grauiter vulnerauit. Erant enim blasphemi, cùm vocarent ipsum summum caput Ecclesiæ sub Christo. *Nodos quos non possunt soluere perfringunt Caluiniani.* *Magdeburg. in præfatione Centur. 7.* *Calu. in 7. c. Amos.* *Sentẽtia Caluini de primatu Regis Henrici.*

Hæc Caluinus. Nos autem ad institutum redeamùs. Multi existimant ipsorũ Archiepiscopum Cantuariensem ob similem subtilitatem restrictum fuisse: vt verum nos fateamur in gratiam aduersariorum, res sic sese habet. Postquàm iam satis diu hoc splendido titulo Principi sunt assensati, libenter sibi Ecclesiæ potestatem vendicarent, quò commodius inuentiones nouas stabilirent: quo in negotio, si pro suo arbitratu rem gerere licuisset, iam pridem summa infimis essent permixta, & inter omnes totius anni dies, fortè sola Dominica ieiunandum nobis foret. *Superintendentes Caluiniani libẽter sibi potestatem illã, quam antea Principi dederant, vendicarent.*

Cæterùm quomodocunque tandem huiusmodi homines titulum hunc Principi attribuant, contra rationem & naturam ipsam eos agere constat, multò verò magis dum honor ille mulieri defertur, quæ ratione sexus non potest eius esse capax. Concedunt enim potestatem Reginæ id alijs conferendi, quod nec ipsa habet, nec vt alij habeant, efficere potest: nimirum vt Episcopis & sacerdotibus potestatem concionandi, administrandi Sacramenta, animarum curam, & id genus alia conferat. Illi, inquam, cui nec prædicare, nec in publico loqui de rebus ad religionem spectantibus licet, facultatem dant illud præstandi, quod longè sublimius est: videlicet, vt præscribat vel per se, vel ad id delegatos, vel per leges ipsius sola auctoritate sancitas, concionatoribus quid docere, qua via & ratione colere Deum eique seruire, quo ritu Sacramenta administrare debeant: *Mulier non potest esse capax illius primæ dignitatis.* *Absurda multa sequuntur ex concessione huius primæ dignitatis in Regina.*

debeant:imò vt illos puniat, & sacerdotijs priuet, doceat atq; corrigat, & postremò, vt quomodo ipsa velit quoad animi statum sibi subiectos gubernari, illis præscribat.

Præponunt corpus animę, ciuilem gubernationē spirituali, terrenum regnum
2. Christi corpori mystico. Oues præferunt pastori, in illos facultatem imperandi
3. conferunt, quibus alijs magis obtemperandū erat: dant potestatem subdito iudi-
Epist. 55. candi de iudice, imò de Deo ipso, vt loquitur D. Cyprianus; reddunt Reginam à
num 2. disciplina Ecclesiastica liberam, à qua nullus verorū filiorum familiæ Christi exi-
4. mitur. Derogant sacerdotio Christi, quod tùm in personâ eius, tùm etiam in Ec-
5. clesia Regiam dignitatem excellit. Diuidunt (quæ sanè res magni est momenti)
6. statum Catholicæ Ecclesiæ, sanctamq; cōmunionem societatis omniū Christianorū in ea degentiū, & in tot distrahūt partes, quot terrena sunt regna legibus inter se, consuetudinibus, atq; moribus dissita, quod profectò perniciosissimum est, & contra omne ius æquitatis & amicitiæ: quod in totius Ecclesiæ, singularumq; prouinciarum membris, naturali quodā vinculo omnes societates vnitate ac consuetudine colligat & constringit, omnibus etiam sectis, factionibus, ac hæresibus
7. se patefaciendi fenestram addunt: omnes deinde Episcopos Christianos, sacerdotes, & quoscunq; alios natos extra Britanniā, ab omni iurisdictione Ecclesiasti-
8. ca in Anglos excludunt: nullam prætereà esse tradunt, nisi illam, quę procedit ac dependet à suæ Maiest. titulo atq; iure, quod sanè expresso Christi mandato & cōmissioni, in primis Petro, deinde reliquis omnibus Apostolis datæ aduersatur, cùm prædicādi, baptizandi, retinendi, ligandi, soluendiq; potestas, in vniuersum mundum ijs exercenda fuit, absq; vllo status temporalis discrimine, aut Principis
9. mortalis, quod ad illam potestatem attinet, ratione habita, retrahit. Arcent regnū Anglię ab obedientia illa, quam Concilijs generalibus debet, quæ aut olim cele-
10. brata sunt, aut postmodùm in externis regionibus sunt instituenda: tollunt omnē
11. rationem conuenientem huiusmodi Concilia congregandi, aut in ijs quidpiam decernendi, vt manifestè in eo, quòd ad postremum Concilium Tridentinum, tametsi à summo Pontifice per internuntium, & alios magni nominis Principes,
12. inuitati & rogati accedere recusarint, apparet: tollunt prætereà omnia media,
Nec Apostoli, nec Christus ipse si modò in terris essent, haberent vllam potestatem spiritualē in Angliam. quibus ad Ecclesiam & veritatem, regna & Principes ij, qui in grauissimos errores labuntur, reuocari possent: cùm nullam concedant Concilijs, aut externis tribunalibus auctoritatem, vnde reliqui Episcopi, Patriarchæ, Apostoli, atq; adeò Christus ipse (quoniam externi semper fuerunt & sunt) nullam habent iurisdictionē, aut sufficientem definiendi contra Anglos sectarios, eorumq; errores potestatem.

Postremò, si hęc spiritualis iurisdictio, perpetuo iure diademata & regni sceptra consequitur, profectò nec Christus, nec Apostoli eius potuissent, nisi prius impetrata Cæsaris, aliorumq; Regum bona venia, vllas prouincias eorum conuertere, ac in ijsdem spiritualē iurisdictionem exercere. Et vt aliquando totā huius gene-
13. ris rationem concludamus, hæ sunt leges Angliæ, (si tamen leges appellare liceat huiusmodi violentos animorum impetus) ad quas nos conformare, sine scelere ac religione possumus.

Porrò quanquàm videamur satis dixisse ad defensionem causæ nostræ, proponemus tamen ante oculos charissimorū nostrorum ciuium, breues quasdam sententias ex præcipuis Ecclesiæ Christi institutoribus, qui de hac re disseruerunt, selectas: vt ex illis quasi prælibent iudicia eorum, quoad hunc frequentem spiri-

rualis

tualis potestatis vsum, olim à quibusdam Imperatoribus in dubium vocatum: intelligantq; hanc causam iampridē definitam ab illis, qui fidem habēt & timorem Dei. Athanasius magnus, vir assuetus huiusmodi procellis, in hunc modum de Constantio Imperatore scribit: Quid hic quod Antichristi non sit omisit? aut quid ille, vbi venerit, plus committere poterit? aut quam ille in aduentu suo non repererit sibi expeditam viam ad dolos ab isto præparatam? siquidem iam denuò in loco Ecclesiasticæ cognitionis suum palatium tribunal causarum constituit, seq; earum litium summum Principem & auctorē fecit. *Et Iterum*: Quis videns eum in decernendo Principem se facere Episcoporum, & præsidere iudicijs Ecclesiasticis, non meritò dicat illum eam ipsam abominationem desolationis esse, quæ à Daniele prædicta est? *Et iterum*. Quando à condito æuo auditum est? Quādo iudicium Ecclesię auctoritatē suam ab Imperatore accepit? aut quando vnquā hoc pro iudicio agn. tum est? Plurimæ antehac synodi fuēre, multa iudicia Ecclesiæ habita sunt, sed neq; patres istiusmodi res Principi persuadere conati sunt, nec Princeps se in rebus Ecclesiasticis curiosum prębuit. *Et Osius Cordubensis Episcopus vir celeberrimus sic ad eundem Imperatorem scripsit, teste Athanasio loco iam citato*: Ne te misceas Ecclesiasticis, neq; nobis in hoc genere præcipe, sed potiùs ea à nobis disce. Tibi Deus Imperium cōmisit, nobis quæ sunt Ecclesiæ cōcredidit. *Eodem quoq; tempore, & eundem Imperatorem sic affatus est Leontius Tripolis Lydiæ Episcopus*: Miror qui fiat, vt cum alijs curandis distinearis, alia tractes. Cùm enim rei militari & ciuilibus negotijs præsis, tamen Episcopis ea præscribis, quę ad solos pertinent Episcopos. Verecundia igitur (ait Suidas) tactus Imperator, eiusmodi edictis in posterum abstinuisse fertur. *Hilarius*: Prouideat & decernat clementia tua, vt omnes se vbiq; iudices, quibus prouinciarum administrationes creditæ sunt, ad quos sola cura & solicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, à religione se obseruantia abstineant. Neq; post hac præsumant atq; vsurpēt, & putent se causas cognoscere clericorum. *Ambros. itidem sic alloquitur Valentinianum iuniorē Imperatorē*: Noli te grauare, ô Imperator, vt putes te in ea quæ diuina sunt, imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est: Quæ Dei, Deo, quæ Cæsaris, Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Ecclesię. Publicorum tibi Mœnium ius cōmissum est, nō sacrorum. *Et iterùm*: Quando audiuisti clementissime Imperator, in causa fidei Laicos de Episcopo iudicasse? Ita ergo quadam adulatione curuamur, vt sacerdotalis iuris simus immemores, & quod Deus donauit mihi, hoc ipse putē alijs esse credendum? Si docendus est Episcopus à Laico, quid sequatur, Laicus ergo disputet, & Episcopus audiat, Episcopus discat à Laico. At certè, si vel scripturarum seriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est, qui abnuat in causa fidei, in causa inquam fidei, Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis iudicare? *Greg. Nazian. sic alloquitur Imperatorē, Principes & Præfectos.* An me liberè loquentē æquo animo feretis? nam vos quoq; potētiæ meæ, meisq; subsellijs lex Christi subijcit. Imperium enim ipsi quoq; gerimus, addo etiam præstantius ac perfectius, &c. *Et iterùm*: Non dubito quin hanc dicendi libertatē in optimam partem accepturus sis, vt veteri mei gregis ouis sacra, magniq; pastoris alumna. *Chryso. prætereà docet clarè mulierē non esse capacem huius de qua agim⁹ dignitatis Ecclesiasticæ*: quanam (inquit) de causa Christus sanguinem effudit suum? certè, vt pecudes eas acquireret, quarum curā tùm Petro tùm Petri successoribus com-

In epi. ad solitariā vitā agentes.

Suidas in verbo Leontius.

Lib. imperf. 2. ad Constātium.

Epist. 33. ad Sororem.

Epist. 33. ad Valentinianū Imperatorem.

Greg. Naz. in orat. ad ciues Nazian.

Lib. 2. de sacerdotio.

mittebat. *Et paulò post*. Cùm (inquit) de Ecclesiæ præfectura, de credenda huic vel illi tàm multarũ animarum cura agitur: vniuersa quidem muliebris natura functionis istius moli ac magnitudini cedat, oportet, itemq; & bona virorum pars.

Sic scribunt hi patres virtute & doctrina præstantissimi viri, sic crediderunt, tales se erga principes suos prębuerunt, nec tamen propterea hos proditores fuisse, vel contra leges diuinas humanásue, quæ modò istæ censentur, peccasse, conuinci potest. Nos aliud non credimus, nec docemus aliud, nec aliter nos gerimus: nec sanè vitam legibus diuinis & humanis contrariam nos instituere, aliter quàm hi Doctores nobilissimi, qui modò in cœlo & in terra gloriosi habentur, & verè sunt, credendum est.

Exhortatio ad Reginam Angliæ profecta ab animo verè Catholico & suæ Maiest. vt apparet fidelissimo.

Occurrit autem hoc in loco id quod sępè aliàs in orationibus nostris ad Deum fusis, solet in mentem venire desiderium; vtinam diuina illa Maiestas cor principis nostræ, priusquàm eam coram horrendo tribunali suo sistat, tangere dignaretur, vt pro singulari sua prudentia, rationes prædictas fundatas in scripturis legeq; naturæ, attentius consideraret, quibus freti indecens esse, inconueniens, & planè impossibile, vt princeps temporalis, maximè verò fœmina gubernet, suoq; imperio constringat Ecclesiam, Episcopos, & Pastores animarum, in ijs quæ ad curam salutis spectant, docuimus. Sed quid nos vermes, ac nihili homunciones à sua Maiestate exaudiri optamus? vtinam saltem summam illam voluntatem, studiorum & sententiarum consensione quàm tot doctissimi Episcopi, & huius regni Sacerdotes, primùm in Parlamento, deindè perpetuis vinculis & morte ipsa testificati sunt, non respuat: vtinam, inquam, sanctum illum sanguinem, tanta cum animi submissione, & mãsuetudine, pro veritatis confirmatione effusum, ob oculos proponat: deindè in memoriam reuocet nobile illud par virorũ, clarissimum Fischerum Episcopum Roffensem, inter Pontifices vnum post homines natos in Anglia doctissimum; Morum prætereà omnium sermone celebratum inter nostræ gentis populares huic non inferiorem, duos profectò viros, quos cæteræ nationes Christianæ, ingenti auri pondere redemissent, tametsi nostri homines, iuxta suarum legum præscripta, eos hac communi aura vitaq; indignos iudicarint: vtinam ad reliquos Episcopos sanctissimos, doctissimos Theologos, iurisperitos consultissimos, Principes, & fidei constantia, & antiquissimæ nobilitatis splendore illustres, omnes denique omnium temporum maiores, mentis oculos conuertat: nullum certè inter hos reperire liceat, qui vel agnouerit, vel admiserit hunc primatus titulum, omnes autem sine eo, in summa gloria, pace, & fœlicitate regnasse comperiet; nec sanè vllum fuit regnum vnquam, aut Regia potestas, cuius potentia ob coniunctionem sui cum Catholica Ecclesia, vel disciplinam ab eadem tuendam seruandamq;, imminuta sit, quin econtrà potiùs florentissima Regna, beatissimas respublicas, ob suam ab Ecclesia defectionem, funditus euersas accepimus, & recenter adhuc meminimus.

Roffensis & Mori laudes.

Admodũ periculosum & perniciosum ab Ecclesia Christi deficere.

Quòd si domestica exempla hac in re videantur cuipiam suspecta, saltem patrum, quos anteà citauimus, veluti ab omni affectione, timore, adulatione, & pręiudicio alienos, testimonia in nobilissimo pectore atque animo Maiest. vestræ locum habeant: qui sanè omnes multis ab hinc sæculis, contra inauditam illam potestatem, spiritualemq; Principum sæcularium iurisdictionem, vnà cum Episcopis vestris incarceratis, Catholicis sacerdotibus, populis afflictis, ac exilio mulctatis, & vniuersis maiestatis vestræ antecessoribus, sententiam pronuntiarunt.

Hoccine

Hoccine quid rei bone Iesu? num clementissima domina & Regina, in vestro consessu Chrysostomus, Ambrosius, Gregorius, Hilarius, Leontius, Osius, Athanasius, & reliqui sanctissimi patres non audientur? nunquid fortè priuabuntur sacerdotijs & dignitatibus? vinculis constringentur, & morti turpissimæ adiudicabuntur? non inducor vt credam. Haud consentit cum indole tua, ad misericordiam propensa, repugnat & abhorret à clementia. Audi igitur per salutem animæ tuæ, sine qua omnia hæc fluxa & caduca gaudia, tituli, diademata, atque regna te (quod DEVS pro infinita misericordia auertat) in æternam miseriam præcipitabunt.

Ipsum officium nostrum sacerdotale, zelus Dei, studium honoris tui regalis, nos impellunt, vt omni animi demissione Maiest. tuam moneamus eius rei, quæ quidem, licet sit ad salutem tuam totiusq; regni necessaria, non tamen à quoquam potest inter domesticos parietes, in hac præcellenti dignitatis splendore, & legib⁹ contrarijs iudicari, petimus, inquam, humillimis verbis, genibusq; flexis veniam synceritatis nostræ, & apertæ narrationis, idq; per Deum immortalem petimus, à quo & Maiestas vestra, & quotquot in orbe Principes existunt, veniam peccatorum suorum petere coguntur.

Quòd verò Regia Maiestas in florida adhuc & iuuenili ætate constituta, quorundam hominum importunitate, ad religionis mutationem perducta sit, factū esse non ambigimus, tùm quòd eam experientiam & rerum expetendarum fugiendarumque prudentiam, qua nunc viget, nec dum consecuta esset: tùm etiam, quòd malorum, quæ illi illata erant, recordatio, non parum eius animum ab Ecclesia, statuq; Catholico alienaret: his autem cùm molestæ, & importunæ iungerentur plurimorum suasiones, cohortationes, imò ingentes securitatis promissiones, non difficulter, quod petebatur, impetratum fuit: siquidem à viris fide dignis accepimus vestam Maiestatem, ex se non desiderasse, imò recusasse, aut certè inuitam admisisse titulum hunc Ecclesiæ gubernationis, tùm quia fœminæ hoc officium haud conuenire perspiceret, tùm quia inter omnes mulieres, prima hanc sibi iurisdictionem Ecclesiasticam vsurpasse videretur.

Regina Angliæ inter omnes mulieres prima hāc supremā potestatem vsurpauit.

Quare serenissima Princeps, cùm tot annos prospero & fœlici imperij cursu peregeris, sedemq; tuam diuturna pace & securitate cōfirmaueris, iudiciū etiam cum experientia creuerit, vita ad finem indies magis ac magis pertendat, & (quod necessariò cogitandum est principibus) factorum ratio non minor, imò maior multò principibus, quàm priuatis hominibus reddenda sit: rogo obtestorq; tuā Maiest. vt seriò secum grauiterq; perpendat, quibus rationibus & seipsam, & regnum suum ad societatem Catholicæ Ecclesiæ, tot nobilissimorum principum, & illustrium virorum splendore exornatam reuocare valeat: cogitetq;, quantum solatium præbitura sit innumeris ex sibi subiecto fideliq; populo, miserè iam, prô dolor, oppresso, qui in exilio, carceribus, cathenis & specubus subterraneis vitā degens, corda & manus ad Deum & Maiestatem tuam, gratiam atq; solatium doloris appetens, frequenter extollit.

Henricus Angliæ Rex statuerat in gratiam tum Ecclesia & Romano Pontifice redire.


Audiuimus etiam à viris præclarè excellentibus, celsitudinis vestræ parentem, planè secum statuisse, priusquàm vita discederet, huic supremæ potestatis titulo nuntium remittere, & cum regno vniuerso in gratiam cum sede, Ecclesiaque Apostolica redire, licet morte præuentus præstare nequiuerit: reliquit tamen non obscurum tibi, quæ inter charissima pignora eius sola superes, incitamen-

incitamentum, vt id præstes, quod viro illi sapientissimo ex hac vita iam iam migraturo, adeò putabatur ad animæ suæ, populi, & posteritatis salutē necessarium: quodq; alios Principes iam diligentius secum expendere comperimus, vt facilè in Polonia, Suetia, & Transyluania videre licet, qui vtriq; perspiciunt, cur & de quo illud Hieronymi in medium adferri solet. (Qui tecum non colligit, spargit:) intelliguntq; illam conditionem honoratissimam, si cum illa Regina coniungant, cui Deus vniuersum terrarum orbem, vt quidam ex S. Patribus loquitur, in dotem largitus est.

Epist. 57. ad Damasum Papam.

Iam quæso Princeps clementissima, te ad hæc nostra vota & desideria, humillimasq; petitiones conuertere, tuęq; salutis causa institutas esse arbitrare, nec ob hanc libertatem nostram, qua re in Dei præpotentis, Ecclesiæq; matris causa cōpellamus, populo subiecto succensere velis. Quod verò ad nostros conatus attinet: si Deus pro immensa iudicij sui æstimatione, nos exaudiri haud passus fuerit, operam tamē omnino perdidisse nequaquàm nobis videmur, si in eo negotio laborasse nos meminerimus, pro quo parati semper esse debemus vitam etiā (cum Deo placuerit) libenter profundere.

Interim verò cum neq; in minimis resistamus vestræ Maiest. aut legibus ciuilibus repugnemus, speramus neminem ratione & iudicio præditum, nos iustè arguere posse, si illis legibus obedire recusemus, quæ religionem concernere videntur, cùm easdem conscientia adhibita teste, putemus & ipsa probare possimus, cum lege diuina, & omnibus iustis ac receptis patrię legibus pugnare.



STVDIOSOS PRAEDICTORVM SEMINARIORVM *non educari, nec informari falsa & erronea doctrina.*

CAPVT V.

NOS nec contra Dei, nec Angliæ leges, vitam in Collegijs instituere, satis hactenus demonstratum est: nunc verò, quod ad alteram partem accusationis attinet, qua dicimur informare discipulos nostros falsa & erronea doctrina, futilibus innixa cōmentis, vanisq; hominum traditionibus, agnoscimus has accusationes, phrases, & modos loquendi, ex nouis aduersariorum pulpitis prodijsse, sed ab antiquis sectarijs esse mutuata, fuerūt enim semper hæc hominibus ijs cōmunia, qui deserta Christi Ecclesia, nouas sibi quondā finxerunt opiniones, verę & Catholicæ fidei repugnātes.

Quòd autem antiqui errorum architecti, huiusmodi fuerint sermonibus vsi, apertè indicant verba ipsius Maximini Arriani Episcopi, quæ cōmemorat D. Augustinus contra eundem in principio. Si quid (inquit Maximinus) de diuinis scripturis, quod cōmune est cum omnibus, nec. sse est vt audiamus. Hæ verò voces quæ extra scripturam sunt, nullo casu à nobis suscipiuntur. Prætereà cùm ipse Dominus moneat nos, & dicat: sine causa colunt me, docentes mandata & præcepta hominum. Et sub finem libri: Oro & opto discipulus esse diuinarum scripturarum: si alicubi scripti lectionem protuleris, nos diuinarum scripturarum optamus inueniri discipuli.

Lib. 1. cont. Maximinum in principio.

Homo iste, (vt vides lector candide) ex more hæreticorum, ausus est se cum nobilissimo Doct. August. comparare, cumq; ad pugnam prouocare, hac tamen lege,

Caluiniani cum Arrianis

lege, vt non patiatur se alia re vlla, quàm scriptura sacra vrgeri, (quæ nunc temporis purum putū Dei verbum appellatur) illa quæ à Catholicis, pro vera scripturarum intelligentia produci solent, ac si hæc commenta essent & hominum traditiones, excipiens. *egregiè concordant.*

Quam vulgarem sectariorū fugiendi potiùs quàm pugnandi rationem, sic contempsit August. vt eam non existimaret sua responsione dignam, sed ad propositā difficultatem reuocans aduersariū, docet hos verborum fumos, & inania præludia omnibus omniū partium hominibus posse esse cōmunia: nam non solùm Catholici scripturarum possessionem vsumq; sibi vendicant, (idq; meritò, cùm ad illos propriè scriptura, eiusdemq; interpretatio spectare cognoscatur) sed etiam hæretici vniuersi, quantumuis ignorantes sint, & absurdorū dogmatū defensores, sic gloriantur hoc scripturatū nomine, vt contemnant & condemnent omnē sapientiā, & eruditionem Ecclesię Catholicę totiusq; mundi, velut stultitiā & inanem fatuitatem, vix vt vllum artificem tàm vilē & abiectum inter Anabaptistas Hollandiæ, vel inter Puritanos fratres domus charitatis, & Protestantes Anglię reperies, (vt taceā Grammaticos & Dialecticos imbeibes in scholis & Academijs sectariorum educatos,) qui non audacter sese opponet vniuersæ Ecclesiæ Christi, hac cautela fultus, purū putū Dei verbum præponendū esse humanis doctrinis atq; inuentionibus: purum enim Dei verbum nominant Biblia sua falsè, corruptè, & fraudulenter translata, vnà cum sordidis, friuolis, & falsis suppositionibus inde deductis.

Et vt generatim loquar, omnes quotquot fuerunt sectarum magistri, in fraudē populi, ipsi primùm turpissimè transuersum acti, hunc cōstituunt controuersiarum statum inter se atq; Catholicos: vtrum ne illis, qui doctrinam in puro Dei verbo fundatam tuentur, sit credendū potiùs, quàm aduersarijs, qui suā religionē humanis traditionibus atq; inuentis fulcitam defendunt. Cùm tamen is status quęstionis censeri non debeat, sed hic: vtrum illi potiùs quàm nos genuinum sensum, verāq; scripturę intelligentiam habeant, cuius & syllabæ & verba scripta ab vtrisq; agnoscuntur, & recipiuntur indiscriminatim, & vtrum illi sequantur sensus visum, qui proprio ducuntur spiritu, aut nos qui adhæremus spiritui Ecclesiæ. *Fraus hæreticorū in mutando statu controuersiarum.*

Intelligant igitur omnes oportet, quòd quemadmodū Protestātes, & cæteri hæretici illum scripturæ sensum, quem ipsi superbè & ignoranter elegerunt, purū putum Dei verbū soliti sunt appellare, ita etiam ex aduerso scripturæ sensum & interpretationē humanas phantasias & inuentiones nominate: quamuis constet priuatùm, singularem, & nouum illū spiritum nil prætet inania visa continere, communem ècontra, vniuersalem, antiquam, & Catholicam interpretationem, verum & purum Dei verbū esse, vtpotè cui omnis doctrina nostra, studiosorumq; hominū in Collegijs istis Catholicis cōmorantium informatio atq; institutio innititur. *Hæretici in scripturis intelligēdis suū priuatū sensum & spiritū sequuntur: Catholici verò Ecclesiæ iudicium, Patrumq; cōsensum.*

Et sanè ille scopus nunc temporis debet esse omniū scholarū, quæ Catholicā religionem sectari volunt, homines à priuatis cogitationibus & proprij iudicij approbatione, ad consensum omniū Patrum atq; ætatum, ad fidem Catholicæ Ecclesiæ, secundum symboli Christiani professionem deducere, omnesq; ad obedientiā Conciliorū, cæterorumq; tribunalium, quę & Christi & totius Ecclesiæ auctoritate corroborata, nobis relicta sunt, ad controuersias quæ oboriri vnquàm possent, decidendas atq; definiendas inflammare.

Vnde fit, vt illi qui ad gradus promouentur scholasticos in Academijs Catholicis, (iuxta Concilij Tridentini constitutionem sanctè iurent, se quoad poterunt, in concionibus, lectionibus, disputationibus, scriptis, & alijs quibuscunque negotijs,

perpetuò interpretaturos scripturas sacras secundùm vnanimem patrum consensum. Quod sanè non est homines secundùm propriã cuiusq; sententiam vel opinionem fide instruere, sed secundùm spiritum veritatis à Christo promissum. Hoc est vitare particularem hæreticorum arrogantiam, qui sic priuato illo superbię ac contentionis spiritu feruntur ac rapiuntur, vt sibi ipsis certas quasdã doctrinarũ formas, prout singulæ sectæ exposcunt, figant & refigant: quas vocant fidei suæ analogiam, & ad eas verbum Dei sic contorquent, vt quicquid inter somnia delirantibus in mentem venerit, id scripturæ testimonio verum esse comprobetur. Et propterea

Lib. 32. con. Faustũ c. 19. Diuus Augustinus hoc contra Faustum propriũ fuisse Fausti Manichęi, & æqualis conditionis hominum notauit, sic scripturarum testimonijs causam propugnare, vt illis scriptura penitus sit subiecta, nec alium sensum nobis reddant, quàm ipsorũ ingenijs admittere placuerit. Videtis (inquit Augustinus) id vos agere, vt omnis de medio scripturarum auferatur auctoritas, & suus cuiq; animus auctor sit, quid in quaq; scriptura probet, quid improbet: id est, vt non auctoritati scripturarum subijciatur ad fidem, sed sibi scripturas ipse subijciat, non vt ideò illi placeat aliquid, quia hoc in sublimi auctoritate scriptum legitur, sed ideò certè scriptum videbatur, quia hoc illi placuit. Ad euitandum ergo hos spiritus priuatos, imitamur in scholis nostris, scriptis & lectionibus (quantum tempus, occasio, & rerum opportunitas patitur) sanctos illos patres Basilium & Gregorium Nazianzenum, de quibus sic meminit *Ruffinus*: Gregorius cùm se totum Dei seruitio mancipasset, tantum de collegę amore pręsumpsit, vt sedentem Basilium de Doctoris Cathedra deponeret, ac secum ad monasterium manu iniecta perduceret, ibiq; per annos (vt aiunt) tredecim, omnibus Græcorum sęcularium libris remotis, solis diuinæ scripturę voluminibus operam dabant, earumq; intelligentiam, nõ ex propria præsumptione, sed ex maiorum scriptis & auctoritate sequebantur, quos & ipsos ex Apostolica successione intelligendi regulam suscepisse constat. *Li. 2. Ecclesiast. hist. c. 9.*

Doctrina Catholicorum *2. Thess. 2.* *Act. 15. 16.*

Docemus & profitemur humilitatem & obedientiam erga eos, qui nobis præpositi sunt, docemus discipulos & cognoscere & obseruare sanctas illas traditiones, quas Apostolus cõmendat gregibus suis, tàm scriptas quàm non scriptas: illa maiorum nostrorũ præcepta amplecti illos docemus, quæ Christiani in Actis Apostolorum iubebantur obseruare secundùm discrimina rerum atq; temporum, præscripta vel in posterum ab animarum gubernatoribus præscribenda. In omnibus verò cõtrouersijs & rebus dubijs à definitionibus sanctorum Patrum, Conciliorum, & sedis Apostolicę dependemus: quibus Christus spiritum veritatis, verum scripturæ sensum, gratiam discernendi falsos & priuatos spiritus, à vero & cõmuni populi Christiani atq; Catholici spiritu largitus est.

Docemus illa præcepta & traditiones, quæ in scripturis sacris nobis commendantur, cæteraq; omnia sanctæ Ecclesiæ decreta, iniustè & peruersè ab hęreticis, iuxta sensum ipsorum vocari traditiones aut mandata hominum: cùm sint ordinationes Spiritus sancti, qui perpetuò Pastori nostro legitimo, quod ad regimẽ animarum nostrarum spectat, assidet. Docemus scripturas sublimes esse atq; difficiles intellectu, multisq; modis ad perpetuam multorũ damnationem à vera intelligentia detorqueri: Docemus Manem, Arrium, Macedonium, Eutychetem, Sabellium, & Pelagium, etiamsi sacras scripturas lectitarint crebrò, & in illis multum se, quemadmodum nostri Caluinistæ, magnificè iactarint, errasse tamen turpissimè in illarum sensu atq; intelligentia: inq; eundem errorẽ posse Protestantes modo incidere, imò iam dudum incidisse, dum priuatos suos contentiosos & rebelles spiritus sectantur.

Dicimus

Dicimus illis edocti Diui Augustini experientia, Hæreticos non posse veritatem intueri, qui terrenas generationes nimis intuentur, & ad istas tenebras addūt adhuc fumum, quem sibi contentionibus & certaminibus quotidianis excitare non cessant: habentes animas carnis affectibus defluentes, tanquàm ligna humore saginata, in quibus ignis fumum solum vomit, & habere flammas lucidas non potest. *Et alibi*: Hæretici Manichæi eligunt capitula de scripturis, quæ simplices homines non intelligunt, & per illa decipiunt animas imperitas, quæ per curiositatē facilè traducuntur, quia omnis anima indocta curiosa est. Qui autem fidem Catholicam benè didicit, & bonis moribus & vera pietate munitus est, quamuis eorū hęresim nesciat, respondet illis tamen: nec enim decipi potest, qui iam nouit quid pertineat ad Catholicam fidem, quæ Catholica dicitur, per orbem terrarum sparsam, & contra omnes impios & peccatores, negligentes autem sui domino gubernante securam. *Li. de Agon. Christian. ca. 6.* *Ibid. c. 4.*

Docemus verisimilius esse, antiquos omniū ætatum patres in vnā sententiā cōspirantes, verum sensum & interpretationē scripturæ assecutos, quàm Protestantes nouos, & si animi demissio quicquam in hac re valeat, (vt valere plurimū debet) eos multò fuisse Protestantibus nostris modestiores ac æquabiliores: si studia requirētur & diligentia, illos longè hos superasse: si eximia eruditio, perfectaq; cæterarum scientiarū cognitio, dicimus nouos nostros Doctores cum illis non esse comparandos: si verò linguarū spectemus peritiam, multis eorum præcipuas illas linguas natura donauit, quas noui isti doctorculi longo labore etiam adhibito & arte, vix degustarunt: si diligens lectio scripturarum, collatio mutua, comparatio, & expositio ad illarū sensum verum intelligendū confert, quàm longè sanctissimi illi patres hac etiam in parte molles istos doctores superent, opera nobilissima & infiniti ferè tractatus testantur: si quicquam oratio iuuat ad veritatē assequendā & spiritum Dei (sine quo nulla veritas cognosci potest) iniuriam profectò inferet sanctis illis viris, imò risum plerisq; mouebit, quisquis illorū pietatem, vigilias, ieiunia, & sacrificia, cum horum sociorū conatibus comparabit: si solitudo, cœlibatus, castitas, (quæ ab antiquis maximè conuenire Philosophiæ studiosis iudicabantur) ad rerum diuinarū contemplationē conducit, in quo se iactent ostententq;, parum Protestantes habent: si charismata diuina & eximiæ patrum nostrorum virtutes, miraculis, vita sanctissima, & demùm martyrio pro fide Christi suscepto exornatæ (vt meritò à Catholicis omnibus, ipsis hæreticis non reluctantibus, creduntur ea de causa in cœlo beatam vitam agere) ad sacrarum literarum intelligentiā prosint, hanc illi prærogatiuam præ aduersarijs nostris obtinent. *Comparātur antiqui. Doctores cū ministris Caluinianis.*

Postremò si tempora quibus vixerunt spectentur, viciniores fuerunt Christo, & mille annis propius, imò amplius Apostolorū ætatem accesserunt, quàm sæculum hoc, quo primùm exorti sunt Protestantes: (vt faciliùs hac ratione potuerint inuestigare Apostolorū sensum atq; doctrinam, per ætatum & hominum sibi mutuò succedentium vicinitatem) superantur itaq; & hac in parte nostri aduersarij ab illis doctoribus & luminibus antiquis. Hæc omnia & quascunq; alias præscriptiones, si Catholici vnquàm aduersus hæreticos habuerūt, nos modò etiam contra Protestantes euidentissimè possidemus, meritò vt liceat nobis commutatis nominibus idem dicere, quod Augustinus olim suis aduersarijs: Vsq; adeò permiscuit imis summa longus dies, vsq; adeò tenebræ lux, & lux tenebræ esse dicuntur, vt videant Lutherus, Caluinus, Zuinglius, Bucerus, Beza: cæteri verò, Hilarius, Gregorius, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, & id genus alij viri doctissimi pariter atq; sanctissimi maiores nostri cæci sint. *Li. 2. contra Iulianum in fine.*

Catholicorũ Anglorũ cum Caluinismis comparatio.

Quapropter si charismata Dei, si sensus cõmunis, si probabilitas humana & diuina insequient ad causæ æquitatẽ, nostrę scholæ hæc omnia contra aduersarios adferunt: si expressa verba scripturæ præualent, longè eosdem superamus, quippè qui ea infinitis modis clariora pro parte nostra habemus, quam aduersarij: si sensus desideretur, tot nobis ad hunc inquirendum sunt auxilia naturæ, doctrinæ, & gratiæ, (Deo sit honor & gloria) quot inimicis nostris esse possunt, sententia pro nobis contra aduersarios pronuntiata, in omnibus tribunalibus Ecclesiæ Dei: omnes Academiæ, omnia Collegia, omnes Ecclesiæ, vniuersi Episcopi, Monasteria omnia, omnia monumenta Christianitatis à Catholicis, & pro Catholicis instituta sunt ac excitata, nulla verò pro Protestantibus: omnes quotquot fuerunt animæ maiorum nostrorum salutaribus aquis expiatæ, omnes sancti & ciues cœlestis patriæ, omnia eorum pulchrè gesta, opera, scripta, vitæ & exitus causæ nostræ profitentur veritatem, si ergo doctrina nostra cuiq; erronea videtur, nulla profectò est vel esse potest veritas, nullus Deus, Christus nullus, nec vlla religio aut via salutis. Quæ omnia ad Atheismum spectant, & infœlicem illum ab vnitate populi Dei recessum.

Quod verò ad particulares doctrinæ Catholicæ articulos attinet, & nos & plurimi alij viri, doctrina ac eruditione præstantes, tempore exilij huius ante nos varijs libris lingua Anglicana editis, eos propugnauimus omni genere eruditionis & argumentorũ, quod à nobis etiam ipsi Protestantes requirebant: & quæ contraria obijciebantur, sic refutauimus, vt aduersarij libenter, ne victi videantur, tacere velint.

Ioãnes Iuellus Superintendens Sarisburiensis pro concione publicè prouocauit Catholicos ad defendẽdum causam suam scriptis.

Qua concertatione literaria id effectum est, vt quamuis nos primùm hostes lacesserent, promittentes (si rem aggrederemur) aut saltem verbotenùs optantes nobis omnem libertatem scribendi atq; impunitatem, posteà tamen in summas angustias adducti, coacti fuerint interdicere mandateq;, ne libri nostri in Angliam importarentur, retinerentur ibidem aut legerentur à quoquam: vnde factum est, vt homo ille furore ac amentia plenus, Ioannes Paceus, cùm Ioanni Iuello, qui Sarisburiensis Episcopus vulgò appellabatur, Protestantium propugnatori occurreret, illius amplitudinẽ hunc in modũ aulicè compellarit: Iam, Domine plurimũ colẽde, ex laboribus tuis immensis, & occupationibus, requietem quærere potes, nec opus erit amplius vllo cum aduersarijs conflictu vel concertatione, cùm Regia Maiestas publico edicto cauerit, ne quisquam in posterum libros contra te scriptos, vel hùc importet, vel retineat, vel legat.

Posteà Caluiniani prohibuerũt, ne libri Catholicorum legerentur.

Et quamuis non destiterint posteà ostentare sese, atq; in vulgus quosdã libellos, quibus videri vellent Catholicorũ scriptis respondere, spargere: tamẽ hoc tam malè prestiterunt, vt in prudentiũ virorũ iudicio, nostram potiùs quàm suam ipsorũ causam promouerint, cùm responsio illorũ nil præter apertam & ignauam fugam contineat, qua in re non immeritò canibus timidioribus similes videri possunt, qui obuerso collo ac intorto, insequentibus subinde allatrari solent, ac eiulatu ferociori animi affectum prodere, cùm fugati cedunt. Quod quo fine fiat, facilè intelligunt viri sapientes. Profetas ijs scripturas sacras, canonicas eas esse negabunt: illas in medium producas, quas ipsi Canonicas agnoscunt, & statim falsis adhibitis interpretationibus, fraudulentis immutationibus & prauis commentis, de quibus viri sapientes nunquàm anteà cogitarunt, deprauabunt ac corrumpent. Allega Doctores antiquos, negant illorum libros: alios producas, aut libros eorum approbatos, respondent ipsos in sæculo errorum tenebris obcæcato vitam traduxisse, aut gentilium secutos errores, aut fuisse homines, vt non sit cur illis plus tribuamus quàm cæteris. Cita sacrorũ Conciliorum auctoritatem, & illis non credent, nisi ex-

Ministri Caluiniani canibus timidioribus non absimiles.

Euasiones hæreticorũ dum respondẽt Catholicorum scriptis.

pressa scriptura muniantur. Si regesseris, illis potiùs credendum esse, cùm & sanctitate vitæ, & singulari eruditione excelluerint, rationiq; & modo iudiciali probandi verum scripturæ sensum adhęrendū potiùs esse quàm nouatoribus, quoniam & hi homines sunt vt illi, & multò peiores illis, tum demū confugiunt ad Spiritum Dei, quem sibi soli sic arrogant, vt eum interim negent adesse Ecclesiæ Christi, Sacerdotibus, atq; Concilijs, quibus tamen ab ipso veritatis auctore à tot iam sæculis fuit promissus.

Vbi tandem se sic constrictos aduertunt, vt vix quò fugiant latebras inueniant, prorumpunt in aperta conuitia, moresq; & vitas Pontificum, Præpositorum, & Sacerdotum insectantur: quasi sub sole inuenirentur homines impuriores aut magis profani, quàm sunt concionatores Protestantium; aut omnia vera essent, quæ odiū illud inueteratum, & malitia hæreticorum sacerdotibus Dei affingit, aut quasi vulgares humanæ fragilitatis defectus, fructus essent, ex quibus falsi Doctores sint probandi; aut nos in condemnationem doctrinæ Protestantium, illos oneraremus peccatis, quæ humanæ infirmitati cuiuscunq; tandem conditionis fuerit, accidere soleant, & non potiùs illis criminibus, quæ quasi innata sunt & communia hæreticis, maximè verò hanc sectam propugnantibus.

Nos illos accusamus rebellionis in Ecclesiam Christi, eiusq; leges & constitutiones, irreuerentiæ prætereà in legitimos ipsorum pastores: quòd sacra Concilia, Patres, atq; Doctores contemnant arguimus, quòd scripturas deprauent ac corrumpant, cùm quosdam scripturæ sacræ libros sententiasq; reijciunt: quòd inter se contentiones foueant ac dissensiones, quòd perturbent prouincias & integra regna: quòd studeant libertati & nouitatibus, quòd inconstantes sint, & indies mutent suas opiniones: quòd arrogantia quadam & superbia intolerabili suam eruditionē atq; scientiam ausint pręferre antiquitati; illis obijcimus singularem quandam arrogantiam, sacrilegium, apostasiam, incesta matrimonia cū personis Deo deuotis: detestamur templorū expilationes, rerumq; sacrarū profanationes ab illis perpetratas, aspernamur doctrinas eorū & conciones, quibus in contemptum adducere conantur ieiunia, vigilias, virginitatem, continentiam, voluntariam paupertatē, omnia bona opera & huiusmodi alia, quæ directè tendunt ad honestatis euersionem, vitæq; rectè institutæ corruptionem, in omnibus omnium hominū statibus atq; vitæ generibus: postremò execramur eorū blasphemiam in Christi sacrificium, Sacramenta, & Sanctos, & huiusmodi alia enormia aduersariorum facta, quæ verè procedunt ex eorum doctrina, hæreticorumq; sunt propria, & propterea multùm dissimilia peccatis, quæ ab illis aut falsò aut verè obijciuntur clero Catholico, maximè verò summis Pontificibus & sedi Apostolicæ, quemadmodum ante illos fecerunt olim Nouatiani atq; Donatistæ. Quæ sanè vitia adeò de veritate doctrinaque dictæ sedis Apostolicæ non præiudicant, vt August. affirmet, etiamsi Iudas quispiā vel proditor perfidus illo fungeretur officio, quemadmodū olim in Collegio Apostolorū accidisse cognouimus, non ideò tamen sedis illius vel doctrinæ, aut populi Christiani erga eandem obedientiæ quidpiam detractum iri: Cœlestis magister (inquit) cauendum præmonuit, vt etiam de Præpositis malis plebem securam faceret, ne propter illos doctrinæ salutaris cathedra desereretur: in qua coguntur iam mali bona docere. Neq; enim sua sunt quæ dicunt, sed Dei, qui in cathedra vnitatis doctrinam posuit veritatis. Cyprianus etiam fideles omnes admonet, ne mirentur, nec fidem verbis hæreticorum habeant (maximè eorum qui relapsi sunt) quando conuitiantur, contumeliisue afficiunt sacerdotes Christi: Apud lapsos (inquit) &

Vitia communia Caluinistis cum antiquis hæreticis.

Epist. 166. in fine.

Epist. 69. num. 1.

prophanos, & extra Ecclesiam positos, de quorum pectoribus excessit Spiritus sanctus, esse aliud nō potest nisi mens praua & fallax lingua, & odia venenata & sacrilega mendacia, quibus qui credit, cum illis necesse est inueniatur, cùm dies iudicii venerit.

Et quamuis maxima hæreticorum pars ideò tàm turpiter & apertè contumelijs clerum Catholicum laceret, vt (quantum in ipsis est) in contēptum populi adducāt Ecclesiam, Concilia, & præcipuos pastores, per paucorum quorundā scandala quasi omnibus cōmunia in vulgus sparsa: sunt tamen alij, qui hoc secretius faciunt, & ideò fraudulentius, quod sanè hoc in loco diligenter est aduertendum. Cùm enim sectarij moderni præferant se quidem fidere & libenter obtemperare quatuor primis generalibus Cōcilijs, & quibusuis alijs Oecumenicis, hac lege ac cautione, quatenus definiunt & determinant ea quæ fidei sunt, secundū expressas scripturas easq; Canonicas, duplicem fraudē in sensu verborum depræhendere licet. Siquidem cuperent primùm hac ratione populo persuadere, se revereri Conciliorum decreta: deindè verò præcipuum se honorē scripturæ sacræ præbere, quamuis reuerà nihil minus præstent, cùm vtriusq; se solos iudices constituant; nam non velle fidē Concilijs habere, nisi sua muniāt decreta expressis scripturarum testimonijs, nō est aliud quàm solis scripturis fidem præstare, quas si imperitissimus quisq; euidenter in suæ partis defensionem citet, illi statim credendum erit; an verò scripturæ à Concilijs in medium allatæ ad rem faciant, pro qua confirmanda producuntur, & an euincant veritatem illam, in cuius confirmationē à Cōcilijs citantur, hoc suum esse existimant iudicare, non minus quàm si abiectissimus interpolator Angliæ, eas allegasset: quod sanè non est aliud, quàm se solos constituere iudices Conciliorum, quæ tamen imperitus populus putabat, ex hac celebri Conciliorum mentione facta, & magnifica promissione, plurimi ab ipsis fieri.

Sathmica Calvinistarum fraus detegitur.

Quibus artibus eludunt auctoritatem sacrarū scripturarū, Cōciliorum, & antiquorum Patrum.

Prætereà cùm nominant scripturas, de industria addunt Canonicas, vt si locus quispiam euidentior ex sacris Biblijs obijciatur, possint pro arbitratu suo, & librū negare esse Canonicum, & simul euadere Catholicorum manus. Qua in re licèt videri velint aliquid honoris scripturæ tribuere, reuerà tamen seipsos iudices scripturæ constituunt, dum potestatem sibi vendicant definiendi, & decernendi scripturas Canonicas, quam nec Concilijs sacris, nec Ecclesiæ Catholicæ concedere volunt. Atq; ita fraudulenter omnia à communi veritate spirituq; Christi, qui in Ecclesia residet, ad vanas suas & inanes opiniones reuocant.

Appellant ad antiquos Patres, quatenus consentiunt cū scriptura, cuius sententiæ ipsi soli volūt esse iudices.

Vtuntur etiam alia ratione non minùs fraudulenta, qua freti omnia ad suum priuatum iudicium trahere conantur, quando nimirum se malle causam suam ab antiquis Concilijs, Pontificibus, vel sacerdotibus iudicari, quàm à Concilijs, Pontificibus, alijsq; tribunalibus nostri temporis prætexunt, asserentes se fidem primis quatuor Concilijs Oecumenicis, aut sedi Apostolicæ, vel summis Pontificibus, qui vitæ sanctitate doctrinam hanc putam exornarunt adhibituros, hac semper clausula adiuncta, pro maiore ipsorum securitate, quatenus nimirum consentient cum verbo Dei. Sciunt enim homines versuti, Concilia antiqua, veteresque Pontifices, non directè tractasse has eorum, quæ modò sunt exortæ hæreses, sed alios errores & dogmata falsa illorum temporum propria, quibus illi Patres vixerunt, & Concilia fuerunt congregata, (quamuis nec defuerint id ætatis, qui obiter hæreses illas, quæ modò etiam reuocantur confutarint:) cùm tamen re ipsa Concilia illa, decretaque eorum, potiùs sint instructiones & admonitiones pro nobis, Concilijsque modernis, quàm tribunalia, iudicia, vel iudices actionum nostrarum, aut personarum,

cum

cum quibus si conferantur, nec rectam illam, nec tritam iudicij viam ingrediuntur: Iudices autem nostri censendi sunt sedes Apostolica, Præpositi, & Concilia nostri temporis, quorũ potestati & iurisdictioni omnes Christi fideles modò sunt subiecti; quemadmodum illi qui nos præcesserunt, antiquis Concilijs, & præpositis Ecclesię obedientiam præstitisse leguntur, quoniam illorũ est decernere, definire, & secundum iudicij præscripta determinare controuersias nostras.

Nam Deus in veteri *a* Testamento expresse mandauit, vt in rebus dubijs, populus accederet summum sacerdotem & iudicem pro tempore, & nos etiam *b* admonemur obedire Ecclesiæ pręsenti: non solùm illis, qui ante nos fuerunt patribus, Pontificibus, & Concilijs (hæc enim sunt veluti monumenta & testimonia veritatis) sed etiam alijs præsentibus, tanquàm iudicibus causarum nostrarum, & iurisdictionem in personas nostras obtinentibus. Quod vt deuitent aduersarij, fingunt appellationem ad superiorem ætatem tantùm se instituere, cùm interim nihilò pluris faciant illam quàm nostram, existimantes vtramq; homines habuisse, qui falli decipiq; potuerint, eorumq; decreta & doctrinam humanas traditiones appellant, & id genus alia, quemadmodum manifestè patet in eorum scriptis, dum omnes à Petri temporibus & deinceps patres excellentissimos, ministros & præcursores Antichristi constituere non erubescunt. Quæ omnia non tàm responsiones ad proposita, quàm fugę meditationes ęstimari debent, & latratus quidam canini, vt antè dictum est, inter fugiendum redditi.

Obijciant nobis quod libet, respondebimus verbis apertis hunc esse debere scripturæ cõtrouersæ sensum, idq; ex cõparatione eius loci cum alijs scripturæ sacrę, ex Doctorum expositione, Patrum interpretatione, sacrorum Conciliorũ Oecumenicorum sensu, atq; sentẽtia cõprobabimus. Si cõtra *d* orationes, quas pro defunctis offerimus quidpiã adferent, respondebimus, vt olim *e* August. Aerio respõdit, atq; adeò totũ eius librũ, quẽ de cura pro mortuis scripsit, aduersarijs obtendemus: si cõtra sacrarũ reliquiarũ veneratione arguent, habemus pro nobis *f* Hieronymũ cõtra Vigilantiũ pugnantẽ: si contra inuocationẽ Sanctorũ aut sanctæ crucis, aliorumue Christi & martyrũ eius monumentorũ venerationẽ disputabunt, nostram causam aget *g* Cyrillus cõtra Iulianum Apostatã scribens: si sacrificium Missæ oppugnent, remittimus eos ad *h* Chrysostomũ, in ca. 10. ad Hebręos: si cõtendunt nobiscum de vera corporis Christi in sacramento Eucharistiæ præsentia, à nobis stat conciliũ Lateranense contra Berengarium, & omnis ante illud *i* antiquitas: si sacrarum imaginũ vsum impugnant, ecce tibi ad tribunal secundi *k* Cõcilij Niceni appellamus, iudices petimus Greg. Magnum in epi. ad Serenum, & Damascenum in libris tribus de eodem argumento scriptis: si luctantur nobiscum de potestate sacerdotum circa peccatorum remissionem, idem respondemus, quod olim Ambrosius & alij responderunt Nouatianis.

Quæ omnia cùm præstiterimus, adhuc prefracti manebunt & proterui, à Conciliorum sanctorumq; patrum iudicio, ad sensum imaginariũ scripturę, quẽ sibi ipsi finxerunt, confugient, ab illo solo volentes causam probari suam. Vrgent prætereà sensus sui fictitij collationem, cum alijs scripturæ locis, quæ similem sententiam videntur præ se ferre.

Qua in re non absimiles mihi videntur esse falsarijs pecuniarum, qui non patiuntur argentum ad lapidem lydium approbari, sed alijs metallis, aut veris aut falsis comparandum esse clamitant, vt idem nobis & Protestantibus euenisse videatur, quod olim duobus Athletis Olympiacis, teste Plutarcho: quorum alter, qui

corpore

a *Deut.* 17.
b *Matth.* 18.
c *Beza in* 2. *Thess.c.* 2.
d *Aerius impugnauit orationes pro defunctis* e *Augustin⁹ propugnat in Enchir.ca.* 110. *hær.* 53.
f *Hier. contra Vigilantium pro venerat. reliquiarũ pugnat.*
g *Cyril.li.* 2. *con. Iul. crucis cultor contra Iulianum Apostatam.*
h *Sacrificium Missæ Chrysostomus defendit, Amb. & Primasi⁹.*
i *Realẽ presentiã Christi in Eucharistia omnis antiquitas agnoscit.*
k *Imaginũ sacrarũ defensores, Grego. & Damasc. & Conc.Nic. secundũ Gregor.l.* 7. *ind.* 2. 109. & *epist.* 53. *in fine.*

Heretici similes falsarijs.

Ingenia &

mores haereticorum pulchro exēplo exprimuntur. corpore erat robustiori & agiliori, cùm à socio frequenter luctando prosterneretur, nūquàm tamen se prostratū victus fateretur, sed partim verbis, partim gestu & frequenti corporis agitatione, sic circumstantiū deluderet oculos, vt victor sententiam pro se obtinere non posset: vnde dicere hic solebat se facilè antagonistam opprimere, os tamen eius obstruere, aut vt verùm fateatur compellere non posse. Ad eundem modum Protestantes conuincere non vsq; adeò nobis difficile est, (Deo sit laus & gloria) linguas tamen eorum compescere difficulter admodum possumus.

Dial. contra Lucifer in fine. Horum autem hominū meminit etiam Hieronymus, cùm experientia doctus diceret, facilius eos vinci posse, quàm persuaderi. *Et iterùm*: cùm disputare nesciant, litigare tamen non desinunt. Prostrati hostes nostri in Aërio, Vigilantio, Iouiniano, *Ibid. cap. 5.* Iconoclastis, Berengario, & id gen⁹ alijs: victi sunt & condēnati per varias sentētias, pro publicis tribunalibus latas, refutati sunt doctissimis patrū scriptis, ante hęc nostra tempora: similiter modò cōfutantur, cōuincuntur, condemnantur, manus tamen dare nolunt, donec Deus ipse adhibitis miraculis confundat praecipuos ipsorum concionatores, & indelebilem iisdem ignominiae notam inurat.

Caluinistae & Puritani ad disputationem publicam prouocātur, quam sine dedecore subterfugere non possunt. Ad maiorem verò exactiorémue doctrinae nostrae cognitionem, vtinam aliquādo Regia Maiestas nostrū aliquibus, qui Catholici eius subditi cùm simus, viuimus tamen in externis regionibus, aut alijs eorū, qui domi vel in vinculis, vel libertate viuunt, mandet ac imponat, vt coram sua Maiest. vel alijs iudicibus indifferentibus, in palestra scholastica cum vno vel pluribus Protestantium regni sui, aut alterius partis orbis Christiani compareant.

Quamuis enim hos comparere in vltimo generali Concilio non fuisse ausos cōstet, (qui proprius tamen locus est eiusmodi designatus disputationibus) cùm nescio quas vanas & indignas praetenderint excusationes, execrarentur praetereà sacrū illum conuentum, & eminus libris suis in eundem latrarent, & (vt olim haeretici ij fecisse dicuntur, qui quatuor primis Oecumenicis Concilijs damnati sunt) eos etiā *Regina vt concedat Catholicis potestatē disputandi cū suis ministris rogatur.* quorum aspectum exhorrescebant arroderent. Nunc tamen nullam omninò causam illos timoris vel tergiuersationis habituros, si suae Maiest. placeret pro singulari sua sapientia & clementia, rationem inire aliquam pro vtriusque partis libertate ac securitate, confidimus.

Nec est cur hac in parte sint solliciti aduersarij, cùm omnis timor & periculum nostrae immineat parti: quamuis speremus (diuina nixi clementia) confusionem tandem illis obuenturam & ignominiā. Fuit quidem olim quaedam inita concer-*Nulla est causa iusta, cur Angli Caluinistae certamē declinēt.* tatio, sed sine ordine vllo, aut iudicij aequitate, illo etiam tempore, quo tanta plurimos mortales rerum nouarum & mutationū inuaserat cupiditas, vt voluntas & affectio negotij oppresserit aequitatem. Iam verò postquàm multis annis deferbuit nonnihil calor ille populi inordinatus, sectaq; ipsa se satis aperuerit, ita vt omnes iam experientia docti facilè intelligant, quidnā de ea sentiendum sit, non dubitam⁹ quin Deus vniuersam hāc disputationē ad totius Britanniae cōmodum, suę Maiest. satisfactionem, & conscientiarum plurimarum varijs dubitationum fluctibus agitatarum, tranquillitatem secundabit.

Necessariae interdū sunt disputationes. Licèt enim eiusmodi disputationes cum aduersarijs Ecclesiae Catholicae extra Concilia & loca conuenientia susceptę, non semper probandae videntur, nec sanè vtiles censendae, si in se considerentur: saepiùs tamen & necessariae sunt iudicatae, nostra maiorūq; nostrorum memoria, & magnam attulerunt Reip. vtilitatem, vt videre est in multis conflictibus Augustini & aliorū cū Manichaeis, Arrianis, & Donatistis in Africa, & ex quibusdam etiam in Germania habitis cum Caluinistis, & Protestantibus

testantibus disceptationibus. Vt autem hoc nobis liceat per Maiestatem suam serenissimam, ex animo petimus, sperantes doctrinā nostrā, quæ modò vt cōmentitia & plena humanis traditionibus contemnitur, probatam iri inuictis argumentis cum sacro Dei verbo & sanctissimis scripturis conuenire.

Illud etiam addendum est liberè & iure gratitudinis, quo summo Pontifici (cuius dignitas in iudicium vocatur quòd Collegia instituerit, ad homines imbuendos falsa & erronea doctrina) obstringimur, apertè profitendum in his nostris collegiis, tàm varia media ad scripturarum cognitionē pertingendi, & veritatem diuinam tam in illis, quàm in Ecclesiæ auctoritate inclusam, adhiberi, quàm in vllis aliis aduersariorum seminariis.

Omnia media acquirendi veram cognitionē scripturarum nō minus in seminariis Catholicorū Anglorū, quàm hæreticorum inueniuntur.

Ingeniorum prætereà vnum habemus architectum ac communem machinatorem Deum, & (quæ eius bonitas est) non minus donis suis nostra, quàm ipsorū accumulauit & illustrauit: exilium nostrum aduersitate & paupertate coniunctum, (cùm non grauius sit quàm ferri possit) æquè studiis videtur aptum, ac copia & delitiæ Academiarū Anglicanarū, quæ sanè, si ea quæ splendorē illum mundanū concernunt spectare velim, inter nobilissimas etiam Christiani orbis scholas numerari possunt: fundamenta nostra, in omni disciplinarū genere ad Theologiam necessariarum iacta, æquè atq; aduersariorum solida sunt & firma, diligentia nostra illorū non cedit industriæ, sed potius superat: tempus siue ætatem spectes, siue studia, longius à nostris protrahitur vt plurimū, cùm maxima hæreticorum pars nimis maturè, ex scholis ad pulpita aliósue gradus euocatur. Ordo noster, methodus, & cursus Theologicus ex superiorum præscripto traditus & obseruatus, multò quàm illorū est vtilior, qui merè voluntarius est, & ex cuiusq; dependet arbitrio. Disputationes etiam, lectiones, collationes, repetitiones, instructiones, Cathecheses, casuum conscientiæ, (vt vocant) & controuersiarum diligentes indagationes, methodos & modos hæreticorū fraude circumuentos, ad saniorem mentem reducendi, & alia eiusmodi exercitia pro quotidiana scripturarum exercitatione & vsu obtinendo instituta (in quo Protestantes inaniter iactitant suam laudē positam esse, quia promptè sibi folium, & sui libri versus citare videntur) in his nostris duobus Collegiis habemus frequentiora, quàm in vtraq; Academia, in quibus tamen amplius quàm triginta insignia collegia reperiuntur.

Scholastica exercitia alū[m]norum ſeminarij Romani, & Remensis.

Porrò quod ad conciones attinet, habemus & eas frequentes, singulis nimirum dominicis & festiuis diebus, & præter eas singulis hebdomadis binas declamationes Theologicas in gratiam eorum, qui in dicendi munere sese exercere cupiunt, quò instructiores deinde prodeant ad concionandum. Nec sanè in linguarū cognitione cedimus aduersariis (quantumuis iactent publicas atq; etiam priuatas in hoc genere lectiones) quin optamus vehementer præberi occasionem, qua tandem innotescat, vtri melius sint linguarum notitia instructi, siue ad Theologiam, siue ad causæ nostræ victoriam.

Linguarum cognitio.


Quod verò spectat ad magistros & professores Collegiorū nostrorum, maximè professores Romanos (de quibus, vt verbis absit iactantia, liberius quàm de Remensibus loqui licebit, quamuis confidā aduersarios hos nostros Remenses inuenturos satis instructos, vbi Deus permittet illos in arenam descendere) audemus audacter dicere illos esse in omni genere doctrinæ selectissimos & eruditissimos inter totius orbis Christiani homines, siue virtutem spectemus, siue doctrinam, siue gubernationem & iuuentutis educationem, cuius rei veritatem, vtinam nostra patria posset suo tempore experiri.

Professores seminariorū.

Exercitia pietatis. Quoniam verò eruditio & doctrina maximè acquiruntur oratione & vita inculpata, (constat enim homines impuros minùs aptos esse ad recipiendam fidem, eiusque præceptis obtemperandum) id nobis vel maximè propositum est, in Collegijs nostris, vt ijs qui in disciplinam nostram traditi sunt, timorem Dei, pietatem, & salutis sempiternæ desiderium vnà cum literis ingeneremus: quod fit varijs exercitijs spiritualibus, vt sunt, quotidianũ conscientiæ examen, cõmunio frequens, frequens admissorum scelerum exomologesis, multa oratio, perpetua auditio & meditatio rerum diuinarum, profunda cogitatio, & compassio patriæ afflictæ, periculorumq; in quibus animæ Christianorum amicorum versantur: vt reliqua omittam, quę nimis longum foret hîc commemorare.

Nec certè hæc tàm fidenter protulissemus, nisi necessaria nostri defensio id postulasset: quam ob causam, maximè verò ob honorem Dei, & æternam summi Pontificis cõmendationem, attigimus rationem & modum educationis illius, quam aduersarij persuaserunt Regijs Consiliarijs pugnare cum verbo Dei, & vera doctrina. Magnas etiam gratias agimus Domino Deo nostro, quod ad maiorem huius rei & causæ nostræ probationem, eiusmodi dederit laboribus nostris effectus, vt multi ciues nostri in Anglia, æternam indè conso'ationem & vtilitatem perceperint, nec vnquam permiserit quenquam (quantum licet memoria repetere, aut ab alijs percipere) qui nobiscum voluit per vnum mensem de rebus fidei conferre, recedere à nobis sine conscientiæ quiete & erroris detestatione, tametsi plurimi sint, qui quotannis ad vtrumq; seminarium accedant, aut apertè protestantes, aut certè de fide planè dubij. Vnde illud etiam reperimus, multas in Britannia nostra perire animas ex eo solùm, quòd nec audiant quidpiam de fide Catholica, nec modum quem in gubernando sanctissimè obseruat conspiciant: ex quo certè tantam & tam incredibilem, ij qui verè eam percipiunt & gustant, hauriunt voluptatem, tantum solatiũ, vt paupertas nostra in exilio Paradisus videatur pijs hominibus, qui antè tamen hac consolatione spirituali destituti, & à veritate quasi longissimè remoti fuerant, iam ijdẽ etiam amicorum suorum in Anglia adhuc commorantium, his Diui Augustini verbis & similibus deplorant deflentq; miserias: O consuetudo peccati, ô comes pœna peccati. Vos nos tunc à rerum tàm manifestarum consideratione auertistis, sed non sentientibus nocebatis, nũc in familiarissimis nostris similiter nõ sentientibus, nos iam vulneratis torquetisq; sentientes. Attendite ista quæso charissimi, vestra ingenia benè nouimus. Si nobis nunc vos qualiscunq; hominis mentem rationemq; conceditis, multò certiora sunt, quàm quæ ibi vel videbamur discere, vel magis credere cogebamur. *Et alijs eiusdem Doctoris verbis ad Honoratum amicum suum improborum quorundam scriptis deceptum:* si iam, inquit, satis vobis iactati videmini, finemque huiusmodi laboribus vultis imponere, sequimini viam Catholicæ disciplinæ, quæ ab ipso Christo per Apostolos ad nos vsq; manauit, & abhinc ad posteros manatura est.

Lib. de duabus animabus cap. 14.



OB QVAM CAVSAM SACERDOTES Societatis Iesu, & alij fuerint in Angliam missi.

CAPVT VI.

VLTIMA



Ltima omnium & odiosissima informatio, non solùm contra nos, sed etiam summum Pontificem instituta hæc fuit: quòd ab ipso eiusq; delegatis, Sacerdotes & Iesuitæ (quos vocant) ex seminarijs in Angliam fuerint missi, non solùm vt cum populo subiecto de rebus ad religionem & conscientiam pertinentibus tractarent, sed vt eundem quoq; ab obedientia, quam Principi debent, abstraherent, commouerentq; ad aliquid contra statum totius Reipub. machinandum. Cuius rei quòd Regina eiusq; Consiliarij magnam gerant curam, rem laude dignam, suo officio & sorti conuenientem præstant: quòd verò timent anxieq; dubitant, ne huiusmodi quieta, sancta, & suauia studia, laboresq; hominum humillimorum, & tranquillitatis publicæ studiosorum, alium habeant finem, quàm animarum commodum atq; salutem, id ex falsis aduersariorum rumoribus prouenire putamus, aduersus quos hæc simplex, syncera & minimè fucata declaratio, in certissima auctoris huius Apologiæ scientia, & auctenticis monumentis fundata, quæ penes se habet producenda cùm necessitas postulabit, pro plena & integra tàm suarum, quàm Collegarum actionum & studiorum purgatione & defensione valebit (vt speramus) apud homines æquos & iustos.

Protestámur igitur nec Reuerendos societatis sacratissimi nominis Iesu patres, (quos vulgus appellat Iesuitas) in quorum instructione, de missione in Angliam iisdem præscripta, hæc clausula expressa habetur, ne se Reipubl. negotijs immisceant, id quod literis propria manu nuper à defuncto Generali piæ memoriæ societatis prædictæ subscriptis, doceri potest; nec Sacerdotes siue seminarios siue alios quoscunq; habuisse mandarum illud, instructionem, aut insinuationem à summo Pontifice, aut alijs sibi, vel in religione, vel Collegijs præpositis, ad mouendam seditionem, aut quicquam tractandum aduersus statum temporalis gubernationis: sed vt per sacerdotium suum eiusq; functiones, ea munia obirent, quæ fidelium Christianorum animabus necessaria iudicantur, quæq; consistunt in prædicandi, docendi, catechizandi, Sacramenta administrandi, similibusq; muneribus ac officijs.

Nec confert aut communicat summus Pontifex Iesuitis, aut alijs sacerdotibus, qui vel modò sunt in Anglia, vel in posterum mittendi, de vlla externa Reipubl. iurisdictione; verùm tantummodò illis auctoritatem in foro conscientiæ, populum pœnitentem à quibuscunq; peccatis absoluendi concedit, non obstantibus etiam, nec exceptis schismate & hæresi. Quæ potestas absoluendi à peccatis, lege diuina vel naturali à Regina procedere, & in subiectos deriuari non potest, sed necessariò ab ordine sacri sacerdotij pendere debet, & in capite eius (si ita in hoc genere loqui liceat) retineatur, seruerurq; necesse est, cui Christus in terris primam & absolutissimam ligandi soluendiq; tribuit potestatem, idq; citra exceptionem Angliæ vel Hyberniæ, & citra vllum ad Regem Reginámue respectum; in quo etiam fundauit Ecclesiam, eiusq; sacerdotium, & à quo omnis sacerdotalis spiritualisque functio suo quodam modo deriuatur: quamuis Sacerdotes nostri in Angliam missi, nec habeant expressam huiusmodi à Pontifice Max. instructionem vel commissionem, qua sacri ordinis actus exequantur, nec illa indigeant.

Neq; ponimus sacerdotes missos ab alterutro Collegiorum, vel à societate, habere huiusmodi specialem à summo Pontifice Bullam quam vocant, ad absoluendum, licèt & possint & debeant ratione sui ordinis, & legitimæ auctoritatis à superioribus acceptæ, & à summo Pontifice veluti supremo monarcha rerum spiritualium approbatæ quoslibet absoluere.

Vtrum verò has spirituales functiones, virtute cōmissionis scriptæ vel non scriptæ exerceant, parum refert; hoc vnum constat, nec huiusmodi commissionem, nec vllum actum eius virtute exercitum, continere aut implicare directè vel obliquè vllum præceptum, aut conditionē, quæ personas ad hunc modum à peccatis absolutas, ab obedientia quam Reginæ suæ in causis temporalibus præstare debent, auocet: quod tamen tàm in edicto Regio mense Ianuario promulgato, (vt suprà est videre) quàm in secundo capite actorū Parlamenti habiti, anno 13. suæ Maiest. affirmatur. In quo quamuis multę tales prætendantur leges, quales nunquàm Respublica Christiana anteà sanciuit (quorū videlicet pericula, & transgressiones difficulter Catholicus euitauerit, quantumuis obedienter & ordinatè vitā instituat, nisi tantisper dū homini obtemperat, Deū deserere velit) si tamen sub nomine externæ iurisdictionis ibidem abolitæ, interior potestas tribunalis Dei & conscientiæ includatur, res planè intolerabilis est, in conspectu Dei & Ecclesiæ Catholicæ, & maximè scripturis sacris aduersatur, quippè quę eo cōsilio excogitata ab aduersarijs videtur, vt causas verè spirituales & ad conscientiam spectantes, reuocent ad crimina læsę Maiest. vtq; officia Deo exhibita fiant contumaciæ in Principem scelera.

Officia sacerdotalia fiunt perduellionis & læsæ Maiestatis crimina.

Quæ sanè ratio, nec noua Ecclesiæ Christi, eiusq; populo, nec insolita videri potest, cùm quotquot hactenus aduersus eam sunt excitatę persecutiones, tempestates, procellæ, similibus fucis illitæ fuerint. Nam Christi mors Apostolorumq; cędes, vt antè Prophetarū, & posteà martyrum ferè omnium, ob perduellionem, seditiones, perturbationes, contumaciam, & similia scelera in Imperatores, Reges, & Respublicas temporales cōmissa, prætendebantur inflgi, quamuis reuerà, nihil illi contra statū, aut principis alicuius, vel Reip. iura cōmiserant: solius itaq; religionis istius causa & mortem, & reliqua tormenta perpessi sunt, quæ nulli potestati terrenæ legitimæque aduersatur.

Quęcunq; igitur noua decreta, vel leges aduersarij eo fine condunt, vt sic actiones & officia nostra, quæ solùm ad veræ religionis amplificationem propagationemq; modo quodā pacato, & viris Ecclesiasticis cōmodo suscipiuntur, calumniandi occasionē habeant, protestamur corā Deo, qui futurus est iudex causæ nostræ, summa nos iniuria affici & violentia: illa prætereà officia, velut læsę Maiest. crimen decernere, & pœnis huiusmodi crimini debitis punienda proponere, quæ siue legē Dei, siue iura gentium Christianatū, vel Ethnicarum spectemus, nullo modo sunt affinia crimini læsę Maiest. aut Reip. perturbationi, aliud nō est, quàm quærere opportunitatem hominū innocentiū sanguinē, qui nūquàm eiusmodi crimina in Principem vel Remp. admiserunt, effundere, vitamq; nostram & exitum, simul cum veris eiusdem causis mundo ignoris reddere exosum, vestientes omnia illorū præclara gesta perduellionis nomine & seditionis, quæ reuerà sunt religionis & conscientiæ.

Officia diuina et symbola sacra religionis nullā habent cum perduellione affinitatē, nec habere possūt, quidquid

Quid quæso affinitatis cum perduellione habent Sacramenta, preces matutinæ, exomologesis & absolutio, rosaria, orbiculi sacrati, & similia cōmunionis nostræ cum omnibus omniū temporum Ecclesijs Christianis symbola? Nonnè hæc signa conspiciuntur in omnibus regionibus Britanniā circumiacentibus, coniuncta cum summa quæ Principibus debetur obedientia? Est ne illis prouincijs vlla definitio aut determinatio, ex qua meritò possunt nostri homines concludere prædicta velut crimina læsę Maiest. decernēda esse? Et quamuis fateamur per leges posse illas actiones obnoxias reddi perduellionis crimini, quæ ante leges latas talia non fuerunt, dicimus tamen, in huiusmodi decretis magnoperè considerandas esse qualitates & conditiones criminū & offensarum. Nam vt ridiculum esset & impossibile, statuere recita-

re recitationem diuini officij secundùm ritum Catholicæ Ecclesiæ simoniam esse vsuram, furtum, aut adulterium: sic sanè impossibile est illas res, quæ merè ad religionem spectant, facere crimina læsæ Maiestatis vel contumaciæ in Regem & Rempublicam admissæ. *Caluiniani statuunt.*

Nec sanè potest vnumquodq; Principis mandatum (etiamsi de re licita fiat) à subiecto haud impletum, facere offensam crimen esse læsæ Maiest. multò minus id præstare, quando vel causas religionis concernit, veroq; repugnat verbo Dei, nostroque erga diuinam Maiest. obsequio, quemadmodum in Danielis & trium puerorū causa accidit, quando eas causas attingit, quæ verè non subijciuntur Principi temporali eiusue legibus. *Daniel. 3.*

Si enim Princeps quispiam talem legem sanciret, qualem Darius olim, qua neminem alium quàm se precari venerariq; iubebat, ad certum dierum spacium: profectò nec talis lex, nec mille huiusmodi possent efficere, vt qui recuset illud præstare, perduellis habeatur, nec magis eum obligare, quàm Danielem olim in simili causa poterunt: non solùm ob id quòd leges palàm iniustæ, & Deo aduersantes non obligant ad sui obseruationem, verùm etiam, quia veri Dei inuocatio, oratioq; ad eundem habita & cultus debitus, non repugnat obsequijs, quæ subiectus Principi secūdùm leges Dei vel naturæ debet, propterea q; nō potest verè & propriè fieri perduellionis crimen. Ecclesiæ Catholicæ sacrificium sanctum, officia diuina, Sacramenta, & consecratio aut benedictio creaturarum per verbum Dei & orationem, nullam habent qualitatem, nec vllam conditionem criminis læsæ Maiest. aut alterius sceleris contra Maiestatem Principis vel populi tranquillitatem. *Daniel. 6.*

Sin autem dum huiusmodi facta cōstituunt crimina læsæ Maiest. nihil intēdunt aliud, quàm vt nos morti, aliisue pœnis obnoxios reddant, quibus perduelles secundùm leges meritò censentur mulctandi, profectò iniuriam patimur summè miserandam, vt qui, cùm hostes patriæ reuerà non simus, proditorum tamen pœnas & ignominiam sustineamus, & sanè eo grauius patimur, quòd hæc nobis infligantur sub prætextu legum publicæq; auctoritatis, quàm si id fieret (quemadmodum accidit in Hollandia, Zelandia, & parte aliqua Galliæ) barbara quadā & immani hæreticórum crudelitate, non consentiente Principe aut República ciuili.

Sed graue est peccatum, & cum magno dedecore coniunctum, quando totus status & Respub. conspirat in iniustitiam. Et nos verè existimabamus Deum iampridem huius iniustitiæ vltionem in patriam nostram conuersurū, ni Regia Maiestas pro insigni sua clementia, non impediuisset executionē huius tàm iniustæ & intolerabilis confusionis: quamuis multò plures experti sint extremas huius crudelitatis pœnas, quàm suam Maiest. existimare aut cognouisse credendum est. Deus auertat iustam suam indignationem à nobis, ne aliquando huius iniquitatis pœnæ in nostras ceruices retorqueantur.

Cæterùm cùm faciliè baculus inueniatur ad canem verberandū, & leonibus frequenter aures sint cornua, & huiusmodi religionis ac conscientiæ causæ sint necessario tàm diris pœnis expiandæ, cur quæso hanc nostram offensam potius ad perduellionem reuocant, quàm ad hæresim? & si doctrina nostra sit impia, actiones superstitiosæ, cultus Dei sacrilegus, Idololatricus, vel alia ratiōne falsus & illicitus, cur non rei peragimur huiusmodi criminum, potiùs quàm perduellionis aut contumaciæ erga Principem? nam si crimina sunt, directè pugnant cum honore Dei, obliquè verò & consequenter cum Principe ciuili & temporali. *Catholici accusantur Idololatriæ, hæreseos, & superstitionis: mulctātur tamen morte ob hæc eadē veluti crimina læsæ Maiestatis.*

Verùm vt facilior fortè aditus ad Caluinismū pateret, & error susceptus faciliùs

conseruarétur, antiquæ leges, quibus hæretici puniendi veniebant, abolebantur, aut fortè quoniam aduersarij difficulter possunt pronuntiare, vtrum nos hęretici simus nec ne, an verò illi, qui tàm diu hæreticorū nomine sunt insigniti per leges tàm spirituales quàm temporales omniū prouinciarū, quæ Christiano nomine censentur: quæ etiam nobis concedunt, tacentibus hæreticis, nomenq; sibi vendicare non audentibus, Catholicorum nomenclaturam: quod sanè magni fuit ponderis apud Augustinum vnà cum proprietatibus ad illud nomen pertinentibus; propterea compendiosiorem futuram viam, & ad rem suam magis accommodatam putabant, si nos perduelles & patriæ proditores proscriberent, potius quàm hæreticos: nosq; punirent ob impositam falsò nobis seditionem & coniurationem, potius quàm ob errorem in doctrina, vel hæresim. Et quamuis auctoritatem tribunali Parlamenti, vt vnà cum cleri conuentu possint definire, quæ doctrina erronea sit vel hęresis, concesserit, non tamen nobis verisimile videtur, illos aut facilè, aut citò velle hac de re conuenire, vel aliquid certò pronuntiare.

Hæretici non audēt sibi vēdicare nomen Catholici.

Hoc etiam vulgare est illis temporibus, quibus grassatur error, & perniciosa libertas, crimina quę vel verè committuntur, vel commissa dicuntur, aduersus Principes sic amplificare, vt grauiora videantur, quàm sint illa, quæ directè in Deum committuntur. Sic error in Rempublicam admissus, grauior censetur, quàm qui in Ecclesiam Catholicam patratur, & grauiùs is qui in corpus, quàm qui in animam peccat, putatur delinquere, multoque plus de tributo Cæsaris, quàm de diuinis obsequijs laboratur: quod vt in alijs omnibus, ita vel maximè in titulo primatus palam innotescit, vbi potestas temporalis primum ac principem locum sibi vendicat, illiq; velut aduentitia iungitur spiritualis ab ea quasi sustentata & directa, tàm quoad rei æquitatem, quàm quoad exercitium iurisdictionis, quod illi conuenit.

Hæreticorum est proprium sic amplificare fictitia crimina Catholicorū in principem cōmissa, vt grauiora videantur, quā illa quæ in Deum cōmittuntur.

Quod sanè in casu proposito fieri debet necessariò, cùm potestas Regia dignitas sit politica, non spiritualis; persona principis non vsibus sacris dicata, sed Reipubl. administrationi; Regnum non rerum spiritualium, sed ciuilium gubernatio: Parlamentū tribunal non res diuinas, sed politicas discutiens; decreta etiam non leges sacræ, sed populares, aut si hæc omnia non plenam rerum ciuilium temporaliūmue speciem præ se ferant, magis tamen temporalia censeri debere, quàm spiritualia, nec ipsi aduersarij ausint negare.

Vnde in huiusmodi prouincijs, inter illas iniquissimas leges aliud expectare nobis non licet, quàm vt omnia nostra studia & munia spiritualia, quæ statui ciuili displicent, contra omne fas diuinum & humanum violenter ad perduellionem & crimina temporalia (quæ siue legitima sint, siue nullum ius habentia, euidenter iudicantur, & sunt verè spiritualia) trahantur damnanda erroris atque hæreseos, primùm à clero Anglicano, qui aduersarijs nostris adhæret, & deinde punienda legibus ciuilibus. Proinde in omnibus his criminibus læsæ Maiest. falsò nostris hominibus impositis, partim pro nobisipsis, partim etiam pro ciuium nostrorum defensione, D. Pauli exemplum secuti (qui cùm accusaretur coram magistratu ciuilis conspirationis & voluntatis malè affectæ erga patriam suam, professus est se iudicatum esse de resurrectione, quæ quæstio concernebat religionem, non autem de seditione aut concursu voluntario) Deum ipsum appellamus, & vniuersum populum Christianum, qui certè nostras intuentur afflictiones & miserias, nosque solius religionis causa, id est, pro fide & spirituali patrum nostrorum hęreditate, pro cultu diuino, quem quotquot in orbe sunt prouinciæ Catholicæ, sanctissimè custodiunt ac tuentur, non verò vt maleuolentia ac hostium liuor exeogitauit, pro proditione, perduellione, aut hostili in principem, vel leges regni politicas animo pati sciunt.

Nec

Nec nos, vel patres societatis Iesu, aliíue Sacerdotes, qui Deo seruiunt in patrio solo, alia facinora in principem, vel patriam commiserunt, quàm ab iisdem in similibus officijs obeundis perpetrantur in alijs prouincijs Christianis vel Ethnicis; nec vllum à superioribus mandatum, vel auctoritatem absoluendi aliam habent (quacunque tandem forma contineatur, siue scripta illa sit, siue ore accepta) quæ quidpiam præscribat, quod perduellionem in Britanniæ Reginam concernit, quàm quæ in alios orbis monarchas aut magistratus exercetur, in quorum ditionibus, simili potestate freti, eadem obeunt munera & obsequia Christiana. *Catholici Sacerdotes non alia faciũt in Anglia quã in alijs Prouincijs Christianis.*

Sanctus Augustinus Angliæ Apostolus, in patriam nostram cæcis gentilium erroribus laborantem accessit primùm, pari potestate conuertendi principem & populum ad fidem, auctoritate prædicandi eandem doctrinam, quam modò docent patres isti, reliquique Sacerdotes Catholici, (eandem, inquam, non aliam, nam illa semper perstitit vsque ad nostra tempora constans & immobilis) facultate administrandi sacramenta, eodem modo quo isti nunc ministrant, vt liquidò patet ex historia venerabilis Bedæ, & aliorum. Intulit in Insulam Augustinus Christi crucem, imagines, & id genus alia, multò apertius quàm nostri Sacerdotes; professus est se à Gregorio primo Pontifice Max. missum ad populum paganum, quod nobis modò à Gregorio XIII. missis ad populum Christianum, graui obijcitur crimini. Adduxit ab illo munera ad Regem & Reginam Augustinus noster, & ea quidem consecrata, quæ si nostri homines modò importent, crimina grauissima læsæ Maiestatis commisisse censentur. *S. Aug. Anglorum Apostol' eadem, & eadẽ auctoritate prædicauit Anglis qua nunc Catholici sacerdotes. Beda libr. 1. hist. cap. 25. Greg. lib. 9. epist. 60.*

Quæ creaturæ consecratæ aut similia dona, quamuis in vsu fuerint apud omnẽ antiquitatem, non solùm homines simplices & imperitos, (vt aduersatij indoctis persuadere cupiunt) sed etiam inter viros doctrina celeberrimos: & quamuis etiam non vulgaria ad pietatẽm in nobis excitandam sint præsidia, & singularia quædam Catholicæ communionis symbola, quia tamen non ita necessaria iudicamus, vt propter ea extremus legum rigor sit incurrendus nostris, vel amici eorum in pericula conijciendi, temperauimus affectionem & zelum nonnullorum sacerdotum nobiliumque iuuenum, alioquin ex se laudandum, quantum potuimus; petentes ne huiusmodi secum omninò portarent, aut certè rarius importarent, vt patientiæ nostræ & tolerantiæ vires integræ sint & immunes ab huiusmodi periculis, quæ nobis alioquin socijsque nostris imminere possent in rebus magni momenti, vt potè quæ fidem nostram atque salutem concernant: quamuis sanè fœlices sint illi censendi, qui pro minimo religionis Catholicæ momento mortem oppetere non detrectant. *Bed. hist. li. 1. cap. 22. Dona consecrata in vsu olim inter viros doctissimos. August. & Pauls Ep. 31. 34. 35. Leo ep. 12. Greg. lib. 2 ep. 72. 86. lib. 3. ep. 30. lib. 5. ep. 6. lib. 7. ep. 53. 126. Ind. 2.*

Sed vt hæc prætermittamus: talia munera, & dona consecrata olim à Gregorio Magno, Doctore celeberrimo, ad Principes nostros & populos mittebantur: talem ab illo auctoritatem tunc temporis Augustinus adeptus, eo modo quo nos concionatus est, & Sacramenta administrauit, nec tamen hæc dona & exercitia crimina læsæ Maiestatis habita fuerunt, nec similiter studia aut machinationes seditiosæ; quin econtrà beatum, honore & omni gratia dignum in nobis effectum procrearunt: erant quippè initia nostræ Christianitatis, eiusdem (inquam) quam cæteræ nationes amplexatæ sunt vniuersæ, quæq; genuit & produxit omnes principes nostros, Sacerdotes & populos, & pulcherrimam hanc Reipubl. formam quam nobis reliquerunt maiores nostri.

Hunc scopum, hanc in mandatis habent patres societatis Iesu, in omnibus alijs regionibus intentionẽ, ad quas à superioribus suis per vniuersum terrarũ orbem ab- *Quo fine & animo Pa-*

legantur,

tres societatis Iesu Indiam penetrarunt. legantur,& per eam (Domino Iesu largiente gratiam atq; virtutem verbi, operum, & miraculorum,pijs & heroicis illorũ conatibus) accensi zelo domus Dei,& amore animarum incomparabili,(pro quibus sanguinem suum pretiosum Christus effudit) penetrarunt in extremas orbis partes,per omnem ferè Indiam Orientalem,& regiones maximè barbaras,earumq; Principes potentissimos,vnà cum prouincijs & populis subiectis,ac innumeris prætereà hominibus aliorum regnorum (quæ non omninò cesserunt religioni Christi) ad fidem Catholicam,Apostolicam,& Romanam, à qua & nos Christiani nomen sortiti sumus,diuino aspirante numine, perduxerunt.

Eodem spiritu accensi inuaserunt Indiam Occidentalem, cum multorum millium animarum lucro, cum infinitis periculis itinerum, tàm terra quàm mari susceptis,in quibus multi eorum ab hæreticis, Ethnicis,& Pyratis intercepti, multi affecti martyrio,in captiuitatem abducti multi,contabuerunt plurimi insolito victu aut aëris intemperie,alijsq; vitæ incõmodis. *Eorum labores & instituũ in alijs partibus orbis Christiani.* Ad hæc loca singulis annis mittuntur, eadem obedientia,ijsdem instructi mandatis, eademq; intentione,qua in Angliam nunc accedunt, nunquàm tamen perduellionis crimen cõmiserunt, nec statũ Reip. ad quam accesserunt perturbarunt, nec sanè ab hisce populis existimantur Catholicæ religionis prædicatio & Sacramentorum administratio,ad seditiosas machinationes spectare, quippè quæ fiunt sine tumultu & populi concursu:imò licèt hęc in magna hominum vulgarium & indoctorum frequentia cum timore & tranquillitate, iuxta veterem Christianorum ritum peragantur, nullam tamen inde seditionem aut discordiam promanare censendum est.

Mittuntur hi societatis patres ijsdẽ institutis & auctoribus, in varias Germaniæ, Bohemiæ, Austriæ,Poloniæ,Transyluaniæ,Sueciæ, Dalmatiæ, & aliarum nationũ prouincias,quæ licèt in religionem non æquè omnes propenso sint animo, nec vno & eodem quemadmodũ & Britannia nostra: non tamen timuerunt illarũ prouinciarum ordines,eorum studia & labores suis rebus publicis fore perniciosa, (tametsi maleuolentia & improbis Protestantium conatibus,fuerint eius societatis homines varijs obiecti periculis & molestijs) sed ex aduerso indies magis ac magis illos vtiles,& ad Reipub. salutem conseruandam maximè inuenerunt necessarios.

Nec solùm in hasce prouincias,ad mortalium animas à Paganismo & hæresi reuocandas,easq; restituendas Catholicæ Christi Ecclesiæ admittuntur: sed etiam ob vitæ innocentiam,virtutes pręclaras,excellentia exercitia, diligentiam & dexteritatem, iuuentutem tàm in pietate quàm in doctrina instituendi & educandi,ob insignem etiam eruditionem,prudentiam singularem,& alia rara charismata illis à Deo concessa,asciscuntur non sine magno Ecclesiæ Catholicę emolumento, tum à summo Pontifice, tum ab alijs magnis Principibus Christianis cõcionatores & confessarij,consiliarij in rebus diuinis,in Academijs Professores,restitutores morũ collapsorum ac reductores,& magistri exquisitissimi religionis,pietatis.& veri cultus Dei.

Horum virorũ ordo quidem,& ratio viuendi noua est,sed fides & doctrina eadẽ planè quam Patres antiqui, & Ecclesia vniuersa habuit semper & colit modò; patiuntur odia & hęreticorum indignationes, quod D. Hieron. loco summæ gloriæ ducebat: *Epist. 50. ad August.* nam sancti illi viri, qui à Deo olim ad congrediendum cum hæreticis excitati fuerunt, tàm hostibus erant odio,quàm isti modò à Deo ad Lutheri, Caluini, & reliquarum pestium ruinas reparandum,ad nos missi. Atq; vtinam tandem ciues nostri illorũ dotes pręclaras, & summa beneficia experiantur,quò sic tandẽ ipsi videre queant & sentire,hos viros ad salutem,quietem, & pacem conscientiæ, non autem perturbationem patriæ inferendam missos esse. Sed

Sed proh iniquam huius temporis conditionem: pauci illi Sacerdotes societatis Iesu, quos habetis modò iisdem ducibus ac cohortatoribus, quibus in Angliā, ad Indos vel Turcas, aut ad alias barbaras nationes, si præpositis ita visum fuisset, ablegari potuissent. Nam ad illas se partes non minori periculo, quàm in Angliam cōferunt, & quocunq; se tandem conuertunt, pari voluntatis promptitudine, & perpetua mortis expectatione, quam summi beneficij loco accipiunt, modò vel vnius animæ seruandæ causa suscipiatur. Mittuntur ad Ethnicos docturi illos, nullam nisi in Christo Iesu salutem esse, mittuntur ad Anglos docturi nullam esse salutem extra Ecclesiam Catholicam; an verò pro vno vel altero mortem oppetant, perindè est ipsis. Hoc igitur eorum opus factumq; præclarum, quod intermittere ob metum alicuius mortalis hominis non debent, quodcunque etiam offeratur periculum mortis, aut alterius difficultatis, quod ipsi in hac causa proximam viam & compendium ad cœlestem gloriam arbitrantur, idque summa cum animi lætitia obeunt, quamuis vt cum maiori proximorum vtilitate hæc munera præstent, non se vltrò aut temerè in pericula conijciant.

Cùm itaq; nos antè aduerteremus, & paucis abhinc mensibus cerneremus Anglorum nonnullos à superioribus societatis ad Indos amandatos, petiuimus ab ipsis, vt qui huius gentis essent, patriæ potius vtilitati, quàm externarum gentium reseruarentur: cui petitioni post maturam deliberationem ea de re habitam, magno charitatis affectu acquieuerunt, nonnihil moti exemplo & labore à sacerdotibus vtriusq; Collegij Anglicani, alijsq; doctis viris tàm domi quàm in exilio degētibus, vtilissimè impenso, quos nouerant sponte sua & carcerū squalorem, & mortem pro veritate Catholica subire, vnde ineffabilis illa animorum mutatio paucis iam annis secuta est in plurimis, qui non solùm gratam habent Catholicam fidem, sed & eandem amplexantur.

Et vt id quod est dicam, postquàm semel inter patres societatis (quos vulgus Iesuitas vocat) rumor sparsus esset, de quibusdam sui ordinis in posterum in Angliam, prout tempora & occasiones sese offerrent, mittendis, incredibile dictu (sed tamen in conspectu Dei verum est quod scribo) quàm obnixè varij excellentis eruditionis viri, non modò Angli, sed etiam externi ad suorum genua prouolúti oculis lachrymantibus, & affectu quodam singulari petierint sibi concedi potestatem aut disputandi cum Protestantibus in Academijs proprijs, aut moriendi pro fidei suæ confessione, in prouincia illa nobilissima, quam vehementer dolebant sic transuersam agi, & densis errorum tenebris inuolui.

Desiderium Iesuitarum tàm Anglorū quàm exterorum proficiscēdi in Angliam.

Imò extiterunt alij docti viri Ecclesiasticæ dignitatis expertes, qui cùm Collegiorum Anglicanorum studiosos audirent promittere, ac sponte, zelo Dei accensos profiteri, se paratos esse quæuis dira pati pro afflictæ patriæ parentumq; salute, & ea sola de causa sacerdotes creari, nulla proposita sibi spe, vel amplæ alicuius dignitatis honorisue temporalis expectatione, quæ tamen in omnibus rebus publicis rectè institutis, huic ordini deferri solent; verùm præsentissimo vitæ discrimine, & cæteris odij, iniuriarum, contumeliæque incommoditatibus ante oculos constitutis, reformidare nihil, sed pari contentione exciti, & accensi studio corpora sua isdē obijcere periculis cogitarunt, & armis assumptis in hoc spirituale bellum proficisci vehementer apud quosdā, quibus huius negotij cura incumbebat laborarunt, multisq; vsi sunt rationibus, ad persuadendum hoc sibi meritò debere concedi. Cumq; illis significaretur, viuendi, agendiq; rationem in Anglia, maximè in his causis multò esse difficiliorem externis hominibus, quam sit in prouincijs Ethnicorum, vbi

 huius-

huiusmodi leges exquisitæ quales in prouincijs hæreseos veneno infectis, contra religionem non promulgantur: responderunt se nulla timere pericula, nullum genus mortis, nec miseriā vllam: paratos esse semetipsos cuicunq; seruituti ac labori subijcere, vel in Academijs, vt sic cum studiosis agere, vel alibi vt idioma sibi comparare ad facilius tractandum cum populo in causa salutis æternæ possent. Et licèt iam pridem se hanc intentionem habuisse, vt vel in Turciam proficiscerentur, vel in alias regiones paganas afferent, nunc tamen animum & cogitationes omnes ad Angliam conuersas esse aiebant, cuius S. Gregorius multis retroactis sæculis, simili misertus esset doloris sensu.

Verùm quoniam plurimos nostrates simili ardore charitatis incensos, non solū prædicta in hunc finem erecta & instituta Collegia, sed etiam societas Iesu, & plurimæ per varia loca celebres Academiæ nutriunt, qui in hac spirituali messe strenuos mercenarios offerunt (vt illos taceam, qui plurimi iam in Anglia morantur) nec necessariū, nec conueniens visum fuit, facile admittere hoc tempore externos, sed potius nostros, maximeq; eos, qui in Collegijs degunt & societate Iesu, ad hoc sacrum opus applicare.

In quam societatem (quia maximè conuenit seruitio Ecclesiæ, & patriæ nostræ hoc tempore) multi Angli omnis generis & conditionis eò libentius ingressi sunt, quòd sperant se potius vtilitati patriæ, quàm Indorum aut aliarum nationū simili peste laborantiūm mancipandos: vnde confidimus futurū vt istæ sanctæ societates, iuncto illorum ciuium auxilio, qui se charitate Christi inflammatos sentiunt, multis in locis tàm domi, quàm foris sint opem laturæ necessitatibus Ecclesiæ Anglicanę quæ obuenire poterunt per mortem, incarcerationē, aut similes calamitates eorum, qui nūc aut in postetū erunt ab opere Domini, quacūq; tādē vi vel impetu cohibiti.

Plurimi Angli petūt sibi cōcedi facultatē redeundi in patriā; vt sacris iam initiati munera sacerdotū ibi exerceant, quamuis sciās omnis genera pœnarum sibi infligenda.

Nam hi postremi terrores (Deo sit gratia) adeò non conturbant illos, quòd multi statim, atq; Remis vidissent edictum Regium publicatum Londini in mense Ianuario, maiores accedentes, peterent sibi in Angliam proficiscendi copiam fieri; qui cùm responsum accepissent, tempora hæc non esse satis opportuna huiusmodi profectioni, intulerunt non fore operæ pretium, aut laborem præmio dignum, si sacerdos temporibus pacatis ingrederetur, seq; ad id educatos, & sęculo huic turbulento & periculis pleno natos esse; prætereà ipsa eadem septimana sequenti nouendecim sacris ordinibus initiati sunt, ex quo facile est colligere quantus sit eorum zelus, quātum iuuandę patriæ desiderium. Sed quod ad eorum in Angliam ingressum attinet, adhibebitur illis moderatio, prout recta ratio postulabit.

Mortem non timent.

Quod caput est (Deo sit laus & gloria) non vsq; adeò pericula, vel mortem refugiunt in causa tàm fœlici & honorabili, imò multi martyrium, si Deo ita visum fuerit, expetunt; quo vno actu multò plures se Christo lucrari animas arbitrantur, quā vllo alio vitæ officio; sanguis enim sponte effusus pro veritate, clamore valido & quasi violento, diuinam misericordiam patriæ exposcit, atque tandem obtinet. In hunc modum Ecclesia primum fletit, & in pluribus mundi locis creuit, idq; in aliquot centenos annos à Christi morte & reparata salute, quemadmodùm Propheta illam in sanguine victuram ante multa sæcula vaticinatus est.

Ezech. 16.

Nec paupertatē verētur.

Epist. li. 56. ad Apron.

Lucæ 9.

Si verò ob legum humanarum timorem, nihil ex patria subsidij in posterum sperare licebit, Deus qui hisce viginti iam annis transactis nos aluit, haudquaquam nobis defuturus est: si parentes vel amici nos deserere coguntur, dicimus cū D. Hieronymo, melius esse panem mendicare, quàm fidem abnegare; cùm enim simus Orphani Ecclesiæ, viuimus ex duodecim cophinis fragmentorum, quæ supersunt

ex pani-

ex panibus & piscibus, quos Christus per summum miraculum in pastum illorum, qui eum per loca deserta secuti fuerunt, amplificauit: siquidem hæc fragmenta nondum consumpta, sed vsq; ad finem mundi, ad sustentandos homines illos afflictos, qui toti pendent à Domino, sunt duratura.

Detrahant nobis quæcunq; possunt aut volunt, nostri è contrario erga illos affectus & officia augebuntur; si in domibus recipi non possumus, morabimur in speluncis, desertis, & cauernis terræ, si neque in certo loco aliquo morari licebit, vagabundi & extorres ab aduersarijs nostris vocari nón erubescemus; quandoquidem Apostolus de illis, qui nobis multò sunt præstātiores dicit: *Ludibria & verbera experti, insuper vincula & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt, circumiuerunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & in cauernis terræ.* Et Apostoli ipsi non existimarunt dedecori sibi fore, dicere & scribere, *vsque in hanc horam, & esurimus, & sitimus, & nudi, & instabiles sumus.* *Hebr. 11.* *1. Corinth. 4. v. 11.*

Non tamen dubitamus (quamuis inimici nostri hæc nobis accidere, fortasse exoptent, & ipsi speremus patienter nos ea laturos, pro salute charissimorum ciuium nostrorum) futura multa millia hominum, quorum corda, viscera, & ostia nobis in Christo patebunt, non obstantibus legibus humanis in contrarium latis; inuenientur qui cum sancto Tobia, vitam & fortunas potius periclitari sinant, quàm fratres innocentes insepultos, & hospitij egentes deseri: Bona aliqua Sunamitis præparabit cubiculum, lectum, sedem, & candelabrum pro sacerdotibus Dei laborantibus. Inuenientur qui attendent Christo dicenti: qui receperit Prophetā in nomine prophetæ, iustum in nomine iusti, & (vt loquitur D. Marcus) qui Christi est, recipiet mercedem respondentem edictis humanis tunc temporis contra eos promulgatis. *Inuenientur in Anglia qui fouebūnt afflictos, non obstantib' legibus in contrarium.* *Tob. 1.* *4. Reg. 4.* *Matth. 10.*

Et si contingat ab hominibus mortem illis intentari, qui Christi seruos fouent atq; sustentant, Christus ex altera parte Væ suum, & vindictam recusantibus illos recipere, non secus quàm ciuitatibus olim Sodomæ & Gomorrhæ denuntiaturus est. Reperietur etiam pius aliquis Onesiphorus, qui refocillabit nos, cathenasq; nostras amplexabitur, quo sibi, familiæ, & posteritati suæ veniam & misericordiam à Christo domino impetret. Quin Deus ipse mouebit carcerum nostrorū custodes, quemadmodùm eum in huiusmodi causis olim pro immensa sua bonitate fecisse constat. Non poterunt Britanniæ nostræ deesse Albani, cuius protomartyr gloriosus Albanus existens, tàm in cœlo, quàm in terra benedictus in æternum, obtulerat se vltrò persecutoribus occidendum, vt hospitem suum Christi sacerdotem, occultè in ædibus suis latitantem è præsenti casu eriperet, martyriumque gloriosum proptereà sustinuit. *Marc 9.* *Matth. 10.* *Luce 10.* *2. Tim. 1.* *Actor. 16.* *Sanctus Albanus protomartyr Angliæ.*

Non possumus timere, dubitare non licet, nam dies noctesq; insonuit auribus Catholicorum illa vox Christi: *Ne terreamini ab his qui occidunt corpus, & post hæc, non habent amplius quid faciant: ostendam autem vobis quem timeatis, timete eum, qui postquam occiderit habet potestatem in gehennam mittere.* Multa sunt millia hominum in Anglia, qui in extremo vitæ conflictu constituti, paucis post septimanis, diebus, vel horis sistendi tribunali Christi, & ab omni humano metu eximendi, non hominum metuent offensionem, neq; curabunt indignationem, sed libenti animo petent sacramenta sibi, salutiq; suæ necessaria, & plurimum solatij illo præsertim tempore adferentia, quibus etiam vniuersas mundi opes, si eas possiderent, libenter postponent. *Luce 10.*

Imò omnis generis, atq; ordinis homines, docti atq; indocti, nobiles & ignobiles, diuites & pauperes, viri atq; mulieres tàm parati sunt pro Christo & Ecclesia eius *Laici atque adeo fœminæ nō minus pa-*

rati pro fide Catholica, quā sacerdotes mortem obire.

mortem obire, atq; sacerdotes vel Episcopi Catholici: sperandum vt sit Deum per orationes fidelium continuas, tandem commoturum cor Maiestatis suæ, ad misericordiam præstandum, & compatiendum subiectis, grauiter quidem, non ob crimen læsæ Maiestatis, aut facinora cum lege & ratione pugnantia afflictis, sed ob solam fidem & conscientiam, sic innixam authoritati, firmisq; præsidijs, vt illam non possint vllo metu terreno, vi, aut persuasione deserere, multò minus vt aliquem Catholicum (nisi spe fallamur) contumelias, vel criminationes, aut opprobria, pro Christi nomine perpeti pudere debeat, maximè cum ille humani generis auctor ac restitutor, multò maiora nostri causa perpessus sit.

Missificantes sacerdotes vocantur Catholici. Psal. 1. Sacerdotes missificantes, & non alios agnoscit Ecclesia Dei. Apostoli & antiqui patres fuerunt Sacerdotes missificantes. Iren. li. 4. ca. 32. Cyp. ep. 63. ad Cæcil. Chrysost. homil. 17. in ep. ad Heb. Amb. in psa. 38. post mediū in cap. Hieron. 14. Epist. 1. ad Heliod. Cùm Leo magnꝰ statueret plures Missas eodem die in Ecclesia eadē celebrādas esse, nū forte erant sacerdotes Missificantes? lep. 81. 12. Lib. 5. ep. 33.

Quoniam verò inter alia opprobria, vnum præcipuè inuenitur, quod non personas nostras modò, sed totum etiam ordinem sacerdotalem attingit, confidentius vnum aut alterum verbum in nostrorum defensionē proferemus de dicto isto, quo nos sacerdotes missificantes non solùm in edicto Regio, sed etiam concionatores noui in pulpitis suis, (quæ verè dici possunt cathedræ irrisorum) per contemptum & ludibrium frequenter appellant. Quod nomen, licèt in edicto regio per modum ludibrij nobis impositum videatur, (quod sanè longè abesse deberet ab illorum grauitate qui publica auctoritate huiusmodi edicta conscribunt) interpretamur tamen id factum, ad distinguendum nos Catholicos apud quos videlicet solos, verum Sacerdotium est in vsu, ab illis alijs nouis nouæ huius Caluinianæ creationis ministris, quos populus ob fictam aliquam & imitatam actionum ministerij in cultu diuino similitudinem, solet sacerdotes nominare, tametsi Protestantes ipsi nomen illud refugiant; & verè quidem, cùm illorum ministri nullo iure sic vocari possint, quippe qui ad sacramenta Christi administranda non plus iuris ac auctoritatis obtinent (solo baptismo excepto, qui etiam à fœmina potest certis de causis conferri) quàm habent ad nouam lunam creandam, vel solem nouum.

Ecclesia Dei non alios agnoscit Sacerdotes, nec Christus ipse alium sacerdotum ordinem instituit, quàm illorum, quos per contemptum aduersarij nostri vocant sacerdotes missificantes. Nam illis solis & non alijs Seruator noster potestatem consecrandi corpus & sanguinem suum, eademq; offerendi (quod nihil est aliud, quàm missam dicere, aut sacrum facere) contribuit. Primum Concilium Nicenum, cui Protestantes nostri volunt videri aliquid tribuere, non alios agnouit, quam eos, qui offerrent aut sacrificarēt, id est, sacerdotes missificantes. S. Hieronymus eiusdē quoq; ordinis vir, non alios honorauit Ecclesiasticos, nec alios agnouit, quàm sacerdotes missificantes: quorum officia hæc duo præcipuè constituit, quæ nostri Sacerdotes ad popularium suorum salutem tantopere exercere desiderant, quæq; legibus Angliæ potissimum prohibentur, maximeq; sunt pœnis obnoxia. *Absit* (inquit Hieronymus) *vt de his quicquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes Christi corpus proprio ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus: qui claues regni cælorum habentes, quodammodò ante diem iudicij iudicant.*

Hi ergo sunt Sacerdotes nostri missificantes, quorum curata hospitalitas, tàm est hospitibus formidabilis, quorum vigilans & indefessa animarum cura, perduellionis censetur flagitium; quorum sacri artus, nulla vel honoris, vel ordinis, vel dignitatis ratione habita, eculeo extenduntur, aliquando etiam ad extremum vsq; vitæ halitum. Nec sanctus Ambrosius missificantis nomen subterfugere potest, siquidem de seipso claris verbis testificatur, se sacrificium obtulisse, & missam dixisse. D. Cyprianus confitetur sacerdotes sui temporis obtulisse, aut sacrificasse, idq; in carceribus ipsa persecutionis tempestate; quod sanè magnæ nobis consolationis, & confiden-

tiæ

tiæ causa esse potest, quo nimirū idē, dum Deus permiserit, prǣstare non desistamus. Erat Sacerdos missificans quem D. Augustinus misit ad sacrificandū in domo, quæ à malis infestabatur spiritibus. Erant & ij, qui in sepultura matris sacra faciebant, & quos ipse rogat memores esse animarum patris & matris suæ ad altare Christi. Erant etiam, quos scribit Eusebius, placasse diuinam Maiestatem incruentis sacrificijs & mysticis consecrationibus.

Epist. 5.
Libr. 22. de ciuit. cap. 8.
Lib. 10. confes. ca. 12. 13.
In vita Constant. lib. 4. cap. 45.

Excelsa sacerdotij dignitas explicata in nobili opere Chrysostomi eiusdem tituli, maximè ab auctore commendatur in his duobus, ob quæ nostri sacerdotes iam condemnantur, nimirum supremia illa, & supereminēte potestate offerendi incruentum sacrificium altaris, & potestate remittendi peccata. Lege, si placet, beneuole lector, loca eius hac de re insignia, & nihil dubitabis sacerdotes apud illū non alios fuisse, quàm missificantes. Et vt summatim multa perstringam, tàm Chrysostomus, quàm omnes alij patres, cùm Grǣci tùm Latini ob eam causam potissimum sacerdotes sunt creati, & non ob aliam. Vnde D. Ambrosius testatur, aliud non esse sacerdotio initiari (quod cum Apostolo vocat manuum impositionem) quàm accipere potestatem offerendi sacrificium Deo in persona Christi.

1. Tim. 4.

Quod ad D. Gregorium Magnum attinet, quis non nouit illum fuisse sacerdotē missificantem, qui ipsa verba Missæ, ordinem, & partes in Epistolis suis habet expressas, qui omnia ornamenta, & reliqua Missæ sacrificio adhiberi solita, misit D. Augustino Apostolo nostro, qui & ipse citra dubitationem Sacerdos fuit missificans. Tales fuerunt nostrates, venerabilis Beda, & ante illum Guildas cognomento sapiens, & quicunq; alij eiusdem conditionis in historijs Ecclesiasticis celebrati, nimirùm Ecclesiæ præpositi celeberrimi, fundatores Collegiorum nobilissimorū; institutores insignium operum, Consiliarij nobilissimorū Maiestatis suæ patrū, maiorumq;: deniq; omnes antiquǣ fidei nostrǣ parētes ac propagatores, sacerdotes erāt missificātes.

Greg. lib. 2. ep. 9. 93. lib. 7. epist. 63. Ind. 2. lib. 11. epist. 57. Ad 3. interrog. August.

Cùm itaq; hoc munus quod olim tàm tritum & vsitatum apud maiores nostros fuit, ac in tanta veneratione & honore habitum, modò ex legibus Angliæ contumeliosum, pœnisq; dignum iudicetur: Væ peccatis nostris, Christusq; misereatur eorum, qui tantis miserijs circumuenti, nec dùm quo consciētia in statu versetur, percipiunt. Illi enim ipsi, quibus maximè sunt preces sacerdotum, & sacrificia necessaria, ne minimum quidem sensum habent miserandæ suæ conditionis ac deplorandæ. Verè beati illi, millies que fœlices, quos ita vel proximorum charitas, vel fidei zelus, vel charissimorum amicorum, vel parentum salus incendit ac inflammauit, vt expetant & acceptissima habeant sacerdotum officia hoc afflictissimo seculo, tantisq; periculis subeundis prorsus necessaria: fœlices, inquam, qui dolorem illum eodem ex vulnere perceptum ijs verbis, quibus olim populus Africanus, cùm Episcopi & Sacerdotes ipsorum ab illis auulsi, in exilium abducerentur sub persecutione Arrianorum, vt scribit Victor, exprimere non desinunt, *quibus nos miseros relinquitis dùm pergitis ad pœnam? qui hos baptizaturi sunt paruulos fontibus aquæ perennis, qui nobis pœnitentiæ munus collaturi sunt, & reconciliationis indulgentia obstrictos peccatorum vinculis soluturi? quia vobis dictum est, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Li. 2. de persec. Vand.

D. Augustinus ad viuum miserabilem desolationem & angustiam populi fidelis, ex absentia sacerdotum acceptam depingit, tùm ob defectum aliorum officiorum necessariorum, tùm maximè ob consecrationem & dispensationem corporis Dominici, & conciliationem per pœnitentiam & absolutionem impertiendam, sine qua nemo lapsus post baptismum saluari potest; vnde dolor amicorum qui certò sciunt se non futuros socios eorum in cœlis, necessariò debet esse magnus. Et de-

Cap. 180.

inde excellenter discurrit Augustinus docens nec sacerdotes, nec pastores debere ob vlla pericula gregem suũ deserere; de qua re non est nunc dicendi locus. Satis enim ad præsens institutum esse debet, beneuolum lectorem intelligere, qui nam & quales sint illi sacerdotes, qui modò in Anglia persecutionem patiuntur, contemnuntur, & condemnantur, & in quæ tempora quamq; cæcam hominum ignorantiam inciderimus, quæ illud videlicet æstimet seditione plenum, proditorium & perniciosum Christianis populis, eorumq; rebus publicis, quod semper ante nostram ætatem ab omnibus bonis, doctis, & sapientibus, omniumq; nationum Christianorum legibus, sanctum habebatur atque necessarium.

Sed respondebunt nobis aduersarij, vt vt res sit, aut olim existimata fuerit, iam saltem rerum statum mutatum esse, ac proinde huiusmodi homines, studiaq; similia, cum immutato rerum nostrarum statu consistere non posse. At prô dolor, quis quæso statum & formam Reipubl. nostræ in tantas redegit angustias, vt sarta tecta constare non possit cum sacerdotio illo, illo cultu Dei, illa fide, illa deniq; gubernatione, quam omnes maiores nostri, omnes prouinciæ Catholicæ, omnesque principes & populi amplexati sunt, & in qua permanserunt multis continuis sęculis summa cum nominis sui gloria, & dignitate? sumus ne nos eius rei molitores, causæ & auctores? si vlla pericula timentur, aut à sapientibus præuidentur in tanta hac patriæ tranquillitate, quantam vix multis ante sæculis habuisse dicitur, vnde & à quibus exorta sunt? est ne doctrina nostra seditiosa? suntne Catholici natura & professione turbulenti? suntne appetentes perturbationis, alterationis, & nouitatis? aut tædet illos pacis, ordinis antiquitatis? suntne plus quàm par libertatis studiosi, contemptores auctoritatis, raptores, depredatores, & vastatores? suntne dediti Sacrilegijs, Epicurismo, Sadduceismo, & Atheismo.

Catholici pacifici et quieti, hæretici turbulẽti & seditiosi.

Consideret prudens lector, cuius generis & conditionis homines sint, qui aduersariorum multiplices & peregrinas sectas, quas & Britannia nostra, & aliæ Prouinciæ nuper pepererunt, colunt & amplectuntur, eorumq; vitam, leuitatem, inconstãtiam, ad turbas excitandas promptitudinem, contumaciã erga maiores, licentiam, nouitates, mentis mutabilitatem, & peruertendorum hominum studium comparent cum constantia, grauitate, patientia, tranquillitate & suaui eorum viuendi cõsuetudine, qui Catholicam fidem sequuntur in omnibus Prouincijs. Oculis mentis circumspice quæso (humanissime lector) quid per triginta duntaxat annorum spacia, tàm domi quam foris gestum sit & attentatum; & diligenter perpende vtri, Catholici an Hæretici frequentius moliti sint armis similibusq; modis illicitis, quas desiderabant nouitates; vtra etiam pars, vel concionando, vel scribendo & persuadendo, frequentius excitarit populum ad susurros & murmurationes, & seditiones contra Principes suos.

Quod sint interdũ tumultus mirum nõ debet videri

Quod mortales & maximè Respubl. interdum, cum ex animorum perturbatione, & alijs humanæ infirmitatis erroribus: tùm etiam magna hominum, ingeniorũ & motum varietate in tumultus interdum & commotiones incidant, mirum non potest videri illis, qui historias non gentilium modò, sed etiam populi Dei sub ductu Moyses & Aaronis in deserto, & postmodum cùm intrassent terram sanctam illis promissam, euoluerunt, & populi etiam Christiani atq; Catholici, qui conatus est aliquando vi & armis defendere fidem & Episcopos suos, nominatim S. Athanasium, S. Chrysostomum, S. Ambrosium, & alios, quos prædicti patres difficulter potuerunt reprimere.

Hi pro pastoribus suis, aut ne cogerẽtur tradere Imperatori, vel Arrianis Ecclesiã pro Arrianis Mediolani, arma sumpsẽrũt Ambr. li.

Porrò quod Catholici Britanniæ, qui (vt quod minimum est dicam) pares sunt (excepta

(excepta Regali auctoritate) aduersariis, & vehementer affliguntur, vel re ipsa, vel vt ipsi saltem existimant, in conscientijs, fortunis, æstimatione, & libertate, solius religionis causa, non arripuerent arma, vel semel spatio viginti trium annorum (paucis nobilibus exceptis, ex quibus licèt aliqui, non tamen omnes religionis causa populum commouebant) hoc sæculo si vnquàm aliàs turbulentissimo, nemo prudens admirabitur: similiter Hyberni semel toto hoc tempore tumultuati sunt, quamuis certò constet nouos hos sectarum magistros, in illa insula perpetuò aduerso flumine nauigasse, populo vel vniuerso, vel maxima ex parte Catholicam fidem profitente. Quid iam quispiam admiretur? anné potuit sapientibus inexpectatum obuenire? aut probabile fuerit tot annos eum tranquillitate, aut sine vllo tumultu apud aduersarios præteriturus, si status illis obtigisset contrarius, aut si tot tantosq; viros habuissent propugnatores, quot & quantos Catholici in prædictis prouincijs habent.

5. *epist.* 33. *quod nostri Catholici Angli non fecerunt, tametsi oēs Episcopi Catholici simul eis abriperentur, omnesque Ecclesiæ eodē die traderentur Protestātib*⁹

Confer (amice lector) duos hos tumultus Catholicorum, cum furiosis studijs, & machinationibus immanium & barbarorum Caluinistarum siue Protestantium, in Scotia, in Belgio, & Francia, contra naturales & legitimos Principes ad ruinam & desolationem, nobilissimarum Prouinciarum susceptis & attentatis. Quod si non libet ad exteras nationes oculos conuertere, sed in nostra Anglia immorari, reuoca saltem in memoriam, quantis in periculis versabantur sceptra & coronæ Reginæ Mariæ, & deinde Elizabethæ nostræ, idq; ex Protestantium designatione, tùm sub Mariæ imperio, tùm maximè post mortem Edouardi sexti Regis, quo tempore conati sunt iniustissimis armis & cōtra naturam ipsam, vtramq; sororem è throno Regali deturbare: cui proditioni & perduellioni egregiam nauabant operam Episcopi siue Superintendentes, cum clero suo Zuingliano tùm subscribendo, suumq; suffragium proditorijs instrumentis concedendo, tùm varijs concionibus perduellionis seditionisq; plenissimis ad populum habitis, non solùm Londini & in Academijs, alijsq; locis celeberrimis Regni, contra Regiæ stirpis ac dignitatis fœminas, verùm etiam pecuniam abundè contribuendo, Militemq; suis stipendijs contra eosdem alendo; ob quæ crimina, aliqui præcipui nominis inter eos, rei læsæ Maiestatis petebantur, posteain supremo tribunali Parlamenti, & Princeps conspirationis (qui fuit alioquin vir planè nobilis, & meliori fortuna dignus) cùm capite plecteretur, in ipso mortis articulo, confessus est & illas & alias posteriores calamitates atq; miserias promanasse ab hæresi, & voluntario ab vnitate Ecclesiæ Catholicæ discessu.

Mirum quod Catholici Hyberni & Angli spacio 23. annorū, grauissimè afflicti non arripuerunt armanisi semel tantùm.

Hæretici conati sunt Elizabethā Reginā vnà cū sorore Maria è throno Regali deturbare, eique proditioni egregiam operam nauarunt Superintendentes Euangelici.

Posteà verò horum socij, qui fuga elapsi, Geneuam & ad alia loca se contulerant, nouos excitare tumultus domi & foris contra Regnum vniuersum non destiterunt, idq; breuissimo quo absuerunt tempore, & varijs vijs præstiterunt: curauerant enim approbantibus, & consentientibus Caluino & Knokes, ventilabris seditionis, & Franciæ, Scotiæque pestibus, tractatum quendam sceleratissimum edi contra mulierum regimen, quo simul depellerent sedibus suis & sceptris, Reginam Mariam tunc imperantem; sororemq; eius Elizabetham, quæ modò viuit, & Reginam Scotiæ, ac consequenter totam familiam nobilissimi & potentissimi regis Henrici septimi.

Caluinus & Knokes curarūt edi libellū contra regimen mulierum.

Quid loquar de libro Protestantium nuper edito, procacitatis & seditionis pleno, contra Maiestatis suæ consilia laude digna, & quendam principem Christianum Regiæq; Maiestatis charū? aut quid dicam de libris quibusdam pestilentissimis, his postremis annis, tàm Gallico idiomate, quàm alijs linguis contra varios Principes & Primates orbis Christiani diuulgatis; quibus sparsa sunt in vulgus, & amplificata particulatim,

*Varij libri à Protestantib*⁹ *cōtra Principes scripti.*

ticulatim, modo planè barbaro, publica aut secreta eorum peccata, multaq; crimina sunt ijs imposita, quorum expertes sunt, ad alienandum subditorum animos, & rebellionem excitandam. Qui conatus populares, Protestantibus nostri temporis cum antiquis illis admodum sunt familiares, quorum studium maxime erat positum in seditionibus concitandis, aut mutationibus instituendis in Ecclesia vel Republica ciuili.

Quæ petulantia hæretici olim contra Pontifices & Sacerdotes, eã nunc in Principes & Reges debacchãtur.

Quod genus inhumanitatis, impietatis, & barbariei olim hæreticis contra summos Pontifices & alios illustres homines cleri Christiani, ad inducendum eorum apud populum contemptũ, non punitum tunc temporis à Magistratu ciuili, sed vel approbatum, vel silentio data opera dissimulatum, vel ex odio ordinis procuratum, iam non minus exercetur in Reges & Reginas (qui peccatis natura sua obnoxij sunt, & omnium oculis expositi) ad infamandos eos, linguis & calamis, quàm olim in Pontifices & Episcopos: cui malo nisi in tempore succurratur, Respublicas vniuersas in grauissima conijciet discrimina.

Illa ratio gubernandi, nec prospera, nec magnifica, nec Christiana esse potest, quę scurris, cùm in suggestu, tùm diuulgatis libris potestatem tribuit singula Principum Christianorum & potentissimorum hominum peccata, siue illa vera sint, siue ficta, populo, quorum aures ad eiusmodi percipienda prurire soleat, enarrandi. Si fortè quis Italus reperiretur, aut Anglus fugitiuus, qui Romæ auderet publicè coram præpositis & ciuibus, pro concione referre peccata & facinora in Aula Reginæ Angliæ, vel Londini, aut ab ipsis nobilibus & principibus viris, inter domesticos parietes, aut per vniuersum regnum commissa, nec solum illa vera, sed malitia & impudentia etiam excogitata: putatis hunc auditum iri viris honoratis aut honestis, vel euasurum chordam etiam triremem? non profectò: nemo enim talis permitteretur impunè huiusmodi in Principes, ciuitates, nobiles, vel nationem siue Catholicam, siue hæreticam, sine iusta & debita correctione impudenter effundere. Et tamen nostri homines in hisce non secus gloriantur, quàm in rebus magnis non infœliciter omninò administratis.

Nec sanè pudet eos ea proferre in pulpitis, scriptisq; deinde mandare, quæ nec antiquus comœdus, nec gerro nec ganeo vllus, siue perdit⁹ iuuenis Romę personat⁹ etiã proferret. Sic maiorum nostrorum mutati sunt mores, sic omnis per istos concionatores collapsa grauitas, vt ad ingenium iam, ad detractionem & maledicentiam in sacerdotes Dei, & Principes populi exercendam, homines reducti videantur, quæ Apostolus Paulus, suo ipsius exemplo humillimo docuit nullo modo esse ferenda aut exercenda, neq; contra illos quidem, qui solùm nomen & similitudinem habent verorum sacerdotum: imo D. Iudas exemplo Michaelis Archangeli probat, nec ipsi dęmoni iudicium blasphemiæ inferendum esse.

Anglia multũ mutata à maiorũ grauitate per nouas hæreticorũ conciones.

Epist. Iudæ v. 9.

Quantam verò sibi nobilis illa Britannia nostra ignominiam, quantámue parit infamiam, cùm huiusmodi calumniatoribus & sycophantis aures prębere, & eorundem ferre petulantiam non grauatur, qui redeuntes domum ex ciuitatibus, rebus publicis, & prouincijs nobilissimis, nihil aliud quàm turpia, falsa & contumeliosa, in illarum ignominiam referre norunt? quantum porrò id dedecoris & flagitij adiunctum habet, homines ingenuos, natos & educatos in liberali & Christiana prouincia, post varias peragratas regiones, & loca totius orbis celeberrima collustrata, post frequentatas Ecclesias & Respublicas maximè illustres, nihil aliud inuenisse, aut ad amicos suos nihil præter turpia & scurrilia facta pertulisse?

Peregrinationes prophanæ scurrarum nostrorũ Caluinistarũ & Puritanorũ.

Profectò non ineptè eos cum eo comparare licebit, qui dum lustratum vadit palatium

Eorũ institu-

palatium aliquod vel ciuitatem regiam, eoq; peruenit, non attendit maiestatem, magnificentiam, pulchritudinem, commoditatem, ordinem, rationem gubernandi, iustitiam & id genus alia, nec de viris sapientia, pietate, doctrina, & cæteris donis Dei clarissimis, ob quos loca prædicta apud exteras nationes celebrantur interrogat, sed accurrit duntaxat ad canales, sentinas, colluuiaria, cloacas, latrinas, sterquilinia, & alia huiusmodi loca deputata abiectissimis officijs humanæ infirmitatis, consuetudinemque contrahit cum lixis solùm, & alijs vilissimæ conditionis seruis atque mancipijs, deinde verò domum rediens exclamat nihil in illis locis reperiri, præter fœtorem & immunditiem. *Res explicatur aperto exemplo.*

Huiusmodi verè dixerim esse istos illiberales peregrinos, qui vt ciuitatem aliquam nobilem adeunt, non ea quæ virtute, eruditione, politia, religione, & pietate vbiq; celebrantur inuestigant, sed immoderatam ac proiectam cupiditatem secuti, nihil indagant, nisi vbi locorum lupanaria inueniantur, quinam illa frequentare soleant, quæ crimina & facinora in illis committi, quibus principes & sacerdotes vitijs obnoxij ac dediti; deinde ex ijs quæ partim inuenerunt, partim finxerunt ipsi, partim ex poëtis lasciuioribus mutuati sunt, & partim ex ijs quæ viri sancti & zelo honoris diuini repleti, olim insectati sunt, conficiunt sibi sarcinam calumniarum, opprobriorum, & detractionum plenissimam, hasque suas merces inhonestas pro concione posteà ad populum impudentissimo ore diuendunt. *Loci communes ministrorum & concionatorum Euangelicorum.*

Qua in re quantumuis odiosè & canino ore calumnientur Pontifices principesque viros, nihil tamen adferunt tandem, quod vel vllam habeat veritatis speciem aut iustam arguendi causam apud sapientem & sani iudicij virum. Sed hi sunt conatus, hæc peruersa & inhonesta Protestantium nostri temporis studia, quibus rebelliones suas contra vtrumq; tàm ciuilem quàm Ecclesiasticum Magistratum promouere satagunt; vt omittam horrendas designationes Caluinianorum Consistoriorum, fictarum Synodorum, & Prophetiarum in varijs regionibus, quæ omnia ad perniciosas rerum innouationes tendere videntur.

Compara iam si libet hæc facta, & alias istorum hominum machinationes, quas ad perturbandam publicam omnium regnorum circumiacentium quietem crebrò susceperunt, & facilè intelliges conatus alterius partis Catholicæ, à viris prudentibus, cuiuscunq; tandem religionis sint, ludos iudicari posse & iocos, respectu implacabilis ferocitatis & furiæ Protestantium; qui homines sic à noua hac religione (si id nomen eorum perfidia mereatur) sunt formati & instituti, vt planè bruti, inquieti & sine conscientia effecti videantur: qui sanè omnia regna mundi prius in discrimina, extremaq; pericula adducent, quàm sanguine & præda satientur, nisi Deus pro sua misericordia malum præueniat, omnesq; ad obedientiam Ecclesiæ Catholicæ, suorumq; principum verorum & legitimorum reuocet. *Caluinistarum immanitas.*

Quod verò ad præsentes tumultus Hybernicos attinet, qui soli videntur aliquam suspicionem mentibus hominum iniecisse, ita vt nostrorum studia & intentiones ad status perturbationem, non minùs quàm ad Catholicæ religionis incrementum spectare putentur, præsentis Apologiæ auctor certa harum rerum notitia fretus, protestatur prædictos sacerdotes in Angliam missos, nec habuisse, nec potuisse habere aliam rerum Hybernicarum cognitionem, quàm alij aliarum regionum homines, ex communi rumore acceperunt, hocq; verissimum esse affirmat.

Quamuis verò summus Pontifex se hisce negocijs Hybernicis immiscuisset, illud tamen liberè asseueramus, sacerdotibus istis præpositos (qui meritò debuissent illa consilia nouisse) nec ex Pontificis ore, nec ex ministris eius quicquam hac de re

Vuu intellexisse

intellexisse toto illo tempore, quo isti sacerdotes, posteà in Angliam missi, Romæ studuerunt. Quapropter innocentes in eculeo extendere, vt ex illis extorqueantur secreta Principum consilia, quorum ipsi nulla ratione poterant esse conscij, idq; in nobili terra nostra, & hoc clementissimo maiestatis suæ regno, est res planè lamentabilis.

An fortè arbitramini rationem gubernandi Respublicas Italas, maximè vero Papatum, adeò futilem esse ac puerilem, vt quiuis Sacerdos aut vilis conditionis adolescens, perspecta habeat summi Pontificis secreta consilia? Fallimini profectò multum; quod Christus optimè nouit; qui suo tempore illorum innocentiam manifestabit, nostramq; simul & ipsorum causam discutiet. Atq; hinc etiam in conspectu Dei, cui ratio aliquando in supremo illo Iudicij die horum omnium reddenda erit, audacter profitemur, nec tùm temporis nec in præsentia, vlla nos Pontificis aliorũue Principum nouisse consilia, de ijs rebus, quæ in articulis falsò nobis impositis confœderationis, edicto regio dato 13. Iulij commemoratis, vt anteà copiosè declarauimus, continentur.

Illud similiter, quod ministet hæreticus nuper iterum lapsus falsò sparsit, tàm ex pulpito, quàm in libro impresso, de excommunicatione Reginæ publicata in Collegio Remensi, & locis publicis ciuitatis affixa, asserimus esse mendacium impudentissimum; quod tota ciuitas nobiscum testificabitur. Et sanè qui sapientiores sunt, facilè per se hoc figmentum calumniæ plenum olfacient, probè intelligentes nos nec posse, nec in ditionibus suæ Maiestatis Christianissimæ audere huiusmodi aliquid attentare. Ex quo vno malitiosissimo commento viri synceri & iudicij æqui, facilè de reliquis eiusdem rumoribus & rebus Romæ perceptis, veluti de mendacijs & conuitijs impudentissimis iudicabunt.

Nos igitur per Deum immortalem humillimè supplicamus suæ Maiestati, & quotquot illi sunt à consilijs, sapientissimis & grauissimis viris, ne ex istorum hominum abiectissimorum calumnijs, in nostram perniciem excogitatis, aliter de ijs quę à nobis & socijs domi forisque gesta sunt, statuant vel iudicent, quàm de hominum obedientissimorum, optimeq; erga maiestatem suam & patriam charissimam affectorum negotijs; persuadeantq; sibi nos quantum per subiectionem, quam diuinis & Ecclesiasticis legibus debemus, cùm ijs per Baptismum & religionem non minùs deuincti sim⁹ quam naturalibus, omne obsequium studiumq; prompta semper voluntate deferre paratos esse: illud etiam cum omni submissione & animi subiectione, diuino nixi auxilio audemus dicere, causas cuiuscunq; periculi, aut nunc regno impendentis, aut imposterum (quamuis etiam Deo in testem adhibito, nos nullius periculi conscios esse pronuntiemus) nulli rei ęquius quàm primę religionis alterationi, & à societate Catholicæ Ecclesiæ aliorumq; regnorum discessui asscribi posse.

Hinc enim illa nouarum sectarum multitudo promanauit, quæ per directam viam ad communis tranquillitatis perturbationem tendunt, quæq; ob singularem illam in Catholicorum facta animaduersionem & propter eos susceptam sollicitudinem, scienter de industria neglectæ, non sunt repressæ, quæq; necessariò magis Reipublicæ sunt perniciosæ, tùm quod ex natura sua intentiones multarum earum difficulter aperiri possint, (quippe quæ suos fautores & sectatores sic instituunt, vt liceat illis per actus contrarios, iuramenta, & asseuerationes, conscientiam retinere tectam, donec opportunũ tempus sese offerat): tùm etiam quod ex communi omnium hæresium conditione inducant nouitatem, mutationem, & libertatem, quæ mala frequentes solẽt parere sectatores, vnde magna cũ difficultate possunt cõpesci.

Catholici

Catholici ab initio has execrati sunt mutationes quòd ipsorum proprium sit colere & amare antiquitatem,grauitatem & constantiam, hosq; conantur vel maximè inducere ad publicam fidei suæ confessionem quotiescunq; per legem Dei ipsius requiretur. Docent etiam nulla ratione licere, iuramentis contrarijs vel actibus prætendere,aut simulare aliam religionem , quàm quis corde & animo profitetur,quæ manifesta animi patefactio, & sincera confessio non potest aduersari, aut periculum procreare vllum politiæ.

Nos sanè non possumus non vehementer mirari,summam hanc diligentiam adhiberi, tàm per iuramenta,legesq; cum pœnis & supplicijs cōiunctas, quàm persuasiones, ad cogendum Catholicos id exterius profiteri, quod ipsi aduersarij norunt eos in corde intimo detestari,summoq; odio prosequi ; quasi periculum magnum immineret Reipubl.ab ijs Catholicis, qui se tales esse volunt & apertè profitentur, nullum autem à dissimulatoribus, & subdolis hæreticis expectandum foret : non enim puto Magistratus sapientissimos existimare, vel hæc sua iuramenta,& constitutiones mutare hominum corda & intentionem , quamuis immutare videantur vultus eorum & frontem,vel timorem & metum non citò prodere solitū herū suū.

Hæretici subdoli & dissimulatores cōditi, & aperti Catholici.

Vt vt habet, religionis mutatio causa censeri debet omnium perturbationum, quantumcunq; etiam prosper iste rerum successus, quo ab annis non ita multis Angli sibi frui videntur, plurimorum animos obcæcet, ne primam illam miseriæ & cęcitatis suæ originem intueantur, & è contra reditio ad Ecclesiam Catholicam vnica est ratio tollendi difficultates;nam extra Ecclesiam quotquot sunt regna,ijs certo certius exitium impendet,quod dùm non agnoscitur,fit vt multa pharmaca,& pręsentissima medicamenta incongruè applicentur. Contra Dominum nostrum nulla vis humana,nullum consilium potest præualere, qui iram furoris sui effudisse videtur in illa regna nobilissima , quæ olim floruerunt in Christiana fide & libertate, nunc autem subiecta sunt Turcarum tyrannidi & aliorum infidelium, idq; potissimum ob peccata, schisma , & hæresim , quod notum est Maiestati suæ & Consiliarijs sapientissimis, quos suppliciter rogatos velim , ne vocem & admonitionem vilis homuncionis despicatui ducant,cuius fortasse sermo instrumentum esse potest prouidentiæ diuinæ,sedulam populi Anglicani afflictissimi curam gerentis. Si verò Angliæ ad Catholicam Ecclesiam reuersio , non potest cum eorū conscientia ac religione consistere,eò quod persuadeant sibi,suam religionem veram esse,aut saltem non videatur illis admittenda nunc temporis, cùm eousq; progressum in errore videatur,vt reditus ad veritatem possit periculum adferre statui Reipublicæ,saltem id per Christi charitatem obnixè petimus,vt pro sua prudentia aliquam nostri,rerumque nostrarum curam suscipere non dedignētur,velintq; plurimorum etiam considerare imbecillitatem in Anglia, qui non minùs sunt meticulosi,tamque benè instructi,quàm alij possunt esse in præsenti negotio.

Vltio diuina in eos qui deseruerunt Ecclesiam Catholicam.

Rogamus præterea, tùm vt satisfiat conscientiæ nostræ coram Deo,tùm etiam vt vitetur periculum , in quod aduersarij nostri & respublica vniuersa, propter offensam & indignationem Dei incidere posset, si hæc nostra petitio omni demissione eius nomine proposita contemnatur,quatenus pro humanitate sua desinant tàm seuerè in Catholicos afflictissimos animaduertere,procurentq; illis potius à maiestate regia,facultatem Deo eo cultu & modo seruiendi , quo omnes ipsorum maiores Christiani seruierunt,quàm affligant eos tàm crudeliter corpore & animo : quò sic tandem vtrunque seminarium suum finem consequatur , & vos præclarissimi viri patronos potius quàm persecutores habeant Christi sacerdotes & Catholici vni-

uersi, quò eorum precibus ad æternam illam patriam potius, quàm per huiusmodi illatas iniurias & pœnas, ad gehennam perueniatis.

Speramus omnibus viris Anglis, sapientia ac virtute illustribus iam persuasum, regnum Dei primum quæsitum, viam esse patefactam ad pacem, fœlicitatem, & securitatem Reipubl. temporalis comparandam, id quod non modò ipsorum innata pietas & prudentia, sed etiam exempla Hæbreorum eos edocere possunt, qui hoc inani Reipubl. perturbandæ aut euertendæ metu, Dominum seruatoremq; suum repudiarunt; de quibus sententiam scribit D. Augustinus dignam planè quę Regum Principumq; animis altiùs insigatur: Temporalia perdere timuerunt, & vitam ęternam non cogitauerunt, & sic vtrumq; amiserunt.

D. GVLIELMI ALANI PIISSIMA ADMONITIO, & consolatio verè Christiana ad afflictos Catholicos Angliæ.



Ostquàm studia nostra & conatus, animo syncero & candido, orbi propemodum vniuerso patefecimus, non abs re erit, in huius opusculi peroratione stylum ad vos, patres, amici & fratres in Christo dulcissimi, conuertere: qui cùm in diuinæ probationis fornace sitis collocati, & in torrida messe grauissimam sub Christi iugo fidelium animabus operam naueris, aut fortasse detriti & euentilati in Ecclesiæ Christi aream, veluti purum purgatumq; triticum proiecti; ita in animis vestris, oratione, factis & rerum difficilium perpessione, animi demissionem, prudentiam, mansuetudinem, constantiam cæterasque virtutes tenete, vt Christus Iesus, sub cuius militia stipendia meretis, labores vestros piosq; conatus prosperos reddat atque secundet: deinde Reginam nostrã Elizabethã, ad misericordiã clementiámue inflectat, aperiat etiam grauissimorum suę Maiest. Consiliariorum oculos, quò mentis dispulsis tenebris, innocentiam vestram clarè intueri possint; prætereà inimicorum vestrorum ac calumniatorum improbitatem & maledicentiam, in amorem vestri charitatemque conuertat; omnium animos concitet, vt religione conscientiarum permoti, diligentiùs vestræ calamitatis causam expendant: deniq; hunc illis sensum immittat, vt vestram innocentiam, tantas ærumnas ac clades minimè promeruisse cognoscant.

Nam vita vestra viuendiq; ratio, si cum fidei ardore statuq; dignitatis, ad quem Deo auctore promoti estis, consentiant; si, inquam, pietate, rerum administrandarum solertia, & modestia Christiana sit illustrata, fœlicius profectò & multò fortunatius, conatus nomine & gloria vestra dignissimos tuebuntur atq; propagabunt, quàm omnes vulgati libri, lucubrationes, ac similia in eo genere suscepta, suscipiendáue studia: qua in re vt cum maiori nominis vestri dignitate ac splendore proficere valeatis, semper vobis ob oculos versentur res præclarè gestæ, vitæq; puritas antiquissimorum martyrum, ac fidei nostræ cùm testium tùm propagatorum; tùm etiam intuemini singularem morum probitatem & patientiam, quæ in gloriosis Confessoribus, parentibus nostris, pastoribus & præceptoribus semper eluxit, cùm sacratissimis suis corporibus, viginti duobus continuis annis vincula vestra, carceresq; in Anglia consecrarunt, ac vsibus vestris dedicarunt.

Intereà

Intereà verò temporis dùm diuinæ placet bonitati, in hisce calamitosis & turbulentis persecutionum tempestatibus, vestram experiri fidem probareq; constantiam, necessarium arbitror, nos vnà vobiscum, & reliquos amantissimos Ecclesiæ Catholicæ filios, eadem fidei ac religionis societate nobis confœderatos, in vno Deo ac causæ æquitate, spem fixam habere atq; immotam, quæ non modò sapientissimis orbis totius hominibus exploratè cognita est, sed vniuscuiusq; nostrûm conscientiæ optimè comprobata.

Vt enim causa, non pœna aut persecutio (in qua sola triumphant exultantq; hæretici) nos absoluit & beatos efficit, sic Christus ipse & conscientiæ nostræ, testes sunt luculentissimi, nullis nos coniurationibus in Principem, vel in patriam conspirationibus subiectos esse, hasq; nos calamitates animo æquissimo perpeti, non ob vllius læsam Maiestatem, aut perduellionem in mortalium quempiam admissam, sed quia cum Core, cæterisq; eiusdem sceleris societate ei coniunctis, contra Moysen & Aaronem populi Iudaici gubernatores, vel Petrum & Paulum Christianæ fidei rectores ac moderatores, conspirare recusamus, quod cùm fit, rebellionem aduersus Deum ipsum excitari, sacræ literæ testantur: ac proinde ciuibus nostris desideratissimis inculcare nunquàm desistimus, defectionem atq; ab Ecclesia Catholica alienationem, grauius crimen censendum esse, quam quæ inter Reges & Rempub. ciuilem à populo subiecto committitur; quod cùm ignis cœlitùs demissus, tùm terra quorquot hoc scelus perpetrarant, immenso hiatu suo absorbens deglutiénsue, ac viuos tandem ad inferos deturbans contestatur, vt vel inde discamus quàm molestè grauiterque Deus homines ferat rebelles ac præfractos, quibúsue viuos & mortuos suppliciis mactet. *Causa persecutionis Anglicanæ.* *Aug. ep. 61.* *Numer. 16.* *Defectio ab Ecclesia Christi, grauissimum est crimen.*

Vt autem veras huius quam patimur, cladis causas aliquot in medium proferamus, est in primis honor, pax atq; Ecclesiæ vnitas, est salus animarum tùm nostrarum, tùm parentum & amicorum, sacerdotij defensio & dignitatis Christi, æterni quoq; Sacrificij & Sacramentorum nouæ legis: est propugnatio & custodia illius doctrinæ & veritatis, quæ velut depositum apud Timotheum erat sacrum, quæ reliquis Episcopis ac posteris Sacerdotibus, ab omni corruptione ac mutatione, quæ per hæresim aut alias quascunq; nouitates suboriri possent, tradita est vindicanda ac defendenda. Est literarum sacrarum fidelis conseruatio, & earundem sensus purissimi ac genuini, nobis per Ecclesiam Christi & Doctores sacros, quasi per manus traditi, ab omni deprauatione ac perfidorum hominum fraude vindicatio. Est ipsa hæreditas nostra, quę per S. Gregorium Pont. Max. & S. Augustinum patriæ Apostolos, summo iure ad nos peruenit, quamq; prodere nec possumus, nec debemus, etiamsi mille martyria, milleq; tormenta nobis subeunda tolerandáue forent: est denique miseriæ nostræ causa, constantissima maiorum nostrorum fides, eorumq; gloria & memoria nobis gratissima, in sempiterna benedictione. *1. Timoth. 6.* *2. Timoth. 1.*

Si causa sufficientissima, cur homo Christianus patienter & spontè, omnes etiã pœnas quam tumuis acerbas & graues, sufferre debeat, æstimatur vel minimi articuli Catholicæ fidei defensio, vel vnum duntaxat Christianæ religionis caput, vnus legis diuinæ titulus, Sacramentum vnum, vnius animæ salus, (quæ pretiosiori multò quàm noster esse possit, sanguine redempta est) certè non velle dirissimos etiam sustinere cruciatus, pro tot articulis ac fidei sacrosanctæ impugnatis capitibus, pro tot sacris profanatis, pro tanta animarum, quę in extremo salutis discrimine versantur, multitudine, pro Principis nostræ salute ac incolumitate, pro patria deniq;, parentibus & posteritate, esset naturæ vim inferre, lædere charitatem, atque ipsam religionem polluere.

Hæc ergo causa vestra est, hæc occasio, ciues & fratres amantissimi, pro qua acriter vobis dim[icandum] ac decertandum est; hæc, inquam, tàm insignis ac pręclara, vt à Christi temporibus nulli vnquàm martyri gloriosior, nulli confessori obtigerit illustrior, quam profectò si deserere cogitemus, aut nobis ob metum vel mundi illecebras eripi sinamus, non modò in præsenti vita apud homines, sed in futura etiam apud Deū ipsum & beatissimos spirit⁹, sempiternæ ignominiæ macula notabimur.

Modus procedendi contra Catholicos in Anglia auget martyrum gloriam & coronam. Modus etiā & forma passionis, confessionis, & martyrij nostris hominibus adhibita, (etenim honor, gloriaq; Deo tribuatur, quòd ex nostris nō defuerint, qui magno animi gaudio, & summa cum nominis sui gloria, mortem pro veritatis defensione oppeterēt, quodq; sint multò plures ad eandem, diuina fauente gratia, fortiter obeundam instructi) antiquam illam iudicij normam, Ethnicis frequentem satis ac familiarem, repręsentant, licèt ab ea hominum memoria, qua Reges ac Principes potentiores, Christi iugo colla submiserunt, vix vsitatam cognouimus. Nam, quemadmodùm illa sacerdotum Episcoporumq; persecutio, de qua grauiter cum Constantio Imper. Arriano, Hilarius conqueritur, vsq; adeò fraudulenta ac clandestina fuit, vt licèt grauissima extiterit & admodum sæuiens, non tamen in laudem cederet tolerantium, nec spectatorum vtilitatem vel ædificationem. *Lib. 2. contra Constāt. vita defunctum.* Sic olim & hoc nostro sæculo, in omnib⁹ ferè totius orbis prouincijs, præcipuè verò in Africa & Italia ab Arrianis & Circumcellionib⁹; in Francia, Hollādia & Zelandia à Caluinianis, Sacerdotes Christi, plurimiq; omnis sexus ac ordinis Catholici, & crebrius & crudelius, tùm exquisitis vexati tormentis, tùm durissima etiam morte mulctati sunt, quàm in Anglia à nostris hæreticis (Deo sit laus & benedictio) vnquàm factum vidimus, nec tamen id cum tanto patientium merito, & tàm ingenti populi circumfusi emolumēto, fideiq; Catholicæ amplificatione: siquidem in Britannia nostra negotium hoc consilio, deliberatione, & apparenti iudicij forma, non tumultuaria aut improuisa cæde peragitur.

Quando Christiani homines atq; Catholici, barbara quadam ferocitate inuaduntur, & mora interposita nulla, internecioni dantur, nihil de fidei negotijs, de vitæ genere ac conditionibus indagatur, nulla vitæ longioris pollicitatio, nulla dignitas ijs, qui religionem semel susceptam abnegare cogitant, offertur, quando nullum deliberandi aut consultandi spatium relinquitur, nulla præmittuntur tormenta, terrores nulli, nullo tædio aut diuturniori squalore, alijsue carcerum incommodis affliguntur, quando nec vllæ amicorum interueniunt blanditiæ, nullæ ab ipsis etiam aduersarijs inferuntur molestiæ, quibus tanquàm ob oculos conspiciendam proponunt patrimonij amissionem, vitæ, fortunarum, nec non vxoris curas, liberorum atque familiæ; quando, inquam, nihil horum ante mortem quæ infertur, adhibetur, licèt ij qui supplicia ac internecionem sustinent, verè martyres, sancti ac fœlicissimi censeri debeant, non tamen illorum cruciatus & exitus, iuxta Scripturæ sacræ phrasim, cum illa manifesta Christi coram hominibus confessione, idque ad tormenta vsque & extremum vitæ halitum, coniuncti sunt: quod genus patiendi nostræ ferè Britanniæ est proprium hoc tempore, aut saltem in alijs locis non ita euidenter apparet, nec in vsu esse videtur.

Vos enim ad magistratum protracti, ad tribunal respondere cogimini, rogamini de sacerdotio vestro, rogamini de sacro missæ officio, atq; scelerum exomologesi, in vincula & latronum ergastula conijcimini, & tanquàm similium scelerum consortes, eadem subitis supplicia. Quin non nullæ de castissimis virginibus vestris, in lupanaria alia q; loca inhonesta, præclarissima in hoc S. Agnetis Luciæq; virginum exempla

exempla secutæ, protrusæ sunt: eaque domicilia, quæ olim homicidis & maleficis designata erant, iam omnis ætatis, sexus, atq; conditionis hominibus Catholicis, ac sedulis Christi famulis referta sunt.

Aggrediuntur vos aduersarij nunc promissis, nunc blanditijs, nunc tormentorum horrore obiecto, minisq; crudelibus fortissima pectora emollire, vt vel minimum cedatis, attentant; quibus si locum non dederitis, tunc vel carcerum perpetuus vobis subeundus est squalor, aut morte turpissima, instar patriæ proditorum, vita finienda est: quam extremam fortunam, quòd plures vestrûm non sint experti, (tametsi multos ad eam excipiendam paratissimos sciam) primò quidem diuinę Clementię, deinde Regiæ mansuetudini asscribimus, quæ difficulter admodum semper adduci potuit, vt tàm iniquis, & patriæ & populo subiecto perniciosis legibus assentiret, & suum pateretur sortiri effectum. Attamen quando Deus Opt. Max. ad nominis sui gloriam ac propagationem hæc fieri permittit, eo planè modo quo vetustis illis patribus, & constantissimis martyribus contingere solebat, euenire credendum est.

Quæ res vna ad spem non exiguam pristinæ religionis fideique recuperandæ in Anglia, nos erigit atq; excitat, cùm ex Apostoli etiam doctrina compertum habeamus, insignem illam esse morum & vitæ perfectionem, magnamq; Christianæ charitatis atq; officij redundantiam, non solùm vsq; ad amissionem patriæ, vxoris, liberorum, parentum, bonorum, hæreditatis, libertatis, honoris atq; dignitatis, sed vsque ad sanguinem & vitam ipsam resistere posse.

Etenim sanguis ad eum modum pro Christi gloria effusus vim habet maximam, & validissimum pro misericordia impetranda ad Deum edit clamorem. Quocunq; ergo tempore Christi nomen extollitis atq; confitemini, magnum aliquid nobis patriæq; vniuersæ à Deo impetratis: vestri in eculeo cruciatus, artuumq; diuulsiones, opprobria, illatæ iniuriæ atq; contumeliæ, & quicquid à vulgo, dùm vestibus sacris induti per vrbis vicos (quòd aliquibus nostrûm accidisse nouimus) circumducimini, tolerandum venit, conuicia etiam quæcunq; vestro sacerdotio intentata & sacrilegia, singula vobis inflicta vulnera, dolores, lamenta, suspiria, inopia vestra, & quæcunq; demùm necessitates, maximum habent momentum, imò plus ad misericordiam Dei, patriæ & afflictæ Anglicanæ Ecclesiæ impetrandam valent, quàm vllæ ab hominibus pro eiusdem salute apud Deum profusæ preces.

Hæc vnica via est patriam charissimam, in Dei Ecclesięq; gratiam reducendi ac reconciliandi, non in Principum potentia aut bellicis machinationibus, non in domesticorum armis aut viribus spem fiduciamq; collocatam habemus: hæc nostra pugnandi ratio, hic vsus militiæ, ob quem societas Iesu & nostra seminaria excitata sunt atq; instituta, huic sacerdotes nostri ac discipuli aptantur bello, idq; per varia spiritualium rerum exercitia, & assiduam tùm sacrarum literarum, tùm antiquorum patrum lectionem. *Vnica via, qua Catholici sperant restitutum iri Ecclesiam Anglicanam.*

Quæ cùm à Deo profecta sit, non potest (vt confidimus) ab vlla vi humana vel prudentia rescindi, vel irrita fieri, cuius rei signa quædam & experimenta satis egregia, Deus ipse nobis exhibere non dedignatus est, in Catholicorum plurimorum ad Ecclesiam accessu, eorumq; zelo singulari ac prorsus diuino: qui vel maximè vt manus veritati darent, permoti sunt cùm diuturna illa fidei confessione (quæ licèt longa sit & lenta, suum tamen habet martyrium) à constantissimis doctissimisq; totius Angliæ Episcopis atq; Præpositis, alijsque illustribus viris enuntiata ac ipsis factis contestata, tùm etiam similibus recentiorum sacerdotum, & aliorum Catholicorũ, qui velut semina, fructusq; huius spiritualis concertationis extiterunt, supplicijs ac tormentis; quiq; ad eam perfectionem modò peruenerunt, vt in se vim generandi *Ratio pugnæ di Catholicorum Anglorum describitur.*

ac pro-

ac pro luendi, atq; adeò semina ipsa conclusa habeant, quandoque cum lachrymis serenda, & si opus fuerit, largissimo sanguinis imbre irriganda.

Ecclesia creuit persecutione. Cui hominum generi, Dominus ac Deus noster, fœlicem semper ac prosperum rerum euentum concedere, pijsq; eius conatibus adesse solitus est, nec mirum: cùm ipse Saluator hac vnica ratione & via, legem religionemq; suam condiderit ac plan-

Esaiæ c. 53. tarit, copiosa videlicet sanguinis effusione, quare pater æternus semen illum visurū longæuum promisit: nec sanè alio modò nascentem illam, & Apostolicam Ecclesiam, ab aliquot sęculis promouit & euexit, quàm pretiosa cùm verbi sui pręconum, tùm cęterorum fidelium populorum morte; adeò etiam, vt quantò crudelius ac immanius Reges terræ suis viribus prudentiaq; confisi, ad eam euertendam atq; extirpandam sæuiebant, tantò maiori cum alacritate (quæ Dei gratia & misericordia est) Christiani resisterent, vt integræ ciuitates & politiæ, integræ militum Legiones, nobilium cohortes, lectissimi virginum matronarumq; conuentus, se vltrò pro Christiani nominis defensione, exquisitis tormentis & micantibus hostium gladijs offerrent.

Ad hunc planè modum in Anglia nostra futurum speramus, vt vbi spiritus sanctus in plurimorum hominum mentib⁹ charitatem, diuinumq; obsequium excitarit, ac per huius spiritualis pugnæ & conflictus vsum auxerit, integri comitatus & Prouinciæ, patrimonia, fortunas & vitam ipsam, libenti animo pro animarum suarum salute, & Christi amore profundant. Hic est ignis ille, hæc flamma & fidei feruor, qui indies magis ac magis in mentibus fidelium hominum, cuiuscunq; sortis ac conditionis sint, alitur ac nouo semper pastu fouetur: hic ignis, inquam, quem Do-

Lucæ c. 12. minus Seruator noster in Britanniam immittit, quemque vt speramus, vult ardere; nam non potest, nisi per nos ipsos restingui.

3. Esdræ 4. Manet enim & inualescit tandem veritas, (quia Deo chara est) contra mulieres, vinum & Reges, & maximè Christianæ religionis veritas quæ oppressa consurgit, & impugnata florere solet. Et licèt non semper in publico hominum conspectu, & externa Reipublicæ forma compareat, nec omnium subiecta sit oculis, nec Principum leges sibi fauentes habeat, eò quòd Principes non semper illi subijciantur, nunquàm tamen, nisi à timidis ignauisq; sacerdotibus & sui cultoribus deseratur, Deus eam superari, supprimi, patriáue abesse permittet, quamuis labore & sanguine (vt olim Romæ, & alibi vsque ad Constantini ferè tempora) consistat.

Gratia subeundi martyriū est signū misericordiæ diuinæ. Vbicunque ergo Deus martyrij subeundi, ac pro eius nomine fortiter moriendi gratiam largitur, lętum suæ misericordiæ prębet signum, ostenditq; se locum illū & populum non deserturum, cui tantam tamque sublimem impertit benedictionem: sed aut mollitutum corda principis & magistrat⁹, aut copiosas ad tolerandum suppeditaturum vires, donec suæ diuinę Maiestati aut concedere tranquillitatem, aut

Non desperādum de conuersione Angliæ. totius regni ad fidem Catholicam conuersionem offerre visum fuerit. Quam hilari fronte expectabimus, & sperabimus magna cum fiducia, etiam quantum in nobis erit, procurabimus adhuc per sæculum & diutius, quamdiu prouidentiæ diuinæ hoc modo scelera nostra expiare placuerit.

Si enim verę Christi Ecclesię arma inferremus, & ipsi veritati aduersaremur, (quēadmodùm in propugnandis erroribus suis, multi nimium pertinaciter luctari reperiuntur) profectò bonę leges, tùm Principis potentia, tùm pœnis supplicijsq; munitę, intra paucorum annorum spatium, nostros conatus veluti diuinis legibus & hu-

Epist. 84. manis repugnantes, facilè infringerent, vt D. Augustinus, patrię suę atque ciuitatis doctus experiētia, scriptis designauit: at verò Catholica Ecclesia, & fides Christiana

nulla

nulla vi, nullis armis atq; machinis expugnari potest, vbi inuicta spiritus fortitudo, & Apostolica debitaq; sentitur defensio. Cuius auxilij absentia, multas præclarasque prouincias in varias iam hæresum Charybdes præcipitatas, tandem ad Paganismum, Turcismum, aut Atheismum, id est, ad Dei ipsius & omnis fidei inficiationem perduxit, quam fidei varietas, & multitudo de religione sententiarum, vt scribit D. Hilarius, in animis hominum parere solet; à quibus pestibus, vt patria nostra vindicetur conserueturq;, asperrima quæuis & durissima perpeti tenemur. *Inuicta fides Catholica.* *Lib. ad Constant.*

Profitemur etiam, & apertè Catholicis Angliæ, fratribus nostris in Christo dilectissimis denuntiamus, nec dissimulationem, nec conscientiæ per ambigua iuramenta occultationem, nec accessum ad Ecclesias vel officia (vt vocant) diuina & Protestantium conciones, nec publici fori vsum, nec incuriam aut teporem, nec assensum, qui fortassis præsentibus regni legibus ad vitam, fortunasque seruandum, dùm meliora sese offerant tempora, tribui posset: nec quicquam horum animas nostras liberare, aut patriam Ecclesiæ Catholicæ vnitati restituere posse.

Nihil in hoc mundo præter zelum domus Dei, & ardentem Christi domini nostri amorem, animarumq; suo sanguine redemptarum salutem, hanc nobis palmam atq; victoriam comparare potest; quod donum excellentissimæ charitatis à Christo vobis concessum, vt non solùm in ipsum credatis, & omnem fiduciæ spem in eius clementia positam habeatis, sed vt etiam libenter pro eius gloria ac nominis defensione aliquid sustineatis, summum est, (fratres charissimi) quod in hac vita consequi potestis; est etiam benedictio quædam diuina, non solùm vobis (inter tot hominum sanctorum millia, qui ne quidem plurimis etiam adiunctis votis & precibus, hanc confessionis martyrijq; dignitatem adepti sunt) sed vniuersæ patriæ, amicis, familijs, & nomini ipsi impertita, & vt vel hìc etiam beneficij vobis oblati magnitudinē spectetis, quod licèt à plurimis viris, & morum perfectione & vitæ sanctitate perspicuis, multùm sæpè desideratum sit, nunquàm tamen impetrari potuerit. *Inter summa dona Dei annumerādum est martyriū.*

Vobis iam cognitam ac penitùs perspectam arbitror redundantem illam, quæ vos post hanc vitam manet remunerationem, coronam gloriosam, excellentem dignitatis ordinisque statum, fœlicitatem suprà quàm dici potest admirabilem eorum, qui Christum coram hominibus confitentur, & vestimenta sua lauant in sanguine Agni.

Nostis vt credo, præmium illud incomparabile, ipsos statim labores & pœnas subsequi, vnum intercedere momentum inter breuissima, quæ homines inferunt tormenta, & æternam Dei remunerationem, inter exigui temporis ignominiam, & sempiternam gloriam. Tenetis etiam intra vnius horulæ spatium, pauperrimum Christi Confessorem, non solùm cum Angelis & diuis omnibus in cœlis gloriosam atq; beatam vitam agere, idq; in omnem æternitatem; sed frequenter etiam (vt cùm in antiquis, tùm nouis martyribus obseruauimus) in præsenti vita statim post excessum, ipsis eorum capitalibus hostibus gloria & honore anteire.

Nec vos præterit, has mundi quisquilias & nihili homines tandem aliquando coram tribunali Christi, tanquàm in theatro quodam, cœlo terraq; vniuersa inspectante constitutos, in has voces prorupturos, multis interim singultibus & suspirijs intercidentibus: Ecce hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum & in similitudinem improperij, nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce, quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est. Scitis illam esse martyrij virtutem, vt (quemadmodum S. Cyprianus scribit) sine omni castigatione, pœna & vitæ futuræ purgatione (quam D. Au- *Sapient. 5.* *Epist. 52.* *In Psal. 37.*

 gustinus

gustinus grauiorem esse omnibus huius mundi tormentis asserit) animam liberet ab omni humana imbecillitate, vitiorum reliquijs, impuritate, & prioris offensæ debito, & proximè reddat gaudio cœlesti.

Nulla virtus, nulla virtutis actio, nullum huius vitæ officium, tantum patienti quæstum adfert, & tàm largitori gratum est, tamq; securè, amplè, & celeriter æternam fœlicitatem procurat, atq; martyrium. Credite mihi, charissimi fratres, longè excedit humanam dignitatem ac beatitudinem, imitatores esse gloriæ Christi atq; coronæ, pronunciari beatum sacro Christi ore, numerari inter electos eius, pro cuius numeri complemento, iudicium ipsum & resurrectio, tantoperè à sanctis expectata differtur; deniq; vel vnam sanguinis guttam contribuere, vel minimam sustinere molestiam, vt mensura passionum Christi pro corpore eius, quæ est Ecclesia impleatur, omnem superat captum humanum & cogitatum. Quid igitur difficultatis (rogo) subterfugiemus, quid pati detrectabimus, in causa tàm iusta & gloriosa, pro Domino tàm amanti, misericordi & potenti?

Considerate mortales plurimos pro Principe, amico, patria & domo, extremis vitam obijcere periculis, nullam recusare fortunam desperatam licet, imò se tormẽtorum æneorum ori quandoq; opponere, quamcunq; suscipere incursionem, sustinere impressionem, extremam famem, cladem, & quicquid natura sufferre potest animo intrepido subire; & rectè quidem: hoc enim tùm muneris impositi fides, tùm dignitas humanæ conditionis efflagitat, vt nullis caducis fluxisue cedat molestijs in causa Reipub. aut alijs honestis & cũ laude coniunctis negotiis. Considerate (quæso) quotidianas angustias & pericula frequentia vitæ, fortunarum, & id genus aliorum in causis pessimis, quæ vappis & trioboli hominibus familiaria sunt, in singula momenta pro lana caprina occidere vel occũbere paratis, quique vt immoderatam animi cupiditatem expleant, vinoq; fruantur, mulieribus, aleis, vestibus sumptuosis, & vindictam sumant de hostibus, omnia pericula, compedes, vincula, & triremes contemnunt. Reperite memoria, quot nobiles & illustres viri, non in Anglia modò, sed in omnibus alijs orbis prouincijs, corpora sua, familiares, & posteritatem extremæ fortunæ obiecerint, vt seditionem aliquam aut nouas factiones contra patriam, idq; cum ingenti suorum clade & sanguine concitarent. Potéstne fieri, vt in huiusmodi causis siue iustè illæ, siue iniustè susceptæ sint, tot cuiuscunq; conditionis ac ordinis homines, ad extremam mortem vel ignominiam subeundam parati inueniantur, atque hi quidem pro Principe, illi pro amicis, alij pro fraude & vanis machinationibus: & non inueniantur, qui pro Christo Seruatore, pro Ecclesia matre, pro fratrum nostrorum salute pati velint? An fortè mirum videbitur nobis, trecentos pluresue reperiri in Dei causa, in negotio quo non potest esse præstantius aut honorificentius, iam vitam effundere paratos? an etiam admirabimur, si & Christum suos habere diuersorum ordinum milites videamus, qui contenti sint perdere patrimonia, fortunas, & vitam ipsam amore eius, in hac spirituali patientię tolerantiæq; palæstra, cùm mundus tot tantosq; possideat? In vnius ciuitatis oppugnatione & defensione (si id magno tentetur animo) plures perduntur homines, pluresq; tolerantur miseriæ & calamitates vnius anni spatio, quàm nos in grauissima hac persecutione, quæ hisce viginti annis ceruicibus nostris impendere possit, Christi causa sustinere valeamus, qui tamen, vt à perpetua cui obnoxij eramus, seruitute nos vindicaret, mortem non recusauit, quiq; nostras ærumnas, post hanc vitam immensa gloria remunerabit ac compensabit.

Porrò vt nihil dicam de viris nobilibus, Catholicæ fidei constantia perspicuis, alijsque

aliisque generis & sexus diuersi probis hominibus, quibus hoc nostro sæculo Deus largiri dignatus est, spiritum inuictæ fortitudinis, vt ad imitationem etiam SS. Sebastiani, Vincentij, Mauritij, cum legione Thebæorum, sanctiq; Georgij, Anglicanorum Equitum patroni ac tutelaris diui, fortiter pro Christo decertarent: quorum fortitudo in morte toleranda pro Iesu nomine, multo illis gloriosior fuit, quā in subeundis periculis pro hominum gratia principumq; fauore suscepta temeritas.

Tacebo sanctissimas Christi virgines, Catharinam, Margaretham, Agnetem, atq; Luciam, & plurimas alias, quæ veluti specula, nostrarum virginum, viduarumque obtutibus frequenter obijci possent; prætermittam, inquam, hos omnes, & apertè id quod est, pronuntiabo: hæc spiritualis pugna, prælium que hoc Ecclesiæ & animarum causa susceptum, proprium est nostrum, qui clero sumus asscripti, & peculiari quadam ratione Christo militiæque eius per ordines sacros dedicati. Ordo noster, vitæque conditio à bellicis negotijs, cæterisque id genus periculis, cum præsenti vitæ fortunarumque discrimine coniunctis, nos reddit immunes: mulieribus sua non desunt pericula & graues miseriæ, in partu & liberorum educatione; nos autem (qui sacerdotes sumus) præter mortem naturalem & alias calamitates omnibus communes, nulli violentiæ, nullis subiecti sumus perturbationibus, nisi paucis admodum iisque raris, quas Deus pro sua in nos clementia ita lenit ac moderatur, vt facilè possint, gratia eius succurrente, à nobis tolerari: proinde si stationem nostrum timore fortassis perculsi, tanquàm ignaui milites deseramus, profectò indigni sacerdotio iudicari possimus, maximè cùm tot virorum fortium exempla, tot Prophetarum, Apostolorum, Episcoporum, & Sacerdotum, atq; adeò Christi ipsius, ducis atque omnium martyrum antesignani, clarissimis monumentis testata consignataq; supplicia, nos ad fortitudinem animi & patientiam incitare debeant.

Hæc spiritualis pugna propria est Ecclesiasticorū hominum.

Ad Sacerdotes afflictos.

Prætereà si gloriosus dux noster Christus Seruator, & eius sponsa charissima Ecclesia, nullos haberent milites, quibus in hoc præliandi genere imperarent, certè peiori loco essent futuri, quàm Reges vlli, Principes, aut ipsæ Respubl. quod hisce in rebus aduersis & dubijs nunquàm ministri, atq; adeò integræ nationes ad iniuriam omnem propulsandam non desint. Tempore pacis, cùm nimirum omnia secundo cursu ac prospero peraguntur, tot habet in clero Christus ministros, quot alij Principes & magistratus; absit vt illorum priuetur obsequio, & à suis sacerdotibus respuatur, ingruente persecutione & rerum aduersarum tempestate.

Nec sanè ille dignus honore, priuilegijs & gratia, in secundo fortunæ statu censeri debet, qui ignominiam, inopiam, atq; miseriam cum domino suo sustinere recusat in aduerso. Iam nobis alea iacta est (charissimi fratres) sorsq; plerisq; nostrûm obtigit inexpectata, ratio & tempus postulat, vt in hac causa Christo militemus fortiter: quippe qui vel hoc vno nomine fœliciores sumus maioribus nostris, quòd illi in pace tantùm & tranquillitate Domino seruierint, nos èscontra in bello & fortuna grauiori arma feramus, minori quidem peccati & damnationis periculo, sed maiori securitate & spe salutis.

Vita nostra, cùm homines simus, longa esse non potest, proinde nec piè nec prudenter is agere censebitur, qui pro trium vel quatuor annorū, imò fortè vix tot mensiū vsura, æternā suam salutem periclitari velit: paucorum etiam annorum vita non potest magnam secum adferre vel vtilitatem vel voluptatem, his maximè exulceratis temporibus, & illis certè de quibus olim grauissimè conquestus est Polycarpus, cùm diceret: *Domine, in quæ tempora me reseruasti?* simillimis; & licèt inuenirentur, quibus fortassis vitæ delicatioris vsus non deesset, tamen illos, qui fidem dominumq; suum

renunciare non verentur, non modò non agere lętam vitam, sed & dolore tristitiaq; refertam, eredendum est.

Semel huius corporis nostri vincula sunt expedienda, moriendum semel, semel inquam tantum, deindè coram iudice standum, coram isto tribunali, quod confitentem benignè admittet & amplexabitur, negantem verò respuet atque dimouebit. Nullum martyrium quantumuis diuturnum & tormentis plenum, grauius homini esse potest, quàm lentè serpens morbus & mors languida: & is qui lectulo decumbens ex hac vita discedit, non minus torquetur quàm qui in patibulo, aut manu Carnificis animam suam creatori reddit.

Mors prætereà magistri nostri Christi, siue pœnas spectemus siue ignominiam, multis partibus omnia pœnarum genera & ignominiarum, quæ vel martyres vel malefici vnquàm perpessi sunt, superat. Quapropter nulla nos anxietas, nullum periculum, carcer nullus, nulla persecutio, nulla vita, nulla mors separet à charitate Dei, & à societate passionis dulcissimi Seruatoris nostri, per quem & propter cuius amorem, victoriam reportabimus ex omnibus istis certaminibus & conflictibus clarissimam.

Nihilominus tamen, si diuina prouidentia ob causas nobis ignotas, permittat aliquos (quòd absit) timore mortis aut cruciatuum, à societate fœlicis vestræ confessionis & coronæ paratæ, pedem retrahere, quemadmodùm D. Cypriani temporibus accidit multis, & vni ex quadraginta martyribus, quorum gloriosa certamina describit S. Basilius, celebratq; Ecclesia nono die mensis Martij, ne illorum deterriti exemplo, quidpiam vel de concepto patiendi ardore remittatis, vel quasi de gradu deijciamini: sed erga tales omni vtimini lenitate, eorumq; condolete infirmitati, cogitantes interim, vos in idem malum incidere posse, multosq; sic cum Petro cadere, vt etiam, gratia Christi adiuuante, pœnitere possint & denuò resurgere: quamuis periculosum sit hac in re quidpiam temerè agere, cùm multò plures inueniantur, qui Petrum imitentur in casu & miseria, quàm in misericordia impetranda & martyrio.

Epist.54. & lib. de lapsis. Hom.20.

Nec despondere animos conueniet, si Iudam aliquem ad Apostasiam & extremam blasphemiam delabi, aut instar proditoris cum aduersarijs conspirare, variasque artes, quibus vos cæterosq; Catholicos alioqui constantes vexet, affligat, perdat, excogitare contingat: sed potius illā D. Cypriani sententiā semper memoria tenete: *Nihil interest, quis tradat aut sæuiat, cùm Deus tradi permittat, quos disponit coronari: neq; enim nobis ignominia est, pati à fratribus quod passus est Christus, nec illis gloria est facere quod fecit Iudas.* Et paulò post: *Nec quenquam fidelem & Euangelij memorem, atque Apostoli præmonentis mandata retinentem mouere debet frater, si quidam in extremis temporibus superbi & contumaces, & sacerdotum hostes, aut de Ecclesia Dei recedunt, aut contra Ecclesiam Dei faciunt, quando tales nunc futuros, & Dominus & Apostoli eius antè prædixerint. Nec præpositum seruum deseri à quibusdam miretur aliquis, quando ipsum Dominum magnalia & mirabilia summa facientem, & virtutes factorum suorum Dei patris testimonio comprobantem, discipuli sui reliquerint, & tamen ille non increpuit recedentes, aut grauiter comminatus est, sed magis conuersus ad Apostolos suos dixit: Nūquid & vos vultis ire? seruans scilicet legem, qua homo libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibimetipsi vel mortem appetit vel salutem. Petrus tamen, super quem ædificata ab eodem Domino fuerat Ecclesia, vnus pro omnibus loquens, & Ecclesiæ voce respondens ait: Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus & cognouimus, quoniam tu es filius Dei viui; significans & ostendens eos qui à Christo recesserint, culpa sua perire, Ecclesiam tamen quæ in Christum credat, & quæ semel id quod cognouerit teneat, nunquam ab eo discedere*

Epist.55. num.1. Ioan.cap.6. v.67. Ibid. v.68. & 69.

ex discedere, & eos esse Ecclesiam, qui in domo Dei permanent. Plantationem verò plantatam à Deo patre non esse videmus, non frumenti stabilitate solidari, sed tanquàm paleas dissipantis inimici spiritu ventilari, de quibus & Ioannes in epistola sua dicit: Ex nobis exierūt, sed non fuerunt 1. Ioan. c. 2.
ex nobis: si enim fuissent ex nobis, mansissent vtiq; nobiscum. Item Paulus monet nos, cùm mali v. 19.
de Ecclesia pereunt, non moueri, nec recedentibus perfidis fidem minui. Quid enim, inquit, si exci- Roman. c. 3.
derunt à fide quidam eorum, nunquid infidelitas illorum fidem Dei euacuauit? Absit. v. 3.

Proinde nullum timete Iscariotem, nullum reformidate Simonem, nullum Nicolaum, nō perturbet vos aperta persecutio, nec occultus aut clandestinus proditor, in Christum solum (mi charissimi fratres) animos vestros & spes erigite, fortique animo estote. Et quemadmodùm hucusque, cùm libertate gauderetis, seseque offerret opportunitas, semper sacratissimum corporis & sanguinis dominici sacrificium, ad misericordiam Dei patriæ impetrandam obtulistis, ita nunc cum glorioso Apostolo D. Paulo, paratos vos esse decet ad offerendum Deo omnium rerum effectori vosmetipsos, spirituale sacrificium, in fidei vestrę propugnationem ipsa morte consummandam, quodque vniuersis sacerdotij muneribus atque officijs fastigium imponat: quę sanè res in diuinæ misericordiæ auribus validum excitabit clamorem pro gratia & indulgentia, tàm amicis vestris quàm infensis, impetranda.

O quàm gloriosum foret vobis mori (si omninò moriendum sit) in dulcissimo patriæ solo, inter Catholicos fraterna necessitudine vobis deuinctos, inter filios & oues vestras, pro illius fidei defensione, quam illis perpetuò inculcatam esse voluistis, quamq; assiduo docendi munere in ijsdem confirmastis. Sic D. Cyprianus martyrium subire Carthagini in Episcopatu suo exoptauit, idq; in oculis suorum, vniuerso nimirum ouium suarum grege inspectante, potius quàm Vticæ aut alibi: hinc etiam latitare perpetuò, & hominum subterfugere conspectum, donec tandem ad se prodeundum persecutionis vrgeret tempestas, solitus est. Epist. 83.

Nulla consolatio vos manet in mundo, (fratres desideratissimi) nec vlla superest causa, cur desideretis aut vitam longiorem, aut maiorem libertatem: nihil enim in Anglia nostra vobis intueri licuit præter vnam Ecclesiæ Catholicæ calamitatem, angustiam, & horrorem; nil audire licuit, prȩter istos nouos Oratores, & (vt loquitur Basilius) pulpita cuique linguæ & oti blasphemo patefacta: quæ res vna efficit, quemadmodùm eodem loco scribit, vt quotquot recto iudicio præditi sunt homines, cuiuscunque etiam conditionis, loca orationibus designata fugiant & deuitent tanquàm scholas impietatis, & orationes suas Deo poti', extra portas Ecclesiæ & in locis desertis, quàm in templis, fundant cum lachrymis. Quod nunc temporis etiam plurimis Christianis vsu venit, quibus montes, syluæ, lacus, carceres & gurgites, aptiora videntur loca (teste Hilario, sub finem istius, quem contra Auxentium scripsit, libri) quàm Ecclesiæ, cùm in his officia iam quæ peraguntur, & quæ fiunt conciones, multò magis sint profana & impia, quàm illis temporibus, quibus sancti patres sua lamenta ediderunt, suamque deplorarunt infœlicitatem. Epist. 69. & 70.

Carceres vestri vnicæ modò & veræ solatij ac internæ quietis scholæ censeri possunt; non enim dubium est, quin Deus pro immensa sua benignitate, hanc vobis consolationem rependat, quæ vel aduersis rebus facilè exęquari, vel quascunq; etiam miserias & difficultates, quantumcunque magnæ ac graues sęculi hominibus videantur, superare possit; homines enim carnis curæ genioque dediti, nullum horum gaudiorum, quæ conscientia frequenter recipit, sensum habent, atque idcircò mors & ergastula subterranea, non vsque adeò horrori sunt Christi militibus, atque illis videntur, qui harum rerum sunt insolentes; quoniam Deus huiusmodi solatiorum

 diuinorum

AD PERSECVTORES ANGLOS PRO CATHOLICIS DOMI FORISQVE PERSECVTIONEM SVFFERENTIBVS; CONTRA FALSUM, SEDITIOSUM, & CONTUMELIOSUM LIBELLUM, INSCRIPTUM, IVSTITIA BRITANNICA.

VERA, SINCERA, ET MODESTA RESPONSIO: QVA ostenditur, quàm iniustè Protestantes Angli Catholicis perduellionem obijciant; quàm falsò negent se quenquam religionis causa persequi; & quàm callidè laborent hominibus externis imponere, ne earum quæ inferuntur afflictionum causam, modum, & magnitudinem verè intelligant; cum alijs permultis ad hoc argumentum pertinentibus.

Scripta primùm idiomate Anglicano, & deinde translata in Latinum.

AD LECTOREM PRAEFATIO.



PRODIIT nuper (*Christiane lector*) *Libellus quidam Anglicanus, quem author inscripsit* Executionem Iustitiæ in Anglia; *Interpres latinus vertit*, Iustitiam Britannicam, *qui mox est in varias aliarum nationum linguas traductus. Cuius illud est argumentum, vt Protestantium Anglorum in persequendis Catholicis summam acerbitatem defendat, vel saltem accuset; excuset autem Catholicos tum eos qui domi in Anglia versantur, tùm nos eorum in religione socios, qui foris in exteris regionibus exulamus. Qui Libellus quoniam in vulgus emanauit sine priuilegio Principis, sine nomine vel authoris vel impressoris, idq́ eo in loco vbi huiusmodi argumenta sunt maximè plausibilia, facilè vt potuerit legitima cum approbatione publicari; quoniam item cōtinet temerarias, odiosas, & periculosas disputatiónes de statu Rerumpublicarum, prætereáq́ refertus est apertis mendacijs, manifestis contra homines innocentes contumelijs, potissimùm autem immodesta & seditiosa maledicentia contra summum orbis Christiani Pastorem, Principem*

Iustitia Britānica, libellus famosus.

 populi

populi Dei: adeò vt propter has rationes iure potuerit Libellus famosus existimari, ideoq; vel penitus contemni & abijci, vel ea cum orationis libertate refelli, quam eiusmodi scripta merentur: tamen cùm aduerteremus scripti huius argumentum, Causæ respondendi. *sensum & characterem admodum congruere cum studio & inclinatione nonnullorum qui in patria nostra dominantur: Libellum quoq; ipsum non fuisse suppressum (quod nuper alijs quibusdam eiusdem prorsus argumenti factum est, quoniam nimirum non videbantur* Politicis *Protestantibus arte & ingenio satis elaborati) sed iterum atq; iterum impressum, valdè commendatum, diligenter peruulgatum,* In Gallia. *tentatum etiam vt cum priuilegio distraheretur in alijs nationibus, cùm tamen pudore impedirentur ne publicè approbarent domi; imò cùm videremus eum rusticè vi quadam peregrinis hominibus Principibusq; penè inuitis obtrudi, vt valdè probabile sit Primores aliquos fuisse eius emittendi quanquàm occultis & clandestinis modis authores: non equidem molestè ferimus, sed potius gaudemus hanc nobis diuinitùs datam occasionem, vel. (vt veriùs loquamur) impositam necessitatem, & huic Libello respondendi, & simul particulatim reddendi rationem pro fratribus nostris, siue viuentibus siue vita functis, siue qui in patria domi, siue qui in exilio foris degunt, quorum fama Libello hoc potissimùm laceratur.*

Hanc autem Apologiam conscribemus sincerè, tanquàm in conspectu Christi IESV *omnium mortalium Iudicis, & coram vniuersis Angelis & sanctis eius, idq; tàm humiliter, sobriè & moderatè, quàm decet tum professionem nostram, tum eorum qui lecturi sunt indifferens & æquabile iudicium: quod etiam cum lachrymis flagitamus ab vniuersa Ecclesia & orbe Christiano, illisq; omnibus qui vel in patria nostra, vel alibi ad Rerumpublicarum gubernacula sedent, vt ita causa nostra dijudicetur, tum à* DEO *tum ab homine, & nostræ inexplicabiles calamitates vel multorum intercessione subleuentur vel generali commiseratione fidelium fratrum nostrorum magis reddantur tolerabiles. Nobis quidem ipsis graue est & permolestum, poteritq; fortassis videri alijs odiosum, huic argumento nos manum admouere, quod difficulter tractari potest nisi etiam aliquantulum Patriæ nostræ rectores perstringamus. Sed tritum est,* DEI *veritatem & hominis innocentiam singulari semper priuilegio esse communitam, & vtraque potest à subiectis atque infimis contra Principes & potentissimos, honestis semper rationibus propugnari, calamumq; nostrum,* DEO *fauente, ita temperabimus, nihil vt offendat æquum Lectorem: imò si fieri possit, vix illos ipsos contra quos vt scribamus, inculpatæ defensionis nostræ necessitate quadam compellimur.*

Apologiçà viris factis *Habemus autem nobis prælucentia exempla plurima Christianæ modestiæ & libertatis in antiquis Ecclesiæ Christi Patribus, in* S. Iustino, Tertulliano, A-

thanasio,

thanasio, Hilario, *qui ad Principes suos infidelitatis erroribus occacatos & Christi populum persequentes, varias Apologias scripserunt. Quorum vestigia & in scribendo formam figuramq; quamdiu imitamur, nullius viri boni & prudentis reprehensionem incurremus, nec odiosi erimus alicui, cui prius ipsissima veritas odiosa non est. Quemadmodum ex altera parte in recentibus Aduersariorum scriptis, siue improbam in maledicendo procacitatem attendimus, siue arrogantem aliorum despicientiam, siue contumeliosum in homines sermonem, siue blasphema in* DEVM *verba, siue denique materiam totam mendacijs, probris, seditiosis calumnijs, inhonesta & scurrili dicacitate redundantem; plurima passim occurrunt qua respuamus & abominemur, plurima item qua in scriptis nostris declinemus: qua quidem cupimus esse illorum quàm dissimillima, & probata non solùm amicis nostris, verùm etiam (si fieri poterit, & si placuerit omnipotenti* DEO *nostro, eam nobis gratiam tribuere) non ingrata persecutoribus: quorum salutem cum veritatis patrocinio coniunctam* CHRISTVS *testis est multò à nobis vehementius appeti & maiori studio laborari, quàm nostram ipsorum securitatem, aut criminum eorum, qua nobis intenduntur, depulsionem.*

Scriptæ ad defensionē innocētiæ. Protestātium in scribendo character.

Neque verò ad famam nostram tuendam contra aduersarios adeò potentes tàm seriò contenderemus, nisi arbitraremur & eorum corda qua sunt in manu Dei, manifestis rationibus perspicua innocentia nostra demonstratione posse ad misericordiam inflecti, & velle etiam ad suum simul nostrumq; statum maturiùs expendendum immutari, & nisi prætereà perspiceremus nostri fratrumq; nostrorũ Catholicorum accusationem cum totius Ecclesia & summorum eius Prasulum reprehensione esse copulatam: quorum honori magis quàm vita nostra consulendum esse Christiana religionis institutis edocti sumus, & quibus in causa fidei & conscientia magis obtemperandum scimus, quàm sæculari Principi aut imperatori cuicunq; sub cœlo, quibuscunque tandem ei subiectionis & fidelitatis vinculis obstringimur.

Et quemadmodum in hoc responso nostro, valdè quidem cupimus adeò temperatè & æquabiliter defendere potestatem spiritualem (quod à nobis vel inuitis extorquet aduersarij importunitas) vt interim iustè non offendamus temporalem, cùm vtriq; certa ratione omnem nos submissionem debere fateamur; ita cùm nihil quicquam scripturi sumus quod aliquis refellere poterit tanquàm vel quoad res gestas falsum, vel quoad religionem impium; certò quidem confidimus æquis lectorem, siue Catholicum, siue Protestantem, minime in nobis improbaturum hanc adeò simplicem & necessariam tùm nostri tùm Superiorum nostrorum, imò generalis per orbem Christianorum omnium fidei & conscientia defensionem. Longissimè autē à nobis abest, vt suspicari velimus aliquē de hoc scripto nostro æstimaturum tanquã

 seditioso

Dei Martyrum, qui gloriosa morte veritati Catholicæ testimonium reddiderunt. Id quod antiquo more atq; etiam canone primitiuæ Ecclesiæ præcipitur, quæ certis hominibus melioris iudicij & doctrinæ hoc muneris imposuit, vt diligenter annotarent præclaras confessiones & certamina singulorum, quibus nimirum diebus contingerent, quò eorum deinceps apud omnes ætates consequentes, sollennis in Ecclesiis Christianorum celebraretur memoria.

honor. Eorum dies quib⁹ excedunt annotate, vt cõmemorationes eorum inter martyrũ celebrare possimus memorias. Cyp. e.37. Vide Nazianz.orat.3. in Iulian.

Deinde hoc etiam facimus ad communicandum calamitates nostras cum nostris in religione Catholica fratribus, aliarumq; prouinciarum Ecclesiis, ab huius pestilentis hæresis contagione adhuc liberis; & vt nosipsos hoc modo consolemur, & vt alios omnes moneamus, atq; ad Christianam erga nos miserationem excitemus, quò tandem communibus eorum consiliis & precibus impetremus à Deo tantis miseriis leuamentum, & toti Patriæ misericordiam. Quam eandem rationem secutos olim Catholicos Patres discimus ex Orientali Ecclesia grauiter ab Arrianis vexata, quæ (vt in D. Basilio legimus) cùm similibus angustiis premeretur, Episcopi frequentibus literis & nuntiis cõquesti sunt apud Ecclesias occidentales ab eadem persecutione hæresiq; multò magis eo tempore vacuas & solutas.

3 Cõmunicatio afflictionum. Basil. epist. 69. & 70.

Impellimur deniq; ad ista tàm particulatim & minutè declaranda, vt actiones istorum sanctissimorum Martyrum eorumq; in fide sociorum tueamur contra varias calumnias & malitiosas criminationes quorundam vel hæreticorum vel politicorum, iniquissimè læsam Principis maiestatẽ, & alia teterrima contra Patriam scelera illis exprobrantium; partim vt sic abducant animos hominũm simplicium à vera & vnica causa mortis eorum consideranda, partim vt innocentes homines fraudent honore Martyribus in Ecclesia Christi semper debito. Hæc enim inter alias permultas vna est ratio, eaq; admodum grauis & fortassè præcipui momenti, cur istos è medio tollere voluerint potius propter simulatas quasdam perduelliones, aut alia eius generis conficta crimina, quàm propter Catholicæ fidei sinceram professionem, quam tamẽ verè maiori odio detestãtur, quàm scelus quodcũq; vel maximè infandũ atq; execrabile. Atq; hanc bipartitam fraudem in aliis quidem Christianæ professionis hostibus multò rariorem, hæreticis autem admodum familiarem, & in nostris domi persecutoribus singulari quodam modo elucentem, vt nimirum persecutioni contra fidem alias causas prætendant, idq; in eum finem vt debitam Martyribus gloriam eripiant, D. Gregorius Nazianzenus *in descriptione Iuliani Apostatæ ad viuum expressit. De priori:* Nec verò *(inquit)* strenuo ac generoso animo vt aliis persecutoribus moris erat, impietatem profitebatur, nec Imperatoriè nec tyrannicè saltem consilium de nobis inibat, vt insigne atq; honorificum ipsius scelus esset orbis populo vim intulisse, doctrinamq; omnibus doctrinis superiorem tyrannide oppressisse. Verùm turpiter admodum & ignauè pieta-

4 Calumniarum depulsio.

Modus persequendi à Iuliano Apostata & Diocletiano vsurpatus renouatur in Anglia. Naziãzen⁹ oratio.3.in. Iulianum.

tem vexabat, animi fraudes & versutias persecutioni quam aduersus nos excitabat inducens. *De posteriori:* Vt alia, ita eum quoque quo Martyres affici solent honorem Athletis inuidebat. Ac proinde id molitur, vt ipse quidem vim afferat, & interim afferre non videatur; nos contrà & supplicia perferamus, & eo interim honore qui pro Christi nomine patientibus haberi solet careamus. *Vtrumque alibi egregiè simul complexus est his verbis:* Furebat aduersus nos nefandus Imperator, non quidem cæterorum Christi hostium in modum magno animo impietatem profitens, verùm humanitatis obtentu persecutionem cælans. Ac ne eos honores qui Martyribus haberi solent consequeremur (hos enim Christianis inuidebat) primum illius artificium hoc fuit, vt qui Christi causa patiebantur, tanquàm sontes & facinorosi cruciatu afficerentur. *Simile prorsus, & ad nostrum Angliæ statum explicandum non minus accommodatum est illud, quod narrat Eusebius de persecutione Diocletiani:* Non longo tempore post (*inquit ille*) cùm alij in Melitina regione, alij in Syria Imperio insidias parare molirentur, edictum Imperatoris exijt, vt omnes Ecclesiarum Præsules, vtpote de ea re suspecti in carceres & vincula conijcerentur, adeò vt spectaculum illarum rerũ, quæ deinceps ibi gerebantur, omnem explicandi facultatem longè superet. Nam multitudo infinita vbique gentiũ in custodiã cõclusa fuit, & carceres passim qui iam olim homicidis & mortuorũ in sepulchris conditorũ expilatoribus parati fuerant, tunc Episcopis, presbyteris, diaconis, lectoribus & exorcistis penitùs erãt referti, adeò vt ijs qui maleficijs tenebãtur obstricti, nihil illic loci esset reliquum.

Ibidem.

Naziãzen. orat. 16. in laude Cæsarij fratris.

Euseb. lib. 8. cap. 6.

Et quoniam admirabitur fortasse Lector, eam quam in hoc libro aliquando annotamus Protestantium inferiorum licentiam infinitam, qui contra Catholicos quiduis audent admittere, adeò vt nihil sit frequentius in hoc Regno, quàm homunciones plerunque sordidos & abiectos sub rudi iam & contrita specie inquirendi Sacerdotes, calices, cruces, ornamenta Ecclesiastica; totas domos virorum perbonorũ & perinsignium, imò fœminarum & viduarum diripere, spoliare, prædari, sine vlla forma iuris aut iustitiæ, & tamẽ sine vlla spe relicta veris Dominis iudiciaria quasi actione, talibus latrocinijs sacrilegè ablata recuperandi (quasi Regnum illud, magnum *esset* latrocinium, *queadmodùm de talibus Rebuspub. iustitia carentibus pronuntiat* D. Augustinus) *cuius iniquitatis, hominum aliquot millia domi forisque suo experimento locupletes sunt testes: obseruandum est, illud in Anglicana Reipub gubernandæ forma iam diu mutuerasse, quod olim Iulianus Apostata,* in hoc vno veteres persecutores, Diocletianum, Maximianum & reliquorum atrocissimum Maximinum antegressus, *non quidẽ opere complebat,*

Protestãtium in spoliandis Catholicis infrænata libido.

August. de ciuita. Dei lib. 4. ca. 4.

Inchoata à Iuliano Apostata,

Naziãzen. oratio. 3. in

plebat, sed voluntate tamen & cogitatione designauerat, atq; ita inchoato quodā exemplo posteris suis praeluxit. Exclamat D. Gregorius Nazianzenus, O leges, & legislatores, & Principes, qui quemadmodùm cœli pulchritudo, & solis lumen, & aeris fusio communi & perenni beneficentia omnibus patent, sic legum quoq; vsum liberis omnibus hominibus ex æquò proposuistis: quem tamen ille Apostata Christianis eripere in animo habebat, vt nec per vim oppresſis, nec ijs qui pecuniarum atq; opum detrimento, aut vllo alio malo tàm paruo quàm magno legibus interdicto affecti fuissent, iniurias suas iudicio persequi liceret, verùm patrijs ipsi finibus pellerentur & interficerentur, &c. *Hac Diocletiani & Iuliani in opprimendis Christianis malitiosa calliditas, cùm sit viua quadam imago miseria nostra, hanc eandem exlegem spoliationem & manifestā violentiam cùm Catholici omnes perpetiantur, nec tamen parasiti quidam qui linguam & conscientiam vendibilem habent, in exterorum hominum auribus personare erubescant, ista politia nihil esse suauius, nihil mansuetius, maximè cùm hac mentiendi improbitas ad sanctorum Christi Martyrum gloriam maculandam pertingat, quos non sunt contenti persecutores interfecisse, & varijs modis excruciasse, nisi eos praetereà tanquàm proditores insectentur, & in mortuos hac crudeli maledicentia quasi nouo supplicio desaeuiant, cogimur ad istiusmodi nefarias fraudes detegendas hoc officium illis & sancta Dei Ecclesia praestare: quorū innocentiam & honorē prodere non debemus, nec si nulle nobis genera mortis intentarentur.*

Iulianus. Ibidem. Note.

A quo non multùm nos deterret friuolum & vulgare aduersarij quem refutamus, in hac Inuectiua exordium, qui trito Protestātium more rationis & artis omnis experte, initiū sumit à sententia generali non minus nobis causaq; nostra quàm sibi & suis conueniente, videlicet, hoc fuisse semper in more positum omnibus peccantibus, maximè qui contra Principum maiestatem, contra focos & aras, contra ceremonias & religiones, deniq; contra dulcissimam patriam conspirant, suis sceleribus & flagitijs rectè factorū nomina imponere. *Qua peruulgata sententia vt commodè vsurpari poterat vbi aliqua huiusmodi* contra Principem, contra aras, contra ceremonias, religionem, & patriam *conspiratio deprehenditur, sic inaniter iactatur vbi nulla talis conspirationis vestigia apparēt; contra nos autem stolidissimè assertur, quorum tota manifestè contentio est pro aris*, pro religione, pro ceremonijs *Christianis, & deniq;* pro patriæ Principisq; *non fucata & fallaci, sed solida & constanti securitate aeternaq; salute. quemadmodum in hoc libro clarissimè demōstrabitur. Atq; hac eadem oratio non minùs aptè accommodari poterat à veteribus tàm Paganis quàm hareticis persecutoribus contra primos Apostolos & Martyres Saluatoris nostri, quibus eadem qua iam nobis, falsò olim affingebantur crimina,*

qui &

Principes & Respub. facti' quã priuati, scelera sua honesti specie tegunt.

qui & pro se ipsis eodem quo nos modo responderunt. Atq; hoc totum quod in his verbis sine argumento nobis intenditur, multò probabilius obijci potest, & multò crebrius reperitur verè in Rebus publicis, vel ijs qui sunt illarum Primores & Principes, si quando à recta via aberrant & in scelera grauiora ruunt, quam in priuatis, miseris, & afflictis hominibus, quantulumcunq; sit crimen, cuius citantur rei, aut quocunq; sint ipsi artificio simulationis eruditi. Principes enim & Respublicæ innumeras habent excusationes, colores, & pigmenta quæ iniustis actionibus obducant, habent nomen publicæ authoritatis, habent speciem legũ, habent plurimorum linguas paratas & calamos expeditos, vt suæ volũtati inseruiant, in promptu sunt typographorũ officinæ vt quod voluerint in vulg' emittãt, & præstò sunt Edicta regia vt quod voluerint supprimant atq; è conspectu populi remoueant, quorũ omniũ facultas priuatis hominib', siue optimis siue improbissimis, maiori ex parte est adempta.

Rihardus Dux Glocestriæ.


Horum exempla non est necesse vel à longinquis regionibus, vel ab antiquis temporibus mutuari. Cùm enim apud nos Richardus 3. *de regno capessendo cogitaret, primumq; barbarè multos ex Nobilitate interimeret, posteà nepotes suos puerulos innocentes,* Edouardi 4. *filios, immaniter contrucidaret, quàm multi subitò Libelli, edicta, orationes, conciones, populi auribus circumsonabant, speciosis nominibus illam teterrimã carnificinam honestantes? Cùm postremus* Dux Northumbriæ *ad eandem Regalem celsitatem aspirans, nobilissimarum Regis & Domini sui* Henrici 8. *filiarum neutram ad regium diadema sucipiendum habilem esse sibi persuaserat, & ideo vtramque eo priuare perfidiosissimè moliretur, vt simulato iure nurus suæ regium thronum inuaderet; quàm multa edicta publicata, ad eam fœditatem & execrabilem perduellionẽ cõprobandam?* Cùm Aurangius *eiusq; fœderati, recenti memoria in Regem suum coniurarent, cùm Scotorum hæretici idem contra Reginam suam committerent, aliaq; prouinciæ ijsdem erroribus fascinatæ, ab vnitate fidei Christianæ, & simul à Principum suorum obedientia descisceret; quàm innumerabiles libelli statim effusi sunt, ne sine ratione tàm tetra facinora suscepta viderẽtur? Pleuæ sunt historiæ, pleni annales, maximè verò tempestas hæc nostra talibus exemplis abundat. Quod ergo aliquando in priuatis hominibus accidit ad impietatem & turpitudinem suam obtegendam, hoc multò frequentius & multò perniciosius vsu venit in potentioribus, qui in Rebuspubl. principem locum tenent. Atq; idcircò hoc nihilò magis nos attingit quàm aduersarium, siue Libellum suum publica authoritate emiserit, quod ipse præseferre videtur, siue priuata animi inductione, quod nos hoc tempore potius arbitrabimur.*

Ioan. Dudlæus Dux Northumbriæ.

Aurangius in Flãdria. Iacobus Mortonus & alij in Scotia.

Illud autem quomodocunq; se habeat, nos in sequenti hoc scripto reprehensionis eius capita singula excutiemus, ea qua par est æquitate & modestia. Interim verò donec conuicerit nos fratresq; nostros alicuius criminis, præter professionem & vsum religionis Catholicæ, dicemus cũ Saluatore nostro: De bono opere lapidamur, *& cum Apostolo:* De spe & Resurrectione mortuorum iudicamur, & propter spem Israel, his cathenis circundati sumus.

Ioan. 10. v. 32.
Actor. 23. v. 6. & 28 v. 20.



SACERDOTES PLVRIMOS,

ALIOSQVE CATHOLICOS IN ANGLIA VARIÈ vexatos, publicè condemnatos, extremoq; supplicio affectos fuisse, solius causa religionis, & quia nouis quibusdam Protestantium legibus minimè obtemperarunt, quibus ea quæ ad Christiani hominis officium ac religionem Catholicam pertinent, læsæ Maiestatis crimina fiunt: sine vlla veterum patriæ legum authoritate, aut eorum criminum vel leui saltem suspitione, quæ antiquitùs sub læsæ Maiestatis nomine sunt comprehensa.

CAPVT. I.



IAM verò ad præcipua huius Libelli capita accedamus. Ac primùm quidem illud constanter verissimeq; affirmamus, splendidum esse mendacium, quod tituli loco atque inscriptionis, libello præfixum est: *Nullos videlicet Catholicos, aut certè non eos, quos isti occiderunt, quicquam pro religione passos fuisse*: neque modò mendacium esse, verùm etiam cum ijs, quæ in ipso libello posteà scribuntur, manifestè pugnare. Fatetur enim, licèt tectè & dissimulanter, *in quosdam religionis causa aliquandò animaduersum fuisse*. Quod si negare audeat, testes appellamus, quotquot sunt in Anglia, Catholicos viros, ipsosque adeò hæreticos, quos pro sua modestia atq; æquitate, liberè fassuros non dubitamus, plenos iam esse, multisque etiam annis fuisse Angliæ carceres, virorum cùm sanguinis nobilitate, tùm virtute ac pietate illustrium, in quos nulla neque læsæ Maiestatis, neque alterius cuiusque criminis, si modò Catholicæ religionis ac fidei professionem excipias, vel minima cadere suspitio queat. *Mendacium manifestum.*

Quod etiam vel ex ipsis comitiorum actis, quæ ante triennium Londini celebrata fuerunt, manifestè apparet. In quibus cùm Regina (de more) ob contributas sibi pecunias, vniuersæ plebi gratificandi studio, sontibus veniam generalem daret, pœnisq; legum quas incurrissent, solueret, (hoc enim in Anglia fieri solet) persuasum ei fuit ab hæreticis, vt Catholicos exciperet ab hoc communi beneficio, quo sontes omnes fruebantur, quanquàm in pecunia contribu- *Catholici p[ræ] cæteris onerantur, & pœnis subijciuntur.*

 enda

Statutū Parlamenti Anno 23. Elizabethæ. c. 16. quo Catholici excipiuntur ab omni indulgentia, quæ ſontibus reliquis tribuitur.

enda (quæ huius indulgentiæ cauſa eſt) Catholici ſemper plùs cæteris onerentur. Hæc ſunt ſtatuti verba: *Cauetur etiam, ne hoc edictum generalis veniæ ſeu indulgentiæ, extendi poſsit vllo modo in fauorem alicuius, qui vltimo die huius præſentis ſeſsionis, vi atque authoritate alicuius mandati, tenetur carceribus, vel alia quacunq; ſpeciali cuſtodia, priuatus libertate ob pertinaciam & inobedientiam, qua recuſat adire Eccleſiam diuinoq; intereſſe officio; aut propter vllam aliam rem aut cauſam pertinentem ad dictam eorum obſtinatiſsimam pertinaciam ac inobedientiam in negotio religionis, quæ iam legitimè in hoc regno ſtabilita eſt. Vnde decernitur, vt omnes ac ſingulæ huiuſmodi perſonæ, quæ his de cauſis libertate priuantur, intelligantur exceptæ ab omni beneficio huius indulgentiæ plenariæ, quamdiù in dicta pertinacia & inobedientia permanſerint.* Quibus verbis nihil (opinor) clarius aut manifeſtius afferri poteſt, ad refutandum aduerſariorum commentum, quo perſuadere volunt nemini in Anglia religionem eſſe fraudi: quod publicis totius regni actis tàm facilè refellitur.

Deinde etiam illud luce clariùs demonſtrabimus, quod iſti ſuo in libello tanto ſtudio celare nituntur, pluſimos in Anglia non modò pecunia mulctatos, vel mancipatos carceribus, verùm etiam crudeliſsimè tortos, ad tribunalia abreptos, condemnatos, tandemque crudeli morte affectos fuiſſe, non alia certè quàm religionis ſolius cauſa atque ob noua quędam edicta, quibus nihil commune eſt cum veteribus illis læſæ Maieſtatis crimina complectentibus, quæ regnante *Edouardo* tertio nobiliſsimo Rege, Senatus authoritate ſunt edita: quorum iſti tamen vi atque authoritate ſe aiunt omnes Catholicos morti adiudicaſſe.

Vixit Edouardus trecētis ferè abhinc annis.

Qua de re vt apertiùs, & ſignatis (quod dicitur) tabellis agamus: proferimus vobis, exempli cauſa, venerandum inprimis ſacerdotem ſacræ Theologiæ baccalaureum, *Cuthbertum Maynum*; qui *Lanſonij* in prouincia *Cornubiæ* pretioſam in conſpectu domini mortem fortiter paſſus eſt, quòd apud illum parua quædam inuenta eſſet theca (quales ſunt, in quibus Catholici pietatis ac religionis cauſa Agnos Dei geſtare ſolent) vnà cum nouiſsimi Iubilæi indicti ad annum 1575. (qui tùm præterierat) exemplari, typis extra Angliam excuſo. Quem virum nulla profectò veterum legum authoritate, ob huiuſmodi leuiſsima condemnare potuiſtis (quantumuis id imperitæ plebeculæ perſuadere cupiatis, externiſque populis, qui calamitatem noſtrā veſtramq; crudelitatem nondùm ſatis habent exploratam) ſed tantùm prætextu recentis ſtatuti, quod anno Reginæ huius decimo

Cuthbertus Mayn⁹ martyrio affectus anno Domini 1577 propter thecam quandam & Iubilæi ad annum 1575. indicti exemplar.

tertio

tertio condidistis. Quo nimirum statuto, bonis fortunisque omnibus exuitur, & perpetuis carceribus addicitur, si quis rosaria, sacras imagines, Agnos Dei (sic enim vulgò à Catholicis vocantur) in Angliam importauerit: grauissimum verò perduellionis crimen esse decernitur, si quis Bullas Pontificias, aut, vt ipsis edicti verbis vtar, *Scriptum aliquod, aut instrumentum, siue literis siue typis consignatum ex ciuitate Romana in Angliam deferat, quicquid tandem in eisdem contineatur.* Quibus sanè verbis, perduellionis facilè reum peragátis, qui vel literas quascunq; testimonij aut commendationis fortè gratia scriptas, vel exemplar aliquod alicuius antiqui Patris, aut noui Testamenti manuscriptum, Roma secum in Angliam detulerit: res post homines (opinor) natos inaudita, exterisque omnibus planè incredibilis, & quæ posteris etiam nostris fabula futura sit, vel potiùs exemplum sanè clarissimum summæ illius immanitatis, in quam deserta semel CHRISTI Ecclesia, regnum quoduis incidere poterit. *Seuũ & ridiculum Anglicanorũ hæreticorum in Catholicos statutum.*

Nec in huius vnius viri supplicio constitistis, sed vel tantuli criminis affinitatem ad alios deriuastis, grauissimeq; vindicastis. Inter quos est quidam vir nobilis peruetustæ familiæ, qui quòd sanctum hunc sacerdotem *Maynum* in ædes suas admisisset (etiamsi de theca & Iubilæo nihil quicquam sciret) perpetuo carceri adiudicatus etiamnum viuit, fortunis omnibus peramploque patrimonio miserè spoliatus. Haud aliter *Thomas Scheruuodus* homo laicus in ius vocatus tandemque publicè necatus est, ob fidem suam de primatu Pontificis in rebus spiritualibus, aliisque religionis articulis, quos si quis vel affirmando vel negando violauerit, nouis vestris legibus mortis reus efficitur. Id quod biennio, vt minimùm, priùs gestum est, quàm vobis in mentem venit, aut ab vllo mortalium audita est hæc recens, quam somniastis, coniurationis nescio cuius aduersus regnum ac Reginam suspitio. Anno quoque eodem venerandus presbyter *Ioannes Nelsonus* extrema passus est, quòd fraudulentis iudicum captiosisque percontationibus eò esset impulsus, vt eam quam amplectitur Regina religionem, hæreticam esse schismaticamque affirmaret. Quod, crimen morte expiandum statuitur, nullis certè veteribus regni Angliæ vlliúsue Christianæ prouinciæ legibus (quod est vestrum nimis apertũ mendacium) sed noua tantum lege vestra, eodẽ illo anno regni *Elizabethæ* decimo tertio, condita ac promulgata. In qua illud conceptis verbis cauetur, *Ne quis affirmet eã quæ nũc est Reginã*

D. Trugiænus.

Thom. Scheruuodus martyr Londini. Anno 1578.

Ioannes Nelsonus martyr Anno 1578.

(neque enim in alijs deinceps regnaturis vim vllam hoc edictum habet) *hæreticam aut schismaticam esse, sub pœna grauissima perduellionis, & mortis certissima.*

Euerardus Hansius Martyr Londini anno 1581.

Post istos ad iudicem delatus est, mortemque animo inuicto pertulit *Euerardus Hansius*, recentissimi cuiusdam statuti vi, quod nouissimis regni comitijs eodem anno prodierat: quo perduellionis crimen incurrere definitur, *Si quis alicui suadeat, vt Catholicam religionem amplectatur.* Quod quidem Parlamenti statutum vt violasse videretur *Hansius*, miris profectò calumnijs perfecerunt aduersarij, ipsius verba pro arbitrio interpretantes: cùm eò esset ab illis redactus, vt affirmaret, *Summum Pontificem suum esse in causis spiritualibus Superiorem, idemq; omninò ius in rebus huiusmodi nunc habere, quod olim in Anglia habuit, aut Romæ modò habet.* Ob quæ verba summa licèt astutia & fraude ab illo per vos expressa, mox accusatus, & eodem loco ac momẽto condemnatus, pauloque post crudelissimè interfectus est. Cuius certè mors, illiusque de quo proximè diximus, *Nelsoni*, facilè ostendit quàm sit verax & fide dignus Libelli istius author, dum scribit; *Neminem in Anglia ob contrarias in religione opiniones vexari, aut vllis læsæ Maiestatis criminibus pœnisue inuolui, neq; vllius conscientiam ob contrarias opiniones vrgeri aut inquiri solitam.* Ac deinde, vix vna aut altera interiecta pagina, eadem repetit; *Nulla facta* (inquit) *conscientiæ Catholicorum inquisitione, vt hac ratione in periculum legum criminalium inducerentur: ita vt nemo hactenus in capitis discrimen, religionis gratia adductus sit, quin omnes, quamdiu per naturæ leges licuit, vsura vitæ liberrimè fruebantur.*

Magna in scribendo aduersarij impudentia.

Gulielm' Laceyus Martyr Eboraci anno 1583. propter dispensationem obtentam à Pontifice.

Ad cuius mendacij refutationẽ, præter ea quæ dicta sunt, non immeritò etiam producendus est *Gulielmus Laceyus* vir nobilis ac planè venerandus, qui *Eboraci* non ita pridem damnatus atque occisus est, quòd ingenuè fateretur obtinuisse se à summo Pontifice, dispensationem *super impedimento Bigamiæ*, vt sacros ordines legitimè susciperet, eiusque dispensationis vi ac authoritate, eosdem se accepisse, palàm agnosceret. Quorum vtrumque, nouis istis de religione legibus crimen capitale censetur. Horum verò alterum, sacrorum nimirum ordinum susceptionem, læsę (si Superis placet) Maiestatis crimen esse, miro certè acumine, ex eo colligunt aduersarij, quòd qui in Ecclesia Catholica sacris initiantur, obedientiæ iuramentum summo præstẽt Pontifici homini externo, Reginæ *Angliæ* regnique (vt isti aiunt) hosti. Ex quo deducunt, *Anglum* neminem posse Sacerdotem fieri Romano ritu, qui simul etiam patriæ proditor non fiat. Deum immortalem;

Mirum acumen ad crudelitatẽ exercendam.

talem;tantáne nos tàm deteſtandæ hęreſeos tyrannide oppreſſos, orbis terrarum credet aliquando ?

Vnà cum iſto, glorioſam mortem obijt fœlix Sacerdos *M. Kirckmannus*,quod ſe aliquot homines Eccléſiæ Catholicæ reconciliaſſe fateretur. Atque eadem de cauſa parem martyrij coronam, in eadem vrbe poſteà conſecuti ſunt,*Tomſonius,Hartus,*& *Threlkeldus* presbyteri: nullius certè in criminis ſuſpitionem vocati, niſi quòd pœnitentiæ ſacramentum adminiſtrauerant, hominesque ab hæreſi abſolutos Eccleſiæ Catholicæ reſtituerant. Quod quidem non modò in Sacerdote,qui hoc munus exercuerit, verùm etiam in eo,qui abſolutionis beneficium à Sacerdote acceperit, læſæ Maieſtatis eſſe crimen ſtatuerunt: tantæ nimirum crudelitati prętexentes hanc malitioſam calumniam,quòd ij qui ad hunc modum à Catholico Sacerdote abſoluuntur,Reginæ legibus atque obedientia ſoluti,illius hoſti ſeſe adiungunt; atque adeò externam iuriſdictionem authoritatemq; admittunt, quæ in pœnitentiæ Sacramento ſeu peccatorum abſolutione (vt iſti dicunt)exercetur. Atque hęc ſunt magna illa, ſcilicet, læſę Maieſtatis crimina, ob quę tàm multus in Anglia Sacerdotum Dei ſanguis noſtra hęc ætate immani crudelitate funditur.

Kirckmannus.
Tomſonius.
Hartus.
Threlkeldus.
Martyres.
Abſoluere vel abſolui crimen læſæ Maieſtatis.

His adde,ſi placet, celebres confeſſores ac martyres duos *Ioannem Slade* atque *Ioannem Bodye*;quorum vterque, cùm eò eſſet varijs iudicum interrogationibus adductus, vt ſuam de ſumma, quā ſibi vendicat Regina in rebus Eccleſiaſticis poteſtate,ſententiam dicere eſſet neceſſe (licèt hoc à quoquam exigi Libelli author impudenter ſuprà negauerit) quia ſuam vterque de Romani Pontificis in rebus ſpiritualibus primatu fidem verè Catholiceq; confeſſus eſt, & Reginam Anglicanę Eccleſię caput eſſe,aut ſuprema in rebus ſpiritualibus gubernandi poteſtate prędiitam palàm negauit; publico iudicio damnati fuerunt, idque etiam (quod in eo regno mirum videri debet) bis, ſiue duabus ſententijs factum eſt: poſteriori nimirum ſententia (vt ex tàm noua & inaudita iudicij ratione conijcere oportet) priorem corrigente; quam planè iniquam eſſe, neque ſuis ipſorum legi[illegible] conſentaneam perſpiciebant.

Anno 1583.
Ioan. Slade.
Ioan. Bodye.

[illegible] ie iſtorum alter *Vuintoniæ*, alter *Andoueri* in eadem prouincia, mo[illegible] [illegible]ul[illegible]ctatus eſt:neutri verò vetus vllum perduellionis crimen vnq[illegible] [illegible] ab aduerſarijs obiectum fuit. Quod non modò ex illius iudicij a[illegible] [illegible]is ac monumentis oſtendere facilè poſſumus, verùm etiam ex ipſo[illegible] [illegible]um verbis, totaque Martyrij hiſtoria, quam ex Proteſtantiū

Liber inſcribitur.
Executio Ioannis Slade & Ioannis Bodye,excu-

Im Londini à Richardo Iones, Anno 1583. numero quidam in lucem edidit, oculatus rei gestæ testis. Quam rem etiam testantur multa hominum millia, qui vniuersam iudicij illius formam martyrumque in morte constantiam, suis ipsi oculis conspexerunt. Atque vt exempli gratia nonnulla illis ab aduersa- *D. Gulielm^o Kingsmel.* rio dicta ex illa, quam dixi, historiola typis excusa afferam: *Confitere crimen, de quo condemnatus es* (ait nobilis quidam & vnus ex præcipuis illius sceleris ministris) *vt de mortis tuæ causa populus fiat certior.* Tum sanctus ille confessor *Ioannes Bodye*, cùm suam erga Reginam in rebus ciuilibus obedientiam ac fidelitatem professus esset: *Scitote* (inquit) *quotquot adestis, mortem me hodie pati, quia Reginam in Ecclesiasticis causis supremum esse in Anglia, Ecclesiæ Christi caput nego: aliud perduellionis crimen nullum equidem perpetraui, nisi fortè Missam audire, aut angelicam salutationem recitare, crimen esse volunt perduellionis.*

Causæ Martyrij DD. Slade & Bodye. Fœlicissimum verò agonis illius socium, *Ioannem Slade* eadem de causa condemnatum, perductum ad supplicij locum & morti iám proximum, præcipuus quidam *Calumnisni* minister *Bennetus* nomine, in hęc verba est allocutus: *Noli (miser) Romanum Pontificem indignum illum Sacerdotem naturali tuæ Principi præferre, quæ sub Christo legitimum & supremum est Ecclesiæ caput.* Quæ omnia, non modò quibus aduersarij legibus ad hos viros è medio tollendos visi fuerint, quibusque de criminibus condemnauerint, perspicuè declarant; verùm etiam il- *Pag. 10.* lud euidenter in oculis omniũm constituũt (quod libelli huius author impudentissimè negare est ausus) vulgò Reginam Angliæ à Protestantibus suis & adulatoribus suis *Supremum Ecclesiæ caput appellari.* Sic & illorum concionatores quotidiè è suggestu plenis buccis declamitant, & scriptores in libris Reginæ ipsi dedicatis, disertis eam verbis appellant: vt inter alios Brigesius quidam in libris contra Doctores Sanderum & Stapletonum, eoque nomine nihil est vulgatius, nihil apud populum notius. Cuius tamen rei adeò iam pudet, eos qui ex illorum numero paulò *Pudet tandẽ Ecclesiã Anglicanam sui capitis in rebus Ecclesiasticis.* videri volunt prudentiores (id quod ex hoc libello manifestum est) vt persuadere hominibus cupiant (exteris presertim, qui rem tàm monstrosam mirantur, adeoque & execrantur) nihil huiusmodi aut à Regina vnquàm vsurpatum, aut nouis istis in Anglia religionis legibus eidem fuisse concessum. Quod quidem adeò sibi vehementer negandum putauerunt, vt mendacij nos arguere minimè dubitent, quod hoc illis dogma tàm absurdum obijciamus. Ita enim in hoc *Pag. 10.* Libello habetur: *Quem quidem titulum* (principatus nimirum seu primatus

matus Ecclesiastici) *falsissimè aduersarij scribunt atque affirmant Reginam nostram sibi vsurpare; mendacium sanè manifestum, &c.*

Quamobrem, priusquàm progrediamur, pauca de eo obiter dicenda videntur. Sic ergo se res habet. Cùm primo Reginæ *Elizabetha* anno, primisq; generalibus regni Comitijs, omnem Pontifici Romano authoritatem abrogassent Protestantes, eandemque totam vnà cum Primatus ac Capitis titulo non secus in Reginam transfundere voluissent, quàm patri olim ipsius *Henrico*, fratrique *Edouardo* tributum meminerant: nonnulli Caluini scriptis permoti (qui huiusmodi appellationem in principibus illis abominabatur) nomen hoc primatus Capitisq; odisse cœperunt; omnemq; nauarunt operam, vt nomẽ aliud, licèt idem reuerà significans, minùs tamen odiosum, vulgò vsurparetur. Decretum itaque factum est, *Reginam supremam esse gubernatricem tàm in causis Ecclesiasticis aut spiritualibus, quàm in ciuilibus aut temporalibus:* conceptumque iuramentum huic decreto consentaneum, quod omnibus qui Magistratum aliquem, siue Ecclesiasticũ siue ciuilem gererent, proponeretur; quo iuramento sanctissimè affirmandum, & religiosè testificandum omnibus erat, hoc se de Reginæ primatu, conscientia teste, firmissimè credere, quod eo statuto continebatur. Neque Sacerdotem vllum, aut quemuis alium Prælatum Pontificémue externum, posse aut debere vllam in Anglicanum populum potestatem spiritualem aut Ecclesiasticam habere, præter ipsam Reginam. Hoc autem quia præcipuum totius secuturæ disputationis caput & cardo est, ideò commodum erit ipsa Parlamenti verba & iuramenti formam asscribere; quæ ita syllabatim se habent: *Omnes illæ iurisdictiones, priuilegia, superioritates, & præeminentiæ spirituales vel Ecclesiasticæ, quæ per aliquam potestatem vel authoritatem spiritualem aut Ecclesiasticam hactenus exercebantur, vel legitimè exerceri possunt, ad visitandum Ecclesiasticum statum atque ordinem, item ad reformandum, ordinandum, & corrigendum Ecclesiasticos homines, & omne genus errores, hæreses, schismata, abusus, contemptus, & prauitates, deinceps in æternum authoritate huius Parlamenti vnientur & adiungentur Imperiali diademati huius regni.* Forma verò Iuramenti his verbis describitur: *Ego A: B: Prorsus testificor & declaro in conscientia mea Reginam esse solam supremam gubernatricem & istius Regni Angliæ, & aliorum omnium suæ Maiestatis dominiorum & regionum, non minùs in omnibus spiritualibus atque Ecclesiasticis rebus vel causis, quàm temporalibus; & quòd nemo externus Princeps, persona, Prælatus, status, vel potentatus aut facto aut*

Iuramentum quod exhibetur Anglis de capite Ecclesiæ.

Anno 1. Elizabethæ c. 3.

Iuramentum quod exhibetur Anglis de Regina Capite Ecclesiæ.

aut iure habet aliquam iurisdictionem, potestatem, superioritatem, praeeminentiã, vel authoritatem Ecclesiasticam aut spiritualem in hoc regno. Ideoq́, planè renuntio & repudio omnes forenficas iurisdictiones, potestates, superioritates atque authoritates.

Hoc est illud iuramentum; quod non immeritò conscientiarum Anglicarum carnificina quędam appellatur, ne ipsis quidem Protestantibus(si qui inter ipsos religiosiores sint)illud approbantibus, aut veram esse credentibus: Catholicis verò omnibus, vt in huius Reginæ patre *Henrico* viro laico, ac fratre *Edouardo* puero, perquàm absurdum atque ridiculum semper est visum, ita nunc in ipsa Regina, cùm fœmina sit, res esse monstrosissima videtur, viaque planissima, qua hęresibus omnibus, atque adeò Paganorum Turcarumq́ue infidelitati, imò etiam Atheismo aditus longè facillimus in regnum quodcunque pateat, si qua fortè huiusmodi perfidia(quod accidere non difficulter pro humanæ naturę imbecillitate potest) contaminatus aliquis Princeps fuerit: cùm omnis religio, cultus, fides ab ipsius solo nutu atque imperio pendeat. Id quod omnes certè Christiani orbis populi, nostro hoc tàm miserabili exemplo edocti, seriò cogitare, & secum accuratissimè perpendere debent. Pro qua peste auertenda, tot fratres nostri, Catholicæ Ecclesiæ filij, suum libenter sanguinem fuderunt.

Ridicula hæreticorum de Primatu Ecclesiæ varietas & inconstantia.

Ac in primis quidem illis regni Reginęque comitijs, de quibus dixi, facilè assentior absurdum hunc titulum de Primatu ac supremo Ecclesiæ regimine, vel non cogitanti Reginæ, vel non petenti fuisse obtrusum, ab ijs qui occasiones mutationum quęrebant, nec habebant tamen modum vel prętextum, quo leges nouas de religione conderent, nisi priùs omnem authoritatem Ecclesiasticam ad Reginam vnam transferrẽt. Quod cùm facere statuissent, laboratum est (vt dixi) de vocabulo, quo hęc summa potestas designaretur. Ac primùm quidem non placuit aliquibus *Supremi Capitis* nuncupatio, qua tamen vsi sunt *Henricus* & *Edouardus* Reges. Meminerant enim quàm vehementer in illud inuehebatur communis eorum omnium prę-

Cal. in Amos cap. 7. v. 13.

ceptor *Ioannes Caluinus. Qui tantopere extulerunt* (inquit ille) *Henricum regem Angliæ, certè fuerunt homines inconsiderati; dederunt enim illi summam rerum omnium potestatem, & hoc me semper grauiter vulnerauit. Erant enim blasphemi, cùm vocarent eum* SVMMVM CAPVT ECCLESIAE SVB CHRISTO; & posteà *Sacrilegium* vocat, quòd *principes vendicent sibi summum iudicium tàm in doctrina quàm in toto spirituali regimine.* Hunc itaque

scopulum

ſcopulum, *Summi capitis* noſtri eo tempore cautè declinarunt; ſed ita, vt ſtupidè in alium magis perniciosum incurrerent. Tribuerunt enim huic Reginæ, *Supremæ gubernatricis appellationem in ſpiritualibus*, tanquàm prioris tituli moderationem quandam, ſed ineptiſsimè. Nam ſi verum fateri volumus, eadem eſt vtriuſque appellationis vis atq; notio; aut ſi eſt diſcrimen, in eo poſitum eſt, quòd poſterior priore multò ſit abſurdior. Rex enim, Eccleſiæ, quæ in ſuo eſt regno, ſupremum quidem caput, modo quodam loquendi, etſi improprio, vocari poteſt; quòd ſupremus ſit dominus rectorque ſubditorum omnium, non laicorum modò, verùm etiam Eccleſiaſticorum; cùm vtrique iuſtis illius legibus ciuilibus ſedulò obtemperare debeant.

Verùm cùm in nouo iſto edicto, tàm diſertis addatur verbis, *Reginam eſſe ſolam ſupremam gubernatricem, etiam in cauſis omnibus, tàm ſpiritualibus & Eccleſiaſticis, quàm temporalibus*: illudque prętereà decernatur, *omnem penitus iuriſdictionem, omnia priuilegia, omnes deniq; Eccleſiaſticas praeminentias ac ſuperioritates, quas vllus vnquàm Eccleſiaſticus Magiſtratus vel Pòtifex exercuit aut exercere poteſt, à Romano Pòtifice ablatas eſſe* (cui eas tamé Chriſtus ampliſsimè & cumulatiſsimè tradidit) *atq; regni Angliæ coronæ vnitas, atq; adiūcta*; hoc profectò nullā prorſus excuſationem admittit, nec veram aliquam aut veriſimilem interpretationem habere poteſt. Regem ſiquidem omninò cum Sacerdote confundit, nec vllum inter Eccleſiæ ſtatum ciuilemque Rempubl. diſcrimen relinquit, parem Principi ſiue Ethnico ſiue Chriſtiano, poteſtaté tribuit, quoad Eccleſiam, *Spiritualibus etiam in cauſis*, gubernandam: vnam Eccleſiæ partem diuerſis in prouincijs conſtitutam, ab altero prorſus ſeparat, & independentem (vt ita loquar) efficit, pro varia regnorum in orbe Chriſtiano diuiſione: eos omnes qui extra cuiuſq; regni limites nati ſunt, etiam quod ad Eccleſiam illius regni attinet, externos facit & alienos; aliaque ſexcenta longè abſurdiſsima, ex impuro hoc fonte promanant, quæ breuitatis cauſa prętereo.

Impium hæreticorū decretū de ſuprema gubernatrice: & abſurda quæ ſequuntur.

Iſtud tamen vnum hoc loco non eſt omittendum, quòd pleroſq; in Anglia memoria tenere ſcio, eodem anno quo noua hęc Reginæ tributa eſt authoritas, exactumque ab omnibus iuſiurandū ad eandem confirmandam: nonnulli magnis conſcientiæ ſtimulis agitati, vt ſeſe periculo liberarent, grauem hanc iuramenti non pręſtandi cauſam attulêre, quòd, ſi decreti illius ac iuramenti verba accuratiùs expenderentur, etiam concionandi & Sacramenta adminiſtrandi poteſta-

Magnꝰ ſcrupulus, an Regina Angliæ concionari et Sacramenta adminiſtrare poſſit.

testatem, Reginæ tribuere viderentur: quod se iuramento confirmare nullo modo posse aiebant. Quæ res in causa fuit, vt non ita multò post (proxima nimirum cleri per Reginæ vicarios visitatione) interpretatio quædam prioris decreti typis excusa, regali authoritate prodierit, in qua illud in primis testatum esse omnibus Regina cupiebat, nihil se huiusmodi meditari: neque hanc potestatem concionandi & Sacramenta administrandi in ea quam sibi ipsa vendicabat Ecclesiastica iurisdictione, omninò contineri, nihilq; se aliud hoc iuramento assumere, quàm quod patri suo fuerat concessum, & *Supremi Ecclesiæ Anglicanæ capitis* nomine comprehensum. Ex quo illud perspicuum euadit, vel ipsis testibus, nihil nos falsum comminisci, nihil quo populo imponamus, confingere, (quod tamen adeò vehementer libelli huius author contendit) cùm Reginam *Supremũ Ecclesiæ Anglicanæ caput* & vocari dicimus, & haberi: quanquàm qui deinceps secuti sunt hæretici, quòd rem esse longè absurdiorem ac magis perniciosam cernant, quàm nefariæ illius legis primi conditores (prophani nimirum homines, cupiditate cæci, ac plerique omnes indocti) intelligentia assequi poterant, rem totam nunc obscurare, negare, atque ex animis hominum memoriaque delere conantur.

Animaduerte hunc circulum in declaratione potestatis supremæ Ecclesiasticæ, quã Reginæ tribuunt.

Huius igitur absurdissimi dogmatis ac portentosi paradoxi refellendi causa, vt sub Henrico octauo celeberrimus ille *Roffensis* Episcopus, ac *Thomas Morus*, aliique quamplurimi; ita nunc sub eius filia, duo isti, quos proximè commemoraui, martyres, aliique non pauci, læti constantesque vitam profudère: ideoque verum est eos non ob perduellionem, aut læsam Maiestatem, sed ob solam fidem, & meram religionis Catholicæ professionem occubuisse.

Roffensis & Morus Martyres, eorumque martyrij causa.

Atque vt hunc locum de causis interfectorum aliquando concludamus; meminerint (quæso) aduersarij, innocentissimi illius opificis *Carteri*, quem nuper ob excusum *De schismate* Catholicum librum, è medio sustulerunt: in quo tamen libro nec verbum vnum aduersarij, quod regni statum attingeret, inuenire potuerũt. Criminis verò loco, illud homines crudelissimi arripuerũt, quod eius libri author scripserat Catholicam religionem de hæresi aliquãdo triumphaturam, & piam *Iudith, Holofernis* caput præcisuram. Et quanquàm hoc nulla æquitate ad Reginam referri poterat, vt omnibus est manifestum: tamen isti, sceleratæ conscientiæ stimulis agitati, & vel suã

Carterus Martyr, Lõdini ob excusum librum Catholicum.

(vti

(vti dicitur) vmbram metuentes, illud de Regina dici voluerunt.

Quoniam verò huc vsque orationis cursu delati sumus, vt de calumnijs loquamur; monet locus, vt de immanissimis illis tormētis, quibus Catholicos homines frequenter subijciunt, pauca dicam: quo quidem supplicij genere in neminem se aduersarij solius causa religionis animaduertere, exteris persuadere hominibus conantur. Exempli gratia, inquiunt illi ad calcem Libelli sui: *Nemo sanè quæstioni subiectus interrogatur, quid de Missa aut de Transsubstantiatione, alijsq; similibus sentiat*; perinde ac si istud satis esset ad eos hac accusatione de Catholicis ob Catholicam fidem excarnificatis liberandos. Quasi verò ad Catholicam fidem ea sola pertineant, quę in intelligentia potissimùm ac theoria consistunt, cùm ad religionē non minùs illa quoq; pertineant, quæ adeò crudeliter tormentis exquiritis; vbi nimirum? quibus in ædibus? quo die, quaq; hora, rem sacram vel facimus vel adimus? quot homines Ecclesiæ restituimus? quid in Confessione à pœnitentibus audiuimus? quinam ad nostras conciones accedere solent? quinam Catholicos aut Sacerdotes hospitio excipiunt, aut vllum illis auxilium præstant? quinam illi sunt qui liberos aut pupillos suæ curæ creditos in *Societate Iesu* aut *Seminarijs* transmarinis habent? vbi libri Catholici, & à quibus imprimantur? ad quos, aut per quos in Angliam deferantur? Quæ omnia & singula cùm non nisi pessimo animo, ad Catholicæ fidei detrimentum longè maximum, summamque perniciem Sacerdotum Dei aliorumque hominum innocentissimorum postulentur: & contra diuinum & contra naturæ ius est, vt quis ea patefaciat, ideoque nec tale quippiam euulgandum est, etiamsi maximus in orbe terrarum Rex aut Monarcha præciperet, eo quòd Deo obedire oportet potiùs quàm homini. Huiuscemodi tamen fuére hisque similia, quæ vt ex illo sanctissimo Confessore Brianto elicerent, præter alia tormenta, sub illius etiam vngues peracutas acus singulari crudelitate infixerunt, adeò vt fame atque inedia per duos dies afflixerint: quæ isti omnia obstinationi & pertinaciæ attribuunt, nos verò quia propter Christi causam tolerata scimus, gloriosam constātiam & heroicam animi inuicti magnitudinem appellamus. Et ad alia huius omninò generis & conditionis inuestiganda, beatos Martyres *Campianum*, *Scheruinum*, aliosq; plurimos, eidē carnificinæ subiecerunt. Atq; à *Scheruino* nominatim postulatum est, vbi nimirū *Personius* & *Campianus* Societatis Iesu Presbyteri laterent; & an Missę sacrificiū in cubiculo domini cuiusdā Roscaroke

Fol. 20.

Quid hæretici à Catholicis per tormēta exquirant.

Alexander Briātus Martyr Londini variè excruciatus.

Campianus Scheruinus.

celebrasset, quantumq; ab illo pecuniæ in eleemosynam accepisset? Quæ verò tormenta nòn passus est optimus ille doctissimusque Sacerdos *Tomsonius*, vt illud vnum ex illius ore exprimeretis, in quem vsum altaria quędam portatilia apud se seruaret, & quibus in locis, his vti statuisset? *Carterus* verò, de cuius martyrio suprà diximus, ideo tortus crudelissimè fuit, quòd fateri nollet, quibus nobilibus, vel viris, vel fœminis, libellos quosdam Catholicos apud se inuentos de rebus spiritualibus, dare constituisset. Atq; hęc arbitror abundè sufficere, vt falsissimum esse omnes intelligant, quod singulari impudentia, aduersarius iste asseuerat: *Neminem nisi perduellionis de crimine, quæstioni hactenus fuisse subiectum.*

Tomsonius.

Carterus.

Quòd si quis plura adhuc testimonia in hoc negotio requirat, hæc quæ sequuntur alterius Sacerdotis innocentissimique martyris *Thomæ Cottami* verba, quæ pro tribunali protulit audientibus vniuersis, rem totam illustrabunt, & teterrimę huius hęreseos barbariem ostendent, quæ non nisi luculentis mendacijs & insigni crudelitate tueri se potest. Sic ergo ille pręsentes crudelissimarum quæstionum pręsides atque Magistros magna cum animi constantia est allocutus: *Estis* (inquit) *reuerà secretorum inquisitores, omnino enim scire ex me voluistis, quæ mihi à Confessario pœnitentia esset pro peccatis iniuncta. Atq; vt meam ipse imbecillitatem animi ingenuè fatear, ego quidem (quod mihi Deus cõdonet) ne tàm horrenda subirem tormenta, quod res erat, planè vobis exposui. Verùm cùm me vrgere deinceps pergeretis, vt ipsa etiam peccata mea, ob quæ ista mihi pœnitentia peragenda esset, vobis ordine recenserem: respondi, mea me peccata nulli nisi Deo ac Confessario detecturum. Qua vos responsione ad iram prouocati, incredibile dictu est, quàm me crudeliter torqueri iusseritis, eadem sæpè inter cruciatus interrogantes. Ego verò quod à me petebatur, barbarum esse atq; ab omni humanitate alienum affirmaui; nec me, etiamsi vitam ipsam cruciatibus eriperetis, ad ista quicquam responsurum.* Hæc vir sanctus pro tribunali loquebatur præsentibus aduersarijs, quos cùm non parùm puderet tantæ immanitatis, vnus ex omnibus Odoænus Hoptonus castri Londinensis pręfectus, qui etiam cruciatibus præesse solet, vir frontis perfrictæ, negare omnia magno supercilio aggressus est. Cui Martyr: *Haeccine vera esse negas, quæ narro? Ecce tibi præsentes doctorem Hammonium reliquosq; commissarios, qui, cùm torquerer, astabant: quorum ego conscientiam testem appello, Deumq; ipsum testor, vera esse quæ dico.* Quo dicto, compellabat etiam in testimonium equitem quendam auratum, qui astabat, Georgium Carçum (Hoptono nequitia parem, vel etiam superiorem

Thomæ Cottami Martyris verba de examine suo sub tormentis.

Odoænus Hoptonus.

Doctor Hammonius.

Georg. Carę

riorem)qui & ipse interfuerat quæstioni habitæ,& horum nonnulla interrogabat, & alia huiuscemodi videbat à sanctis Dei martyribus per tormenta exquiri, quæ ad fidem & sacramentum Confeſsionis pertinent, nulla facta de criminibus perduellionis mentione.

Iam verò quod ad summam illam lenitatem attinet, miramque (si dijs placet)clementiam,qua in tormentis inferendis, Reginæ ministros semper fuiſſe vsos,scriptor iste persuadere conatur: ea quanta fuerit,supradicti Dei Martyres alijq; nonnulli magno suo dolore atque cruciatu senserunt. Nouit etiam summus ille rerum omnium arbiter,quem latere nihil poteſt (& qui aliquando rependet)summa vos semper seueritate extremaque acerbitate erga nos in hunc vsque diem vti solitos.Et quod etiam grauius est & iniquius,quæstiones vos grauiſsimas non rarò exercuiſſe,nullo vel probabili alicuius criminis suſpitione adductos, sed tantùm odio & improba Catholicos vexandi libidine. Dicite enim ingenuè, quid suſpitionis vobis dederat ille iunior *Schervvodus?* quænam criminum signa in eo depręhenderatis,vt tantis eum cruciatibus conficeretis? Hic enim primus nostra(quod sciam) memoria pro religione lanienam vestram est paſſus,atq; eo quidem tempore, quo nondùm de noua hac quam nunc fingitis coniuratione, vel per somniū quiſquam cogitauerat. Ipsos ego vos iudices facio, an altare (vt vocant) portatile, ob quod iam diximus *Tomſonum* grauiſsimè fuiſſe tortum, argumentum satis magnum & euidens eſſe debuerit ad homines tàm clementes atque humanos, quàm vosmetipsi vos prædicatis, ita permouendos, vt in virum inprimis venerandum, neque vnquàm de aliquo grauiori crimine(si religionis atque conſcientiæ causam excipias)suſpectum, tàm immaniter sæuiretis? An sacrarum precum ac spiritualium meditationum libri,eorúmue impreſsio ac distributio, in vlla rectè instituta republica, iustam quęstionis habendæ causam prębere poſsit? An vestræ illæ tàm sæpè commemoratæ interrogationes, satis in se ponderis momentique habeant, ad homines (ni mox respondeant) eculeo subijciendos? Proferte verò si potestis, aliquid tandem, tanta in nos crudelitate dignum;& (cùm hoc vnum vos agere tantoperè Libelli author contendat) vel vnius saltem facinoris contra Remp. concepti confeſsionem, tot quęstionibus teterrimis expreſſam, orbi Christiano aſpiciendam producite.

Hæreticorum crudelitas in Catholicis torquendis.

Indigniſsima causa tormentorum.

At nihil est huiusmodi; nihil enim erat profectò, nihil prorsus erat in pijs illis ac religiosis innocentiſsimorum hominum pectoribus,

Politici Angli persequũtur religionē, licèt religionem non curent.

bus, præter innocentiæ, pietatis, ac religionis studium: quod solùm (vt verè dicam) tàm atrocibus supplicijs in seruis Christi vindicatis, odioque plusquàm vatiniano prosequimini. Etenim si vestris prophanis legibus vel in re minima parere voluissent, & ad schismaticas illas preces vestras vel semel vobiscum coire (quod illi meritò detestabantur,) nunquàm, nunquàm illis quæstiones atque tormenta carnifices vestri admouissent. Ex quo nemini non perspicuum euadit, omnem hanc crudelitatem, solius causa religionis in nos fuisse exercitam: non quidem quòd vos vlla cuiusquam religionis magnoperè cura teneat, cuius omnem iam ferè cogitationem plerique abiecistis: sed quòd non pauci vestrûm sint, qui vniuersum suarum rerum statum ac fœlicitatem (rapinis nimirum & aliorum spolijs collectam) ab hac trimestri religione pendere existiment.

Cãpian' tortus, quòd Hybermiã innadere, & occidere vellet Maximam.

Sed vt paululùm adhuc vlteriùs in acerbitate vestra perstringenda progrediamur; quæ vos suspiciones adeò vehementes impulerũt, vt de Hybernicis rebus tàm atrociter doctissimum virum Campianum examinaretis, sicque cum illo ageretis quasi de cæde *Maxima* perpetranda cogitasset (sic enim Oedipus iste ænigmaticè loquitur) cùm vniuersa Anglia sciat hanc fuisse iniquissimam & falsissimam calumniam? An non persępè teterrimum carcerem, persępè tormenta estis minati, atque interdùm Catholicos ad ipsum carnificinæ locum adduxistis; nec adduxistis modò, verùm etiam in eculeo extendistis, (quos tamen eo tempore non erat animus torquere) tantùm vt pœnarum metu vel fidem Catholicã abiurarent, vel vbi Missam audissent, vobis enuntiarent; vel alia huiusmodi quæ scire cupiebatis, exponerent? Quoties inedia & teterrimi carceris fœtore fœlicissimum adolescentem ac fortissimum Dei Confessorem *Ioannem Hartum* afflixistis? quotidieque adhuc affligitis, non alia certè de causa, præsertim iam cùm vestris legibus ad mortem sit damnatus, qùàm quòd Catholicam fidem intrepidè tueatur aduersus fraudes & ineptias Raynoldi cuiusdam Ministri Caluiniani, quocum DEI hominem de rebus controuersis conferre voluistis.

Ioãnes Hartus.

Quãnam verò alia de causa tàm dira & inhumana nuper estis cõminati *Osburno* Sacerdoti, in Missa celebranda deprehenso, nisi vt se rem sacram peregisse fateretur coram celeberrimis illis vereque nobilibus confessoribus *Barone Vauxeo* & *Thoma Tressano* equite aurato, quos eadem de causa, iniquissimè pœna pecuniaria mulctastis? & quod

D. Vauxeus. D. Treßam'.

quod longè adhuc intolerabilius est, nónne eculei vestri terrorem, plerunque hominibus incutitis, vt pro vestro arbitrio crassa affirment mendacia, ad viros nobiles præsertim, licèt innocentissimos accusandos? Atque hoc publico etiam scripto testatus est nuper ex vestris verbi ministris, quidam *Ioannes Nicolaus*, cuius infirmitate & nequitia ad sanguinolentam hanc tragœdiam abusi estis. Fassus est enim se coactum ab *Odoeno* illo *Hoptono*, turris Londinensis præfecto, quem suprà nominauimus, idque proposito ante oculos eculeo, vt viros aliquot nobiles ab *Odoeno* nominatim præscriptos, læsæ Maiestatis insimularet, quos ipse ne de facie quidem nouerat, nec de aliqua eorum offensa quicquam sciuerat. Sed tamen (vti scribit) obtemperandum fuit *Odoeni* mandato, licèt periniquo; vt sic ipse, cruciatus & tormenta euaderet. Nihil hîc dicemus de miserabili statu, in quem multi coniecti sunt ex intolerandis ærumnis & molestijs vniculorum, compedum, fœtoris atque inediæ: neque de recenti morte *Christophori Vvatsoni* viri pij & prudentis, & aliorum Catholicorum laicorum vtriusque sexus plùs minùs viginti: qui cùm in Eboracensi carcere ob religionem inclusi essent, ac propter situm, pædorem, angustias, & læthalem carceris tabem in summo vitæ discrimine versarentur: nullis precibus (quæ Protestantium est summa lenitas atque clementia, à Libelli authore tàm mirificè prædicata) impetrare potuerunt, vt ad imminentem ceruicibus mortem auertendam, aëre paulò liberiore fruerentur, nî priùs (quod illi morte ipsa peiùs oderant) hæreticas illorum conciones precesque adirent.

In Epistola Ioannis Nicolai ad D. Alanum typis excusa anno 1582. Fol. 10.

Christophorus Vvatsonus ac alij circiter viginti, carceris tabe necati. Anno 1581.

Neq; commemorare hoc loco libet (quod tamen non diligenti modò obseruatione, verùm etiam summa omnium verè Christianorum commiseratione dignissimum est) veteri vos Paganorum more *Dominicos* potissimùm festosque dies sollenniores eligere, in quibus crudelitatem vestram in Catholicos exerceatis: illis enim præcipuè diebus eculeos & tormenta adhibetis. Aliudque adhuc gen' immanitatis hoc ipso multò crudelius in more habetis, hoc est, vt quos eodem in carcere habetis captiuos, ad tormentorum locum de industria adducatis, dum cęteri torquentur, vt miserandos charissimorum fratrum eiulatus audiant: imò iam recens tortos ad aliorum in carcere Catholicorum fenestras, & vestibula deponere soletis, vt miserabiles eorum gemitus suspiriaq; dũ audiunt, de sua in religione constantia aliquid remittãt. Quam quidẽ feritatẽ plusquàm

Heretici paganorũ crudelitatẽ imitantur.

barbaricam, non attribuerem ſanè ſupremis Magiſtratibus, multò verò minùs Reginæ, quæ ſemper iſta non intelligit: ſed inferioribus iuſtitiæ vel potius iniquitatis veſtræ adminiſtris, quos neſariæ & ſacrilegæ in Sacerdotes Dei aliosq́ue viros innocentiſsimos crudelitatis crimine, nemo poterit liberare.

Satis vt opinor multa ſuo loco dicta ſunt (Chriſtiane lector) ad illud abundanter clariſsimeq́ue refellendum, quod Aduerſarius toto Libello potiſsimùm perſuadere voluit, nimirum in Anglia propter religionem Catholicam, nullam eſſe perſecutionem, nemini periculum aliquod vel capitis, vel libertatis, vel bonorum creari. Nũc tamen hoc loco alieniore, ipſa rerum memoria digniſsimarum grauitas, & temporis circumſtantiæ poſtulant, vt paulò plura illis ſuperioribus attexamus, quæ poſteriùs geſta, nuper ad cognitionem noſtram peruenerunt. Ex quibus admirabere, non tàm Libelli authoris notabilem impudentiam tàm lucuſentis mendacijs lectores omnes eludentis, quàm vel hæreticorum contra Catholicos inſitam feritatem eamq́ue implacabilem; vel particulatim noſtrorum domi perſecutorum in ea qua cœperunt diritate continuanda obſtinatos animos, & ſimul incredibilem cum omnibus Chriſtianis populis & Regibus diſsimulationem. Celebratur apud hiſtoricos auorum noſtrorum memoria, duorum Principum aſtutia ſingularis, quorum in rebus gerendis hanc annotarunt quaſi perpetuam regulam, quòd *alter nunquàm dicebat quod volebat facere; alter nunquàm faciebat quod ſolebat dicere.* Huius poſterioris diſcipuli videntur eſſe perſecutores Angli, & (vt fieri ſolet) Magiſtrum ſuum in eo artificio longè præcurrere. Ille enim præter familiares domi ſermones, ad faciendam hominibus fidem, eius rei quã non erat acturus, alios modos non adhibebat. At iſti, cùm prætereà libros publicè ſcribunt, in varias aliarum nationum linguas transferunt, ſtudioſè in Procerũ & Principum manus ingerunt, & quàm maximè ſeria vtuntur deteſtatione, qua à ſe remoueant omnem ſuſpicionem alicuius Catholici propter religionem Catholicam vexati; tùm demùm ſuam antiquã, in citando, vexando, inquirendo, mulctando, diripiendo domos, mittendo in carceres, inferendo tormenta, duplicant acerbitatem; tùm demùm in cæde hominum bacchantur maximè, tùm (inquam) deſæuiunt atrociſsimè.

Guicciard. hiſt.

Mira perſecutorum diſſimulatio.

Inſcriptio Libelli.

Bona iam pars anni præterijt, ex quo hæc *Iuſtitia Britannicæ* defenſio emiſſa eſt. In quem finem? vt *perſpicuè demonſtret propter religionem*

aut

aut caeremonias Romanas, neminem in capitis discrimen vocari, licèt ab aduersarijs secus multò, & admodùm malitiosè publicetur. Et post: *Perspicuum est, multos laici ordinis* quondam Protestantes *pòst ad Pontificias partes attractos esse; cùm eorum tamen nemo, vel capitis, vel patrimonij, vel fortunarum periculum vllum adierit. Quod satis est argumenti, non quæri religionis aut Pontificis causas, quibus puniretur rei &c. licèt ab aduersarijs secus multò publicetur.* Pag. 12.
Quam ergo ob causam tot nuper sacerdotes accusati sunt, rei facti, & deniqueadmortem damnati? *Accusati nimirum sunt, non religionis, non conscientiæ, non Pontificiæ Monarchiæ, quod magis crebrò tamen quàm verè fertur, sed læsæ Maiestatis atq; impiæ proditionis; idq; peruetustis Statutis & legibus supra ducentos annos Edouardi tertij temporibus rogatis.* Ibid. pag. 11. Hoc (Christiane lector) cùm (vt vides) adeò confidenter vrgeatur, tamen nescio an *Decij* vel *Diocletiani* persecutio vnquàm fuerit truculentior. Angli certè persecutores nunquàm magis efferata crudelitate in omnes promiscuè grassati sunt, quàm ab eo tempore, quo suam hanc lenitatem & mansuetudinem tantoperè omnibus venditarunt. Nam prǽter illos quinque sacerdotes *Hemerfordum* & socios, *Londini* crudelissimè mactatos eo ipso tempore, quo Libellus iste mendacissimus diuulgari cœptus est; proximo post mense, *Lancastriæ*, Sacerdos nomine *Bellus*, natus annos plusquàm sexaginta, & vnà *Finchius* quidam laicus coniugatus, per eadem cum reliquis immania tormenta mortui, ad meliorem vitam transierunt; nullo alio de crimine coram iudicibus accusati, nisi quia Pontificis supra Reges primatum in causis Ecclesiasticis credere se profiterentur. Ex quibus duobus, cùm posterior ille *Finchius* ante condemnationem adduci non posset, vt eorum Ecclesiasticis congregationibus interesset, pedibus eò raptatus est, colliso miserrimè & conuulnerato ad terram capite; luctuoso omnibus intuentibus spectaculo.

Sup. pa. 40.

Bell' et Finchius Martyres Lancastriæ. Anno 1584. mense Aprili.

Quanta autem in tota ea prouincia vastitas facta sit, explicari non potest; vbi nocte vna quinquaginta domus virorum nobilium & locupletum scrutatæ sunt, specie quidem quærendi sacerdotes, & quos reuerà studiosè venabantur, sed ita vt simul domos diriperent, expilarent dominos, & posteà ad diuersos carceres ablegarent, vbi eosdem inedia & rerum necessariarũ inopia valde confecerunt; nominatim, præclaros viros *Trauersum, Hollandum & Barlowm*, quẽ postremũ admodùm imbecillo corpore, & iam tùm morbo laborantẽ, quia equo insidere non poterat, curru ad carcerem abduxerunt. Et vt sacerdotum mirabiles in euadendo difficultates omittam, quorum

Direptio domorum.

Laicorum.

Sacerdotum.

d aliqui

aliqui penè toto corpore nudi, cæcis itineribus per saxa & dumeta vagati sunt, vni viarum asperitas carnem ipsam pedum plantis ita detriuit atque abrasit, vt pòst ad multas septimanas nec incedere nec stare potuerit; vt alios egregij nominis laicos, quorum fundos & bona à iustis dominis ablata ad alios transtulerunt, omittam, & in vna fœmina, eaque vidua, exemplum istorum erga Catholicos incredibilis & isto tali buccinatore dignissimæ lenitatis attingam, nunquid percelebris in illa regione, propter continuam in pauperes liberalitatem, vidua *Alana*, Catholicæ religionis causa, nullum *patrimonij*, nullum *fortunarum* periculum adijt? Aut num illa accusata fuit *læsa Maiestatis atq; impiæ proditionis, idq; peruetustis legibus Edouardi tertij?* nisi fortè *læsa Maiestas & impia proditio contra leges Edouardi tertij* vocetur, quòd affinis fuerit præstantissimo viro *Gulielmo Alano* Seminarij Anglicani apud Remenses præsidi, cuius nuper defuncto fratri iam olim nupserat. A qua non modò extorserunt illam menstruam pecuniam, quam legibus pendunt Catholici ab hæreticorum Ecclesijs abstinentes, sed prætereà sine legibus, sine iudicio, vllâue iudicis sententia, manifesta vi eripuerunt quingentas libras Anglicanas, inuaserunt prætereà domesticam suppellectilē æstimationis quadruplo maioris, domos fundosque quibus volebant addixerunt; ipsa vt matrona derepentè ex locupleti egens facta, & post magnam copiam ad magnam inopiam redacta, necessitatis causa aliorum hospitales domos, animo tamen non minùs alacri inuiseret, quàm ipsa priùs domum suam viris bonis recipiendis liberaliter aperuerat. Posteà verò diligenter ad torturam (vt putabatur) quæsita, perdifficulter cum duabus filiabus virginibus conscensa subitò naui, fluctibus marinis se credens, ex eorum manibus elapsa est. Nam quòd repertam in eius domo picturam, quam fuisse *Alani* fratris suspicabantur, sicis & cultellis certatim confixerint, hoc quanquàm fortasse non est certum persecutionis, est tamen animi feri & agrestis argumentum.

Fœminarum afflictio.

Alana vidua miserè spoliata.

Singulis mēsibus coronat. 222 vide sup pag. 216. Coronat. 2666.

Progrediamur à fœminis ad pueros; neque enim istorum barbaries vlli parcit seni aut ætati. Non longè aberant ædes *Vvorthingtoni* cuiusdam, vel solo nomine toti prouinciæ notissimi. Dùm autem alij vicini prioribus exemplis territi, aurum, argentum, vasa argentea, aut si quid habebant aliud charum & pretiosum, quæ omnia satellitibus Sacerdotes inquirentibus obuia nō minùs quàm Sacerdotes ipsi in prædam cesserunt, ad loca secretiora remouent; *Vvorthingtonus*

temus iste quatuor filijs, quorum maximus natu ætatis annum 16. non excesserat, magis timens, eos cum famulo in aliam villam amandauerat. Sed istos emissarios non potuerunt fallere, à quibus intercepti sunt, & missi statim in carcerem, accuratéque examinati de parentibus, quando & à quibus reconciliati, quinam Sacerdotes ad eos ventitarent, cur ipsi Ecclesiam non adirent &c. In quibus omnibus magna apparuit puerorum constantia. Illud vnum in hac tragœdia notandum est, quòd natu minimum vnius integri diei inedia afflixerunt, subinde ferociter comminantes nullam illi superesse spem de cibo deinceps vnquàm gustando, nisi ea quæ petebant volebat enuntiare: & tamen intereà potum liberaliter præbuerunt, conijcientes eum hoc modo sic à mente alienandum, vt omnia quæ volebant, fuerit patefacturus. Qua spe cùm eum coram *Comite Darbiensi sisterent*, & de prioribus quæstionibus interrogarent, puerulus ita eos ingeniosè repulit, eorumq; de se inebriando improbam nequitiam tàm euidenter detexit, vt *Comes* alijque iudices multùm commouerentur; qui tamen adolescentulis hoc tantùm præstiterunt beneficij, vt eos inde ad carcerem Manchestrensem transmitterent. *Pueri afflicti*

Est in confinijs *Vvalliæ* prope *Vigorniam*, oppidum *Beudlense*. Eò captiui deducuntur presbyter quidam *Bennetus* & laici quatuor. Quod ob facinus? An quia contra Rempubl. conspirassent? quia in legem aliquam *Edouardi* 3. peccassent? aut in *consecratã Reginã, eamq; inunctam* (quam phrasim Theologaster iste ad nauseam vsque repetit, cùm Protestantes tamen *consecrationes* in Ecclesia omnes tanquàm magicas, *vnctiones* tanquàm fœtidas & Iudaicas abominentur) aliquid machinati sunt? Nihil tale vel ab inimicis confictum est. Summa accusationis fuit, quòd illum apparitores putabant esse presbyterum, à quo diuinabant reliquos Ecclesiæ Catholicæ fuisse reconciliatos. Hoc vt eruerent, singulis manicas vel chirothecas ferreas inducũt, ita implicatas ad transuersa tigna brachijs ad multas horas suspendunt; illud semper pro sua insigni humanitate curiosè obseruantes, vt planè non interirent, sed cùm iam nunc expiraturi viderentur, tùm demùm demitterent & *aqua vitæ* (vti communiter appellatur) eorum tempora perfricantes, hac ratione vitam in eis redintegrarent. Reuiuiscentes, mox in altum denuò tollunt, ibiq; relinquunt pendulos; atq; hoc eos supplicio continenter examinant sine vlla intermissione, nisi cùm pœnæ magnitudine & diuturnitate eos statim morituros arbitrabantur. Ad hunc autem modum, & ob hanc

Instit. Bref. pag. 45. 6. 2. 19. 36. 53. &c.

Catholicorũ tormenta in oppido Beudlensi.

quam diximus causam solam, sæpiùs excruciati sunt, mandato eorũ qui in confinijs *Vvalliæ* rerum gerendarum summam potestatem obtinent, quorum nonnulli his crudelibus tormentis exercendis non solùm adfuerunt, sed etiam præfuerunt.

Archiepiscopus Casilensis in Hybernia. Loci vicinitas admonet vt Hybernicas tragœdias asscribamus, vbi *Archiepiscopo Casilensi* exquisitis priùs tormentis variè affecto, posteà suspendio & reliquo qui adiungi solet laniatu, vitam tandem eripuerunt; cum quo duos item Episcopos alios adiudicarũt morti. Sed quoniam res Hybernicæ particularem narrationem requirunt, suo separatim scriptori reseruentur; maximè quandò Anglia multò plura suppeditat, quàm à me possunt recenseri. Vbi cùm omnium Catholicorum conditio valdè sit lamentabilis, tum nescio an aliquid addi posit ad eorum calamitatem, qui propter religionem publicis *Fames magna Catholicorum in carceribus.* in carceribus continentur. Ex quibus *Eboracenses* & *Hullenses* nuper Saguntinam penè famem perpessi sunt, *Londinenses* autem multò grauiorem. Edixerat magistratus carcerum singulorum præfectis, vt *Londinenses.* quos habebant sacerdotes, arctiori custodia includerent, neminique ad eos accedere permitterent; Catholicos autem è laicorum ordine eodem modo obseruarent ad meridiem vsq; (sic enim putabant necessariò futurum, vt semper à Missæ Sacro audiendo arcerentur) quòd si aliqui pomeridiano tempore istos inuiserent, diligenter inquireretur, quorsum venirent, à quibus missi, quid apportarent &c. Vnde factum est, cùm amici nihil deinceps opis auderent subministrare, Catholici vt omnes ingenti fame conflictarentur. Quare mi*Elmerus Superintendens Londinensis.*sericordia commotus carceris cuiusdã Præfectus, *Elmerum Superintendentem Londinensem* adit, necessitates captiuorum exponit, eos fame propemodùm confici, non posse diu viuere, nisi eis alicunde succurratur. Cui alter, ea sobrietate qua talem decebat Episcopum; ergo ieiunent (inquit) & pane atque aqua sint contenti. Cui Præfectus liberè: aquam quidem præstare possum, est enim non procul Thamesis, at panem habituri non sunt, nisi sciam quis velit mihi pretiũ *Barbarũ Elmeri responsum.* rependere. *Quin ergo*, stomachosè respondit Pseudoepiscopus, *suis vescantur excrementis.* Atque hanc solam consecutus à tanto Præsule eleemosynam, custos carceris discessit. Ex quo facilè conijciant omnes, quantæ sint & quàm incredibiles captiuorum angustiæ, vt non immeritò Catholici præsentem mortem, tali in carceribus vita, longè ducant optabiliorem.

Nimis ero lectori molestus, & hanc appendicem ipso Capite longiorem

giorem sum facturus, si per singulas Angliæ prouincias peragrando, omnia vel præcipua velim describere inusitatę crudelitatis exempla. Quare hic insistam, argumentum duntaxàt vnicum additurus, ex quo & lector Christianus animaduertat quàm infortunata sit conditio nostra, cum qualibus aduersarijs, & ad improbè mentiendum quàm proiectis committamus, vnaque aduersarij moneantur, vt in suis contra nos scriptis, etsi à mendacijs temperare nequeant, eaque sint contra Catholicos malitia, vt quos veritate non possunt, eos mẽdacijs grauare velint, à talibus saltem mendacijs abstineant quæ perspicua sunt, quæ notissima omnibus, quæ à suis ipsorum domi fratribus & *Ministris* refutantur, idque communibus historijs atque annalibus apud ipsos impressis, qui omnium quotidie manibus conteruntur. Sumamus exempla quædam ex præclaro libelli istius authore. De *Nicolao Hetho* Archiepiscopo Eboracensi & summo Angliæ Cancellario, quid ait? *Hic* (inquit) *vir illustre modestia prudentiaq́, exemplar, vnaq́, excellenter eruditus, demortua Regina Maria, veteres Magistratus, gratiam, opes, & quicquid habuit prætereà fortuiti boni, cum summo Principis fauore retinuit, prorsus in religione differens, nec propterea tamen vel honore vel fortunis comminutus. Qui tamen perexiguo post tempore Magistratus suos omnes, obseruanter & gratè deposuit, nulla iniecta foris vi, quo nihil est clarius, sed sponte sua, vti innotescit, & maximè liberè.* Quid autem eorum Annales domestici, Londini cum Principis priuilegio impressi? *Primo* (inquiunt) *anno Reginæ, mense Iulio, Nicolaus Hethus Archiepiscopus Eboracensis, Episcopi item, Eliensis, Londinensis, & alij tredecim vel quatuordecim vocati coram Regina Consiliarijs, eò quòd recusarent iusiurandum de Maiestatis suæ primatu Ecclesiastico & alios articulos, Episcopatibus suis priuantur.* Quis iam non obstupescat scriptoris istius os durissimum, tàm affirmatè ponentis, hunc Archiepiscopũ *nulla iniecta vi, quo nihil est clarius, sed sponte sua, vt innotescit, & maximè liberè, suos Magistratus omnes deposuisse*, cùm singulis verbis totidem penè insint mendacia apertissima. Nihil est enim clarius quàm *vim iniectam* fuisse, ideoq́; falsum est eum *sponte sua deposuisse*; falsum est id eum fecisse *maximè liberè*, falsissimum est hoc omnibus *innotescere*, cùm contrà potiùs omnibus *innotescat*, cum extrema necessitate ad illud fuisse compulsum, quãdo aliàs execrabile iuramentum quod suprà descripsimus, de fœmineo pontificatu debuerit suscipere.

Aduersarij in mentiendo valdè impudentes.

Libelli author quoad Libelli sui summam, à suis domi historicis refellitur.

Pag. 17.

Nicolaus Hethus Archiepiscopus Eboracensis.

Holinshed. Elizabethæ Anno 1. Domini 1559. pag. 1802. Eadẽ verbatim habentur apud Stowm.

Archiepiscop', & 15 vel 16. Episcopi simul depositi

Pag. 9. 10.

Quid verò? propter Romanam religionem nulli vexantur? mulctantur nulli, modò aliàs obedientes sint subditi, ab omni seditionis

Pag. 68. contra Patriam Principemq́ue contagio liberi ? Nulli prorſus. *Iſtos*
Pag. 63. *enim reos fecerunt; non volumina, non libelli, non precum formulæ, non feriæ, non*
Eccleſiæ Romanæ cæremoniæ. Cenſeantur quocunq; libuerit nomine, vel ſcholaſtici
vel Seminarij, vel Sacerdotes vel Ieſuitæ, vel Pontificij; de eo certamen nullum
eſt. Nihil enim illis vel nomē vel veſtis obfuit: ſed tantùm quòd plebem ad ſeditio-
Pag. 22. *nes incitarunt. Ob Pontificiam verò religionem, nemo vel capitis vel patrimonij,*
Holinſ. pag. *vel fortunarum periculum vllum adiuit.* Quid ad hæc communes hiſtoriæ?
1569 Anno *Anno Reginæ 16. Aprilis 4. Dominica Palmarum, Londini deprehenſæ ſunt illu-*
Domini 1574 *ſtres Heroinæ dùm in ædibus ſuis Miſſæ celebrandæ intereſſent; Morleia cum libe-*
Fœminæ no- *ris ſuis & multis alijs, & in altera Ciuitatis parte, eadem hora deprehenſa eſt*
biles mulcta- *Equitis aurati vidua Guilforda, cùm alijs multis fœminis inſignioribus; eodemq;*
tæ ob Miſſas *momento capta eſt in parte diuerſa, alterius Equitis vxor Brouna, cum alijs item*
ſecretò au- *in eius domo permultis. Quæ omnes propter eaſdem offenſas accuſatæ, conuictæ,*
ditas. *damnatæq; ſunt, iuxta formam Statuti.* Forma autem ſtatuti hæc eſt: *Qui*
Parlament. *ſemel conuictus fuerit Miſſæ auditæ, centum Marcas perſoluit; qui iterum, qua-*
Elizabeth. *dringentas; qui tertiò, incurrit pœnas legis Præmunire, perpetuos videlicet carce-*
Anno 1. ca. 2.
Coro. 222. *res & bonorum omnium amiſsionem.* Et tamen ſi credimus veraciſsimo
Coro. 888. libelli huius authori, propter religionē Catholicam nemo in Anglia,
vel *capitis* vel *patrimonij*, vel *fortunarum* periculum vllum adit; cùm ta-
men iſtorũ tanta ſit inhumanitas, vt propter Miſſam in abditiſsimis
angulis auditam, hominum clariſsimorũ & vxores & viduas, & etiã
pediſſequas vexent, quas per ſuos coryceos proditas, contra fœmina-
rum talium præſertim honorem & verecundiam, publicis tribuna-
libus ſiſtunt, & deinde tàm immenſis exactionibus opprimunt.

At iſta *patrimonij & fortunarũ* leuiora ſunt, illud verò *capitis* multò
ponderoſius; & in hoc fieri poteſt vt libelli author multò ſibi cauerit
diligentiùs, nec quicquã in oratione ſua poſuerit, quod communi
omniũ ſermone refelleretur. Ita quidē videri poteſt, maximè ſi eius
Pag. 23. 22. & 54. in aſſeuerando præfidentem audaciã conſideramus. Inquit enim: *Per-*
ſpicuè intelligi poteſt, ſi excutiantur crimina & iudicia eorũ qui nuper mortui ſunt
& iure cæſi, non eos cultus diuini, cæremoniarum, aut religionis reos factos eſſe.
Planum, inquã, eſt hæc à Principe nuper geſta, nec ob religionem, nec ob Pontificiam
monarchiam, cùm iam indè ab ipſo Maieſtatis ſuæ aditu in regnum, his de cauſis
Nemo mor- *nemo ſit mortuus; ſed ob fœdiſsima læſæ Maieſtatis proditioniſq; crimina, geſta eſ-*
tuus. *ſe.* Rectè. Audiamus iam quid narrant hiſtorici, qui nihil cõmentarijs
ſuis mandarunt, niſi quod in teſtium innumerabilium oculis geſtũ
Sto' pa. 1192 eſt. *Anno Reginæ 20. Nouemb. 30. Cuthbertus Maynus tractus eſt ad patibulum,*
Suſpēſi ob pri- *ſuſpenſus, & in quatuor partes diſſectus Launceſtonij in Cornubia, eo quòd Rom. po-*
matũ pōtificis *teſtatem*

testatem anteferret regiæ. Et in eadem pagina: *Tertio Februarij, primo diluculo, Ioannes Nelsonus propter negatum Reginæ primatū Ecclesiasticū, & quædā eius generis verba contra eius Maiestatem proditoria, è carcere ad locum supplicij tractus est, suspensus, exenteratus, & in partes dissectus.* Et proximè post: *Septimo Februarij, quidā Shervvodus è Turri Londinēsi ad eūdem supplicij locū raptatus est, eodemq́, modo suspensus, & euulsis visceribus concisus in partes, ob eandē perduellionem.* Hæc pauca (Christiane lector) in eorū popularibus historijs vulgata, quibus prætereà confirmandis adduci possent testes oculati plurimi; & ex quibus perspicuè refutatur libelli huius vis tota, integrum dico argumentū, in quo probando vnicè elaborat, ostēdunt aduersarij nostri quàm habeant *cauteriatam* & callo obductam *conscientiam*, quàm sint in mentiendo præfracti & impudentes, quàm parum fidei, suis vel dictis vel scriptis, vel execrationibus quibuscūque mereantur; cùm euidentissimè se probent esse ex eorum numero, contra quos inuehitur Propheta: *Audite verbum Domini viri illusores qui dominamini super populū meum qui est in Ierusalem. Dixistis enim, percussimus fœdus cum morte, & cum inferno fecimus pactum, posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus.*

Cath. Mayn⁹. Ioan. Nelsonus.

Verbū Schismaticæ. vide ante. pag. 89. 90.

Tho. Scherwodus.

1. Tim. c. 4. v. 2.

Esai. c. 28. v. 14.

Quòd autē Libelli author *Campianū* & *Briantū* quasi quædā illorū præclaræ clementiæ, & in torquēdo lenitatis exempla protulerit: æquū ego lectorē vehementer rogo, vt latinā Brianti ipsius hac de re epistolā legat, vbi videbit, quid passus sit ille vir sanctus, & quib⁹ de causis. *De Campiano* illud concedo, eo tempore quo (post primā lanienam) cum hæreticorū ministris in Turre Londinensi disputauit, nō ita penitùs manuū vsu fuisse priuatū, quin licèt ægrè quidē, aliquo tamē modo suū scribere nomē potuerit. Posteà verò quàm iterū iam ac tertiò tortus fuisset, adeò certè omni manuū vsu & reliquorū ferè membrorū caruit, vt ne cyathum quidē leuissimum ori admouere, aut etiam pro tribunali, velamē de manibus (quo ad vulnera tegenda vtebatur) detrahere valuerit. Postremò verò tortus, ad multos dies vsu sensuq́; suorum membrorū omninò priuatus est; vnde custodi carceris, num grauem aliquem manuum dolorē sentiret, quærenti: minimè verò (inquit) nam ne ipsas quidem manus sentio.

Campian⁹ & Briantus vt in eculeo tractati.

In calce lib. de persecutione Angli. latinè edita.

Mutilatio P. Campiani ex tormentis.

Ac multa quidem alia huiusmodi ac fortassè grauiora, Sacerdoti Dei *Payno*, alijsq́; quàm plurimis inflicta tormenta, facile esset hoc loco recensere: verùm hæc satis multa arbitror, ad impudentissima Libelli istius mēdacia plenè cōfutanda, orbiq́; Christiano testificandū, quot quantasq́; persecutiones, quàm graues ærumnas ac calamitates, Catholici fratres nostri & superioribus annis religionis causa perpessi fue-

Paynus Martyr.

ſi fuerunt, & in hunc vſque diem patiantur. Quæ nos quidem omnia, quia cum aliquo gentis noſtræ dedecore coniuncta eſſe videntur, libentiſsimè profectò taceremus, niſi iuſtiſsimæ defenſionis neceſsitas, loqui omninò cogeret: iuberetque etiam nos Chriſtiana charitas, nationes alias Principeſque omnes Chriſtianos monere (qui adhuc Catholica fide ac religione, quæque in illa ſola eſt, vera conſcientiæ libertate fœliciter diuino munere ac benignitate fruuntur) vt noſtræ tantæ calamitatis ac miſeriæ exemplo ſapiant, nec peſtiferæ huic ſectæ vllum in ſuas Reſpublicas aditum patere ſinant; quæ principio callidè, ficta quadam libertatis pollicitatione, aures hominum animoſque demulcet: at vbi ſemel vires ceperit (capit autem facilè, nî maturè ac fortiter principijs Magiſtratus reſiſtant) omnia in feritatem quandam planè barbaram & beluinam conuertit; tantumq; Eccleſiæ Catholicæ odium, ſuorum ſequacium pectoribus inſerit, vt veram hanc & vnicam Chriſtianorum omnium matrem, ipſis etiam Paganis virulentiùs perſequantur: omnes denique leges à ſummis Pontificibus, pijſque principibus Chriſtianis aduerſus hæreticorum rabiem, aliorumq; perditorum hominum improbitatem ſanctiſsimè olim latas, ad innocentiſsimorum hominum, quibus illæ leges auxilio eſſe ſolebant, ſpoliationem, excidium, certamque perniciem, ſumma iniquitate detorqueant.

Admonitio ad Principes Catholicos vt caueant ab hæreticis.

Atque hæc cùm iam ſit patriæ noſtræ chariſsimæ calamitas, nec vlla nobis alia ſuppetât humana auxilia, quibus eam fœlicitati priſtinæ reſtituamus, & cum ea, ſereniſsimam Principem noſtram, totamque adeò Nobilitatem (vtramque profectò, ſi hæreſim tollas, naturæ bonitate ſingulari præditam) innumeroſque alios, qui eo morbo in Anglia miſerrimè pereunt: nunquàm ceſſabimus diuinam Maieſtatem, precibus, lachrymis, adeoque & ſanguine noſtro ſollicitare, donec tandem aliquandò miſereatur noſtri, atque ipſorum etiam, qui nunc crudeliter nos perſequuntur. Non erit profectò, non erit diuturna calamitas noſtra; breuique vmbratilis hæc illorum fœlicitas finem accipiet, & ſuam pars vtraque ſententiam iuſtiſsimam audiet: vbi facta omnium, ſumma æquitate iudicabuntur, *Stabuntq; iuſti in magna conſtantia aduerſus eos qui ſe anguſtiauerunt.* Intereà, quoad omnia quæ de nobis aduerſarij quotidiè comminiſcuntur, innocentiæ noſtræ conſcientia, & iucunda illius diei expectatione freti, cœptum hoc Dei opus, ad noſtram patriæq; ſalutem *per infamiam & bonā famā,* vt Apoſtolus iubet, perq; omnes miſerias ac ærumnas quibus mortalium vita obnoxia eſt, ſedulò proſequemur.

Sapient. c. 5. v. 1.

2. Corin c. 6. v. 8.

P A-

PATREM CAMPIANVM, CAETEROSQVE SACERDOTES ET CATHOLICOS QVI

falsò perduellionis nomine, & simulata veterum contra hoc crimen patriæ legum authoritate ad iudices delati, damnati, extremoq; supplicio affecti fuerunt, nihil vnquàm huiusmodi perpetrasse, sed iniquissimè per calumniam è medio sublatos fuisse.

CAPVT. II.



AC multos quidem vel nulla lege conuictos mortem pertulisse, vel nouis tantummodò legibus, quibus perduellionis nomen fidei Catholicæ ac religioni tribuitur, satis opinor clarè perspicueq; demonstrauimus. Illud deinceps disputandum est, num illi etiam qui ob vetera lęsæ Maiestatis crimina ad tribunalia tracti sunt, authoritate (vt isti simulant) cuiusdam statuti quod anno vicesimo quinto *Edouardi* tertij factum est, aliquid omninò contra illud commiserint.

Enumerantur in eo statuto multa quę lęsæ Maiestatis crimina censentur: ex quibus illud primum atque præcipuum est, *Si quis in Principis necem conspirauerit, aut copias aduersus illum collegerit, idq; facto aliquo aperto comprobatum sit.* De qua conspiratione bonus ille pater Campianus cæteríque eius socij, Sacerdotes atque Catholici fratres, summo cum totius orbis Christiani stupore atque admiratione accusati fuerunt. Illud enim pręcipuè vrgebatur, eos Romæ ac Remis, anno huius Reginæ 22. & die Martij vltimo, Reginę necem, status euersionem, regníque vastitatem clam inter se constituisse; loci, temporis, personarumque circumstantiæ, quo probabilior accusatio fieret, addebantur. Quæ quidem calumnia adeò iam omnium Anglorum oculis patet, etiam hæreticorum, qui vel mediocri sunt iudicio præditi, vt ad scelus tàm execrandum & detestabile quauis ratione colorandum, qua fronte paulò ante popularibus suis, eadem plane famosum hunc Libellum talibus incredibilibus mendacijs refertum, nũc exteris hominibus legendum ediderint; nec dissimili omninò euentu. Hoc enim benignissimus Deus suorum Sanctorum nostræque innocentiæ potentissimus assertor atque vindex, ipsos calumniatores mirificè detexit, suorumq; Martyrum causam satis superq; probauit; quod ex ijs quæ paulò post dicturi sumus, planius euadet. *Patris Campiani aliorũque forensis accusatio.*

Politicorũ in Anglia scopus.

Cùm ex noſtratibus illi qui Proteſtantium religionē ſimulant, reuera autē ſunt merè *Politici*, hoc eſt, omnis prorſus religionis expertes, Catholicam religionem contra ſuam infinitam curam, & ſingularem diligentiam, & viginti annorum conſilia & molitiones (quo temporis ſpatio totam maiorum noſtrorum fidem extinguere penitus & delere opinabantur) multorum in animis efficaciter refloreſcere viderent, eamq; nobiliſsimis quibuſq; atque optimis regni proceribus magis indies magiſque probari; neq; ſuas nouas, crudeles, & ſanguinarias leges pro ſupremo Reginæ in rebus ſpiritualibus principatu, latas contra Romani Pontificis primatum, & ſacerdotum in pœnitentibus abſoluendis poteſtatem, atq; adeò contra omnes qui vel Miſſæ ſacrificio intereſſent, vel Agnos Dei (vt vocant) aliaq; huiuſmodi noſtræ Societatis & communionis cum veteri ac Catholica omnium temporum atq; populorum Eccleſia ſigna gerebant, quicquam efficere: cùm viderent neq; dira etiam ſupplicia, nec mortem deniq; ipſam tàm ſæpè intentatam & tàm multis illatam, arcere ab Anglia potuiſſe Societatis Ieſu & Seminariorum ſacerdotes, quibus benigniſsimus Deus maiorem Apoſtolici ſpiritus copiam, ardentiorem zelum, abundantiorem deniq; fiduciam, atq; etiam fœliciores progreſſus pro ſua bonitate largitus eſt, quã ex tàm paruis initijs pleriq; ſuſpicabantur: hæc (inquam) cùm cernerent Proteſtantes illi Politicj, timuêre tandem, ne iſtorum Sacerdotum operâ maior aliqua in religione mutatio fieret, ex qua totus illorum ſtatus, id eſt, paucorum hominũ ambitioſa dignitas pendebat. Itaq; pro veteri ſua prudentia longo iam rerum vſu exercitata, mutandam eſſe accuſandi rationem putarunt, & piam fidei atq; religionis materiam in inuidioſum lęſę Maieſtatis crimen eſſe transferendam, quod ad Sacerdotum odium etiam exterorum animis ingerendum, & populariũ noſtrorum voluntates ab illis alienandas plurimùm valere arbitrabantur. Hoc vbi conſtituiſſent, illud mox cùm Regijs edictis publicè promulgatis, tùm Libellis pleriſq; famoſis, colloquijs deniq; priuatis & publicis, ſparſiſq; rumoribus perſuadere populo cœperunt, Catholicos omnes, pręſertim verò Ieſuitas, illoſq; ſiue Sacerdotes ſiue literarum ſtudioſos, qui in *Seminarijs* aut collegijs tranſmarinis erant educati, perduelles eſſe iudicandos. Quod vt probabilius facerent, diſſeminarunt in vulgus aliquamdiu, ſummum Pontificem, Hiſpaniæ Regem, ducem Florentinum, alioſq; aliquot Principes, operâ Sacerdotum & aliorum exulum, mirabile fœdus de regno Angliæ iunctis

Proclamatio hac de re facta eſt Anno 1580. menſe Iulio.

viribus

viribus inuadendo percussisse. Verùm cùm hoc mendaciũ sua sponte concidisset, mox aliud excogitarunt; *Iesuitas* nimirum ac Sacerdotes, sese Hybernis res nouas molientibus adiunxisse. Id quod ne prorsus fictum esse videretur, non dubitarunt Patrem Campianũ, tanquã illius rei consciũ, quęstionibus acerbissimis crudeliter ac sæpè laniare.

Cæterùm, cùm hoc quoq; mendacium mox euanuisset, aliud non minùs impium & detestabile statim emiserunt, nimirum multos in Seminario Romano & Remensi, ad Reginã & nonnullos ex eius Concilio viros primarios è medio tollendos, conspirasse. Atq; hoc demũ illis egregium quiddam visum est in quo insisterent; ideoq; & mox de hoc scelere nostros in iudicium arcessere, damnare, & tanquã perduellionis reos extremo supplicio afficere cœperunt, tanta & tàm manifesta cum iniuria, quanta in illo tribunali, propter iustitiam & æquitatem longè olim celeberrimo, nulla hominum memoria visa est & audita. Et in primis quidem ij qui accusatores illis ponebantur, vt iudicum animos ad odium permouerent, multa de perduellionis natura, multa de illius turpitudine ac fœditate (quod & Libellus iste facit, cui respondemus) tùm de ea rebellione quæ in ora Regni septentrionali ante annos circiter duodecim mouebatur (quo tempore isti qui nunc accusantur, pueri in scholis atq; Academijs Angliæ, literis operam nauabant) Rhetorum in scholis more declamitabant. Addebant multa de Excommunicationis sententia à *Pio Quinto Pontifice* maximo contra Reginam lata, multis certè annis antequàm istorũ quisquam ex Anglia pedem extulisset, aut Romanum Pontificem, aut Remos, aut exteras vllas nationes vidisset: imò cùm eorum nonnulli, Protestantium in Anglia partes strenuè pro sua virili tuebantur. De Hybernico deinde tumultu disserebant, per *Stucleum, Sanderum*, aliosq; concitato, quorum omninò neminem pleriq; eorũ qui tùm accusabantur, aliquando aspexerant; tùm quòd à Romano Pontifice essent Sacerdotes creati, quodque illi (summo nimirùm Reginæ hosti) fidem atq; obedientiam promisissent; atq; ab illo (peccatores, hæreticos, schismaticosq; pœnitẽtes) in Anglia absoluendi, & Ecclesiæ Catholicæ restituendi potestatem accepissent: deniq; quòd eodem tempore quo in Hybernia turbatæ res erant, in Angliam illi venissent: quasi verò vel non septem vt minimum annis antè fuissent ingressi, ac spiritualibus hisce muneribus continenter functi; vel nunc his fungi non poterant, nisi in fauorem eorum qui arma contra Reginam sumpserant.

Accusatorum inanes ac à re aliena digressiones.

Iustissima martyrũ responsio ac postulatio.

Hæc cùm egregij illi declamatores ad iudicum populiq; odium inflammandum, pro viribus amplificassent, responderunt Patres ac Sacerdotes, nihil illa vulgaria quæ aduersarij generaliter afferebant, ad se potius quàm ad alios quoscunq; in Anglia sacerdotes aut Catholicos pertinere, multaq; ab aduersarijs esse cõmemorata, propter quæ nemo regnante *Edouardo* tertio in iudiciũ fuisset vocatus, cùm tamẽ legis ab eo latæ vi atq; authoritate suam niti accusationem totã profiterentur. Quamobrem orabant Iudices suos, apertiùs vt secum agerent atq; sinceriùs; Romanę fidei professionẽ si obijcerent, nullis tùm testibus, nullis argumentis tàm longè petitis, tamq; à re de qua agebatur alienis opus forè: habituri enim erant reos confitentes, & qui ob eam causam suũ libentissimè sanguinẽ vitamq; illis largirentur. Quòd si omninò illos perduellionis reos facere statuissent iuxta veteres patriæ leges, ne deinceps aliorũ mortuorum criminibus exaggerandis ipsos in populi odium & offensionẽ iniustè adducerent, neq; quæ ad solam religionis causam pertinent, aduersus eos vrgerent: quin potiùs singulos qui tùm pro tribunali stabant, accuratè & singulatim examinarent de perduellione quæ speciatim singulis intendebatur. Et si quis ex eorum numero, Reginæ mortem fuisset machinatus (quod vnum in illa accusatione forensi continebatur) idq; certis argumentis aut testibus fide dignis constaret, mortem se minimè deprecari; sin minùs, sanguinem suũ innocentem ex illorũ omnium manibus aliquando requirendũ, qui tàm iniustæ necis authores aut participes fuissent. Hoc enim crimen quamuis à priuato quocunq; homine, ira, odio, aut cupiditate incenso committitur, in cœlum certè clamat, atq; à summo Deo vindictã flagitat. Verùm cũ in ipso iudicum consessu, per simulationem iustitiæ & legum publicarũ perpetratur (vt in Nabothi illius atq; adeò Christi Domini nece legimus euenisse) longè profectò execrabilius est, nec horribilem Dei vindictam diu potest euadere, quam quidem à patria nostra calamitosissima, Deus pro sua immensa bonitate ac misericordia procul auertat, etiam ipsorũ sanctissimorũ martyrum precibus placatus, quorum alioqui sanguis tàm crudeliter ac impiè effusus, seuerã diuinæ iustitiæ animaduersionem meretur.

Breuis ac dilucida totius disputationis conclusio.

Quamobrẽ reiectis quæ ad rem nihil faciunt prolixis illis & puerilibus de summo Põtifice, *Iesuitis, Seminarijs*, doctore Sandero, alijsq; id genus digressionibus (in quibus vt illi tum temporis accusatores & actores, ita nunc huius Libelli author liberè vagatur) nihil est profectò

fectò quod innocentes hos martyres legitimè iusteq; damnatos cõcludat, atq; ita iustitiam Anglicanam in eo iudicio defendat & confirmet (de quo Libelli author plurimũ laborat, sed rem ipsam nec leuiter attingit) nisi quatenus argumentis solidis & legalibus probatur, P. Campianũ & Socios, vel Reginæ necem, vel patriæ direptionẽ atq; perniciem fuisse molitos. Nam quicquid aliud admiserint, vel quocunq; modo erga Principem & eũ qui nunc est Reipublicę statũ religionis causa animati fuerint, aut quicquid de illa Reginę excommunicatione aut depositione sensisse eos post condemnationem cõpertum fuerit, aut deniq; quascũq; causas timoris legitimas propter turbulenta & periculosa quæ videbantur tempora, vel Magistratus tunc attulerunt, vel huius Libelli author (vt popularibus suis alijsque nationibus quoquo modo satisfaciat) nunc afferre conatur, horum omniũ nihil est quod iustè in hos viros animaduersum fuisse probat, donec illud constiterit perduellionis crimen, de quo illi initio delati atq; accusati fuerunt; donec (inquam) demonstratũ fuerit eos *Edouardi* tertij legem violasse, cuius authoritate ab istis iustitię ministris, primùm in eos intendebatur accusatio. Hoc enim vnũ est, quò dicta, facta, testimonia, rationes aduersariorũ omnes sunt referenda; quia hoc vnum est, propter quod, isti hoc loco in iudicium & discrimen capitis vocantur.

Vt ergò tota aduersarij defensio à scopo aberrat lõgissimè, & omnium minimè præstat quod potissimũ & maximè expectabatur: ita quatuor illa præcipua argumenta, quæ quasi quandam totius Libelli epitomen (vt lectorem parte laboris aliqua leuaret) coronidis loco adiecit, non minùs sunt friuola & inania: ex quibus reliquas Libelli fraudes atq; mendacia, velut ex vnguibus leonem, facilè licet agnoscere. Nam cùm singulis argumentis illud concludi debet, non per nouas de læsa Maiestate leges (quibus capita fidei & articuli religionis Maiestatem dicuntur lædere) sed iuxta veteres de perduellione leges, sacerdotes istos ad mortem fuisse damnatos; nullũ prorsus est, ex quo hoc confici aut deduci vllo modo possit. *Quatuor rationes, cur P. Campian' & socij sint cõdemnati.*

Etenim prima ratio est, Reginam multis annis excõmunicationes & bullas Pontificales penitùs contempsisse; tandem verò cum perspiceret eas tendere ad Reipublicæ cõturbationem, veteres leges renouauit, quibus eas à Regni sui finibus excluderet. Hoc cùm sit reliquorum omniũ fundamentũ, neq; aduersus istos sacerdotes quicquã concludit, & assumit pro veris, quæ sunt perspicuè falsa, Non enim *Prima ratio.*

ante illam Pij quinti Pontificis maximi sententiam, de qua in secundo argumento fit mentio, vllæ omninò prodierunt Bullæ aut Excommunicationes quæ potuerunt multis annis contemni; neque vlla (quantum nos assequi possumus) vetera statuta aut leges extiterunt, quæ aduersus huiusmodi Excommunicationes de quibus sermo est, vllo modo poterant renouari.

2. Ratio. Proximo verò argumento illud vnum probant, *Feltonum* quendam ex ipsorum legibus, supplicio capitali fuisse affectum, quòd *Pij Quinti* sententiam publicasset, eumq; omnium primum ob res Roma allatas occisum fuisse. Ex quibus num illud inferri posit, Patrem Campianum cum suis interfectum fuisse, non religionis causa, sed ob vetera Regni de læsa Maiestate iura violata, æquus lector facilè iudicabit. Illud etiam iuris nostri peritis expendendum relinquimus, num regnante *Edouardo tertio*, excommunicationis Bullã Roma in Angliam tulisse, læsę Maiestatis crimen fuerit: aut num statuto hoc illius Principis, tale quippiam significetur.

3. Ratio. Tertiò sic argumentantur: populus in Septentrionali regni parte arma aduersus Reginã sumpsit, non immeritò igitur Regina suis vsa est viribus ad eos coërcendos, & authores debito supplicio mulctandos. Rectè; authores ergò eius rei plectantur: quid hoc ad istos, qui nec authores, nec adiutores, nec participes erant; nec facto, nec dicto, illi commotioni affuerunt?

4. Ratio. Quartò, Pontificem (aiunt) Romanum Hybernos ad arma concitasse, iisque subministrasse auxilia. Quamobrem non esse mirandũ, si Regina seditiosos homines (quales sunt Iesuitæ ac sacerdotes) diligenter inuestiget, & in inuentos seueritate suarum legum vtatur. At harum certè rationum neutra coram æquis rerum æstimatoribus quicquam aliud efficit, quàm puniendos fuisse illos, quos legitimè certisque argumentis probassent illas Hybernicas turbas & seditiones operà consilioue suo promouisse; quod de quoquam istorum sacerdotum nemo mortalium poterit affirmare, nec huiusmodi quippiam illorum alicui pro tribunali obiectum fuit, etiamsi quędam huiuscemodi (quod & in hoc Libello fit) ad inanem ostentationem sæpenumerò perstringebantur.

Rhetorica aduersarij occupatio. Verùm, quia prompta & expedita erat hæc defensio, religiosos nimirum Sacerdotes, & scholasticos planè inermes nihil in bellis siue Angliæ siue Hyberniæ potuisse, dictu mirum est quanto verborum apparatu (vt oratorem se fortè ostendat) Libelli scriptor respondeat;

spondeat; quamuis in acie non steterint, tamen suo consilio atque exhortatione alios ád arma capienda exuscitare, eaque ratione eiusdē criminis conscios ac participes esse potuisse. Sed hoc vnum in tàm breui scripto tàm prolixa oratione exaggerare, quid attinebat? cùm nemo nō fateatur omnes seditiosorū ministros, nūtios, exploratores, approbatores, nō minùs sępenumerò puniēdos esse, quā sunt ipsi primarij factionis authores & capita. At si bona fide agere voluisset, ostēdendum illi fuerat P. Campianum aliosq; sanctos martyres, bellorū siue Septentrionalium siue Hybernicorum authores aut adiutores fuisse; qua de re nec in Libello hoc, nec pro tribunali, vel verbum quidem vllum. Tantùm longa texitur & verbosa battologia, nullius verè momenti, sed artificiosè composita ad fraudem hominum simplicium, qui aut non norunt, aut non attendunt, quid in quæstione versetur. Illud autem vnum generaliter inculcatur, Reginam summo iure in læsæ Maiestatis reos animaduertere, de quo nemo vnquàm dubitauit. Sed nullo verbulo istos conuincunt aut conuincere poterunt, vel horum criminum, aut aliorum cuiuscunque generis, quibus leges antiquæ definiunt lædi Maiestatem Regiam: nec nos vlla ratione poterunt refellere, qui argumentis planè necessarijs certisimaque scientia adducti, Deum atque homines testamur, nulla eos huiusmodi crimina commisisse, pro quibus summa cum iniuria atque nefario scelere, infamem quidem imprudentis vulgi iudicio, at pretiosam in conspectu domini mortem obierunt, quæ modò illis *Supra modum in sublimitate sempiternum gloriæ pondus operatur.* *2. Corinth. 4. 4. v. 17.*

Cùm autem (vt rem absoluamus) ad ipsum accusationis caput & summā ventū esset, iamq; inanibus verbis, & aduersus Pontificē Romanum, Religionē, Seminaria, Bullas, Missas, Reconciliationes, Conciones, Agnos Dei, Rosaria, aliaq; id genus obsoletis declamationibus resectis & amputatis (quibus tanquàm pigmentis accusationem totam asperserant & variauerant) testes essent producendi, vnde ostenderetur in Reginę necem reos istos conspirasse: ecce tibi quæsiti & inuenti prodeunt duo tréSue congerrones, primùm quidem apertè hęretici, eoq; nomine (si beato Augustino credimus) aduersus Catholicum sacerdotem nequaquàm audiendi. Deinde verò (quando hæreseos crimen in Anglia testem minùs idoneum, hac tempestate non reddit) homines vulgò scelerati ac perditi, qui fidem vel vnō asse vænalem habebant, ab ipsis hostibus conducti vt negotium hoc conficerent. Denique eorum nonnulli in ipsa præsentia iudicum totiusq; *Testes aduersus Sacerdotes Dei.* *D. Augustin. epist. 212.*

totiusq; coronæ astantis, adulterij fuerunt accusati: nec adulterij modò, verùm etiam duplicis triplicisq; homicidij, vt alia omittam facinora planè horrenda, hac vna de causa nec [illegible] [illegible]issimis ganeonibus condonata. Postremò, non modò eo [illegible] [illegible]pio tempore, verùm etiam postea manifestissimi menda[illegible] [illegible] conuicti fuerunt: cùm nec tempora, nec loca, nec per[illegible] & [illegible] [illegible]onæ, aliæq; circumstantiæ vllo modo congruerent; [illegible]uo post execrandum hoc eorum scelus, vnus ex ipsorũ numero orbi Christiano patefecit.

Ioannes Nicolaus in li[illegible] [illegible] [illegible] [illegible]nis excusis.

Iam verò quis sine lachrymis intueri posset, tot viros, singulari virtute, eruditione, religione, pietate tàm insignes, in has angustias adductos, vt eorum vita à vænali talium perditissimorũ hominum vereq; Atheorũ lingua penderet, & (quod in cõdemnatione D. Payni factum est) à leuissimo vnius istarũ quisquiliarum verbulo: cùm duos vt minimũ testes, iura omnia diuina atque humana postulent. Erat sanè spectaculũ miserum & lamentabile, nobis tamen horum temporũ conditionem aduertentibus, nec mirum, nec inopinatum. Satis enim intelligebamus à *Politicis* nostris istos sanctos viros neci fuisse destinatos, ad status nimirum sui conseruationem, qui ruinam minari illis videbatur, si viros bonos in eo succrescere paterentur. Id quòd & Libelli author non obscurè indicat, dum scribit: *Postulasse hoc illorum temporum conditionem sanè periculosam, quando Pontificiæ iam vires in Hybernia erant, & auxiliares eius copiæ quotidie expectabantur in Angliam quoq; mox venturæ.* Sic enim ille callidè auguratur, quo maior sceleris perpetrandi necessitas appareat, perindè profectò ac si diceret, eam fuisse temporum conditionem, vt quacunq; occasione, per fas aut nefas, iure siue iniuria, ad aliorum terrorẽ necandi omninò fuerint.

Pol. 16.

Mira procedendi ratio. Proferunt igitur testes illi nullius fidei, nescio quæ Romæ atque Remis (vt aiebant) contra Reginam & Patriam dicta & constituta. Quæ quidem omnia impudentissima fuisse mendacia, quotquot ijs in locis eo tempore degebant, compertũ atq; exploratũ habuère. Et licèt quicquid scelerati illi homunciones, ab Anglis Romæ Remisq; versantibus dictum fuisse aut factum, vel verè vel falsò pronuntiarunt, illud ad hos nominatim reos faciendos, improbè & flagitiosè accõmodatum est: tamen (quod est obstupescendũ) istorum balatronum verba satis virium habuerunt, ad quendam propter coniurationem Romæ Remisq; factam, interimendũ, qui nunquàm in vita sua, vel Remos vel Romam viderat, vti constat de Domino *Fordo.* Et eodem testimonio conuictus est *P. Campianus,* qui plus quàm sexcentis

Anglicana iustitia.

centis miliaribus Roma Remisque aberat, Pragæ videlicet agens; vbi ex Superiorum præscriptione, sacris concionibus & lectionibus fuerat occupatus, totos nouem annos ab Anglicis tùm hominibus tùm negotijs (si precum communioné excipias) planè disiunctus ac separatus; & ne de facie quidem notus, vel ipsis falsis testibus, vel illorũ nonnullis, qui tunc vnà cum eo ad tribunal stabant tanquàm eiusdem conspirationis conscij. Valuit quoq; idem testimonium aduersus *D. Shertum*, qui multos ante annos ea loca reliquerat, & aduersus *D. Briantum*, & *D. Richardsonum*, qui ante tempus quo testes illi factam coniurationem finxerunt, octo menses integros in Angliam reuerterunt. Quin & idem valuit (quo nihil fieri potest vel dictu vel cogitatu magis incredibile) aduersus *D. Bosgraunum*; qui nec vnus è Seminario, vel Romano vel Remensi fuerat, nec à summo Pontifice, aut vllo Ecclesiastico Magistratu missus, nec Sacerdotib9 vllis domum redeuntibus notus, nec cur illi in patriam redijssent, planè cõscius. Inter gẽtes enim Septentrionales tàm diu vixerat, vt patrij idiomatis obliuio eum magna ex parte ceperat; nec in Angliam religionis, sed valetudinis gratia redierat. Et tamen isti vel omnes vel saltem plerique, tàm inter se dissimiles ætate, vitæ conditione, regionibus in quibus sunt commorati, ac tempore quo apud exteras nationes vixerunt, atque adeò reditu ipso in patriam, causisque ac modis redeundi; simul tamen omnes, eodem in loco, idem ob crimen particulare damnati sunt; quia omnes & singuli de Regina trucidanda consilium iniuerant, idque Romæ ac Remis, eo quo testes dixère die. Quæ omnia falsissima fuisse & inter se vehementer pugnantia, cæcis & surdis est euidentissimum.

Quod cùm pro tribunali sancti illi Confessores clarissimè demõstrassent, eaq; esset non modò flagitiosorum testium infamia, verùm etiam obiecti criminis ratio, vt res prorsus incredibilis videretur, nihil tamen hæc poterant ad illos destinata cæde liberandos: quin ad eos omnes occidione occidendos satis superque visum est, quòd Romani Pontificis pedes exosculati, eiusque scholastici atq; alumni fuissent; quòd ab eo viaticum accepissent, quòd Cardinales Romæ vidissent, aut allocuti fuissent; quòd sacris ordinibus Romæ aut alibi essent initiati, & in Angliam denique missi à suis Superioribus, qui iam existimantur iurati patriæ hostes. Quæ quidem omnia eiusmodi sunt, vt ea cum singulari martyrum sanctimonia & probitate, cumque inusitata tùm iudicum, tùm testium subornatione, cor-

ruptione & iniquitate, in toto hoc iudicio comparata, magnam illorum innocentiam aduersus omnes Libelli huius aliorumq; calumnias, abundanter defendant.

Martyrũ moriẽtiũ Protestationes.

Illud verò omnium maximum est, quod in extremo certamine conflictúq;, cùm iam nunc mortem essent subituri, tanta animi constantia ac libertate palàm omnes professi sunt, nihil se eorum criminum ob quæ condemnati erant, vel commisisse, vel animo aut cogitatione designasse. Quis autem nisi mentis expers credat, tales viros morti iam proximos, reclamante conscientia, ad certam animæ & sempiternam perniciem mentiri voluisse, qui nec teterrimæ mortis obiecto discrimine induci potuerunt, vt vel minima in re, quæ contra fidem & religionem pugnaret, hæreticis consentirent? Sed superfluum est argumentis conquisitis eorum innocentiam velle ostendere, quæ ex ipsa rei gestæ historia, apud omnes lectores intelligentes meridiana luce est clarior. Si enim Reginam supremam in rebus spiritualibus gubernatricem agnoscere voluissent, aut religionem Catholicam deserere, & sese ad Protestantium impietatem amplectendam inflectere, mox omni periculo fuissent liberi: id quod non tantùm mortis tempore, sed etiam anteà sæpenumerò, singulis erat oblatum. Imò eorum nullus fuit, quos isti tàm sceleratos videri perduelles cupiunt, quem non libenter in gratiam recepissent, magnifíque etiam honoribus vitæq; huius commodis amplificassent, si vel vnam adire hæreticorum concionem voluisset.

Argumentũ euidens.

Ac illud quidem perspicuum est, integerrimos viros, cùm iam ad furcas attracti omnem vitæ huius spe, curam, & cogitationem abiecissent, liberè fuisse elocuturos, si quippiam contra Reginam concepissent; aut si tale aliquid à suis Superioribus præscriptum ipsis fuisset; aut denique si Ecclesiastico suo ordini consentaneum putassent, alijs quàm religionis, prædicationis, reconciliationis, & Sacramentorum ministrandorũ Sacerdotalibus officijs sese immiscere. Hoc enim ipsum posteà fecisse audimus laicum quendam, virum nobilem, qui non modò cùm à iudicibus examinaretur, verùm etiã posteà cùm ad mortem traheretur, profiteri palàm non dubitauit, Angliæ Reginam suam Reginam iure non esse, idq; duabus de causis: primò ob illegitimam natiuitatem, deinde, ob Pontificis maximi Excommunicationẽ; cùm nec de priori impedimento dispensationem, nec à posteriori absolutionem acceperat. At Sacerdotum nec vnus in hunc modum respondit, nec eorũ quisquam est in

Iacobus Laiborne, Lancastriæ passus

iudicio

iudicio aut alibi verbum locutus, quod Reginam Regniq́ue statum offendere, vel aduersarios irritare, vel amicis scandalo esse potuerit.

Habent aduersarij in manibus omnes omnium confessiones, tùm liberè factas, tùm quæstionibus atq; tormentis expressas. Ecquod in illis omnibus verbulum, ecquæ vocula inuenta est, quæ commentitiam istam conspirationem redoleat? Habent in carceribus religionis ergô omnis conditionis omnisq́ue sexus Catholicos, nec paucos magni honoris & nobilitatis viros vel hoc solo nomine captiuos, quòd cum presbyteris sint versati. Ecquis istorum, vel liberè & sponte sua, vel minis & terrore ductus est, vt fateretur sacerdotem aliquem aut Iesuitam sibi consuluisse, siue in sacramentali confessione, siue aliàs, vt Reginæ obedientiam abnegaret? Ecquis se hac conditione absolutum dixit? aut datum sibi à quouis *Agnum Dei*, vel vllum aliud spirituale religionis simbolum, vt à Regina ad hostes deficeret? Quod tamen calumniator iste, cùm palàm aperteq; affirmare non audeat (hoc enim nimis esset intolerabile) quanta tamen potest arte, quamuis sine ratione & argumento, incauto lectori insinuare conatur. *Catholicorũ publicæ confessiones.*

Qua quidem in re, simillima est planeq́ue eadem, & illorum Iudicum, & istius scriptoris improbitas. Quemadmodum enim eo in loco Iudices magna confidentia Sacerdotibus denuntiarunt, nullo eis detrimento futura, quæcunq; pertinerent ad solam religionis causam (cùm tamen ad eos damnandos nihil penitus haberent, præter functiones religiosas, sacerdotalis vocationis proprias) ita nunc Libelli author prædicat, eosdem non fuisse in iudicium vocatos propter religionis Romanæ signa, cæremonias, libros, rosaria, aut opiniones (sic enim loquitur) sed tantùm ob vetera & antiqua læsæ Maiestatis crimina: & tamen vbi sub quibusdam verborum inuolucris huc illucq́ue diu vagatus est, eò tandem relabitur, vt nonnisi eadem Romana signa & simbola illis obijciat, non tanquàm directè & per se mortifera aut capitalia, sed tantùm obliquè & per accidens; quatenus Romano Pontifici inseruiunt, & obedientiam illi debitam significant, & ad rebellium siue domesticorum siue externorum commoditaté vsurpari possint. In hunc modũ prçstigiatores isti sophisticè nugãtur de vita & morte eorũ hoĩum, quibus digna non erat *Anglia*.

Iam verò postquàm innocentes isti martyres condemnati fuerant, atque è medio sublati quotquot illi tunc temporis tollendos censuerunt, mox de tàm insolenti facinore multos multa suspicari *Praxis Machiauilliana.*

& fermocinari aduerterunt; id quod propterea tàm infandæ cædis authores valdè offendit, & in varias deliberandi cogitationes distraxit. Neminem enim tàm rudem atque ignarum inueniri sciebant, qui hæc ab illis religiosis scelera perpetrata crederet. Sciebant & iudicum iniquitatem, ac testium infamiam, in triuijs & communibus mensis populari sermone peruagari. Sciebant omnes multa in tota iudicij forma desiderare; quanquàm omnes non erant tanta solertia præditi, vt hoc nulla conscientiæ aut diuini numinis habita ratione, sed Statu suo ita postulante, violenter & impetu quodam animi à *Politicis* gestum perspicerent. Neque etiam ignorabant hæreticum quendam ministrum *Ioannem Nicolaum,* qui primus aditum illis ad tantam iniquitatem aperuerat, diuinitus commotum, martyrum condemnationi ac morti interesse noluisse; non ita multò post, sceleris sui veniam ab innocentissimis hominibus suppliciter in genua prouolutum petiuisse, palamque tum voce, tum scripto authenticè excepto testatum esse, se misero suggerente, innocentem sanguinem fuisse effusum: quanquàm potiorè iniustitiæ causam ad alios magnæ authoritatis viros (quos etsi ille palàm nominauit, nos tamen hic honoris causa tacere maluimus) deriuabat, à quibus ipse prouocatus adeoque coactus, facinus tàm tragicum exorsus est. Hæc illi cùm secum perpenderent, cuperentq; vehementer sceleris illius fœditatem obtegere, quod populares ac domestici talium iniuriarum impatientes, periniquè ferebant, & externi homines multò magis abominabantur; quorum plurimis, singulares P. *Campiani* & aliorum quorundam ex eo numero virtutes cognitæ satis perspectæque fuerunt; vide iam qualem medicinam his vulneribus curandis *Politici* nostri adhibuerunt. Præter alios terrores, minas, & supplicia publicis edictis denuntiata, ad hominum sermones coërcendos, & mutandas voluntates; ex priori Sacerdotum numero quos iam damnauerant, sed nondum interfecerant, aliquot superstites examinarunt de sex articulis à priori accusatione, ad cædem *Maximæ* (vt Sphinx iste loquitur) pertinente, toto cœlo differentibus. Spectant enim omnes ad beatæ memoriæ *Pij Quinti* Pontificis maximi authoritatem in Regina excommunicanda, ac propter hæresis crimen deponenda. Illud ergo percontabantur à condemnatis iam anteà ob designatam cædem *Maximæ*, quid de hac sententia Pontificis sentirent, & quousq; hoc factum approbarent.

Rhotomagi Anno 1583.

Sententia ac scopus sex articulorum Sacerdotibus ante mortem propositorū.

Quam ad quæstionem, quia id responsuros Catholicos facilè con-

conijciebant, quod vulgo odiosum esset futurum, ac præcipuè Protestantibus quibusdā in secta promouenda feruentioribus (id quod rei euentus posteà docuit) eos potissimum sex articulos coram populo sibi in reliquorum martyrio legendos putabant, vt rudiores hac fraude decepti, existimarent eos etsi non ob perduellionis crimē quod primò illis impositum fuerat, ob alias tamen causas extrema quæq; fuisse commeritos; ideoque vel minùs eorum mortem dolerent, vel priorem illam falsam & absurdam condemnationis causam minùs aduerterent.

Atque hoc tàm subtili velamine, suam illam quam vocant iustitiam deinceps operuerunt, atq; in eo vno omnem operam omnemq; industriam Libelli istius author collocat; qui ad tantam aduersus sanctos Dei crudelitatem obscurandam, totus in eo est, vt probet eos de his sex articulis examinatos fuisse; & *Campiano* iam mortuo, inuentam fuisse quandam schedulam quæ ad Bullæ vim declarandam & interpretandam *P. Personio* atque *Campiano* authoribus Roma deferebatur. Addit etiam Dominum *Hartum* confessum fuisse, quòd Bulla hac vel illa ratione Anglos obliget, aliàs irrita sit & nullius roboris. Hac iste arte hominibus nostrarum rerum imperitis persuadere conatur, sanctos martyres læsæ Maiestatis fuisse reos, eoq; nomine iure condemnatos. Quasi verò, noua nescio quæ crimina, post mortis sententiam latam, imò post mortem ipsam illatam inuenta, aut etiam perpetrata, iniustam illam quæ præcesserat condemnationem, æquam & legitimam possent efficere.

Hoc verò à vobis orbis Christianus expectabat, vt prius illud iudicium, priorem illam tanto apparatu, tanta solennitate aduersus Sacerdotes Dei pronuntiatam à Iudicum consessu sententiam, iustam fuisse ac legibus consentaneam ostenderetis: illam dico sententiam, quæ in veteri (vt asserebatis) statuto *Edouardi tertij* fundabatur, & necem illis optimo iure afferebat, qui necē Principis molirentur. Aliç enim Rhetoricç accusationes & inuectiuç, siue verç sint siue falsæ, neque iudices illos à manifesto parricidio excusare possunt, neq; martyres vita iam functos ob alia facta condēnare, quàm quæ viuis ac pro tribunali stantibus obiecta fuerunt. Id quod ipsius Libelli author, post tot effusa in ventum verba, disertè tandem confitetur. *Quanquàm* (inquit) *perduellionis condemnari iustè poterant, quòd ad ista interrogata directè planeq; respondere nollent, non tamen eo nomine condemnati sunt* (quod tamen est longè falsissimum, ob solam enim excommunica- *Fol. 18.*

 tionem

Sacerdotes in Anglia recens martyrio coronati. tionem hanc D. *Haddocum* & D. *Hemerfordum*, aliosque crudeliter non ita pridem trucidarunt) *sed ob alia quadam facinora domi forisq; parata*. At quænam illa fuerunt, & quàm legitimè certoque aduersus istos probata (quos summa iniuria & ficta quadam veterum legum specie, at reuerà solius causa religionis cæsos affirmamus) hoc potissimùm erat demonstrandum, omissis alijs ad rem de qua agitur nihil pertinentibus. Hoc autem in quo omnia sunt posita, cùm nec leuiter attingatur, reliqua quæcunque vel suspitiosè obiecta, vel malitiosè inuenta, nihil ponderis habent, aut ad vestram iustitiam commendãdam, (qua nulla fuit vnquàm iniustitia in oculis omniũ illustrior) aut ad istos homines quib⁹ vitã eripuistis, à martyrũ nomine & honore excludẽdos, quales eos orbis Christianus agnoscit & veneratur.

Contra quorum beatos cineres & Memorias, non magis fœlici successu dimicabitis, quàm olim Babilonij Gigantes contra Deum, aut Ethnici & hæretici persecutores contra Ecclesiæ primitiuæ martyres, quos eodem penitus modo de læsa Maiestate Imperatoris criminabantur & occidebant: qui tamen (inuitis & frementibus, & omni ope contrà satagentibus inimicis, ne debitis post mortem honoribus populus eos prosequerẽtur) iudicio Christi & Ecclesiæ Catholicæ, sempiternam de illis omnibus victoriam reportarunt; & tã in cœlo terraq; non minùs regnant gloriosi, quàm eorũ persecutores & à Deo sunt maledicti, & toto terrarũ orbe infames atq; detestandi.

Comparatio persequentiũ & persecutionem patientium. Quicquid terreni honoris *Henricus* vterque (secundus & octauus) dum viuerent habuerunt (habuerunt autem plurimùm;) quantacunque illius quæ modò regnat Principis ac primorum eius procerum sit existimatio, qui in loco excelso positi, multorum in se oculos & admirationem commouent: hoc totum nihil profectò aliud est, quàm vmbra quædam & veluti somnium, si cum solida illa veraque *S. Thomæ Cantuariensis, Ioannis Episcopi Roffensis, & Thomæ Mori Angliæ Cancellarij, P. Campiani* aliorumque similium fœlicitate infinita comparetur: quorum gloria & prædicatio ex ipso mortis genere, & calumniatorum iniquis obtrectationibus, incrementa indies maxima capit; persecutorum verò laus omnis, si non anteà, saltem cum huius sæculi pompa & potestate, intereat necesse est: ac plerunq; vsu venit (magno ipsorum dedecore) vt nullis alijs rebus gestis magis posteritati innotescant, quàm talium hominum cædibus. Ita Deus *Psal. 30.* potenter sanctos suos *à contradictione linguarum protegit*, & gloriosum illis de mundo triumphum, vi sacrosanctæ & constantis fidei largitur.

tur. Sed de illis sex articulis ex Bulla excommunicationis deductis, plura dicentur in sequenti capite, alijsque prout occasio sese offeret, quò sanctissimorum martyrum illustrior euadat innocentia, summumque scriptoris huius in calumniando studiũ vndique reprimatur.

MERITO NOS DE INIVSTA PERSECVTIONE, ATQVE INTOLERABILI

hereticorum aduersus Catholicos in Anglia crudelitate conqueri. Nec posse Protestantes idem facere, propter iustitiam quæ temporibus Reginæ MARIAE, *atque aliorum Catholicorum principum, aduersus ipsos exercebatur; & quæ sit dissimilitudinis ratio.*

CAPVT. III.



Multa hoc loco Libelli author iactabundus de Protestantium numero ac dignitate, qui temporibus Reginæ *Mariæ* pro suo Euangelio passi sunt, multa de illorũ innocentia, in rebus ad ciuilem regni statum spectantibus, alijsque huiusmodi cõmemorat: vt populari hac narratione, rudioribus potissimùm ac nostrarum rerum ignaris insinuet, longè minorem esse quàm vulgò fertur, persecutionem Anglicanam; nec vllo modo cum ea conferendam, quam illi regnante *Maria* pertulerunt. Cui breuiter ac dilucidè respondemus: Nos nec solùm, nec maximè, vel numero occisorum, vel supplicij magnitudine, rem hanc metiri; sed causa, & iudiciorũ spectata æquitate ac legibus, tùm ipsius præpotentis Dei, tùm omnium Christianorum regnorum, alijsque id genus circumstantijs: ex quibus facilè demonstrabimus, laudabilia fuisse & valdè probanda, quæ à Regina Maria facta sunt; iniusta verò ac summè impia, quę modò contra nos fratresque nostros geruntur.

Discrimen verò ita perspicuè & euidenter cernitur. Vos nemini, religionis causa, periculum capitis afferre profitemini. Nullas habetis leges, per quas ob fidem cuicunque homini vitam eripiatis. Antiquas omnes regni Angliæ de hęreticis comburendis leges funditùs abrogastis, nouamque contra eas legem, ea de re finxistis primo anno quo Regina *Elizabetha* regnũ adijt; quod quid sibi velit, omnes prudentes non difficulter subodorantur. Eodem quoque tempore illud

Diuersa iustitiæ administrandæ ratio in Catholicis & hæreticis.

statuistis,

ſtatuiſtis,nihil eſſe habendum pro hæreſi, niſi quod ex Parlamenti Nota. veſtri & Congregationis(hoc eſt certorum laicorum, & miniſtrorũ) arbitrio & ſententia ita definiatur. Neque ad hunc vſque diem, lege vlla noua,quid hæreſis ſit, quiſue hæreticus cenſendus, decreuiſtis. Quamobrem neque doctrinam noſtram hæreticam pronuntiare, neque vllo iure de nobis ſupplicium ſumere poteſtis. Repugnat igitur iuſtitiæ, non modò diuinæ & totius orbis Chriſtiani, ſed & veſtris ipſorum ſtatutis, doctrinæ, & profeſsioni, religionis cauſa quenquam noſtrûm interficere.

Et tamen non modò varia,eaque tetra & immania cruciamenta, ſed & mortem ipſam crudeliſsimã à vobis patimur, idque(vt oſtendimus)propter *Agnos Dei*, propter ſacramentorum adminiſtrationẽ, propter obedientiam Sedis Apoſtolicæ, propter exhortationes amicis factas, vt ſe ad Eccleſiam Catholicam adiungant, propter ipſum denique ſacerdotium,ſtudiaque literarum in *Societate Ieſu* aut Seminarijs tranſmarinis poſita,aliaque id genus, quæ vos omnia ridiculè (ſi quid vnquàm in rerum vniuerſitate ridiculè geſtum eſt) contra omnem rationem & communem ſenſum, læſæ ſcilicet Maieſtatis crimina feciſtis. Poſteà tamen iuſto rei abſurdiſsimæ pudore affecti, ad religionem pertinere hæc agnoſcitis, & eſſe talia, propter quæ nemini in Angliæ regno capitis periculum comparatur. Quæ cùm ita ſint,perſpicuũ eſt, magnas ſuppetere nobis occaſiones, de veſtra crudelitate & iniuſtiſsima perſecutione, coram Deo & hominibus conquerendi.

Ex altera parte,Regina *Maria* contra Proteſtantes nihil tale ſimulauit aut diſsimulauit;tantùm antiquiſsimis patriæ,vel potius totius orbis Chriſtiani legibus contra hæreticos vſa eſt;idq; ſecundùm Pontificum oĩum,Conciliorum, Eccleſiarum,& Tribunalium Eccleſiaſticorũ canones, ab ipſis Imperatoribus Chriſtianis in iure ciuili approbatos, atq; à regibus omnibus (quàm latè patet nomen Chriſtianum) receptos.Ergo de hoc facto quis eſt qui conqueratur? quis repræhendat? Quis (inquam) admiretur, ſi princeps Chriſtianus leges eas robur & vim ſuam priſtinam obtinere velit, quæ aduerſus hæreticos non minùs ſunt antiquæ,piæ, ac generales,quàm quæ feruntur aduerſus perduelles,ſicarios,ac latrones?

Rurſus de perſecutione iſta meritò conquerimur,eò quòd affligimur pro fide patrum noſtrorum & anteceſſorum, pro fide illa, quam noſtrorum perſecutorum maiores, quotquot Chriſtiani fuerunt,

runt, ſemper coluerunt;pro ea fide, ad quam patria noſtra ab infidelitate initiò fuit conuerſa,& à qua fide Chriſtiani appellamur, quæq; communis eſt regnorum omnium Catholicorum,quibus vndique circum circa concludimur;quam denique Deo in baptiſmo promiſimus, & nos in æternum ſeruaturos ſanctiſsimè ſpopondimus. Quamobrem nullum,neque diuinum, neque naturale, neque gentium ius patitur, vt violêtis modis ab ea diuellamur, aut pro ea ſupplicium quodcunque nobis inferatur.

At verò qui noſtra hac ætate, aut ſuperioribus ſęculis ab ea fide defecerunt, quam non modò Maiores eorum religioſè coluerunt, verùm etiam ipſi ferè omnes multis annis amplexi ſunt, aut certè in Baptiſmi ſacramento per ſuſceptores quamuis Proteſtantes,promiſerunt atque vouerunt(in eo enim ſacramento Chriſtiani omnes ſolenniter profitentur, Catholicam ſe Eccleſiam fidemque amplecti, atque hæreſes omnes ſectaſque reſpuere ac abominari) qui(inquam) ſunt huiuſmodi,parentibus licèt Arrianis,Macedonianis,Pelagianis, Anabaptiſtis,Zuinglianis,Proteſtantibus,aut cuiuis alteri ſectę addictis geniti,ferendi omninò non ſunt; multoq; minus obligati(quod libelli author pro ſua craſſa ignoratione ſtultè aſſerit) vt eam in qua educati ſunt hæreſim,perpetuò conſectentur. Non enim cenſentur illam in Baptiſmo,aut (quod miſer hic theologus fruſtrà adiecit) in Confirmatione ſectam profeſsi, quam pro educationis tempore ac loco,à magiſtris erroris primò didicerunt; ſed monendi ſunt potiùs atque docendi, eam ſe fidem in Baptiſmo promiſiſſe quæ verè Catholica & Chriſtiana eſt, & diſsipata per vniuerſum orbem in Eccleſia Chriſti, quam quidem deinceps firmiſsimè tenere debent, atque ad eam tenendam diuino humanoque iure cogi poſſunt, ab hæreticis licèt baptizati,& inter hæreticos enutriti. Aliàs enim nec Arriani auocentur à blaſphemando filio Dei, nec Macedoniani à negando Spiritu ſancto, & Pelagiani gratiam Dei liberè contemnant; & Anabaptiſtæ myſterium incarnationis irrideant, & Zuingliani, Lutherani, Trinitarij, reliquiq; ſectarij, omnes in ſuis ſordibus ſinantur putreſcere; cùm iſti ſinguli à ſuis Magiſtris primò fuerint his erroribus imbuti, ideoque (iuxta huius doctoris nouam theologiam) ad fidem Catholicam non ſunt compellendi.Quod & dicere monſtroſum eſt, & cum ipſorum hæreticorũ praxi varijs in regionibus pugnat. Quare vt nos nulla diuina humanáue lege ad Proteſtantium fidem cogi poſſumus, ita nulla adferri firma ratio poterit, quare cogi

Cur hæretici poſſint cogi ad fidem Catholicam etiamſi inter hæreticos nati, & educati fuerint.

Fol. 9.

Anabaptiſtæ Londini in Anglia combuſti.

non debeant ad fidem Catholicam, qui inter hæreticos, Arrianos, aut Caluiniſtas nati ſunt & baptizati, etiamſi magnā ætatis partem apud eos tranſegerint.

Nec mirari ſatis poſſumus, quo in orbe, quáue ætate generati fuerunt, quos Libelli author regnante Maria flammis abſumptos affirmat, cū nihil vnquàm (vt ille ait) de alia religione audiuerint, quàm ea cuius tunc cauſa mortem patiebantur. Illa enim (pro qua ſe mori aiebant) Secta, nunquàm in Anglia comparuerat, niſi ante quinque vel ſex annos, in perbreui regno *Edouardi* ſexti, aut potiùs eius Protectoris Ducis Somerſetenſis. Regnante enim *Henrico* octauo patre qui eum proximè anteceſsit, eadem filij ſui *Edouardi* religio pro hæreſi habebatur, eiuſque ſectatores vt hæretici exurebantur, idque legum publicarum authoritate, non aliter quàm ſub Regina Maria factum eſt. Sed ita ſe res habet; quia nos Catholici antiquiſsimæ maiorum noſtrorum fidei quæ per orbem diſſeminatur, & Catholica eſt, atque ab omnibus ita appellatur, inſiſtimus; dicimuſque nihil magis tyrannicum eſſe, quàm nos vi & armata manu, ad eam abnegandam impellere: iſti, ſimiarum more, ad ſuam infidelitatem rationem noſtram transferentes, nobiſcum eundem loquendi & diſputandi modum cupiunt vſurpare, in re non minùs differente, quàm cœlum diſtat ab inferno; & ex qua rectè concludant, non minùs Trinitarios & Libertinos in ſuo Atheiſmo, quàm Zuinglianos & Puritanos in ſuo Zuinglianiſmo eſſe relinquendos.

Hæretici & pagani ſimiles in Catholicis perſequendis.

Tertiò meritò de hac tàm crudeli perſecutione conquerimur, quòd ad veterem Paganorum, hæreticorum, & Apoſtatarum aduerſus Chriſti Eccleſiam graſſandi modum tàm propè accedat, vt nihil penitus differre videatur. Illi Catholicis plurimùm erant infenſi, eoſque perduelles vocabant: idem facitis & vos. Illi Epiſcopos, Sacerdotes, ac religioſos viros præ cæteris grauiſsimè perſequebantur: in hoc & vos præclarè illos imitamini. Illi ſilentio prætermiſſa religionis cauſa, (pro qua tamen ſola eos occidebant) alia crimina populo magis odioſa comminiſcebantur, maximè verò rebelliones, & contra ciuilem Magiſtratum conſpirationes: quid eſt vobis magis familiare & vſitatum? Illi innocentes homines qui nullas leges violarant, fraudulentis interrogationibus eò pertrahebant, vt leges violaſſe viderentur: & in hoc eos vobis imitandos propoſuiſtis. Illi horrendis cruciatibus Chriſtianos ad abſurandam fidem compellebant, ſpecie tamen explorandi eorum ſecretas de Principe & Reipublicæ

Fol. 9.

licæ ſtatu cogitationes: & in hoc vos illis eſtis pares & ſimillimi. Illi pro vnius Catholici peccato, alios ab omni talis peccati participatione alieniſsimos ſæpè obtruncabant, & generales ſuſpiciones omnibus Chriſtianis promiſcuè communes, applicabant ſpeciatim ad ſingulos quos libebat è medio tollendos: hoc à vobis factitari quis non intelligit, qui aliquid videt in veſtra publicarum rerum adminiſtratione? Horum omnium exempla ſi quis deſiderat, legat hiſtorias cruentarum perſecutionum, quas in imperio Romano *Iulianus Apoſtata*, in Italia & Africa, *Gothi Vandaliq́*, exciuerunt.

Neque verò illud vnum maximè proprium eſt hæreticæ perſecutionis, quòd multos & in primis Sacerdotes interimant, ſed illud etiam, quòd Catholicos bonis, honoribus, & facultatibus euertant; quòd libertatem illis adimant, quòd in ergaſtula conijciant, eam tantùm ob cauſam, quia Sacerdotes hoſpitio excipiunt, Miſſam audiunt; Catholicum domi ſuæ Ludimagiſtrum alunt, ſeruos Catholicos habent, ſchiſmatica templa preceſque non adeunt; quod poſtremum, hanc mulctam pecuniariam habet impoſitam, vt reus ſingulis menſibus *viginti libras Anglicanas* pendat, quod etiam crudeli ſua Arithmetica ita multiplicant, vt ſingulis annis in ducentas ſexaginta libras excreſcat; quaſi annus non duodecim ſed tredecim menſibus conſtaret. Quæ immanitas plurimos viros antiquæ nobilitatis in extremum adduxit diſcrimen, vel animarum, ſi iſtis obtemperant; vel fortunarum omnium, ſi obtemperare recuſant. His addendum eſt, quòd chariſsimos liberos à parentibus vi auulſos, apud hæreticos, quò citiùs inficiantur, collocant, quòd candenti ferro ſacerdotibus aures perforant; quòd alios flagellis concidunt, alijs aures amputant, alios ſacris veſtibus indutos ad vulgi irriſionem per plateas traducunt; quòd caſtiſsimas virgines in locos infames meretricibus peculiares includunt, præter alia inuſitatæ feritatis exempla, cum quauis perſecutione veterum hæreticorum aut etiam Paganorum comparanda.

66. Coronat. & aliquanto ampliꝰ in mẽſes ſingulos.

Excellentes Eccleſię prę̨latos ſupra triginta, carcerũ ſuorum ſqualore pædoreq́; extinxerunt, quadraginta aut eò ampliùs viros eruditione clariſsimos, nobiles atq; illuſtres tàm viros quã fœminas penè innumerabiles: quorũ non minùs eſt in conſpectu Domini pretioſa mors, quàm ſi vitã eis cruẽta carnificis manu celeriùs eripuiſſent. Sacerdotũ fratrumq́; noſtrorũ, teterrimi quiq; in Anglia pleni ſunt carceres, & quia veteres capiẽdis oibꝰ nõ ſufficiũt, nouos in plerisq; pro-

Quæ Catholici in Anglia patiantur.

uincijs exædificarunt. Omnes Christiani Principes atque prouinciæ, nostri exilij sunt testes. Interim nos aduersarijs corpora nostra, fortunas, patriam, vitam, sanguinem donamus; neque, tamen possunt hæc omnia inueteratum illud fidei, religionis sacerdotij nostri odium, in illorum animis restinguere. Et cùm tàm intoleranda sint quæ patimur, illi nihilominùs ne has calamitates nostras defleamus, nobis interdicunt. Hæc sunt Protestanticæ in republica gubernanda lenitatis, clementię, & misericordiæ exempla. Et tamen vt præfati sumus, nos non aliter hanc persecutionem deploramus, nisi quia ob eam fidem & causam in nos commouetur, quam leges omnes tam diuinæ quàm humanæ in nobis præstant & commendant: hoc, inquam, lamentamur, quòd à Christianis contra proprios pastores, quòd à filijs contra patres, quòd à subditis contra prælatos exerceatur; quibus profectò in religionis causa parere diuino iure expressoque Dei mandato præcipitur.

1. Pet. 2. Cùm Magistratus aliquis legitimus quem Deus gladio armauit ad *vindictam malefactorum, laudem verò bonorum*, fures, hæreticos, parricidas, debito supplicio castigat, quis factum hoc crudele dicit? quis de persecutione queritur? Verùm cùm scelerati atque improbi, vires in republica acquirunt, & magistratum, legitimos Iudices, aliósue iustitiæ ministros palàm trucidant, hoc facinus est detestabile, magisque propter vnius alteriúsue innocentis mortem vindicandum, quàm si mille improbi iustis legibus capitali supplicio plecterentur. Ad hunc modum, cùm sęcularis princeps, & præsul Ecclesiasticus in eos animaduertit, qui Ecclesiæ Christi legibus iudicantur hæretici atque in Christum Dominum iniuriosi, ea verè iustitia est. Cùm autem sęcularis princeps aut populus in Episcopos suos insurgit, quibus, Deo disertè præcipiente, in rebus spiritualibus (nisi æternis ignibus ardere velint) omninò parendum est; cùm Laici, ijq; vt plurimùm illiterati, seditiosè pastoribus suis audent præscribere, quid credendum sit, quo modo ac ritu Sacramenta ministranda; eosque ad nefaria iuramenta suscipienda, & impios articulos approbandos adigunt, idq; in Parlamento, publico videlicet totius regni Cōcilio, vbi Episcopi quorum prima sunt potissimaque (vt regni legibus cauetur) suffragia, reliquique è toto clero selecti viri primarij, qui Anglicanam Ecclesiam repręsentabant, magna omnes constantia, vnaq; mente & voce resistebant; cùm isti sancti patres è suis sedibus eijciuntur, & deinceps indignis vinculis constringuntur, & sæpenumerò

Vera persecutio.

penumerò (vti de egregio confessore Episcopo Londinensi constat) improbè & contumeliosè vexantur; cùm eorum cathedræ, pulpita, Ecclesiæ, à rebellibus filiis occupantur, & cruentissimis lupis ad diripiendum spoliandumque Christi gregem traduntur; hæc vbi fiunt, ea demùm vera est persecutio, vbi oues, subditi, & inferiores, *Actor.20.* sese efferunt contra eos, quos Spiritus sanctus duces, rectores, & animarum curatores illis ordinauit. Imò verò cùm Pastores ipsi suos, Christos Domini, omni officio authoritate ac iurisdictione, facultatibus etiam omnibus despoliant, & in carceres demùm conijciunt, & per iniquissimas leges laicis Magistratibus ius tribuũt de suorum in religione Magistrorum doctrina iudicandi, eosq; pro suo arbitratu visitandi ac corrigendi; hęc certè persecutio, seditio, & rebellio est, excellenter & in altissimo gradu, qua nulla post hominum memoriam fuit magis horribilis & execranda.

Et nos quidem aptè miserrimam nostram patriam illis prophetæ verbis affari possumus: *Populus tuus sicut hi qui contradicunt sacerdoti:* *Osee 4.* cùm eadem huius nostræ persecutionis ratio sit, ac seditionis illius, quæ in deserto à *Chore*, *Dathan*, & *Abiron* alijsque eius impietatis socijs aduersus legitimos suos Sacerdotes atque Rectores, præsertim verò aduersus Aaronem summum Sacerdotem excitata est: quemadmodum nostra modò Anglia aduersus Sedem Apostolicam, omnemq; legitimam spiritualem iurisdictionem ab ea manantem impiè tumultuatur. Ideoque Libelli author subdolè forsan ac veteratoriè quoad imperitam plebeculam, at verò quoad prudentiores rerum æstimatores, stultè & absurdè exemplo *Chore* abutitur ad nos criminandos, quoniam Deo magis quàm hominibus paremus, & in rebus quæ conscientiam attingunt, aduersarijs resistimus. Illa *Chore* conspiratio nefarium ipsorum ab Apostolica Sede Catholicaque Ecclesia apostasiam condemnat, nostrosq; pro illius Sedis & Ecclesię authoritate aduersus quorumcunq; hostium impetum, probat labores, & studia conatusque corroborat.

Est verò istorum hominum rebellio eò etiam manifestior, ac persecutio detestabilior, quòd non modò ipsa natura reclamante, tanta erga patres suos spirituales violentia sint vsi, verùm etiam quòd pro sua libidine in eorum locum subrogarunt lupos quosdam rapacissimos; luxuriosos Apostatas, homines planè Atheos, atque vt (vno verbo dicam) totius regni fæcem, & sordes: qui pro suo in Catholicam fidem cuius sunt desertores odio, & improba verorum Episco- *Nouus in Anglia Clerus qualis.*

 porum

porum (quorum cathedras sæcularis Magistratus ope per vim occuparunt) æmulatione contra veros sacerdotes, & quicunque illis patrocinantur, tàm immensa sunt malitia inflammati, nullum vt lapidem non moueant, quò omnes totius regni Magistratus in illorum perniciem extimulent; ipsiq; sub specie suæ authoritatis Ecclesiasticæ, & quam ferè adiunctam habent, potentiæ ciuilis, quantam possunt maximam feritatem & tyrannidem in eos expromunt, metuentes perpetuò statui & ambitioni suæ, quamdiu verum aliquem Episcopum aut Catholicum in patria vident superstitem. Quorum in hoc genere actiones eò sunt magis intolerandæ, quòd & ipsi non ignorant, & in publico iurisdicundi foro clarissimè fuit demonstratum, eos non modò contra veteres leges Dei & Ecclesiæ, sed etiam contra noua ab ipsis fabricata Statuta, & de illis creandis & initiandis propriè lata, Sedes eas conscendisse.

Quare cùm veri nostri pastores, contra omnes leges, rationem, ac naturam ipsam vexentur, spolientur, excrucientur, crudelissimè deniq; occidantur, partim à sæcularibus hominibus qui nulla in Ecclesiasticis rebus authoritate sunt præditi, partim ab illis Ecclesiasticis recens creatis, qui nullam prorsus iurisdictionem habent, nisi in quam fraude atque vi contra Ecclesiæ Catholicæ canones, ipsasque patriæ leges inuolarunt; quis erit tàm stupidus aut bardus, qui non statim videat immensum discrimen, inter iustam eam disciplinam quæ in reos & sontes legitima authoritate Ecclesiastica ac ciuili, in Catholicis regnis temporibusque exercetur; & iniustam vim atque persecutionem quæ contra Ecclesiam Ecclesiæque filios adhibetur, sine omni legitima potestate, diuina vel humana, Ecclesiastica vel temporali.

Qualis in initio fuerit Protestantiũ clementia erga Catholicos.

Nihil est igitur cur Libelli author tàm gloriosè exultet, & admirabilem illam erga quosdam Ecclesiastici ordinis præcipuos viros clementiam in primis regni initijs, tàm magnificè prædicet, quòd nimirum vitam illis permiserint, quam nostris modò eripiunt. Docere ipsos Cicero poterit, quale beneficium sit latronum, cùm viatoribus pecuniam adimunt, vitam relinquũt, & qualis remuneratio tali beneficentiæ debeatur. Sed quantacunque tunc fuerit erga quosdam humanitas (quæ si verùm fateri volumus, non alia fuit, quàm quòd pro celeri morte vitam concesserunt, longiorem quidem sed miserabiliorem, aut potius lentam quandam mortem multis doloribus miserijs atque incommodis expolitam; quod persecutionis

tionis genus cæteris esse crudelius, eleganter contra Constantium Imperatorem docet D. Hilarius) sed quantacunque fuerit eorum humanitas, aut quacunque de causa pręcipuos quosdam Catholicos, non eadem celeritate tunc interfecerint, qua posteà plerosque è medio sustulerunt, nullum certè in causa ab vtrisque defensa discrimen inueniri poterit, cùm vtrobiq; perduellionis illius quæ nunc fingitur, par ratio fuerit, id est, in vtrisque ne vestigium quidem vllum.

Ac mihi quidem de prioris illius lenitatis occasione cogitanti, venit in mentem veteris illius consuetudinis quæ persecutoribus familiaris admodum esse solet, vt initio omnibus blandimentis ad se quos possunt vafrè pelliciant, quemadmodùm *Iulianus Apostata* imperij sui principio, magna benignitatis atque clementiæ signa prę se tulit: illa verò simulatione vbi Christianam fidem extingui non posse vidit, mox lenitatem omnem in extremum furorem ac tyrannidem conuertit. Et in Anglia quidem, cùm primùm hæresis inualuerat, principales quique cùm Ecclesiastici, tùm alij Catholici, vel in carceribus, vel alijs in locis captiui detinebantur, vbi suis fungi muneribus sacris omninò non poterant; quorum plerique, cùm ætate iam admodùm prouecta essent, facilè sciebant aduersarij eorum vitam non fore diuturnam. Erant etiam ex illis nõnulli, qui cùm paulò antè summos in Repub. Magistratus gessissent, Protestãtes aliquos pro suæ vel hæreseos, vel perduellionis criminibus, regnante Maria Regina mortem promeritos, in vita conseruassent: ijq; proptereà, ne accepti beneficij prorsus immemores viderentur, quibusdam Episcopis vitam impetrarunt. Nihil verò minùs suspicabâtur, quàm veteranis illis ducibus, partim longa senectute, partim carcerum miseria consumptis, exorituros alios tirones, qui pro patrum suorũ atq; Episcoporum fide tuenda, alacriter cum hostibus in arenam descenderent. Qua in re, cùm iam videant post viginti quinq; annorũ acerrimam cum Ecclesia Christi luctam & concertationem, sua omnia humana consilia irrita concidisse, nec vllam in hæresi quietẽ, nec statussui securitatem (quam ab hæresi totam pendere existimant) polliceri sibi iam posśint; hanc ob causam nos pro Maiorũ Catholica fide restauranda laborantes, multò hostiliùs oppugnant, quàm patres nostros olim oppugnãdos putarũt. Quanquã (vt verũ fateamur) si sublimẽ eorũ in Ecclesia & Republ. vocationẽ, si honores, si Episcopalem vnctionem consideremus, vnius ex ipsis de suo statu deiectio atque capti-

Cur mitiùs cum Catholicis initio quàm posteà egerint.

captiuitas, maius supplicium censendum est, quàm si nos varijs tormentis varijsque mortis generibus vitam amitteremus; qui eorum comparatione nihil sumus, quàm infantuli & pupilli, semper tamen eorum pastoralis dignitatis filij & assertores amantissimi.

Quod verò Libelli author, aliorum nos scelerum, quàm illos, adeoque & ipsius Maiestatis læsæ reos esse imaginatur, ideoque magis neci traditos, vel de Bulla, alijsque criminibus capitalibus magis examinatos (à quibus illi fuerunt immunes) horum nos vtrunque falsissimum esse affirmamus. Neque enim nobis magis quàm illis, aliquid præter religionem ac conscientiam obijcere vnquàm potuerunt; neque illi ipsi quos quietos, tranquillos, atque obsequentes fuisse subditos Libellus confitetur, caruêre semper his funestis & cruentis interrogationibus, quibus modò ad vitam nostram pro suo arbitratu auferendam armantur. Huius rei locuples erit testis nobilis ille confessor Episcopus Londinensis, priùs certè quàm de Reginæ excommunicatione quicquam increbuerat; & cum illo alij plerique eiusdem temporis atque ordinis, quibus ante annos circiter nouem, varias de Bulla quæstiones proposuistis, eiusdem prorsus sententiæ cum his quibus nunc Catholicos, non minùs quietis pacisque amantes, ad mortem vsq; persequimini.

Libelli author Ecclesiasticos, qui initio Regni huius Principis vixerunt, callidè laudat.

Quod verò ad laudes eas attinet, summæ prudentiæ, eruditionis, ac fidelitatis, quas Libelli author non sine affectato verborum lenocinio primis quibusdam Ecclesiasticis impertitur; quanquàm hæc omnia nihil aliud referunt, quàm blandam illam salutationem *Ioabi, Amasam* simul osculo ac mortifero vulnere excipientis (paulò enim post eos omnibus opprobrijs contumeliosè lacerat) tamen suo seipse testimonio, sociosque suos iugulat, qui tàm excellentes viros, tàm

2. Reg. c. 20. fideles, tàm prudentes, tàm eruditos, suis eijcere Sedibus ausi sunt; atque illorum sapientissimis iudicijs, prophanorum indoctorumq; hominum opiniones anteferre, idq; in causa religionis, in qua illi maximè erant versati. Deinde (quod longè grauius est) in illorum locum incircumcisos quosdam Philisthæos induxerunt, collectos ex impurissima totius regni fæce, quique nobilium aulicorum manus

Genes. ca. 32. benedictione *Esau* sacrilegè implendo, viam sibi ad tantam dignitatem munierunt. Quorum comparatione, adeoque eorum omnium qui sub imperio Reginæ *Mariæ* hæresum suarum pœnas luerunt, vel infimus eorum, qui aut in Anglia pro Religione patiuntur, aut eadem causa exules in alijs prouincijs viuunt; & morum probitate, & vitæ

vitæ innocentia Sancti appellationem promeretur; quantumuis de his Libelli author partim hæretica quadam improbitate, partim nefaria fraude, aliquando humiliter abiectéque, aliquando contumeliosè falsóque loquatur, vt eorum nomen apud populum eleuet, vel gratiam apud Christianos principes minuat, sub quorum tutela, vitam in exilio piè Christianeque traducunt.

Comparatio eorũ qui nũc pro fide patiuntur, cum ijs qui sub Regina Maria pro hæresi passi sunt.

Pudet quidem nos istius hominis stultitiam in puerilibus huiusmodi nugis imitari; quia tamen eius importunitate cò impellimur, causam nostram cum causa, & personas cum personis eorum qui paulò antè in Anglia pro hæresi & Apostasia exusti fuerunt, breuiter (si placet) conferamus. Ac primùm, quod ad Archiepiscopos attinet, quos ille tàm magnificè & fastuosè iactat, vel mendacium est si loquatur simpliciter & planè, vel figura est si loquatur artificiosè & rhetoricè. Vnicus enim omninò fuit, ijsque publicè periurus, & sæpè relapsus Apostata, cui pro ludo fuit iterum atque iterum iurare, peierare, palinodiam canere: quique ipso mortis suæ tempore contra solenne votum, & sacrum ordinem, incesto matrimonio illigabatur; homo perditus & dissolutus, & principalis Regis nostri corruptor, atque in eo, precipua Anglicani fundi calamitas. Alium certè Episcopum vel Ecclesiasticum alicuius nominis in toto exustorum grege habuére neminem, quanquàm eorum aliqui prælatorũ quorundam Cathedras iniustè occuparant. Plerique omnes erant ex infima vtriusque sexus plebe atque abiectissima conditione, vita moribusque profligati; ipsaque adeò *Sancta fœmina* (cuius ex vtero mendacissimum secutus *Foxum* infantem in ignem erupisse ait) impura atque impudica fuit. Quare vt suam celaret turpitudinem, impiè dissimulauit quo in statu esset, nec à Magistratu iuxta patriæ morem, intumescentis vteri priuilegium postulauit, sed grauida (cuius ipsa sola erat conscia) ad rogum sibi præparatum accessit. Vbi Deus eius fœdam incontinentiam toti mundo patefecit, cùm illa virginis scilicet & martyris gloriam aucuparetur: qualem nec vnam in Foxi martyrologio inuenies, nec facilè in toto Protestantium Sanctorum Calendario.

Crainmerus.

Foxi Sancta mulier.

Catholicorũ, qui pro fide passi sunt, numerus & conditio.

Nos verò istis talibus, quatuordecim simul Episcopos opponimus, eosque excellentes & tanto munere dignissimos, & quos ipse Libelli author paulò antè, animo licèt pessimo, magnis laudibus in cœlum extulit: (& certè quoad eruditionem & sanctitatem, nullis Europæ Episcopis erant inferiores) qui omnes suis honoribus exuti,

pleriq; etiam in carcerem coniecti, maximiſque iniurijs affecti fuerunt, vnà cum eximio illo Confeſſore Archiepiſcopo Armacano Hyberniç primate, multiſq; alijs eiuſdẽ inſulæ Epiſcopis. Opponim° deinde duos alios eiuſdẽ dignitatis Prçſules Anglos, alterũ iam mortuũ, alterũ Romæ adhuc ſuperſtitem: tres quoq; deſignatos Epiſcopos vita iam functos, quibus addimus venerandum Abbatem Vveſtmonaſterienſem, quatuor Religioſorum Conuentuum Priores, treſque integros Conuentus fortunis omnibus ſpoliatos, & vel in ergaſtula detruſos, vel è regni finibus exterminatos. Addimus deinde duodecim Decanos ſpectatæ eruditionis, qui in Cathedralibus Angliæ Eccleſijs ſecũdas ab Epiſcopis obtinent: Archidiaconos quatuordecim, Canonicos Cathedralium Eccleſiarum ſupra ſexaginta; Sacerdotes verò pluſquàm centum, omnes bono loco & exiſtimatione, ſuperioris Principis temporibus: vt alios omittã Sacerdotes plurimos, noſtri huius exilij tempore creatos, & poſteà martyrio coronatos. Quibus adijcimus quindecim Rectores Collegiorum Oxonienſis Academiæ & Cantabrigienſis, viros magnæ certè in ijs Academijs & in ipſa Republica authoritatis: quorum prudentia & pietate commoti, præcipui quiq; omnium ſcientiarum profeſſores, & Doctores in diuerſis facultatibus ſupra viginti, vel cum illis, vel non ita multò poſt eorum exemplum ſecuti, religionis cauſa partim in alijs regionibus peregrinantur exules, partim domi in carceribus detinentur vincti. Neq; verò initio tantùm perſecutionis, ſed etiam poſteà, plurimi liberalibus diſciplinis percelebres & vtriuſq; Academiç præclara lumina, ſeſe vel ad *Societatem Ieſu*, vel ad *Seminaria*, vel ad alia loca eruditionis laude florentia contulerunt: vbi ſingulari Dei bonitate, ac Prælatorum, Principum, populiq; Catholici beneficentia, diuturnum exilium honeſta in paupertate tranſigunt: nonnulli etiam in Academijs externis ad maximas functiones electi, tanta cum omniũ ordinũ beneuolentia atq; humanitatç, quanta maxima externis hominibus concedi poteſt, nuſquã certè vllius grauioris criminis, aut diſciplinç perturbatæ accuſati. Id quod facilè clariſſimorum virorum teſtimonijs inter quos varijs in Regionibus viximus, poſſumus confirmare.

Vita moreſq; noſtri tempore perſecutionis.

Et quidem quod ad mores vitamq; Chriſtianam attinet, ſiue noſtros inſpicias, eos qui domi in calamitatibus & ærumnis viuunt, vel foris in exilio apud exteras nationes verſantur (quanquàm homines nos eſſe meminimus, & vt homines varijs infirmitatibus obnoxios)

cum

cum Protestantibus tamen omnibus,vbicunq; in aliquo terrarũ angulo grassantur,iudicio cõtendere nõ dubitamus.Id quod aduersus mendacem libelli huius authorem eò maiori libertate animiq; fiducia contestamur, quia impudenter quidem, & reclamante haud dubiè propria conscientia,de nobis scribere non veretur; *Perpaucos religionis causa patriam deseruisse, præter eos, qui aut mendicitate laborabant; aut honores quos in Academijs alijsq; regni locis appetebant,propter indignitatem assequi non poterant; aut qui mercatores erant ære alieno oppresi:* cùm omnes intelligant neminem esse ex nostris, etiam infimum atq; miserrimũ, quin si graui isto viginti quinque annorum exilio fractus, Catholicam fidem deserere, & ad aduersarios transire voluerit, summa statim cum gratulatione excipitur, atque in illorum synagogis inter primos collocatur.Ita nusquam (vt eleganter quidam ait) *facilius proficitur quàm in castris rebellium.* Et varijs experimentis cognitũ est,quãto illi studio vilissimum quemq; Apostatam,aut lasciuum aliquem iuuenem à studijs auersum, aut acolastum perditum ac dissolutum aucupantur, qui vel exilij diuturni tædio victus,vel alia quacunq; occasione permotus,ad Aegipti ollas, hoc est hæresim,& carnis libertatem respicit. Quibus tamen illecebris,quàm paucos, aut penè nullos nobis surripitis,quis ignorat? Nos intereà summo Dei beneficio ex ipsis vestris Ministris quam plurimos recipimus, multos ingeniosissimos adolescentes, multos nobiles in delitijs licèt educatos, multos amplissimarum fortunarum hæredes idq; omnis ætatis, qui sua sponte vestras hæreses execrati,Deum apud nos in Ecclesia Catholica quærunt. Quorum etiam permulti,vel Sacerdotes euadunt,vel religiosi,hoc ipso tempore,quo sciunt vos istud genus hominũ adeò contemnere atq; hostiliter insectari.Est hoc certè Dei opus,in oculis nostris,atq; etiam in vestris mirabile, quod nullis humanis viribus, nullo terrore,nullis fraudibus dissolui potest. *Ioan. Nic.* *Tertul. de præscript.*

Diligentiùs igitur supputate;nec ad Ecclesiasticos modò tot tamque insignes,maximaq; eorum indies incrementa, vestris illis Draconis legibus in sanguine scriptis nihil quicquam impedientibus oculos conuertite: sed si hac contentione decertare nobiscum velitis, cum vestris illis verè mendicis, æreque alieno oppresis (vti nos vocare non erubescitis) qui sub imperio Reginæ Mariæ vestrum Euangelium præ se tulerunt, comparate tot fortissimos nobilissimosque Comites,Barones, Equites auratos, Armigeros, aliosque magni nominis, & dignitatis viros, qui vel carceres perpessi sunt, vel *Seculares. Catholici.*

(quod sana conscientia fieri potuisse illis erat persuasum) pro religione arma sumpserunt: non quidem aduersus Principem aut patriam, sed aduersus impios homines, qui ad se locupletandos suasq; hæreses stabiliendas, tenera Principis ætate sexuque imbecilliore abusi sunt. Numerate prætereà alios plurimos, qui cùm essent partim natalium suorum splendore, partim publicis muneribus quibus in Republica fungebantur clarissimi, omnes opibus commodisq; huius vitæ abundè circumfluentes, ea tamen omnia pro fide Christi dereliquerunt. Horum ego magnum numerum recensere possem, qui & animo parati, viribusque satis prompti sunt (nisi Principis reuerentia, patriæq; charissimæ amor prohiberet) ad religionem suam & honorem armis defendendum contra omnes hæreticos, qui confictis mendacijs eos ausi fuerint infamare.

Comes Vuestmerlandiæ.

Quorum omnium ordinem & bellicam fortitudinem calumniator iste extenuare conatur, commemorando nobilem *Vuestmerlandiæ Comitem*, cuius particularem vitam atque actiones, aut alterius cuiuscunque, & si nihil opus est aduersus hæreticorum notissimas calumnias malitiamque tueri; vtque adolescentiam mittamus moresq; illi ætati fortassis consentaneos (quos & à vobis ille didicit, & in aula atque castris non esse semper castissimos, satis ipse qui hęc scribis, intelligis) tamen & crassum esse mendacium quod de eius confecto corpore scribitur, ipse potest abundanter probare, & innumerabiles testari possumus, eum sanum incolumemq; viuere, & in exercitu Regis Catholici honorificum locum tenere. Nec etiam dubitamus asserere illustrem *Northumbriæ Comitem* glorioso vitam martyrio finiuisse. Quæcunque enim illius mortis causa prior extiterit, eum tamen fuisse Martyrem ex eo conficitur, quòd vitam ei aduersarij obtulerunt, modò religionem Catholicam voluisset deserere. Neque ab eo honore excludendi sunt multi alij, qui eadem de causa vitam suam cum eo sunt periclitati. Ad quem locum aggregamus optimo iure omnes Sacerdotes, qui ob nuperrimè inuenta læsæ Maiestatis crimina (vni Angliæ propria, toti prætereà mundo incognita) vitam cum morte commutarunt. Istos enim omnes quoniam vitã & facultates sibi oblatas pro Christi fide contempserũt, certum est in Sanctorum ac Martyrum numero habendos esse, non secus ac si ea sola de causa mortem obijssent.

Northũbriæ Comes.

Ideoque cùm Doctorem *Sanderum*, ac D. *Bristoum* libelli scriptor perduellionis insimulet, quòd huiusmodi viros eo quem diximus

sensu

sensu martyres appellauerint, suam ipse ignorantiam prodit; nec minorem omninò malitiam, cùm martyrum nostrorum catalogo adscribere nos iubet *Somerfildum* quendã nuper occisum, coram Deo fortasśis reuerà martyrem, si (quod de eo omnes affirmant, & ipse libelli author fatetur) mentis expers & furiosus extitit. Cui profectò quicquid in ea mentis alienatione fecit, vitio verti non potest. Aduersarijs verò pro homicidio deputabitur, quicquid in illũ ita affectum perpetrarunt: potisśimum verò, si (vt plurimorũ fert opinio, eaque multis probabilibus coniecturis confirmata) data opera, submisśis carnificibus clàm necatꝰ fuerit, (quod illi accidisse fertur, qui Lancastriæ Ducem accusauit, alijsque multis, & nominatim Ioanni Hunno in turre Lolardi, si qua fides Foxo habenda sit) ne ipsius fortasse operâ, horribiles quædãm machinationes de *Domini Ardeni* viri innocentisśimi fortisśimique condemnatione ac morte procurata, posteà erumperent. Cuius viri eadem cum *Nabothi* illius cuius sacræ literæ meminerunt, causa, verbaque quibus (vt aiunt) *Reginæ inter immortales in cœlo locum optabat*, tàm seuerè rigideque à potentisśimo quodam iuratoque eius hoste, qui multos iam annos eius perniciem studiosè meditabatur, expensa erant & ponderata, vt ea cum fidei Catholicæ, quam ille non disśimulabat, zelo coniuncta, exitum illi funestum & calamitosum, summo cum totius patriæ dolore attulerint. Sed me aduersarij importuna loquacitas de via nonnihil deflectere coëgit.

Somerfildus.

D. Ardenus.

3. Reg. 21.

Vt ergò vnde digresśi sumus eò reuertamur, inter illos insignes prælatos qui cùm primùm Regina ad regnum capessendum accederet, de officio ac dignitate deiecti fuerunt, principem locum tenuit (Primate Cantuariensi iam anteà defuncto) Archiepiscopus Eboracensis, summus Regni Cancellarius, cuius viri quanquàm à Protestantium religione abhorrentis, fidelitatem tamen ergaReginam vehementer libelli author prædicat: eumq; proponit tanquàm exemplar clementiæ à Regina Catholicis exhibitæ, cui toto regno Mariæ Reginæ simile nullum reperiamus (sic enim inconsideratè nugatur) cùm tamen Regina Maria multis non modò hæreticis, sed etiam proditoribus improbisśimis qui ad eam Regno vitaque exuendam, consilia, opes, armaque consociauerant, vitam & facultates omnes clementisśimè condonauerit, qui adhuc sunt superstites, & toti mũdo notisśimi, & à nobis facilè possent nominari. Addit deinceps libelli author (quod est perspicuè falsum) hunc præsulem, sua se spõte

D. Heath Archiepiscopus Eboracensis.

summi Cancellarij munere atque Archiepiscopi dignitate abdicasse, cùm omnes norunt, eum cum suis Suffraganeis cæterisq; Coëpiscopis per vim deiectum fuisse & spoliatum, quòd nec iuramentum illud de Reginæ Primatu absurdissimum præstare, nec in sua prouincia Caluinianos ritus atque sacra recipere & propagare voluerit.

Quorum Episcoporum zelus in causa Dei ac religionis, tàm erat flagrans & heroicus (quamuis eos libelli outhor propter fidelitatem atque obedientiam nobis anteponat, vt ita non iniuria mutatam rerum faciem populo persuadeat, ac nobiscum agi modò crudeliùs, cùm illi primò tractarentur clementiùs) præsertim verò Reuerendissimi illius Archiepiscopi, vt magno sanè ac excelso animo tantoque viro dignissimo, eam quæ nunc est Reginam, more aliorum Regum inungere ac coronare recusarit, quod sui tamen muneris erat, defuncto iam (vt diximus) Metropolitano. Idemque simul omnes Episcopi vno consensu recusarunt, donec tandem non sine magna difficultate, ab Episcopo Carliolensi omnium penè infimo, vt hoc munere fungeretur, impetratum est. Quod hoc lóco propterea commemoro, quia libelli aùthor pro sua eximia prudentia, factum illud Archiepiscopi, summæ illius erga Principem obseruantiæ atq; humanitati tribuit. Nemini verò dubium esse potest, quin tanti muneris detrectatio, in homine præsertim cui illud ex officio incumbebat, longè maiorem perduellionis suspicionem præbere potuisset, quàm eorum multa quæ posterioribus annis pro fidei Catholicæ defensione à Sacerdotibus gesta sunt, si hæreticorum illius temporis aduersus Christi Ecclesiam malitia ad eam maturitatem peruenisset, ad quam nunc peruenisse cernimus.

Episcopus Carliolensis.

Cur Episcopi Catholici Reginam solenniter coronare recusarint.

Cur autem hoc Episcopi ita recusarint, vt nulla cuiusquam authoritate vel metu ad Reginam solenni ritu coronandam adduci potuerint, causa fuit, quòd multis iisque valde probabilibus argumentis permoti, credebant eam iuramentum illud sacrosanctum, vel non daturam omninò, vel certè paulò post violaturam, quo Reges omnes Christiani, Angli verò præsertim cùm ad Regni gubernacula euehuntur, obstringere se consueuerunt; sanctæ nimirum Ecclesiæ se leges, honores, pacem, priuilegia defensuros, & singulis Regni ordinibus ius suum conseruaturos, vt regnante *Edouardo Confessore* factum esse annales nostri testantur. Verebantur etiam ne decepta pessimo iuuenum quorundam consilio quos circa se habebat, insano tùm hæresis amore atque ambitione flagrantes, solennem illam sacram-

Iuramentum Regum Angliæ, cùm in Regnum inaugurantur.

sacramque vnctionis cæremoniam, Christianis omnibus Regibus communé, magno Regni totius scandalo respueret. Id quod eò vehementiùs formidabant, quia non ita multò antè viderant eam cùm primò solium Regale conscenderet, illi quem diximus *Episcopo Carliolensi* ad altare stanti, paratoque vt coram illa sacrificium Missæ perageret (factum mirabile in fœmina contra Episcopum, in adolescentula contra venerandæ grauitatis senem, idque in Ecclesia ad altare, in ipsa diuinissimorum mysteriorum celebratione) præcipere, vt sacrosanctam *Hostiam non attolleret, quòd illam ipsa cæremoniam* nequaquàm probaret. Cui Episcopus tùm quidem summa cum laude constanter parere renuit, quod iam in nobis capitale fortassis læsæ Maiestatis crimen, & erga Principem infidelitas diceretur. Et istius quidem facti Episcopum illum nunquàm pœnituit: alterius verò quòd Reginæ Christiano more Regale diadema imposuerat, vbi rei euentum vidit, seque suosque omnes Coëpiscopos sacrique ordinis socios ex Ecclesijs suis exturbatos, sanctasque Ecclesiæ Catholicæ leges contemptas, & religionem conculcatam, contra fidem quam Regina in consecratione sua paulò antè sanctissimè dederat, & contra pacta conuentaque quibus Regni administrationem acceperat, huius (inquam) facti eum quoad vixit adeò vehementer pœnituit, vt hac de causa vitam deinceps perbreuem eamque peracerbam duxerit.

Aliàs certè Episcopi, & ex Ecclesiastico ordine viri primarij, tantam animi magnitudinem ostendebant, quantam in tàm repentina hæresis irruptione optare quisquam poterat. Sua enim priuata pericula adeò neglexerunt, vt eorum pleriq; Excommunicationis censuram aduersus Reginam aliosque nonnullos adhibendam censerent, qui duces illi authoresque fuerunt tàm periculosæ defectionis totique Regno ignominiosæ; Regno (inquam) illi, quod iàm paucis antè annis fuerat *Sedi Apostolicæ* reconciliatum, & sacrosanctis omniũ ordinum iuramentis confirmauerat se deinceps perpetuò in eius communione permansurum.

Episcopi & alij Ecclesiastici Reginã excommunicandam censuerunt.

Verùm prudentiores Episcopi, vel certè mansuetiores, propositis quæ ex eo facto secutura videbantur, magnis incommodis, contrariam sententiam prætulerunt. Itaque rem eam Romano Pontifici totius Catholicæ Christi Ecclesiæ pastori committendam potiùs statuerunt, quàm ab illis qui Reginæ erant subditi attentandam: quia factum illud nescio quos fortasse tumultus & scandala,

totiusque

totiusque ordinis Ecclesiastici perturbationem aut etiam persecutionem posset probabiliter excitare. Non est enim dubium quin aduersarij sibi persuasissent Excommunicationem hanc emissam ab Episcopis, tumultuandi potius studio, quàm amore & charitate, officijque fungendi zelo, à quo tamen omnes huiusmodi censuræ reuera proficiscuntur; quocunque tandem modo ij in quos feruntur malè videlicet affecti & morbis animi grauioribus sæpenumerò laborantes (Principes præsertim, nisi in timore Dei multùm profecerint) eas interpretantur: cùm sæpè legamus multos Episcopos propterea à multis Regibus in vestigio iugulatos.

Atque hæc omnia à nobis ideò dicuntur, ne quis aduersarij verbis fraudulentis circumuentus, Præsules illos reuerendos minùs quã nos in Dei causa strenuos atque ardentes, id est (vt ipse commentatur) Principi fideliores fuisse putet: aut nos illorum sobolem & progeniem, omnibus in rebus legitimis minùs quàm illos esse Principi obsequentes atque fideles, ob eamque causam acriori animaduersione dignos. Quanquàm (vt simpliciter dicam) illorum perpetua captiuitas squalorq; carceris, frequensq; à carcere in carcerem, ab vnius Pseudoepiscopi ædibus ad ædes alterius, ab vno custode ad alium traductio, egestas interdum summa, quotidianæ contumeliæ iniuriæque, & alia id genus complurima quæ eorum nonnulli totos iam annos viginti quinq; pertulerunt, quauis morte longè sunt grauiora. Quare hæc demùm est certa & insignis persecutio, cùm tales viri ac tanti, pro ea quam diximus causa, reclamantibus legibus atq; omni ratione, à quibus reuerentiam maximam & obedientiam posint requirere, ab ijs affliguntur maximè, & vexantur contumeliosissime.

Nobilium in Anglia Catholicorũ persecutio. Nec minor est calamitas Catholicorum in Anglia nobilium, quos aduersarius scribit *nec vita, nec fortunis priuari, quamuis summi Pontificis primatum credant, affirmentq; Reginam omnium suorum subditorum, qui quidem Ecclesiastici sunt, gubernatricem esse minimè debere. Quæ tamen opiniones* (inquit) *secundùm Regni leges, aliqua ex parte, & quadantenus castigantur.* At quicquid iste tàm grauiter mentiatur, verum certè est, magis intolerandam Nobilitati quàm Ecclesiasticis ipsis iniuriam fieri. Multò enim vehementiùs & indigniùs nobiles illi vexantur, spoliantur, exhauriuntur mulctis, exactionibus, obligationibus, proscriptionibus, carceribus, alijsque pœnis infinitis, quæ vobis quotidiè sunt in vsu, à nobis autem commodè non possent exprimi; quos promiscuè

cum

cum Latronibus ad tribunalia sistitis, tanquàm proditoriè de statu & religione sentientes, conuitijs incessitis; ad eos calumniandos, sordidissimam vulgi fæcem, Ministros, exploratores, & apparitores submittitis; aliquando in suis ipsorum domibus inuaditis, & violenter pecunias, quæque occurrunt alia bona eripitis, aliquando ex domibus in siluas saltusque, & (quod scientes loquimur) in flumina compellitis; & deniq; relictis paternis laribus in exilium ad ignotas & peregrinas regiones hucq; illucque profligatis. Quod quàm sit miserum, quàm calamitosum, quis ignorat? Cùm necesse sit eorum familias peramplas sæpenumerò & copiosas, vel fame & inedia domi contabescere, vel apud exteras nationes mendicato viuere. Vtroque enim loco eorum omnes fortunæ à vobis occupantur, ipsæque hæreditates vel Principis fisco asscribuntur, vel homini alicui scelesto ac nefario donantur, qui ipsos spoliandi facultatem à Principe obtinuerit.

Quæ cùm ita se habeant, audet tamen iste vir bonus prædicare (ne corũ in Nobiles ipsos crudelitas quanta sit, mundus intelligat) ea quæ ad conscientiam pertinent, ad Religionem, ad Sedem Apostolicam, *Non nisi aliqua tantùm ex parte, & quadantenus puniri*, citra vitæ aut fortunarum iacturam; cùm nemo sit qui nesciat, iniquissimis ipsorũ legibus eos & posse & solere non tantùm hæreditatem omnem Catholicis Nobilibus, sed & libertatem, & vitam denique ipsam eripere. Exempla si quis requirat, proferimus inprimis *D Trugionum*, qui tot iam annos in carceribus aliena liberalitate vitam tuetur, fundis & facultatibus amplissimis spoliatus. Proferimus Laicos illos non ita pridem *Vvintoniæ* & *Andoueri* martyrio defunctos, & tot alios primæ nobilitatis, bonis omnibus ipsoq; natali solo eiectos, tot in ipso Regno atque in suis ædibus ita oppressos & rebus omnibus exinanitos, vt quo à se suisque famem depellant, omninò non reperiant. Quodque est miserabilius, nullum in Angliæ Regno virum esse pauló clariorem asserimus, cuiuscunque sit loci & dignitatis, qui, si aliquo signo Religionis atque modestiæ Christianæ, in Catholicam fidem se propendere ostenderit, de vita fortunisque suis vel diem vnum aliquam sibi possit securitatem polliceri. Mox enim per fas ac nefas suis illum Statutis tanquàm retibus illaqueabunt, & in carcere concludent, breuique (ni diuinitùs protegatur) cum tota familia perdent, & possessiones omnes ad capitalem plerunque illius hostem transferent. Atque hæc sæpenumerò fiunt inscia atque inuita Prin-

Os durum aduersarij.

i cipe,

cipe, quæ contra naturalem suam mansuetudinem & clementiam, ad hanc inhumanitatem paucorum dominatione impellitur, quibus tantum est in ipsam totamque Rempublicam imperij, nemo vt Catholicus nisi quoad ipsi voluerint, de vita opibusque suis securus esse queat.

Nouit, qui omnia nouit Deus omnipotens, nos has extremas Catholicorum in patria nostra calamitates & ærumnas nequaquàm supra rei indignitatem exaggerare, qui minimam partem earum miseriarum oratione nostra assequimur, quas illi in dies & horas singulas patiũtur. Quorum si cathenas, si compedes, si carceres, si fugas, si spolia, si direptiones, si contumelias, mortes denique varias & exquisitas si orbis Christianus ita posset oculis intueri, quemadmodùm nos ea sentimus & experimur, omnes certè Principes Christiani nobis commiserarentur, & has nostras de illorum immanitate querimonias longè iustissimas esse iudicarent.

Callidæ aduersarij fraudes.

Et hoc quoq; ad infœlicitatem nostram augendam accedit, quòd Calumniatores isti mendacia de nobis manifesta spargendo, & piam nostram de religione sententiam malitiosè deprauando, etiam exteris nationibus inuisos nos reddere conantur; quale est illud (verbi causa) quod hoc in loco scribitur, plerosque in Anglia esse viros nobiles, qui existimant *non debere Reginam in suo Regno Gubernatricem esse suorum subditorum, si quidem Ecclesiastici fuerint: neq; tamen* (inquit) *propterea morte mulctantur.* De morte quatenus pro talibus opinionibus infertur, suprà quod satis est diximus; quod verò ait, Catholicos hoc asserere, insignis est & mendacissima calumnia. Longè enim aliud est, & infinito interuallo discrepat (quod præ stupore iste non intelligit) si quis dicat: non cadere in potestatem Reginæ, vt in rebus Ecclesiasticis præsit Episcopis, vel præscribat eis quid in Sacramentis tradendis, in concionandi munere, in tota doctrina Christiana sequendum sit & fugiendum; & si quis dicat, eam non esse Reginam vel Gubernatricem Ecclesiasticorum, aut, (quod idem valet) Sacerdotes aliósue Ecclesiasticos non esse Reginæ subditos. Debent enim Ecclesiastici, etiam Monachi & Religiosi, D. Chrysostomo teste (quem Author iste alio loco imperitè citat, vt omnibus in rebus eos Principi subesse probet) Regibus suis parere, ciuiles eorum leges pro Reipub. pace ac subditorum gubernatione latas obseruare, omnemq; illis honorem & obsequium istiusmodi in rebus exhibere. Quod à Catholicis Episcopis cæterisq; Prælatis Ecclesiasticis, & semper est factum, & hodie

Quilibet princeps summus est suorũ etiã Episcoporum Gubernator, sed nõ in omnibus rebus aut causis.

tùm

tùm in Anglia tùm in alijs Regnis fieri, ipse Libelli author ignorare non potest: nec Christianis modò Regibus, sed etiam infidelibus hæc subiectio debetur. Verùm in Religione atq; officio spirituali, certū est Reges neq; Ethnicos neq; Christianos, Episcopis authoritate antecellere. Vereq; Regiū est his in causis, nòn regere sed regi, nō præire sed sequi, non imperare sed obtemperare, nec elatè Episcopos suos docere, sed potiùs humiliter illis se docendos & dirigendos tradere.

His itaque similibusq́ue virulentis calumnijs, Libellis improbis & impuris maledictis, præter eas calamitates quas suprà memorauimus, ob auitæ fidei ac doctrinæ Christianæ defensionem lacessimur. Quæ omnia rectè expensa & dijudicata, ostendunt discrimen maximum & clarissimum inter nostrorum hominum verissima martyria, & iustissima hæreticorum supplicia; qui quoniam obstinata animi inductione sanguinem suum in falsitatis testimonium fundunt, contra Christi & Ecclesię fidē & extra Christi atq; Ecclesiæ vnitatem, martyres esse non possunt, sed sui ipsorum execrabiles homicidæ.

Vnicum modò superest cui breuiter est respondendum. Suæ enim sectæ martyres, aduersarius ait sub Maria Regina, *Nec legitimam suam Principem vnquàm negasse, nec illius hostes fouisse, vt vestri* (inquit) *faciūt.* Quis non obstupescat incredibilem hominis impudentiam, qui nulla necessitate coactus, mendacium fundit tàm crassum & luculentum, vt eo refutando innumerabiles per Angliam, imò & remotissimas Prouincias testes adhiberi possint? Quis est enim in historia nostri temporis adeò peregrinus & hospes, qui nesciat vestrum illum Archiepiscopum, quem hic nobis protomartyrem opponitis, manifestissimæ perduellionis accusatum, conuictum, atque condemnatū fuisse: ob opiniones fortasse, & cogitationes vi tormentorum expressas, vt iam in Anglia moris est? Imo quia arma viresq́ue suas coniunxit ad Principem tùm regnantem, & hanc sororem quæ post eam regni gubernacula excepit, è Regali throno deijciendam; quia vtramque Principem illegitimam, ideoq́ue & Regio diademate indignam pronuntiauit; qui milites conduxit qui partes iuuarent Ducis Dudlæi, nominis ex quo *Henricus septimus* regnauit, toti Anglię infausti & perniciosi, quod semper ad altissima ambitiosè contendit, sed infœliciter cum suis ad ima præceps corruit.

Quòd nostrorum Protestantiū Martyres proditores fuerūt.

Cranmerus.

Infaustū nomen Dudlæorum.

Quid verò Martyr ille vester proximus, Superintēdens Ridlęus? An non læsæ Maiestatis insigniter reus, Archiepiscopi sui Cranmeri *Ridlæus.*

vestigia est secutus? An non ad *Crucem Paulinam*, in vrbe Londinensi, frequentissima concione, palàm prędicauit, & Reginam *Mariam* & eam quæ nunc regnat *Elizabetham*, spurias fuisse, ex adulterio conceptas, & proinde ad Regni successionem ius nullum habere? An non vester ille nūc famosus *Superintendens Eboracensis* (non quidem adhuc martyr, licèt magnas (vt intelligo) grauesque cruces non ita pridem passus sit, ob causas vulgò in Anglia notissimas, mihi tamen hoc loco verecundiæ ac pudoris causa reticendas) iste, an non idem audacter & publicè in Cantabrigiensi Academia contestatus est? quod etiam & Confessor vester *Iuellus* Sarisburiensis, Oxoniæ fecisset, nisi opportunè à prudentioribus fuisset impeditus. Denique quis ignorat totum Protestantium gregem illius Cantianæ in Principem atque Patriam ductore *Vriato* coniurationis apertæque rebellionis, participem fuisse aut conscium? Vt interim prætermittam multa alia contra Rempubl. Anglicanam eo tempore tentata ab ijs, qui nostra memoria, omnes penè Respubl. orbis Christianę similibus seditionibus & bellis domesticis inflammarunt. Sed de his mox plura. Nunc ad aduersarium nostrum redeamus.

Sandes.

Probatur hoc infrà cap. 4. suo ipsorum testimonio.

Est enim hoc loco operę prētium, eius artificiosam sophisticen aduertere. Nam cùm ea quæ antè tàm constanter affirmauit, vel pudorem illi afferant, quia falsa; vel dubitationem, quia incerta; ad extremum breui sententiola huic malo præsens remedium adhibere & rem omnem in tuto collocare sibi videtur, cùm ait, quòd isti Martyres *tempore mortis, Reginam suam non negarunt*. Atque huiusmodi tricarum & captionum plena sunt omnia. Quibus breuiter respondemus, quid illi vel mortis tempore, vel altero post die (si lubet) fecerint, Deus nouit: sed in vita fuisse perduelles pessimos & perfidiosissimos satis constat, quales sunt illius sectæ plerique omnes. Et ex nostris (bone vir) id est Catholicis, quorum vitæ ac mortis testes apud vos tàm multos ac propè innumerabiles habetis, quot quæso ad supplicij locum adducti, ac iam morituri, vel suum omne obsequium Reginæ negarūt, vel pro ea Deū supplices nō orarunt? Omnes pfectò vt in vita, obediētię atq; fidelitatis erga Superiores tùm Ecclesiasticos tū Ciuiles exemplū posteris singulare reliquerunt, ita vitam suā perbeatam cum patientia verè Apostolica animiq; tranquillitate posuerunt, ob eam fidē, in qua ipsi patriaq; tota, omnes deniq; Christianæ prouinciæ Christo nomina in Baptismo dederunt, & pro qua olim gloriosissimi Ecclesię Christi martyres sanguinē suū Deo obtulerūt.

Hæc

Hæc sacrosancta fides, hæc Ecclesia, hæc æquissima causa, hæc, inquam, causa Christiana & Catholica & Apostolica, Martyres nostros ab aduersariorum flagitiosis perditisque sicarijs longissimo discrimine separat: ideoque iustam nobis de sanguinaria hac persecutione conquerendi causam suppeditat, aduersarijs verò nec leuissimam causæ vllius aut rationis verisimilitudinem, quocunque tandem vel numero vel ætate, vel conditione, vel denique animi pertinacia fuerint, qui pro suis hæresibus mortis supplicium pertulerunt.

SACERDOTES NOSTROS AC CATHOLICOS, FRATRES, IN RESPONSIS

suis ad interrogata de PII QVINTI BVLLA, *prudenter se & grauiter, minimeque seditiosè gessisse: nec posse eos propterea vllis patriæ antiquis legibus ad mortem damnari; vbi examinantur sex articuli quos de Bulla eiusque vi solent proponere.*

CAPVT IIII.



Etsi in illis Regnis in quibus hæretici dominantur, totaque penes eos qui *politici* vocantur, authoritas residet, Religionis interdum nomen prætenditur; maximè cùm illud adiumento esse poterit ad ea quæ moliuntur celeriùs fœliciusque conficienda: tamen verè eorum prima & præcipua cura circa Statum temporalem vertitur, & consequenter circa suam & Principis in hac vita fœlicitatem, cuius breuem vsuram cum prophano *Esau*, præferunt omnibus venturi seculi bonis benedictioni Iacob ipsique Regno Christi, Regno (inquam) spirituali in Ecclesia, quæ domus est illius gloriæ, nostræque salutis Arca, qua fluctus & tempestates huius mũdi prætervecti ad æternam patriam nauigamus. In Regnis verò ac Prouincijs Christianis, illud in primis omni studio (vt par est) Magistratus curat, vt Deo debitus honor cultusque deferatur, Ecclesiæ Catholicæ vtilitas, populique salus modis omnibus prouehatur, sicque transeatur per hæc bona temporalia, vt non amittantur neque periculo exponantur æterna.

Differentia inter Politicos & Christianos in gubernanda Republica.

Hebre. 12. v. 16.

In qua rerum differentia illud obseruare licet, grassante hæresum

confusione, peccata in Principem siue verè commissa, siue falsò supposita, magis esse odiosa, & castigari longè grauiùs, quàm quæ contra Dei ipsius Maiestatem patrantur; maiora videntur crimina aduersus Rempubl. ciuilem quàm aduersus Ecclesiam, aduersus corpus quàm aduersus animam, magis negotiosè de tributo Cæsaris, quàm de cultu Dei disputatur. Cuius egregium nobis exemplum præbet Ieroboami Regnum & regimen, vbi Principum virorum curæ & cogitationes omnes eò intendebantur, vt Regnum Israel à Iuda separaretur prorsus, atque ita per se stabiliretur, nullam vt spiritualem cum Ierusalem cultus diuini & Sacrorum communicationem haberet, ne ea occasione diuisæ tribus in pristinum aliquando statum reuocarentur. Denique eo tempore quicquid ad illarum tribuum coniunctionem & consociationem veterem faciebat, grauissimis supplicijs vindicabatur, quæ verò ad Religionem pertinebant, pro nihilo habebantur omnia.

Regnum Ieroboam.

Non aliter in Patria nostra, quamdiu Deo atque ipsius Regno cœlesti, primæ & Ciuili Reipubl. secūdæ tributæ sunt (vt semper fieri par est, & nisi fiat, quicquid tandem simulamus, Christo in Repub. locus nullus relinquitur) commissa in Deum crimina primo loco puniebantur, vt blasphemiæ, hæreses, schismata, aliaque id genus: secundo deinde loco animaduersum est in ea quæ Principem Patriámue offendebant. Cuius rei, ex ijs quæ à Maria sanctissima Principe gerebantur, pulcherrimum exemplum sumere licet. Tunc enim quamuis sine vlla nouorum perduellionis criminum fictione, Archiepiscopus ille quem suprà nominaui, alijq; hæreticorum Principes iustissimè, pro coniuratione ac rebellione de qua erant conuicti, extremo supplicio affici poterant; tamen in eos tanquàm hæreticos vindicare, magis Christianæ rationi consentaneum visum est. Quod genus homines, perduelles nimirùm contra diuinam Maiestatem, infinitè magis exhorrescere debet & omnibus viribus comprimere Christianus Princeps, quàm alios quosuis perduelles qui grauissima peccata contra ipsius Maiestatem admiserint.

Regnum Angliæ.

At verò cùm in Regno aliquo potestas sæcularis primum locum tenet, Spiritualis verò tanquàm appendix & additamentum quoddam illi annectitur, ab eaque tanquàm accidens à suo subiecto sustinetur, quod in Anglia iam vsu venit; hæreses in fide leuiter & molli brachio prætereuntur, etsi Ministri (vt Patronis suis gratificentur & scenæ inseruiant) mirabiles aliquando in pulpitis tragœdias agant,

omnesq;

omnesq; omnium deliberationes ad Principis dignitatem considerandam conferuntur; nostræ autem actiones & omnia religionis officia ponderantur, tanquàm non Dei gloriam & honorem, sed Reginæ quietem & securitatem minuentia. Ipsi enim profitentur nihil se nobis propter Religionem negotij facessere, nec propter eam qualiscunq;, sit, quenquā nostrum affligere. Vnde manifestò ostendunt, vel veram esse Religionem nostram propter quam, vel ipsa aduersariorū conscientia teste, iniustū est nos pœnas aliquas dependere, aut certè se de Religione nequaquā esse solicitos, nec quid nos credamus aut non credamus, omninò curare, nisi quatenus fides nostra Principem aut Rempubl. attingat. Quam tamen simulatam moderationem suam aliquando ita stringunt & premunt, vt cùm voluerint eliciant sanguinem.

Etenim cùm errores nullos, nullas hæreses falsásue de Deo diuinoq; cultu opiniones in nobis inueniant ob quas meritò puniamur, cumq; illos (vt credibile est) recentium suorū de læsa Maiestate Statutorum aliquantisper pudeat, nouū crimen (si Superis placet) & antehac inauditum excogitarunt, nouoq; illud nuncuparunt nomine neq; à nostris Theologis vnquàm cognito, neq; in suis ipsorū legibus vsurpato. *Proditorias* nimirū *Assertiones* appellant, & *malitiosas* cōtra Reginam *opiniones* vt in priori quodam Libello *Prauam affectionem seu dispositionem* contra eius Maiestatem. Hoc nudiustertius inuento crimine iam nos potissimùm premunt, tàm in suis aduersus nos scriptis, quàm in Iudicijs publicis. Pro quo vt plerosq; Catholicos non ita pridem crudeliter enecarunt, ita hac sola ratione explorare se dicūt, vtrū Papistæ sint Proditores nécne, vt deinceps meritas ab eis pœnas reposcant. Hoc autem generale nomen *Proditoriarum assertionum*, quò certiùs abditos hominum sensus & cogitata eruant, in sex membra partiuntur, de quib9 eos particulatim interrogāt, quos vel è vita tollere, vel in summū discrimē adducere intendūt, Sūt autē huiusmodi:

1. Vtrum *Pij Quinti Bulla* aduersus Reginæ Maiestatem, legitima sit sententia, eique parere debeant subditi Anglicani. *Captiosæ quæstiones Catholicis propositæ.*

2. Vtrum hæc Regina sit Regina legitima, eique obedire debeant subditi, non obstante *Pij Quinti Bulla*, aut vlla alia Sententia quam Papa pronuntiauit aut pronuntiare potest contra ipsius Maiestatem.

3. Vtrum Papa habeat, aut habuerit authoritatem commouendi subditos, vt contra eam arma sumant, atq; illius Regiones inuadant; & vtrum Subditi hæc facientes, legitimè faciant nécne.

4. Vtrum

4. Vtrum Papa habeat poteſtatem propter aliquã cauſam, liberandi Reginæ ſubditos, aut ſubditos alicuius Chriſtiani Principis à iuramento obedientiæ præſtito Reginæ aut Principi ſuo.

5. Vtrum D. *Sanderus* in ſuo *de viſibili Monarchia Eccleſiæ* libro, & D. *Briſtous* in ſuo *De rationibus ad vitam Catholicam amplectendam mouentibus*, cùm Bullam illam *Pij Quinti* probant confirmantque, veritatem an potius falſitatem doceant atque defendant.

6. Si Papa per ſuam Bullam aut ſententiam pronunciet Reginam eſſe Regno priuatã, & deinceps non eſſe Reginam legitimam, illiusq; ſubditos ſolutos eſſe ab eius obedientia; & deinde vel Pontifex ipſe vel aliquis ipſius iuſſu atq; authoritate inuadat hoc Regnum, quam tu (inquiunt) partem tueberis? aut quæ pars bono Regni Angliæ ſubdito eſt ſuſtinenda.

Ad has quæſtiones ſi nihil reſpondeas, aut ſi non reſpondeas, cum contemptu ac reiectione authoritatis Apoſtolicæ mox *haud bonus eſſe ſubditus*, ſed Proditor iudicaris. Atque hoc in loco Principes omnes populoſque Chriſtianos noſtrarum miſeriarum atque iniuſtiſsimæ afflictionis teſtes appellamus, qui teterrimæ mortis ſupplicium perferre cogimur pro ſolis cogitationibus, quæ debent eſſe liberrimæ, pro reconditis animorum opinionibus, iiſque non niſi vi & terrore expreſsis, neque tamen ab vlla Academia, vel Schola in orbe Chriſtiano damnatis, neque per nos vnquàm enuntiatis niſi cùm ipſorum interrogantium violentia & impulſione in eam neceſsitatem adducimur. Quoad alia, nec verbo nec facto Principem offendimus, nec leges patrias vllo modo violauimus, quin potius Principi omnem honorem & obſequium ſemper exhibuimus, & quaſcunque pœnas religionis cauſa nobis impoſitas patienter ſuſtinuimus. Sic enim profectò plerique omnes tùm in Anglia tùm in Hybernia Catholici, totos iam annos viginti quinq; ſeſe geſſerunt, paucis exceptis vtriuſque Regionis nobilibus, qui in tàm diuturna atque intolerabili oppreſsione, ſemel arma ad ſui defenſionem induerunt. (Qualem patientiam in Proteſtantium congregationibus non magis reperias, quàm in hæreſi veritãtem, aut in pumice aquam, vt clarè ex bellicis eorum in Gallia, Flandria, ac Scotia, contra ſuos Principes furoribus poteſt manifeſtò perſpici.) Noſtri verò nobiles poſt tàm incredibiles & animo & corpore ſuſceptas difficultates, poſt fortunarum omniũ, honorum, Patriæ, libertatis denique iacturam tanto tempore præclara animi conſtantia toleratam; ſemper nihilominus domi foriſq; debitam

Quemadmodùm ſe geſſerunt Catholici in Anglia poſt Bullam Pij Quinti.

debitam Reginæ obedientiam præstiterunt. Nec in Anglia quisquam propter *Pij 5.* Bullam ad arma prorupit, vllo tempore post Bullam illam publicatam (quamuis Libelli author malitiosè tempora, res gestas, hominumque actiones ita confundat, vt quæ antecesserunt, Bullam eam fuisse consecuta asserat) sed omnes non minùs officiosè quam priùs, Regijs mandatis obtemperarunt.

Quemadmodùm se gesserint Ecclesiastici circa Bullam Pij Quinti.

Ecclesiastici etiam, siue Religiosi siue Sacerdotes, siue Romani Seminarij siue Remensis, vel cùm in Anglia populariuin suorum saluti operam dabant, vel in exteris Academijs literarum studijs incumbebāt, honorificè semper de Regina, non obstante *Pij Quinti* Bulla, & senserunt, & locuti sunt. Nec vllum verbum in suis Concionibus, libris, nec ipso mortis tempore, nec prioribus coram Iudice aliquo Confessionibus emiserunt, quod animum à Reginæ obedientia alienum saperet. Imò (quod nos ad istorum improbas calumnias clariùs refellendas nostramque innocentiam demonstrandam fidenter affirmamus) probari non potest, Sacerdotem aliquem vel ex *Societate Iesu* vel ex *Seminarijs* in Confessione Sacramentali quempiam Anglum absoluisse, qui Reginæ fidelitatem debere se negauerat. Dicimus eorum neminem, obedientiam vni prorsus homini dissuasisse, in ijs quæ iuris Regij sunt, & ad Ciuilem Rempublicam pertinent.

Illud etiam constat, nihil huiusmodi, à Sacerdotibus vel à Summo Pontifice, vel ab alijs Rectoribus Collegiorum commissum aliquando fuisse: nihil (inquam) quod Reginæ authoritatem temporalem imminueret, nec in ipsa absoluendi seu reconciliandi potestate quicquam huiusmodi continetur; quanquàm aduersarij nodos in scirpis inuenire tàm multa contentione laborant. Quin etiam Collegiorum Præsides, quanta maxima potuerunt diligentia semper cauerunt, & (quantum fieri poterat in tanta naturarum & ingeniorum dissimilitudine) effecerunt, ne in scholasticis de Summi Pontificis authoritate disputationibus, Principum excommunicandorum vel deponendorum aliqua fieret mentio, nec in genere quidem; tantum abest vt in Reginæ nostræ causam voluerint particulatim inquirere. Quæ quidem controuersia etsi à Theologis definiri possit & cæterarum controuersiarū more in Scholis suo loco tractetur, tamen quia ea nunc est miserrima Patriæ nostræ conditio, vt huiusmodi quæstio cum Ciuili statu Reipublicæ implicita sit & copulata, possentque suspiciosi homines quod diceretur vniuersè, de Regina sigillatim in-

terpretari, à cuius causa discutienda libenter abstinebatur, idcircò hæc tota controuersia magno silentio semper fuit prętermissa.

De D. Sanderi ac D. Bristoi facto. Atque hanc in disputationibus moderationem nostri omnes vbique seruarunt, præter duos præstantes quidem illos & magno zelo prędıtos, *D. Sanderum* & *D. Bristoum*, qui suas habebant rationes cur paulò vlteriùs progrederentur: quos neque defendere nobis, neque repręhendere est animus. Hoc tamen scimus, multos Catholicos illud factum ægrè tulisse, optasseque omninò vt ea res tàm grauis varijsque obnoxia suspicionibus, literis commissa nunquàm fuisset, sed sublimioribus potestatibus Deique potissimum iudicio reseruata; vt vel in hoc sęculo, vel certè in altero, cùm & Pontifices & Principes *Rationem reddent villicationis suæ*, de hac ille controuersia decideret inter duos nostros Superiores, alterum quidem Spiritualem, cuius est officium excelsius, cuique in spiritualibus magis est obtemperandum; alterum verò Sęcularem, cui omnem obedientiam in ijs rebus quas diuinæ nobis literę pręscribunt similiter debemus, & quam nunquàm detrectauimus. *Lucæ 16.*

Quamobrem non modò *D. Bristous* in secunda editione siue epitome prioris operis, controuersiam illam odiosam & ea tempestate importunâ omisit, verùm etiam *D. Sanderus*, & si quod ille tùm scripsit, nulli alterius cuiusquam nationis Catholico viro displicuit, (quorum iudicia sunt liberiora, quia non ijs quibus nos legibus impediuntur) doctissimum quendam librum suppressit, quem in defensionem Sententiæ à *Pio Quinto* prolatæ scripserat, atque ante annos circiter quatuordecim typis excudi fecerat. Cuius libri exemplar modò nullum, quod sciamus, in manibus hominum extat. Quod temperamentum omnes deinceps Catholici, tàm Ecclesiastici quàm Sæculares secuti sunt, illiusque sententiæ rigorem quoad licuit, semper sunt moderati. *Sanderi liber in defensionē excommunicationis.*

P. Campiani colloquiū Romæ habitū. Ipseque adeò beatus martyr *Campianus* (vt in historia condemnationis illius memoratur) cùm ante annos duodecim, non multò post quàm Bulla ista in lucem prodijt, Romam adueniens cum Primario quodam Cardinale colloqueretur, interrogatus de rebus Anglicanis, & quo tandem modo Catholici tot tantisque persecutionibus non frangerentur animo, planeq; deficerent, & ęcquid boni excommunicationem fuisset consecutum. Respondit ingenuè, eam Catholicis admodùm fuisse molestam, & propter quam Regina eos multò quàm anteà grauiùs premebat. Quibus verbis indicabat

vtile

vtile quidem esse, Sententiæ illius vim ita restringere, vt ne subditos obligaret, quò minùs Reginæ tanquàm Principi legitimæ more solito obsequerentur, non obstante illo interdicto Sedis Apostolicæ. Quod officium summæ charitatis & beneuolentiæ, non puduit aduersarios tanquàm criminosum quid aut proditorium, illi in Iudicio exprobare.

Tantaque est eorum dementia, vt in hoc suo Libello, optimo illi Patri *Campiano*, eiusque Superiori, Reuerendo Patri *Personio* actionem intendāt perduellionis, idcircò quia à Pontifice maximo *Gregorio 13.* supplices petiuerunt, antecessoris sui censuram eatenus saltem modificari, nullum vt Catholicum Reginæ subditum in conscientia obligaret, quò minùs Reginæ tanquàm legitimæ suæ Principi posset obedire; quamcunque tandem aduersus Protestantes vim haberet, qui eam penitus contemnebant. Sciebant isti Patres non commissurum Summum Pontificem vt censura illa prorsus aboleretur, presertim cùm pars rea, eorum propter quæ excommunicatio ferebatur, nihil quicquam emendauerat. Sciebant etiam Reginam ipsam atque Protestantes, censuram eam planè aspernari, nec vllam ab ea liberationem expetere. Nec ignorabant, cùm ad securitatem Reginæ, tùm ad tranquillitatem Reipubl. magnum in eo esse momentū, si Catholicis persuasum esset, ea Sententia non esse se ita astrictos, quin ciuilibus in rebus omne Reginæ possent obsequium & officiū præstare. Quin etiam videbant, subditos multo id promptiùs & iucundiùs esse facturos, cùm ea obedientia quæ priùs solo timore & terrore nitebatur (qui malus est diuturnitatis custos) nunc etiam Christiana pietate & conscientiæ vinculo sanciretur. Sciebant deniq; in spirituali illa militia, in audiendis Confessionibus, in Hæreticis ad fidem conuertendis, in schismaticis Ecclesiæ Catholicæ reconciliandis, non posse se fructuosè versari, nisi eos de Principatu Reginæ agnoscendo, Apostolica authoritate securos redderent. Cùm ergo intelligerent, neque Summum Pontificem nisi de alterius partis pœnitentia constaret, censuram illam penitus reuocaturum, neque Reginam conditiones vllas in hac causa accepturam, satiùs esse existimarunt hoc modo temperamentum quoddam Censuræ quærere, quàm eam in primo suo rigore relinquere, vt ita quàm possent maxima lenitate & mansuetudine vtriq; Principi satisfacerent, expectarentq; si fortè animū Reginæ Deus tandem aliquando inflecteret ad aliquam rationem ineundam, qua denuò Christiani orbis communioni

De petitione P. Personij et P. Campiani circa Bullam moderandā.

nioni restitueretur: quæ sola est & vnica via tùm isti' quo nunc fruitur Regni conseruandi, tùm æternæ salutis in Regno Christi adipiscendæ.

Quodnam ergo (Deus bone) scelus hi Patres admiserunt? & quo modo hoc magis est læsæ Maiestatis crimen, quàm si à sua Sanctitate postulassent, vt Reginam ipsam, omnesq; Protestantes ab illius Bullæ censura absolueret? Quo modo vel illi vel Sacerdotes alij, prudẽtiùs moderatiusque se gerere potuissent, quàm ita rem administrando, vt Catholici omnes quibuscum illis negotium solis erat, de obedientia Reginæ præstanda securi essent; reliqui verò qui excommunicationem illam contemnebant, Supremi Dei iudicio relinquerentur?

Ex quo facilè iudicari potest, quanta fuerit Catholicorum hac in re prudentia & mansuetudo, totos iam annos penè quindecim ex quo Censura hæc à Sede Apostolica manauit; quantum studium curamque impenderint, vt ea Censura leuis & tolerabilis illis efficeretur, quibus aliàs Religioni fuisset Reginæ imperium agnoscere. Nunquàm de ea vel scripserunt, vel omninò locuti sunt, aut egerunt quicquam, nisi tantùm ad pacem, quietem, & tranquillitatem quo ad fieri poterat, Reipubl. conciliandam, quæ infœlici hac Religionis mutatione, nescio quos motus & perturbationes indies reformidat. Et facillimum fuisset aduersarijs, nostræ Nationis viros omnes eruditos vel in perpetuo silentio, vel in ea quam diximus temperatione continuisse, nisi quidã Magistratus, Catholici sanguinis nimiùm sitientes, sua inconsiderata importunitate aliquos perinuitos adegissent ad suam hac de re sententiam explicandam, & veritatem eius quæstionis accuratè diligenterque limandam, quam aliàs tanquàm minùs necessariam vel ad salutem vel ad morum emendationem, libenter sempiterna obliuione contriuissent.

Imprudẽs in Politicis minimeque Politica procedẽdi ratio.

Id quod faciebant omnes eo quidem studiosiùs, quia mortuo iam *Pio Quinto* qui primus sententiam eam tulerat, eius Successor *Gregorius* 13. qui nunc Apostolicæ Sedis clauum fœliciter tenet, nunquàm (quod scimus) eam renouauit; sed patienter Reginæ ipsius, totiusq; Patriæ ad Ecclesiæ pacem Regumque Christianorum societatem, reditum expectando, interire quodammodò permisit, saltem quod ad Catholicos attineret. Quemadmodùm similis Sententia à *Clemente* 7. Pontifice contra *Henricum* 8. pronũtiata, voluntaria quadam obliuione deleta est ad Regis vsq; obitum, partim propter magnam succedentium

Excommunicatio Henrici 8. per Clemẽtem 7.

dentium Pontificum patientiam & prudentiam, partim etiam propter multiplicem ſpem, & varias pollicitationes, quas Rex de ſua ad Eccleſiam reuerſione fecerat; quanquàm diuina prouidentia cum priùs ex hoc mundo ad ſuum tribunal abripiente, tanto beneficio dignus non eſt habitus.

Deſiderium Catholicorũ, ne de rebus Politicis reſpondere cogerentur.

Ad hunc ergo modum ſeſe Catholici in hac Excommunicationis materia ſemper geſſerunt, donec nuper nonnulli ſanguinaria quædam interrogata crudeliter excogitantes, & in conſcientias non ſolùm impiè ſed etiam imprudenter inquirentes, hominum non verba aut dicta aut ſcripta, ſed ipſas tacitas opiniones & imaginationes extorquere conati ſunt. Vnde non modò ſacerdotes multi vitam amiſerunt, ſed etiam alij plurimi vi quadam contra voluntatem ſuam pertracti ſunt in hos labyrinthos, vt de rebus publicis & politicis cogitationes ſuas exponerent. Qui tamen omnes ita reſponſa ſua moderati ſunt, nihil vt efferrent quod ipſorum fidelitati præiudicaret. Id quod obſeruarunt, non modò dùm vitę ſpes aliqua ſupereſſet, verùm etiam cùm accepta mortis ſententia, nihil iam præter carnificis manum attenderent.

Variæ reſponſiones Catholicorũ ad ſuperiores 6. de Bulla quæſtiones.

Eorum alij alias rationes inuenerunt, quibus ſe quęſtionum iſtarum nexibus expedirẽt; omnes autem ſummam honeſtatem, fidem, & innocentiam oſtenderunt. Quidam vt (verbi gratia) Pater *Campianus*, reſpondit quæſtiones illas controuerſas, non in illo tribunali vbi ad perſuadendum nihil adhibebatur præter teſtes & tormenta, ſed in ſcholis Academiarum, argumentis è media Theologia petitis 1.
eſſe definiendas. Alius videri ſibi Pontificem qui Sententiam eam 2.
tulerat, labi aliquando & errare poſſe, non quidem in doctrina, ſed in facto, quia deficerent informationes vel probationes neceſſariæ quæ plerunque requiruntur: vtrum verò is errauerit nécne, ſuaque authoritate in hac Cenſura abuſus fuerit, hoc ſe Deo decidẽdum relinquere, quòd ipſe ſibi non arrogaret poteſtatem de Pontifice Romano iudicandi. Alij, Bullam ſe nec in vita ſua inſpexiſſe aliquando, 3.
ideoque de illius ſenſu aut efficacitate nihil reſpondere poſſe, nec reos eſſe vllius criminis quod contra ſuam Maieſtatem in ea contineretur; imò nec vnquàm de Bulla fuiſſe cogitaturos, niſi iam importunè iſti memoriam eius redintegraſſent. Fuêre etiam qui dicerent, non eſſe ſe tanta doctrina pręditos, vt ad tot interrogata reſpondere ex tempore poſſent; credere verò ſe de his alijſq; omnibus, quẽadmodùm docet Eccleſia Catholica, cuius Principem & Magiſtram 4.

5. (inquiunt) profitemur esse Ecclesiam Romanam. Alij generaliter dicebant, esse causas aliquas propter quas excommunicare atque deponere Principem summus Pontifex sine dubio posit; quales sunt, Apostasia, Arrianismus, aliæque id genus, quæ cùm interuenerint, potest Pontifex relaxare subditos à iuramento quo Principibus obligantur: at de Regina particulatim malle se obmutescere, quàm ali-
6. quid in alterutram partem definire. Postremò quidam interrogati, quid vel ipsi facturi essent, vel alijs suasuri, si religionis ergô ad arma veniretur; responderunt se eo tempore (quod illi quidem omninò nõ futurũ sperabãt) id facturos quod bonos sacerdotes deceret, id est, Deum pro pace oraturos, & vt veritas atq; iustitia in bello prçualerẽt.

In quibus omnibus, nemo non videt quanta sollicitudine cauerunt semper Catholici, ne dum suam exponunt sententiam, verbum aliquod efferrent quod Reginæ aut eius Proceribus offensionem leuissimam præberet. Ex altera parte non minùs luculentum est, in quas angustias ministi magistriq; hæresum deuenerint, qui nullam sperant suæ sectæ diuturnitatem, nec putant, posse se nefarias contra Deum, Ecclesiam, & patriam, artes suas & machinationes cõtinuare, nisi his vtantur tyrannicis modis ab ipsa communi omnium natura abhorrentibus.

Iudicent iam Christiani fratres nostri omnium Nationum, de nostræ calamitatis causa, modo, & magnitudine. Pontificem Rom. de Reginæ excommunicatione nos quidem nunquàm vel verbulo sollicitauimus; postquàm facta est, illius modificationem vehementer expetiuimus, illaq; nos non impediuit quo minùs obedientiam Reginæ semper præstiterimus. Respondere coacti, eam quam dixi, in respondendo æquabilitaté erga Reginam illiusq; Consiliarios diligenter seruauimus. Accusare nos nemo mortalium potest vllius erga patriam aut Reginam conspirationis: nemo vel factum, vel verbũ, vel suspitionem minimam prætendere, alicuius seditionis per nos in Repùb. concitatæ. Tamen his omnibus non contenti aduersarij scire ex nobis volunt quid facturi posthac sumus, si quid fortè contingat huius vel illius generis. Rimari omniũ Catholicorũ corda volunt, & penetrare in conscientias, &(quod omnẽ Antichristi ipsius violentiã superat) ob sola cogitata, ob arcanos sensus, teterrima nos morte afficere; idque (in quo plus quam diuinam Maiestatem vsurpant) non tantùm pro peccatis prçteritis & commisis, sed etiam futuris, & fortasse non futuris nec vnquàm committendis.

Malitiosa & sanguinaria persecutorum iniquitas.

Quæ

Quæ horribilis, res futuras hominumque intentiones quarum nullam ipsi anticipatam cognitionem habere possunt, explorandi ratio, non modò naturæ leges peruertit, verùm intolerabilis planè est, ac Regnis omnibus longè perniciosissima: possetque facilè omnes Angliæ Catholicos (nisi maiore Dei metu continerentur) ad extremam prorsus desperationem, & quasi ad clasicum canendũ impellere: cùm videant omne genus officij & obsequij, quodcunq; à fidelissimo subiecto desiderari potest, non satis valere ad vitam suam tuendam, quin semper quotiescunque Magistratui, vel potenti cuiuis aduersario collibuerit, de mortiferis his capitibus, deque cogitationibus suis possint examinari; idque his miserrimis temporibus, cùm eorum prophani ministri vulgò è suggestis in auribus auditorum personant, Papistas (quos vocant) omnes animo ac voluntate Proditores esse; ad illud autem perscrutandum & inuestigandum, quęstiones antè positas maximè esse idoneas Libelli author affirmat.

In hanc nimirum tàm vilem corporum animorumque seruitutem, hæc efferata atque barbara hæresis nos induxit, ipsosque etiam aduersarios in tàm innumeras de suo Statu formidines: quam prætendunt maximam esse causam tàm inusitatæ erga nos acerbitatis, quæ certè longissimè abest non solùm à ratione & natura, sed etiam à moribus Regionum & populorum omnium, quicunque sunt sub sole propter barbariem & agrestem feritatem immanissimi.

Fuere quidem non valde dissimilia Christo Domino nostro à Scribis & Pharisæis aliquando obiecta, *vt caperent eum in sermone*, eliceréntque ex eo verba aliqua in speciem, Cæsaris imperio supra populum Dei repugnantia, quod multis fuisse odiosum credebant, ijsque præsertim, qui maiore legis zelo flagrabant: licèt omnes, partim metu, partim alijs de causis, quoad externa officia parere Cæsari non renuerent. Quas captiones etsi Christus Dominus pro diuina sua sapientia facilè dissolueret, non cessarunt tamen exclamare: *Hunc inuenimus prohibentem tributa dari Cæsari*; quo modo alij deinceps S. Stephanum ac S. Paulum criminati sunt. Ad eundem modum Anglicani Pharisæi, nostri sanguinis cupidissimi explorant, sudant, insidiantur, ad omnem se fraudem & malitiam versant, vt nos *in sermone nostro capiant*, & tanquàm retibus suorum Statutorum inuoluãt; nec priùs desistunt quàm aliquid exuxerint, saltem intentiones nescio quas aut futura rerum euenta, quæ obedientiam Reginæ debitam videantur contrauenire. En casus miseros, en quò deuenimus Angli.

Iudæorũ artes aduersus Christum. Matth. 22.

Luce 23.

Actor. 17.

Nam

Nam cùm cæteræ calumniæ, confi&ta crimina, teſtes ſubornati, artes denique omnes aduerſus Sacerdotes atq; Catholicos deficiunt, tùm ad hanc confugiunt tanquàm Sacram ancoram, & aperto ore vociferantur hoc eſſe atrociſsimum Maieſtatis læſæ crimen; videlicet, cùm quis ad tormentorum locum adductus, ibique ab iſtis percunctatoribus imperiosè interrogatus, reſpondet, Reginam ſi(quod Deus auertat) Arrianiſmum, Apoſtaſiam, aut Atheiſmum (quibus erroribus humana fragilitas obnoxia eſt, & in quos innumerabiles Chriſtiani inciderunt) aliquando amplecteretur, dignitate ſua priuari poſſe, ſubditoſque ab obedientia illi præſtanda liberari. Hoc vnicum illud eſt ſcelus proditorium & peſtiferum, quod iſti Solones & Reipubl. conſeruatores, è Catholicis tàm incredibili labore & diligentia eruerunt. Quod tamen quamuis liberè à quoquam ſuaq; ſponte dicatur, perduellioni nihil penitus habet affine; multò minus cùm per vim & laniatus, vel per inſidias & fraudes, ab hominibus perinuitis extorquetur.

Quæſtio de Primatu Pōtificis, Theologica eſt, nō Politica.

Negat iſtius Libelli author vllos in Anglia Catholicos vexari ob quæſtiones de religione aut conſcientia. Et quis tamen eſt, ſi vel primis labris guſtauerit religionem, quin ſciat hanc eſſe quæſtionem de religione? Eſt quidem planè Theologica, & cum religione Chriſtiana arctiſsimè cohærens, de qua etſi forſan non definitè pro parte noſtra pronuntiatum ſit, poſſe tamen & ſolere Theologicis argumētis in vtramq; partem diſputari, ipſi quidem aduerſarij, ſi quicquam ſciunt ignorare non poſſunt. Spectat enim ad Romani Pontificis primatum & authoritatem Apoſtolicam, pro qua nemini in Anglia conflari periculum capitis, Libelli author iterum atque iterum conteſtatus eſt. Hæc nimirum propoſitio, aut alia quæcunque eius generis: eſſe ſitum in poteſtate Pontificis Romani, excommunicare, aut Regno priuare Principem propter hæreſim vel Apoſtaſiam; & (quod ex eo conſequitur) ſubditorum iuramentum & obligationem aliàs ratam, diſſoluere, vſque eò vt ſe & religionem Catholicam armis contra talem Principem tueantur: hæc (inquam) propoſitio, nulla certè lege ab *Edouardo tertio* condita, vel leuiſsimam habet cum Maieſtate læſa cognationem; qua tamen lege ſola, nos (vt iſte ait) iudicio læſæ Maieſtatis arceſsimur. Quicunque aut hodierna die hanc propoſitionem quouis in Regno per orbem Chriſtianum defendit, aut in ipſa Anglia regnante *Edouardo 3.* defendiſſet, nunquàm profectò læſæ Maieſtatis, aut inofficioſæ erga Principem Patriámue affectio-

affectionis fuisset accusatus, ac neq; iure accusari potuisset. Interest enim & honoris & salutis omnium Regum & Rerumpublicarum Christianarum, prorsus vt se Christo eiusque Ecclesiæ subijciant, illudq; sibi persuadeant, se diutiùs in populum Christi regnum legitimum non habere, quàm vires suas Regnique potentiam contulerint ad Regnum Christi, hoc est, Ecclesiam Deique veritatem, qua & Regum & subditorum omnium salus æterna continetur, in mundo amplificandam.

Quid alij principes de istis propositionibus sentiant.

Quid si temporibus *Reginæ Mariæ* (cuius regnum quasi aduersarijs permolestum, nobis autem iucundum iterum atque iterum inculcatur) quisquam vel in Scholis, vel in Ecclesia, vel etiam editis libris docuisset, Principem aliquem, adeoq; & Reginam ipsam, propter hæresim aut Atheismum, à Reipubl. gubernaculis depelli potuisse. Ecquis sana mente præditus, ita vel scribenti, vel prædicanti, de læsa Maiestate actionem intendisset? Si in clarissima Parisiensi Academia, aut insigni illo Sorbonæ collegio, Theologicam hanc assertionem aliquis publicè in oculis & auribus omnium propugnaret, Posse Summum Pontificem propter hæresim Ecclesiastica in Regem Censura vti; hoccine Christianissimam illius Maiestatem offenderet, qui haud dubiè diuturniorem huius vitæ vsuram non optat, quàm eam Christi gloriæ propagandæ impenderit; & quem certum est, non aliter animatum esse, quàm fuit Maximus & fortissimus eius auus *Franciscus primus*, qui dicere solebat *si sciret partem aliquam carnis suæ contagione hæresis infectam, eam se manu sua à reliquo corpore præcisuram?* Idem de Catholico Hispaniarum Rege dici potest, qui ne propriam ipsius sobolem (in quam Deus suæ benedictionis abundantiam quàm largissimè fundat) sibi in Regnis succedere desideraret, nisi eandẽ Catholicæ Religionis custodem & vindicem constanter permansuram crederet. Quod idem sine quæstione de Imperatoria Maiestate pronuntiari potest. Ac ne summus quidem Pontifex (in rebus spiritualibus procurandis nostrisque animabus regendis cæteris omnibus excelsior) de aliquo suorum subditorum pœnas expeteret, si fortasse prædicaret ipsum Pontificem in hæresim aut Apostasiam lapsum, nihil Apostolicæ potestatis retinere, sed omne suum ius & dignitatem Pontificialem amittere.

Atque hîc à Libelli authore flagito, vt illud breuiter respondeat, qua tandem lege, qua consuetudine, vel canonica vel ciuili, quo iure prouinciæ alicuius, vel nostræ vel alienæ, reuocatur hæc assertio

ad læsæ Maiestatis crimen? Ea opinio quæ in alijs omnibus Regnis est saltem tolerabilis & probabilis, cur in solo Angliæ Regno adeò est mortifera & capitalis? cùm nulla adhuc lex communibus Principis & populi suffragijs lata, eam improbauerit, neque verò vlla cuiusq; Reipubl. authoritate iure improbari potest: cùm hoc firmum & ratum sit, Principis aut Reipub. tranquillitati opinionem nullam obesse, quæ Christianæ Theologiæ est consentanea. Deus enim, idem & Ecclesiæ & omnium Rerumpub. conditor, in sublimiore illa Theologia Ecclesiæ politiam complectente nihil sanciuit, quod inferioris Principatus ius aut authoritatem aliqua ratione infringeret.

Obiectio. At dicetis fortasse (atque hæc nisi dicatis prorsus obmutescere vobis necesse est) quanquàm generalis illa propositio vera sit, *Reges propter hæresim deponi posse*, eam tamen ad Reginam Angliæ nominatim applicare atque contrahere, hoc crimen est Maiestatis læsæ. In Statutis enim parlamenti quæ anno 13. huius Reginæ facta sunt, pœna capitis decernitur ei, quicunque Reginam *Hæreticam* dixerit vel *Schismaticā*.

Responsio. Sed in promptu est Responsio. Primùm, si quis dixerit Reginam propter hæresim posse deponi, non eam idcirco hæreticam appellat, magis quàm Hispaniarum aut Galliarum Regem, de quibus idem pronuntiatum verissimè affirmari potest, quos tamen nemo Christianus hæreticos appellauerit. Quòd si conscientia vestra vobis tale quid suggerat, aut vobis eam suspicionē afferat, talibus, de hæreticis vel contra hæreticos sententijs vos maximè perstringi, non iam ergo nos, sed vos ipsi in culpa estis, & in statutum parlamenti vestri peccatis, qui vniuersè dicta, ad vos ipsos speciatim accommodatis.

Respondemus deinde, lege vestra Anglos fortasse obligari, ne ita periculosè loquantur de ea, cui Deus tradidit in hoc mundo vitæ nostræ necisque potestatem. Concedo (inquam) retardari posse nos, ne Reginam *Hæreticam, Infidelem, vel Schismaticam* (hæc sunt enim statuti verba) appellemus, etiam si certò sciremus eam esse varijs ijsque grauissimis hæresibus infectam. At verò statutum hoc Parlamentare, Romanum (vt opinor) Pontificem non astringit; nec eum potest coërcere, quò minùs tradita sibi diuinitùs potestate vtatur, ad definiendum secundùm Dei atque Catholicę Ecclesiæ leges, quis sit hæreticus, quis Schismaticus, & in quem siue Principem siue subditum ea definitio nominatim conueniat. Neque viri docti, Itali, Galli, Hispani, Germani, illa Parlamentari lege ora sibi obstrui patientur, quo minùs liberè descriptionem hæresis illi applicent,

in quem

in quem iuxta canones Theologicos videbunt eam aptè quadrare.

Ad nostros certè fratres quod attinet à vobis interfectos, ignorare non potestis illorum nec vnum *sponte*, *malitiosè*, aut *per contemptum* (vti lex vestra habet) Reginam *hæreticam* vocasse. Sed qui ea voce vsi sunt, non *sponte* sed captiosis interrogationibus in eam quasi necessitatem per vos redacti sunt, vt ita aliquam saltem quamuis pertenuem haberetis eos iugulandi occasionem.

Atque vt clementiam vestram cum magna solertia coniunctam in huiusmodi negotijs omnes intelligant, operæ pretium erit, exempli-gratia, vnius *Ioannis Nelsoni* sanctissimi martyris iudicium mortemque breuiter proponere. Qui ad Magistratum adductus, & cuius esset religionis rogatus, Catholicum se esse constanter respondit. Rogatus deinde, quid sentiret de religione ea quæ nunc per Angliam vigeret; respondit, eam sibi hæreticam ac schismaticam videri. Quid ergo est schisma, inquiunt? quibus ille, voluntaria discessio à Romana & Catholica Ecclesia; perge igitur (ait Magistratus) & quid de Regina opinaris? nunquid illa tibi schismatica videtur? (neque enim priora adhuc responsa causam aliquam præbebant vnde eum statuto læsæ Maiestatis irretirent. Hic vero *Nelsonus* moderatissimè respondit, se propter summam quam Regiæ Maiestati deferebat reuerentiam & honorem, nunquàm de ea sic fuisse locutum, neque certè sine aliqua temeritatis nota potuisse, quando ipse voluntatem Reginæ prorsus ignoret, nec omninò sciret vtrum ea Anglicana religio illius mandato & imperio fuisset apud eos constabilita; proinde suppliciter Iudices postulare, ne eum prudentes scientesque ad aliquid contra leges committendum pertraherent, à quo hactenus semper quam diligentissimè sibi cauerat. Illi verò hîc minimè consistunt, posse enim se (aiunt) certissimò confirmare, Anglicanam hanc religionem à Regina & ab initio fuisse constitutam, & per eam hodie propagari At contra *Nelsonus* in priori tergiuersatione hærere, nec velle se principum arcana scrutari, nec conscientiam posse cognoscere, neque certè constare sibi de ea Reginæ voluntate aiebat. Sæpenumerò fieri, vt ea à Principibus manare dicerentur, quæ re vera à suis quibusdam administris erant profecta: quo loco vt sapienter *Beatus Augustinus* admonuit, *Decipi ab hæreticis quis dicitur & hæreticis credere, nec tamen propriè est hæreticus.* Sed quia de beati viri morte iam anteà constituerant, his

Summa persecutorũ malitia.

Ioannes Nelsonus Martyr

Discrimen inter hæreticum, & hæreticis credentem.

his omnibus non contenti, hac rursus hypothesi eum aggrediuntur. Hoc (inquiunt) posito & concesso, Reginam esse *Religionis* istius *Schismaticæ* (quã vocas) Principem & propugnatricẽ, ecquid tùm *Schismatica* est & *Hæretica* an non? Hic vir sanctus cùm principis indignationem ex vna parte vereretur, ex altera magis pertimesceret offensam Dei, & scandalum fratrum, vbi paululum respirasset, & silentio virtutem cœlitùs petiuisset: Si hanc (inquit) religionem vestram Regina foueat & amplectatur, tum *Schismatica* (inquit) sine quæstione & *Hæretica* est. Hoc audito verbo, statim conclamatũ est, reus est mortis, nec multò post hominem tanquàm legis violatæ reum martyrio coronarunt.

Augustin' de vtilitat. credendi. ca. 1.

Testes jam Christianos omnes appellamus, vt hæc quæ cõmemorauimus, æquabiliter expendant, & considerent quàm inuiti Reginam fratres nostri Catholici vel re vel verbo offenderint, quamque pudendis fraudibus & captionibus id ab eis extorqueatur, in quo posteà aduersarij exultant, & iustam vitæ tollendę occasionem se nactos gloriantur. Non est, non est Catholicis tribuendum, quasi nos hæc generalia Scholarũ & Academiarum omnium axiomata ad particularem statum Anglię contrahamus. Hoc aduersariorũ potius iniuriosis actionibus, timoribus, calumnijs, quæstionibus, suspicionibus omnia ad se rapientibus & de se interpretantibus asscribendũ est; qui à recta via aberrantes, & peruersissimè Rempublicã administrantes (quem errorẽ vtinã aliquando corrigerent) & seipsos in has ancipites curas, & nos in has miserias & querimonias inuitos induxerũt.

Illud ad extremum respondemus, quocunq; tandem modo Catholici vel hacten' impulsi fuerint, vel deinceps impellentur, vt ista de *Reginæ primatu Ecclesiastico*, de ea vocanda *Hæretica*, *Infideli*, vel *Schismatica*, vel alia quæuis recens inuenta statuta transgrediantur, hoc totum ad mortem eis propterea infligendam valere non debet, cùm tàm apertè aduersarius in hoc suo Libello profiteatur nihil esse vel hactenus obiectum, vel in posterum Catholicis obijciendum, tanquàm capitali supplicio dignum, præter ea quæ antiquis Regni legibus Maiestatem Regiam lædere censebantur. Nos quoque ex altera parte Deum atque homines contestamur (quoniam iam necessitas nobis imposita est his de rebus disputandi) quicquid vel hactenus dictum est, vel deinceps ad nostram defensionem dicetur, de articulis illis per aduersarios ex Bulla Pontificia ad nos illaqueandos deductis, nequaquàm à nobis contra naturalem Principem patriamque

Protestatio authoris ante responsionem ad articulos de Bulla ab aduersario propositos.

amque nostram dirigi, accommodari, aut intelligi, quanquàm impedire nō possumus homines improbos, formidolosos, suspitiosos, maliq; sibi conscios, rectè dicta perperàm pro sua libidine interpretari. Neq; verò hanc ego quæstionem aliter tractare institui, quàm Scholę consuetudo postulat, nimirum vt de ea generatim dicam, neminem autem mortalium singulatim attingam, quin potius applicationem omnem ad res singulares atq; personas, simpliciter relinquo (vt par est) Ecclesiæ Dei, summisq; eius pastoribus, & cuiusque verè Christiani conscientiæ, ad cuius forte manus hęc nostra Defensio peruenerit. Neq; etiā magnoperè laborabimus, vt omnia priuatorū hominum scripta aut facta, de Excōmunicatione præstemus: sed potius sepositis huiusmodi quasi personalibus controuersijs, cōmuni omnium nomine Apologiam hanc instituendam putauimus, illudq; perspicuè demonstrandū, Assertiones istas potestatis Pontificiæ ac Primatus supra Reges in causa hæresis, apostasiæ, alijsq; huiusmodi, Dei verbo esse cōgruentes, nec vlli omninò Principi aut Reipublicæ iniuriosas, & à nomine perduellionis alienissimas: quin potius Regnis omnibus Rebusq; publicis (quæ quidem Saluatoris nostri Iesu Christi legibus continentur) maximè vtiles & salutares.

Priusquàm verò Catholicam explicare doctrinam aggrediamur de Ecclesię authoritate in Regibus ac Principibus religionis causa excommunicandis aut deponendis, erit fortasse consentaneū ipsorum Protestantium hac de re sententiam praximq; cōmunem Lectori ob oculos proponere. Quod eorum iudicium, quanquàm non est magni apud nos momenti aut ponderis, vt quod constupratum esse scimus, & à seditiosis hominibus contra legitimū Dei Magistratum ad suas hæreses per vim & scelus dilatandas pronuntiatum, tamen cùm suos sibi Magistros repugnare viderit aduersarius, ex eo statim intelliget non esse perduellionem, si quis Principi aut Magistratui religionis causa resistat, sed potius fortitudinem gloriosam & prædicabilem, & ab hoc nouo euangelio mirificè commendatam.

Protest antiū opiniones & facta de Principib' ob falsam religionem deponēdis.

Ac primùm eorum Archimagister *Ioannes Caluinus* hanc ponit conclusionem, totius Sectæ & fraternitatis Zuinglianæ suffragijs sine controuersia approbatam. *Abdicant* (inquit) *se potestate terreni Principes, dum insurgunt contra Deum; imò indigni sunt qui censeantur in hominum numero. Potius ergo conspuere oportet in illorum capita quàm illis parere, vbi sic proteruiūt vt velint spoliare Deum iure suo.* At quid hoc est *in Deum insurgere,* aut quis dicitur *eum iure suo spoliare?* Sequitur, *nisi omnes superstitiones abo-*

Doctrina Ioānis Caluini.
Caluinus in Dan. cap. 6. ver. 22.

leantur Deus ius suum minimè obtinet. Neq; contentus est hęc in genere posuisse, sed eadē ad omnes ętatis suę Reges & Principes deducit, & in eos tanquàm bestias magis quàm homines inuehitur, & quasi signo erecto, populum ad eos verè *conspuendos* extimulat, seque à seruitute eorum in libertatem vindicandos. Sic enim scribit eodem capite: *Hodie (ne repetamus veteres historias) vt reges ferè omnes fatui sunt & bruti, ita etiam sunt quasi equi & asini brutorum animalium. Quo igitur quisq; audacior est atq; proteruior, eò plus authoritatis consequitur in aulis, meritò nobis deflenda est has Regum socordia, qui superbè contemnunt Dei dona in optimis quibusq; qui possent praeesse in maximam vtilitatem populi, & interim habent in delitijs homines stupidos & sui similes, & non efferunt nisi suos lenones & scurras, & homines nihili, & quos Deus ignominia notauit.* Quod solum factum, nimirū si impios honoribus augeat, & pios ad Reipublicæ gubernaculum non assumat, Zuinglius satis iustam causam esse censet, cur Reges omnes de suis thronis deijciantur. Sed quoniam non agitur de moribus erga homines, sed potiùs de fide erga Deum, censuram Caluini de fide Regum omnium breuiter apponamus. Sic ille eodem in loco. *Darius exemplo suo damnabit omnes eos qui hodie se profitentur vel Catholicos Reges, vel Christianos, vel Protectores fidei, & intereà non modò obruunt veram pietatem, sed etiam quantum in se, labefactant totum Dei cultum, & libenter nomen eius extinguerent è mundo, exercent tyrannidem aduersus omnes pios, stabiliunt sua sæuitia impias superstitiones.* Et rursus. *Hodie Monarchæ semper in suis titulis hoc obtendunt, se esse Reges, & Duces, & Comites, Dei gratia: sed quàm multi falsò nomen Dei prætexunt, in hunc finem, vt sibi asserant summum imperium? Quid enim valet sæpè in Regum & Principum titulis, Dei gratia? nempe ne agnoscant Superiorem quemadmodùm dicunt, intereà libenter Deum cuius clypeo se protegunt, calcarent pedibus; tantum abest vt seriò reputent se habere eius beneficio vt regnent. Merus igitur fucus est quod dicunt se Dei gratia pollere dominatione. Cùm ita sit, facilè hinc iudicium fieri potest quàm superbè contemnant Deum prophani Reges etiamsi non obijciunt eius nomē fallaciter, quemadmodùm isti nebulones, qui palàm Deum subsannant, & ita profanant nomen gratiæ.* Hæc ille; ex quibus quis non perspicit, armari vbiq; populum Protestanticum contra Reges omnes, qui non statim repudiata fide Catholica, Caluini Euangelium suspiciunt? Cùm enim primò ponit. *Abdicare se Reges terrenos dignitate sua, cùm volunt Deum iure suo spoliare, eosq; spoliare Deum iure suo, nisi aboleant superstitiones omnes;* & mox addit, Reges Angliæ, Galliæ, Hispaniæ, & pari ratione reliquos omnes Catholicos & Lutheranos (imò & nonnullos Caluinistas) *Stabilire impias superstitiones,*

Ibidem.

Impura Caluini maledicentia in suæ ætatis Principes omnes.

Vide infrà doctrinam Zuinglij.

Caluinus vbi supra. v. 25.

Caluinus ibidem cap. 4.

Vide cap. 1. pag. 11.

nes, obruere veram pietatem, labefactare verum Dei cultum, imò cupere vt nomē eius extinguatur è mundo, & palam Deum subsannare; cùm eos præterea vocat *Nebulones, Stupidos, brutos, equos, & Asinos brutorum animalium*, quasi nihil vel diuinæ pietatis vel humani sensus in se haberent; non opus est acumine aliquo, vt quid ex hoc efficiatur concipiamus; quando nemo est tàm auritus Midas aut stupidus Chorœbus, qui non vel oculis aspiciat, vel manibus etiam contrectet.

Vt tamen omnis præcidatur cauillandi ratio, in vicinam Galliam intueamur, & quænam illic messis hanc sementem Genuensem sit consecuta, contemplemur. Vbi Caluini primarius discipulus Beza, armatis legionibus constipatus, subditos religionis causa contra Regem inflammauit; vbi pulcherrimas prouincias immaniter depopulatus est, vbi flumina exterorum hostium in ipsa patriæ suæ viscera immisit, vbi suasit nullam superesse pacificationis spem, nisi priùs inimici vsque ad internecionem omnes delerentur; vbi ad sempiternum bellum, & *ne vnquàm in animum inducant, vt cum Sathana* (sic vocat Regem & Regios) *transigant* suos hortatus est (secut⁹ nimirum in eo consilium superioris Reginæ Nauarræ Cancellarij, quem propterea vt heroëm immortalitate dignum celebrant Caluinistæ, qui inter duces & principes *Reformatæ Religionis* ad eos in rebellione obfirmandos, quotidianis sermonibus vsurpabat hanc tanquàm auream sententiam, quòd *libertas Ecclesiæ Gallicanæ quæ armis comparabatur, non poterat nisi armis conseruari*) vbi deniq; martyrum numero adscribere non est veritus, eos qui contra legitimos suos Reges, aperto bello, signis explicatis, dimicassent & occubuissent. Sic enim concludit epistolam quam testamento nouo præposuit, & ipsi Reginæ Angliæ dedicauit. *Geneuæ Anno Domini 1564. Decembris 19. quo die ante biennium Gallica nobilitas illustrissimo Principe Condensi duce, non procul Druidum vrbe fortissimè præliata, prima restituendæ in Gallia Christianæ religionis fundamenta, sanguine suo fœliciter Deo consecrauit.*

Doctrina Bezæ.

Beza epist. Theo. 40.

Ibid. ep. 41.

Le Toc. de Mass. pa. 132.

Martyres sunt, qui in bello contra reges suos pro religione Caluiniana moriuntur.

Beza in Testamento nouo. An. 1564

Nec à Caluini Bezæq; vestigijs recedunt *reformatæ* (vti se vocant) *Ecclesiæ Gallicanæ* ministri, qui innumeris vijs & modis, hanc Martiam Theologiam ab Euangelistis Caluino & Beza acceptam, suis quoque discipulis instillarunt, variosq́ue ea de re libros partim latinos, partim Gallicos conscripserunt: quales sunt, *Concilium sacrum, Alithia, De furoribus Gallicanis, Francogallia Hottomanni, Iunius Brutus de potentia legitima Principis in populum, & populi in Principem Epistola M. Bruccy*, hoc est Theodori Bezæ, *Le Tocsain des Massacreurs, Resueille mat in*, pluri-

Doctrina reformatæ in Gallia Congregationis.

plurimiq; alij mihi quidem ignoti, at inter reformatorum fratrum congregationes vulgati & notissimi. In quibus, præter immania mēdacia & dictu incredibilia, præter horribiles & planè Sathanicas in Principes tum suos tum alienos, vtrosq; optimos & innocentissimos profusas contumelias, hanc suam fidem de Regibus ob impiam religionem deponendis, vberrimè copiosissimeq; demonstrarunt. Sed quoniam ex singulis libris capita vel sententias excerpere nimis esset laboriosum, instar eorū omnium erit ea *Generalis Confessio*, quam Regi suo *Carolo nono* obtulerunt; vbi his cancellis Regiam omnem potestatem circumscribunt, vt Regi à suis non obtemperetur diutiùs, quàm ipse se diuinæ legi subijciat; sic enim se habēt confessionis verba: *Affirmamus parendum esse legibus & statutis, soluenda tributa, & reliqua onera perferenda, subiectionis deniq; iugum voluntariè tolerandum etiamsi infideles fuerint Magistratus, dummodò Dei summū imperium integrum & illibatum maneat.* Illa autem posterior clausula quoniam ambigua est & varias patitur interpretationes, ipsi in synodo sua Bernæ habita ita eam declararunt, vt tum *Dei imperium manere dicatur illibatum*, cùm Caluinismus floret, & Rex exterminata religione Catholica, ex alijs hęresibus innumerabilibus, solam Caluinianam in Regno suo extollat. Aliàs & Regni statum immutare, & naturalem Regem expellere, & Ciuitates contra eum armare, & regem quemuis externum in eius locum subrogare, summè fas iusq; existimant. Nos illius Synodi canones quosdam libabimus, erit enim posteritati exemplum memorabile, & quę sint fidelitate erga Reges sectarij Caluinistæ, & quæ fidei atque Reformationis capita in Synodis suis tractare consueuerint, populoq; credenda ediderint. Can. 3. decernitur, *vt in singulis Ciuitatibus omnes iurent, & suosq; posteros, ea quæ sequūtur capita, rata & inuiolata seruaturos.* 4. *Donec placuerit domino, in cuius manu sunt corda Regum, mutare cor Tyranni Gallicani, & statum Regni in meliorem ordinem restituere, aut exuscitare principem aliquem vicinum, quem cognoscamus (per virtutem suam & notas insignes) esse liberatorem huius calamitosi populi; interim singulæ Ciuitates singulis annis eligent sibi Prætorem, qui illos regat tàm in bello quàm in pace.* 5. *Illi adiungetur Concilium 24. prudentium, qui ex nobilibus & ignobilibus deligentur promiscuè.* 6. *deligetur prætereà Concilium 72. quorum in rebus grauioribus vbi de vita vel morte agitur, in primis requiretur consensus.* Sequuntur alia multa, quibus Monarchia Galliæ ad meram Democratiam reducitur, & nominatim ad exemplum veterum *Ioniorum, Beotorum, Dolopum, & Achæorum* conformatur. Tum de disciplina militari statuitur, de ducibus & eorum

Cōfessio Galli. Artic. 39.

Synodus Bernæ habita. Anno. 1572. Horrendi canones.

Canones Concilij Bernensis.

Can. 16. 17.

rum officio; vt milites eo animo contra hostes progrediantur, *Can. 28.* quo Gedeon contra Madianitas, vel contra Nicanorem & Paganos Iudas Machabæus; *Spirituales & Euangelici Canones.* vt præfecti milites instruant ad subitas velitationes, ad inuadendas vrbes, ad hostes adoriendos vel eorum irruptiones sustinendas; *Can. 29.* vt duces, & qui illis adsunt consultores, Catholicos (sic enim vocant) armatos & resistentes, omni acerbitate persequantur, & eorum prorsus nemini parcant; *Can. 32. 33.* vt omnes in locos varij exploratores emittantur qui hostium consilia scrutentur & exquirant. *Can. 39.* Cæterùm canon vltimus longè dignissimus est qui altè mentibus omnium insculpatur, qui etiam totam hanc controuersiam clarissimè his verbis definit: *Can. 40.* *Habeant duces & Præfecti omnes hoc axioma instar indubitati & certissimi cuiusdam oraculi, nunquàm vt fidant ijs* (Regi & Regijs) *qui toties tamq; insigniter fidem violarunt, quietemq; & pacem publicam, nec vnquàm arma deponant, quamdiu viderint eos persequi doctrinam salutis, aut eiusdem doctrinæ discipulos. Quod si agatur aliquandò de pacificando, primùm omnium illud constituatur, quod gloriæ Dei promouendæ conuenerit; deinde diligentissimè caueatur securitati Ecclesiarum, ne deinceps exponantur misericordiæ luporum & Tigrium. Et si Deo placuerit mollire corda Tyrannorum eosq; mutare, tùm bona cum voluntate omnes se submittent ijs, quos Deus nobis dedit Principes naturales, quibus omne obsequium præstabunt. Sin verò malum sit insanabile, & diuina voluntatis sit eos exterminare, tùm si Domino placuerit aliquem Principem Christianum suscitare ad peccata istorum vlciscenda & popululum suum liberandum, ei se Principi subiectos tradant, tanquàm alteri Cyro diuinitus ad eos misso. Intereà his regulis se gubernent quas nos illis tanquàm leges præscripsimus.* *Protestantiū Cyrus in locū Christianissimi Galliarū regis.* Hactenus Conciliū; quæ omnia clariora sunt quàm vt necesse sit vlterius Gallicanæ Ecclesiæ & Ministrorū fidē indagare, vtrū fas sit pro religione, cōtra legitimū alioqui principē insurgere.

Zuinglius verò religionis Caluinianæ alter penè parens, Heluetius, *Zuing. li. 4. Epi.* & miles, & inter castra toties versatus, qui potuit in hac bellica opinione à suis fratribus discedere, qui in bello pro Euangelica sua religione suscepto, vti militem decuit, vitam suam profudit. *Zuingl. & Oecolamp. fol. 186.* *Romanum imperium* (inquit ille) *imò quodcumq; imperium, vbi sinceram religionem opprimere cœperit, si nos illud negligenter patimur, non minùs contemptæ religionis rei erimus, quàm ipsi oppressores. Exemplum est Hierem. 15. vbi exterminationem comminatur Deus Israeli, quòd Manassem permisissent impunè esse pessimum.* *Doctrina Zuinglij & Ecclesiarum Heluetiæ.* Et alibi paulò manifestiùs. *Quando Rex perfidè & extra regulam Christi egerit, potest cum Deo deponi; cùm autē in manifestè impios & delinquentes non animaduertit, extra regulam Christi ambulat; magis verò cùm sceleratos proue-* *Idem tom. 1. art. 42.*

bit & innoxios pragrauat, &c. dum hæc (inquam) facit, præter regulam Christi facit. Quòd autem deponi ab officio possit, Saulu exemplum manifestè docet. 1. Reg. 15. 16. Quin dum flagitiosi principes & Reges loco non mouentur, totus populus à Deo punitur, vt patet Ierem. 15. In summa, si Iudæi Regem suum non ita impunè conscelerátum esse permisissent, à Deo non tàm grauiter fuissent puniti; nec filij Israel, si exauthorassent Manassem. Oportet oculum offendentem effodere & abycere, sic de manu & pede, &c. Hæc nos breuiter astringimus, quæ apud illum multò fusiùs explicantur.

Anglorũ Protestantiũ sententia.

In præfatione.

Quid verò nostri in Anglia Protestantes hac de re sentiant, in promptu est existimare (vt alia mittam) ex libro quem Geneuæ emisit principalis quidam Anglicanæ apud Geneuenses Ecclesiæ minister, & emisit non tanquàm singularem sui vnius, sed generalem omnium Anglorum qui Geneuæ consederant, & aliorum Geneuæ atque Heluetię ministrorum sententiam, sic illi quęstionem hanc decidunt in libro, qui inscribitur, *Quemadmodum superioribus magistratibus obediendum sit, &c. Quamdiu Principes Magistratus, etiamsi coram Deo impij sunt, scelesti & reprobi, exteriùs tamen curant Dei leges custodiri & obseruari ab alijs, tamdiu debemus illis obedientiã. Sin verò audacter & ipsi leges Dei transgrediantur, & alijs idipsum præcipiant, tum perdiderunt eum honorem & obedientiam quam aliàs subditi eis præstare tenebantur; neq; deinceps habendi sunt pro Magistratibus, sed puniendi tanquàm priuati homines.* At quęrat aliquis, quisnam ille est tanta authoritate pręditus, vt de Principe vel Magistratu suo supplicium sumat? & quid si in aliquo Regno, non solùm Princeps supremus, sed omnes etiam inferiores Magistratus in eandem cum Principe diuinæ legis pręuaricationem concurrant? Respondent isti, vulgus infimum habere summam à Deo ipso potestatem, vt Principem & Magistratus omnes pro tali transgressione vlciscantur. Sic enim ibidem loquuntur: *Si Princeps & Magistratus omnes repugnent legi diuinæ, habetis vos qui è populo estis, expressum diuini verbi testimonium pro parte vestra, & Deus ipse vobis dux & signifer erit, qui præcipit non solùm primoribus & Magistratibus auferre malum ex ipsis, siue idololatriam, siue blasphemiam, siue apertam iniuriam; sed hoc à tota multitudine requirit, cui gladius iustitiæ ex parte commissus est. Ideoq; si Magistratus omnes simul despuere velint iustitiam & leges Dei, vestrûm est (ô populares) contra Magistratus aliosq; omnes, eas defendere & conseruare quanta maxima vi & contentione potestis. Hoc enim Deus à vobis postulat Exod. 17. toti populo hoc onus incumbit, vt animaduertat in Idolatram quemcunq;: nemo excipitur, siue Rex, siue Regina, siue Imperator.* Et paulò post: *factum illud quod memoratur Numer. cap. 25. perpetuum*

Goodmanus in libro, Quèadmodum obediendum &c. cap. 9. pag. 118.

Ibid. cap. 13. pagina 180. 181. 184.

Deut. 4. 5. 6

1. Chron. 29.

1. Cor. 5. v. 13.

Infinitum populi Protestantici regnum.

Ibi. pag. 18[illegible].

tuum est exemplum in omnem æternitatem, & certa denuntiatio populo, vt in simili defectione à cultu Dei, Rectores suos qui à Deo ipsos abducunt, ad furcas abripiant & suspendant. Et quanquàm hoc videri posit magna confusio vt populus tantum sibi assumat, tamen cùm Magistratus officio suo fungi desinit, populus ita considerandus est, ac si careret omni Magistratu, & tū Deus ipse gladium in manus populi tradit, & Deus ipse efficitur immediatè eorum caput, eosq́ defendet & benedicet. Sed non est opus sententias & sententiarū membra describere, quando integris capitibus eo in libro hoc totum copiosè probetur; cùm ibi honorificè multis paginis ad cœlum vsque extollantur, qui rebellionem *Vviati* contra Principem promouerunt, damnentur vérò ad inferos, & tanquàm nefarij proditores longè à bonorum virorum, maximè Euangelicorum societate repellantur, qui Reginæ contra *Vviatum* aliquam tulerunt opem. *Nulli* (inquiunt) *nisi Papistæ vel perduelles accusare possunt Vviatum perduellionis & inobedientia. Erat officium Vviati aliorumq́ omnium qui inter vos Euangelium Christi profitebantur, illud bellum suscipere, erantq́ illi verè perduelles qui Vviato fidem non seruarunt, aut partes eius non iuuarunt. Et quanquàm illius conatus non ita fœlicem habuit successum quàm nos sperabamus, sic tamen nostra ignauia & indignitas merebatur. O nobilissime Vviate, tu quidem iam cum Deo viuis, optimiq́ illi viri qui tecum in ea causa occubuerunt; fœlix (inquā) es, & quicunq́ tecum in illa æterna hæreditate sunt collocati Tu tuiq́ stabitis aliquādo iudices contra inimicos vestros ad eorum æternā condemnationem, &c. Quinimò ô Proceres & Consiliarij, nónne vos ipsi damnastis tanquàm seruili animo & manifestè proditores, non modò contra Vviatum, verùm etiam contra Deum ipsum? Hiccine amor ille est verbi diuini quem præ vobis tulistis ô Euangelici? siccine Euangeliū didicistis, &c.*

Vbi supra. cap. 11.

Ibi. cap. 14. pag. 203. &c.

Martyres sūt qui pro religione Anglicana, in bello contra Principem moriuntur.

Quòd si ex Anglia in vicinam Scotiam transeamus, & quid ille ministrorum grex de hac quęstione statuat, scire cupiamus, eorum iudicium ex primario ipsorum propheta & patriarcha *Ioanne Knoxo* facilè intelligimus; qui in Libello Geneuæ impresso, quem vocat, *Appellationem ad Nobilitatem & populum Scotorum*, inter alia huius generis innumerabilia, ita scribit: *Illud audacter affirmauerim, debuisse Nobiles, Rectores, Iudices, populumq́ Anglicanum, non modò resistere & repugnare Mariæ Iezabeli, quam vocant Reginam suam; verùm etiam de ea, & sacerdotibus eius, & alijs omnibus, quotquot ei auxilium tulerunt, mortis supplicium sumere, vt primùm apertè cœperunt Christi Euangelium supprimere.* Eodemque loco extant argumenta Libellorum quorundam, quos hac ipsa de re se paulò post editurum pollicebatur. Primum est: *Nullus apertus idolatra, vel notabilis transgressor sanctorum* DEI *mandatorum,*

Scoticorū ministrorū sententia.

Knox. in appellatio. pag. 36.

Ibi. pag. 78.

Argumenta Libellorum

Ioan. Knoxi. *promoueri potest ad aliquod publicum regimen, honorem, vel dignitatem in aliquo Regno, quod Iesu Christo, eiusq; beato Euangelio se submisit. 2. Neq; promissum, neq; iuramentum obligare potest populum Christianum, vt obediat & auxilietur tyrannis, contra Deum & eius manifestam veritatem. 3. Si populus, vel temerè promouerit aliquem manifestè improbum, aut ignoranter elegerit talē qui posteà se ostendit indignum gubernatione populi Christiani; (tales autem sunt omnes idololatræ & crudeles persecutores) iustissimè potest idem populus illum exauthorare & punire, quem anteà inconsideratè designauerat, constituerat, & elegerat.*

Lutheri & Germanorū Protestantiū sententia. Ad eundem modum, Protestantium Germanicæ religionis tertius Elias Lutherus, rogatus sententiam de illa Smalcaldica contra optimum nobilissimumque Imperatorem Carolum Quintum coniuratione, respōdit, dubitasse se profectò aliquamdiu, vtrùm liceret fœderibus se communire contra summum suū Magistratum néc ne; Sleidan. li. 8. *Sed quoniam* (inquit) *hoc tempore tàm dubio tamq; periculoso, multa possint incidere, sic vt non modò ius ipsum, sed conscientia quoq; necessitas arma nobis porrigat; defensionis causa fœdus iniri posse dicit, siue Cæsar ipse, siue quis alius fortè eius nomine bellum faciat.* Quo Lutheri oraculo persuasi militum duces & præfecti, idem & publicè peruulgarunt ad populum vniuersum commouendum, & ex eodem edocti, Imperatori ipsi omnem fidem quam priùs dederant, hoc tempore renuntiarunt. De priori Sleida. li. 21. sic scribit Sleidanus: *Quia Cæsar religioni exitium molitur atq; libertati, causam præbet cur ipsum oppugnemus bona conscientia. Cùm enim in eum casum res deuenit, licet resistere, sicut & sacris & profanis historijs demonstrari potest.* De posteriori verò, post longam totius exercitus nomine factam à ducibus narrationem causas belli huius ab eis contra Cæsarem su- Ibid. lib. 17. scepti complectentem, hanc ponit conclusionem: *Hæc cùm ita sint, & quia fœdus idcircò fecimus, vt in hac religione permanere nobis liceat, & vt eam coniunctis animis tueamur; necessariò nobis fuit suscipienda hæc defensio, quam & diuinum & naturæ quoq; ius nobis concedit. Et quanquàm propter hoc tuum institutum nullo tibi sumus obstricti vinculo, nec opus idcircò fuit vt quid nostræ sit voluntatis tibi denuntiaremus, tamen amplioris cautionis loco, renuntiamus eam tibi qua deuincti sumus fidem atq; officium.*

Magdeburgensium ministrorū varij de hac re Libelli, Magdeburgenses verò, cùm post reliquam Germaniam pacificatam ipsi soli præfractè consisterent in impia sua contra Cæsarem rebellione, quàm multos libros euulgarunt, vt suam pertinaciam iustam esse pro Euangelij Lutherani defensione constantiā demonstra- Sleida. li. 22. rent? *Magdeburgenses* (inquit Sleidanus) *cùm crebris edictis peterentur à Cæsare, rursus aliud scriptum euulgant, in quo demonstrant eos qui contra se sumunt*

arma,

arma, bellum ipsi Christo facere. Deinde, si fortè Magistratus excedit sua potestatis terminos & impium quid praecipiat, non solùm ei non obtemperandum est, verùm etiam vim facienti resistendum. Quod cùm ita sit, nulla nobis rebellio iure potest obijci. Et eodem in loco, *post Ecclesiæ Magdeburgicæ ministri scriptum edunt; in eo doctrinæ suæ confessionē recitant, & Magistratui licere demonstrant inferiori, defendere se contra superiorem cogentem discedere à veritate.* Non multò post, in dimicatione cum hostibus, cæsæ sunt Magdeburgensium centuriæ aliquot. Prodijt statim Libellus historiam totam recensens, & interfectos in Sanctorum numero reponens. *Cladem* (inquiunt) *nos accepisse fatemur: occubuerunt illi videlicet honestè & piè pro gloria nominis diuini, proq; salute patriæ, &c.* *Ibidem.* *Martyres sunt omnes, qui pro Lutheranismo vel quacunq; Secta Protestantium moriuntur.*

Dies me deficeret si omnes omnium Ecclesiarum Protestantium Apostolos, Doctores, Superintendentes, Confessiones, recitare velim, cùm nulla sit Secta Lutherana, Brentiana, Zuingliana, Caluiniana, Anabaptistica, quæ non hoc dogma & verbo prædicauerit, & libris editis defenderit, & rebus gestis propugnauerit, ipsa denique morte tanquam Principalem Euangelij & fidei suę articulum obsignauerit. Ex quibus omnibus perspicuum est, nullo modo perduellioni affinem esse opinionem hanc, quæ docet fas esse resistere Magistratui conscientiæ causa, & religionem armata manu contra Principem defendere, si Protestantes in hac causa iudices admittamus: quorum etiamsi scripta clarissima sunt, clariora tamen sunt facta quàm scripta; cùm Beza ipse, & simul alij permulti congregationis Gallicanæ famosiores ministri, magnam Galliæ partem cum exercitu peragrauerint, tectiq; armis non quidem petitis ex armario Spiritus sancti, sed ex fabrica & officina Vulcani, contra duos tresue Reges suos in acie militariter steterint. Imò & *Zuinglius* ipse infœlix Anglicanæ religionis fator, in prelio contra Heluetios suos interfectus est, vti cunctis est notisimum. Ideoq; non est cur aduersarij contra nos tantoperè exaggerent factum D. Sanderi tanquàm nouum & antehac inauditum, qui zelo flagrans, Hybernicæ commotioni se aliquantisper immiscuit; de cuius tamen mortis genere, aduersarij narratio longè est mendacisima. *Protestantes cuiuscunque sectæ armis religionem suam defendunt.* *Mors Sāderi.*

Flandri quoque Protestantes illud tanquàm certum & indubitatum tenuére (Anglis eorum factum approbantibus, imò ad illud vel maximè stimulantibus) licere sibi propter religionem supremo suo Principi bellum inferre. Ideoque arreptis armis totum Reipubl. statum immutarunt, principemque omni iurisdictione & domina-

tu exuerunt. Quod exemplum apud Anglos eò efficacius & ponderosius esse debet, quoniam illi (vt dictum est) primas partes in ea tragœdia egerunt. Quemadmodùm similiter nemini ferè mortalium ignotum est, eos principales fuisse actores & artifices in exauthoranda Scotorum Regina, principe legitima & solenniter inuncta. Ad cuius grauiorem afflictionem hoc addiderunt, vt eam quatuordecim iam annos captiuam detinuerint.

Protestantiũ inconstantia, vt causæ suæ inseruiant.

Quæ omnia si simul conferantur, facilè deprehendet lector & obstupescet istorum hominum in sua fide & politia inconstantiam Euripo aut Vertumno mutabiliorem. Si enim de illorum Statu agas, aut pro Catholica fide restauranda quicquam contra eos moliaris, mox tibi occinunt *Proditorias assertiones*, & non esse resistendum *Christo Dei*, sed *Regi quasi præcellenti esse* obediendum; neminem posse sibi vindicare imperium *in illam, quæ in terris superiorem non agnoscit, sed à solo Deo pendet* (hæc enim omnia Libelli author tanquàm firma propugnacula obijcit ijs, qui post Apostolicæ Sedis sententiam de Reginæ authoritate aliquid detrahere sunt ausi) multaq; & politica, & philosophica, & theologica corradunt, quibus ostendere videantur, non solùm facta & dicta, sed etiam cogitata mortem acerbissimam promereri. Sin verò in quæstionem veniat ipsorum delicata & nudius tertius enata religio, eique obsistere videatur aliquis vel optimus vel potentissimus in orbe Christiano Monarcha, tùm nec Philosophia, nec Theologia, nec vnctio, nec successio, nec *Regis præcellentia*, nec eius celsitas *qui neminem in terris agnoscit superiorem*, nulla deniq; prærogatiua Regia Regibus sufficere potest, vt eos à suorum populorum motibus & furoribus immunes reddat: ipsique fratres Anglicani huiusmodi rebellionibus maximè patrocinantur, easque quantum possunt, & Theologia & etiam militia, omniq; ope & subsidio, pro sua virili fouent, prouehunt, & tuentur.

Verus status huius quæstionis.

Quamobrem non in eo vertitur quæstionis huius cardo (de quo libelli author multa licentiosè nugatur) vtrùm princeps creatione, aut successione, aut inunctione aut quocunq; iure ad Regnum peruenerit: sed hoc potissimũ quæritur, vtrùm principi legitimè creato atq; iniuncto, vllam ob causam, præsertim verò ob religionẽ subditi possint sese opponere. Nos respondemus, semel atq; iterũ, imò sæpissimè de hac quæstione præiudicatum esse ab omnibus omnium sectarum Protestantibus, Anglia inprimis suffragante: nihil vt hîc necesse sit læsam Maiestatem Regiam vel tenuiter subuereri, si ad Anglicanam

Conclusio huius quæstionis ex communi omnium Protestantiũ consensu.

glicanam huius tempestatis Theologiam respiciamus. Nec exemplorum multitudinem desideramus, si oculos conuertimus ad vastitates, depopulationes, & cruentissimas rebelliones, Scotorum, Belgarum, Gallorum, & Germanorum, in quibus singulæ Sectæ, consentiente vel potiùs signum præferente cuiusq; prouinciæ Ministerio, ad hæreses suas regionatim defendendas contra legitimos Principes consurrexerunt. Atq; hæc exempla (ô proceres Anglicani) contemplari & expendere recta ratio postulabat, potius quàm tàm mirabilia narrare de lente, & tàm tragicè exclamare propter vnicam & eam leuissimam commotiunculam pro defensione fidei Catholicæ factam toto viginti sex annorũ spatio; quo intereà tempore Ecclesias Christi vastabat persecutio adeò immanis, nulla vt ei post Gothorũ & Vandalorum rabiem fuerit comparabilis. Quod si Regina, Christianam Maiorum suorum fidem retinuisset, & subditos Protestantes longè paucioribus annis rexisset, eosq; ad eundem modum afflixisset quo nunc affligit Catholicos (quanquàm hoc non tàm illi fortasse quàm crudelibus illius Ministris est tribuendum) infinitè sine dubio grauiores sensisset aduersus se coniurationes, quàm quæ temporibus nostris vel in Anglia vel in Hybernia extiterunt. Quæ tàm diuturna in Regno pax & tranquillitas, non aliunde proficiscitur quàm à Catholicorum bonitate & religiosa conscientia, amore pacis, ordinis, & obedientiæ, seditionum verò atq; tumultuum extremo odio ac detestatione.

Quæ quidem omnia Protestantes illis aliquando fastuosè exprobrarunt, & præ impotentia animi, Catholicis quibusdam magni nominis atque authoritatis (quos illi grauissimè oppresserant) timiditatem & lentitudinem obiecerunt. Et quid (inquiunt) *aduersum nos agere vel potestis vel etiam audetis? Voluntates quidem vestras ac desideria non ignoramus, at cùm facto opus est, timidissimi estis, omniumq; mortalium ignauissimi, quotquot Papistæ vocamini.* Neq; vires vestras, neque copias auxiliares pertimescimus. Nec ista talia & huius generis permulta, iactant tantum Protestantes paulò insigniores, qui supra cõmune vulgus eminẽt, sed etiam *Ministri pro concione sæpenumero gloriãtur, Papistas (vti loquũtur) nunquàm rerum potituros, quacunque tandem Principum lege in matrimonio acciderit: se enim potius aperto Marte ad extremum vsq; spiritum dimicaturos.*

Protestantiũ in Catholicos verba contumeliosa.

Ministrorum minæ.

Quę illi omnia tantò insolentiùs (admodum sanè imprudenter) in vulgus efferunt, quantò maiorẽ vident in Catholicis vel viris vel fœminis, modestiam, grauitatem, atque pietatem. Protestantes verò

Discrimen inter Catholicos &

qui

Protestantiũ mores. qui nunc dominantur, & summæ rerum præsunt, omnes aut eorum certè præcipui, alios prædando, expoliando, remque publicam conturbando, ad hanc amplitudinem venerunt. Qui proximè eorum latera stipant & partes fouent, adolescentes sunt audaces, inconsiderati, & ad quiduis audendum proiecti. Reliqui siue Laici siue Ecclesiastici (& isti maximè) carnis voluptatibus & mundi illecebris implicati (quas hoc nouum Euangelium abundè suppeditat) adeò sunt iniuriarum impatientes, vindictæ cupidi, irrequieti, planeq; furiosi, vt eorum perpauci si cum Catholicis pacis & otij studiosis conferantur, oculis hominum simplicium & imperitorum, speciem prębeant magnæ cuiusdam & copiosæ multitudinis.

Isti autem homines desperati & factiosi, quamdiu Principes Principumque leges habent voluntati suæ indulgentes, prospero eo fortunæ flatu optimè norunt vti. Sin verò principes eorum placitis refragentur, legésue illis sint aduersariæ, mox vincula omnia obedientiæ & fidelitatis abrumpunt, Maiestatem aspernantur, cædibus, incendijs, & direptionibus vbique grassantur, & ad omnem rerum diuinarum atque humanarum contemptionem ruunt præcipites.

Protestantiũ scelerata & seditiosa praxis. Ac solent illi quidem, si diligenter animaduertas, vel teneram Principum ætatem, vel imbecilliorem statum, tanquàm Regno suo promouendo maximè oportunum obseruare. Quod & in Anglia fecerunt sub *Eduardo sexto*, & in Gallia, regnantibus duobus adolescentibus, illius qui nunc præest, Christianissimi Regis fratribus. Rursumq; in patria nostra, Reginæ huius infirmiorem sexum tanquàm valdè sibi ad res nouas moliendas idoneum elegerunt. Ea enim quamuis clarissima sit Princeps, multis sanè magnisque naturæ dotibus ornata, mulier tamen est, quæ facilè decipitur, minimoque negotio ab ijs quibus credit vel quos metuit seducitur. Quod vbi fit, ita ferè vsu venit, vt quantò maior fuerit Principis clementia & bonitas, tantò subditis grauius & onerosius sit eius imperiũ, eorum nimirum tyrannide qui sub Principe Rempubl. administrant, & Principis facilitate ad exhauriendos subditos, seque ipsos immensis opibus locupletandos abutuntur.

Scotorũ perduelles. Ecquis verò ignorat, quid ab istis hominibus serenissima Scotiæ Regina perpessa sit? Quàm inhumanè ingrateque, ipsius ætatem, & sexum, & benignitatem atque liberalitatem in ipsos proditores amplissimam, ad ipsam circumueniendam, tandemque è Regno exterminandam conuerterint? Quàm diuturnas & innumeras calamitates

eorum

eorum sacrilega infidelitate subiuerit, à quibus nec adhuc respirat? Neq; minùs notabilis est eorum impostura, qua præstantissimi eius filij impuberi ætate ad suum priuatum emolumentum sectæque propagationem abusi sunt. Et iam cùm clarissimus ille Princeps ad ætatem paulò maturiorem venerat, ideoque probabile erat eum statim deprehensurum, & fortasse etiam vindicaturum inexpiabiles fraudes & machinationes, quibus & innocentissimam eius matrem ex altissimo Maiestatis gradu ad infimam conditionem deiecerunt, & ipsi etiam in pueritia, totoq; Regno suo varia damna intulerunt; vide quàm honestam ex his difficultatibus elabendi viam commenti sunt. In ipsum Principem suũ, suadentibus ita *Ministris*, hoc est, totius Regni colluuione, violentas manus iniiciunt, & perdiu tanquã prædam aliquam in bello comparatam magna diligentia asseruant. Et cùm iam diuina prouidentia eorum manus euaserit, non verentur homines audacissimi, coràm illi & in os dicere, ipsum fuisse ab eis in Regem electũ, & constitutum ad huius eorum noui barbariq; Euangelij defensionem. Deniq; perpetua illius formidine correpti si forte paulò magis ætate processerit, alia atque alia indies contra eius vitam stratagemata & insidias moliuntur. *Ministrorum Scotiæ fraus & perfidia in regem.*

Hæc est Protestantium erga suos Principes religio, cum prioribus ipsorum opinionibus aptè cohærens. Sed eorum nos impiam Theologiam nihil moramur, nisi quatenus huic quam nunc tractamus disputationi contra Protestantes inseruit, Anglos præsertim; qui omnium temporibus nostris coniurationum, quæ quidem Religionis specie & inuolucro teguntur, præcipui sunt authores & Architecti; qui tamen re vera religionis sunt inanissimi, & nisi cum Status sui priuata ratio postulat, religionem quamcunque maximè aspernantur. Illud nobis docuisse satis est, nullo modo (si qua ipsorum verbis factisque fides habenda sit) iuxta eorum opinionem, lædi Maiestatem Regis ab eo, qui contra voluntatem Regis Religionem defendit; nec esse *Assertionem proditoriam*, si quis affirmet legitimum Principem ob defectionem à Deo atque fide posse Regalem potentiam amittere. Eademque est Catholicorum omnium, & Christianarum toto orbe Academiarum sententia, cum hac tamen vtriusque partis, eaque perinsigni differentia, quòd Rebelles hæretici suo fallaci iudicio incertisq; opinionibus pertinaciter inhærentes, absq; vlla constanti regula & ratione, temerè errorẽ vocant, aut idololatriam, quæ vera est Christianaq; religio; Principibusq; suis tanquàm præpoten- *Discrimẽ Catholicorũ & hæreticorum in Principib' hæreticis iudicandis.*

 tis Dei

tis Dei hostibus obedientiã renuntiant, quos Sancta Christi Ecclesia, incorrupta & suprema huius & cuiuscunque alterius controuersiæ iudex, tanquàm Principes iustos, religiosos, vereque Catholicos prędicat & honorat. Catholici verò, vtpotè legum, ordinis, ac quietis in Republ. conseruandæ studiosi, in materia tàm difficili plurimorum salutem & vitam complectente, non ducuntur suis priuatis opinionibus, vnde turbulenta quæque ingenia sub Religionis prætextu, in Repub. omnia iura diuina & humana possent confundere: (quemadmodum his postremis annis, varijs ijsq; horrendis exemplis Protestantes ostenderunt, quandocunq; vel Magistratus, vel status publici mutationem desiderarunt) sed iudicium omne deferunt Ecclesiæ Catholicæ, summisque animarum suarum Rectoribus, qui ex diuinis scripturis, sacris Canonibus, Concilijsque sincerè iudicare possunt, quid sit hæresis, & quis dicendus hæreticus; quis Princeps excommunicandus, quis deponendus; quis leuiter hęresi infectus, quis pertinaciter in ea demersus; cuius correctio est speranda, cuius desperanda, & consequenter quis ad emendationem tolerandus & expectandus, quis à corpore Christi abscindendus tanquàm membrum pestilens & insanabile: denique quomodò, quibusq; temporibus ista fieri possunt commodisimè, minimo cum periculo hominum & conturbatione Reipub. illius, quæ impia tàm indigni Principis administratione corrumpitur.

Ecclesia Catholica optimè de hæresi indicat. In huiusmodi rebus Ecclesia nunquàm ducitur eo partium studio, quo nos subditi ferè occæcamur. Neque sanè par est, vt homines priuati ad nostra quasi tribunalia Principum nostrorum facta reuocantes, de eorum dignitate vel indignitate pro nostra libidine sententiam dicamus. Quęnam ergo in Christiana religione ratio cogitari potest, vel ipsis Principibus magis decora & honorabilis, vel cuiusque Christiani conscientię magis certa & secura, quàm si ad supremũ Ecclesię Christi Pontificem respiciamus, cuius ductum si sequamur, perdifficiliter à recta via aberrabimus, aut si fortasse aberrare contingat, non erit error ille adeò perniciosus; cùm eis nimirùm obtemperamus, quibus animarum nostrarum curam Christus ipse commisit, quiq; illarum rationem Christo supremo omnium Episcopo sunt redditurí, per quem & cuius nomine Reges omnes Regnum & Regiam potestatem obtinent. Cum hæreticis ergò Catholici in hoc conueniunt, quòd propter religionem Regibus fas est resistere, & subiectionem alioqui debitam detrahere. In modo autem resistendi

non

non minùs differunt, quàm recta ratio ab insania, & diuinis legibus conformata conscientia, ab indomito furore, aut audacia ad quiduis perpetrandum proiecta.

Ad hanc autem veritatem testificandam, breuitatis causa paucorum ego Catholicorũ sententias describam, sed qui propter doctrinam ita excellunt & eminent, vt cuiuis viro bono abundè cumulatéque satisfaciant, nostrisque etiam fratribus suppeditent quod respondeant ijs, qui ad mortem vsq; has *proditorias assertiones* occlamare non desistunt.

Diuus Thomas sanctißimus ille idemque doctißimus scriptor, decus & ornamentum subtilioris Theologiæ, cuius vel vnius iudicium, Protestantium certè omnium cuiuscunq; generis & Sectæ opinionibus longè præponderat, hac de re ita scribit: *Postquàm princeps est denuntiatus Apostata, subditi absoluuntur à præstito iuramento & obedientia atq; fidelitate illi debita.* Cùm ergo de veritate huius assertionis primarius inter Scholasticos Doctores ita perspicuè definiuerit, non potest ea Maiestatis læsæ damnari, aut cum perduellionis materia aliquid habere commune. In ea autem verba *D. Thomæ*, ita scribit clarißimus ætate nostra Theologus *Franciscus Toletus*: *Nota, quod eadem est ratio de excommunicato. Quia cùm primùm quis est denuntiatus excommunicatus, omnes subditi absoluuntur ab eius obedientia. Licèt enim sit notorium crimen Principis, non absoluuntur vasalli à iuramento, vt benè dicit Caietanus, ante denuntiationem ab Ecclesia: qua facta, non solùm sunt absoluti ab obedientia, sed tenentur non obedire, nisi fortè propter periculum vitæ vel damnum bonorum temporalium. Et sic de Henrico 8. in Anglia factum est, cui etsi subditi postquàm denuntiatus esset excommunicatus tenebantur non obedire, tamen quia is crudelis erat, & illos vel vita vel bonis priuasset, excusati fuerunt subditi illi adhuc obediendo.* Hæc est doctißimi huius Theologi sententia, cui nemo (quod equidem sciam) Catholicorum Doctorum, vlla vnquàm ætate contradixit.

Opiniones Catholicorũ, de principib' deponẽdis propter Apostasiã & hæresim.

S. Thomas in 2. 2.

Opinio Francisci Toleti de principe excommunicato in 2. 2.

Henricus octauus.

Sacros Pontificij iuris canones non proferemus, qui quoniam Romanorum ferè Pontificum decreta sunt, quos aduersarij iniquiores in hac causa opinantur, minùs idcirco apud eos valere necesse est, licèt in omnibus Christiani orbis iudicijs ac tribunalibus magnum pondus obtineant. Illi autem omninò statuunt, hæreticos omnes, nõ solùm postquàm publica Supremi Pastoris sententia particulatim denuntiati fuerint hæretici, sed etiam *ipso facto*, cùm primùm hæreticos sese ostenderint, statim priuatos esse omni iure & dominatu

Cap. Alius, cũ sequentibus. xv. q. 5. cap. fin. de hæret.

regio: licèt subditi ante publicam denuntiationem; non tenentur scrupulosè de peruersa regis voluntate inquirere, aut ei tanquàm reo, vsitata Subiectionis officia negare.

Sententia ac decretũ magni illius & Oecumenici Concilij Lateranensis.


Cæterùm fas non est prætermittere definitionem, ipsaque adeo verba Oecumenici illius *Concilij Lateranensis* toto orbe celeberrimi, quod ante annos circiter 300. celebratum est; in quod conuenerunt, præter *Innocentium* Pontificem doctissimum, patriarchæ *Constantinopolitanus* & *Hierosolymitanus*, Archiepiscopi Græci & Latini 70. Episcopi 412. Prælati alij 800. preter doctissimos viros plurimos ex omnibus Christianis Regionibus collectos Adfuerunt vnà Legati Imperatoris Romani & Græci, Regumque Hierusalem, Angliæ, Galliæ, Hispaniæ, Cypri, & aliarum Rerumpubl. & Principum Christianorum. Cuius Concilij decreto nullũ sub sole certius & incorruptius iudicium desiderari potest, quando apud omnem hominem Christianum illud certum ratumque esse debet, Concilium illud amplissimum, Ecclesiam orbemque Christianum vniuersum repræsentans, tanta consensione *Assertionem* (vti vocant aduersarij) *proditoriam* inter fidei canones reponere noluisse. Hęc sunt autem Concilij illius verba: *Si dominus temporalis requisitus & monitus ab Ecclesia, terram suã purgare neglexerit ab hæretica fœditate, per Metropolitanum & Comprouinciales Episcopos excommunicationis vinculo innodetur, & si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc summo Pontifici, vt extũc ipse vasallos ab eius fidelitate denuntiet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam: qui eam exterminatis hæreticis sine vlla contradictione possideant, & in fidei puritate conseruent; saluo iure Domini principalis, dummodò super hoc ipse nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum opponat: eadem nihilominus lege seruata circa eos, qui non habent dominos principales.*

Cap. 3. de hæres.

In hunc ergo modum, & Scholastici Doctores, & iura canonica, & decreta Conciliorum vniuersalium, de hac quæstione statuunt. In eo cum Catholicicis hæretici ipsi conueniunt, vt fateantur vtriq; licere certas ob causas, maximè verò ob defectionem à fide & religione, Principibus resistere & imperium eorum reijcere; quamuis in huius sententiæ exequendæ modo, Protestantes furore, tumultu, ac seditione populari nitantur, Catholici verò omnia legibus, certo ordine, & definito Ecclesiæ iudicio regi volunt & procurari.

Verùm quò pleniùs ea quæ diximus, à Lectore concipiantur, ista superiùs disputata, proximè sequenti capite ex ipsis diuinarũ scripturarum fontibus probatęq; antiquitatis testimonijs, Christo iuuante, dedu-

te, deducemus; vt omnes perſpiciant quàm longè nos in huiuſmodi opinionibus à læſæ Maieſtatis ſcelere, aut praua erga Principem noſtram affectione abſimus; præſertim quando ad noſtram hac de re ſententiam proferendam, vi & neceſsitate quadam compellimur.



DE PRINCIPIBVS PROPTER HAERESIM AVT DEFECTIONEM A FIDE

Excommunicandis, vel etiam Regno ſuo priuandis; præſertim de bellis propter Religionem ſuſceptis. Tum de officio ac zelo quem Sacerdotes veteris & nouæ legis huiuſmodi in rebus præſtiterunt.

CAPVT V.



CVm Principes quoad Regnum ſuum & Ciuilem gubernationem nullos Superiores agnoſcant, repræhenſiones autem à ſubiectis ſuis, alieno plerunque animo & moleſto ferant, ideoque poſiti ſint in loco valde lubrico & periculoſo, vbi & ipſi facilè labantur, & Reſpubl. totas varijs difficultatibus inuoluant: ſingulari Dei prouidentia ab initio ita fuit comparatum, vt temporibus omnibus, tàm in veteri quàm in nouo teſtamento, ad Reges aliquo modo in officio continendos, tùm Sacerdotes ordinarij, tùm Prophetæ quidam extraordinarij, magno fortitudinis ſpiritu, potentia, animi magnitudine, & dicendi libertate diuinitus fuerint inſtructi.

Periculoſa ſæcularis Principis cõditio, niſi ſpirituali conſilio dirigatur.

Ita Deus omnipotens, qui per Prophetam Reges admonet, *vt ſeruiant Domino in timore, vt apprahendant diſciplinam, nequando iraſcatur Dominus* & patiatur eos à via recta in ſemitas peruerſas & impias recedere; primis Regibus ſelecti ſui populi pro ſua diuina ſapientia vt plurimùm adiunxit Prophetas, qui tanquàm ex officio, Regum curam ſuſciperent, & delinquentes reprehenderent, & continuò (cùm opportunum videretur) flagitia commiſſa grauiore cenſura notarent, illiſque ob oculos conſtituerent; potiſsimùm verò ſi quando diſcederent à fide & à Deo Patrum ſuorum. Tùm enim ex parte Dei, grauiſsimè eis comminabantur, ipſique ſæpenumerò cùm temporum ratio ita poſtulabat minas eas opere & facto complebant. Quos qui-

Pſal. 2.

dem omnipotentis Dei ministros, pij Principes non modò libenter audiebant, verùm etiam magno semper honore prosequebantur, illisque sedulò parebant. Impij verò ac Apostatæ, mortem illis semper & perniciem sunt moliti, vt nemine reclamante in omnem impietatem liberiùs & impuniùs sese effunderent.

1. Reg. 10. 15. 16.

Primus Iudæorum Rex Saul, diuinitùs licèt electus Spirituque sancto afflatus, tamen quamdiu laudabiliter sanctéq; vixit, Samuelis Prophetæ consilium secutus est. Posteà verò quàm spiritualem functionem vsurpauit, aliasque diuina mandata transgressus est, Dei iussu atq; sententia à Samuele pronuntiata, de Regia dignitate cecidit, & Dauid in illius locum ab eodem Propheta subrogatus est & vnctus. Saulem autem ita Regno priuatum ac veluti excommunicatum à Samuele, mox *spiritus malus inuasit*: quo impellente non Dauidem modò, ad quem ius Regni diuina iam voluntate deuolutum erat, verùm Samuelem quoque ipsum occidere conatus est. Quin & *Sacerdotes Nobé* numero *octoginta quinq;*, vt diuinæ literæ testantur, interfici mandauit tanquàm perduelles & Dauidi competitori suo fauentes. Quæ cædes tandem à *Doeg Idumæo* perpetrata est, cùm Satellites Regij tàm tetrū facinus perhorrescerent. Ad hunc modū, complures annos postquàm ius Regni perdiderat, per vim tamen & nefas, Regni possessionem tenuit, Deoque ac Samueli contumaciter se opposuit.

Saul ob munus sacerdotale vsurpatum deposit⁹.

1. Reg. 16.

1. Reg. 22.

Dauid intereà ad quem sine controuersia ius Regni erat translatum, licèt viribus Sauli, qui se pro Rege gerebat, multò esset inferior, rectè arma cepit vnà cum primario quodam Sacerdote Abiathar, qui ex priori cæde saluus euaserat, atque ita vel in aperto bello vel simulata pace, multi anni vario euentu transacti sunt, donec tandē Saule iniusto regnatore in bello contra Philisteos interfecto (quem Dauid, vt eruditè Beatus *Augustinus* obseruauit, cùm multæ occasiones suppeterent, occidere noluit, quamuis iure potuerit) Dauid ad Regnum peruenit, quod tamen non statim initiò obtinuit vniuersum, sed post duos annos: quoniam Isboseth hæreditariam à patre successionem prætendens biennio pro Rege se gesserat.

1. Reg. ca. 31. *August. contra Adimantum cap. 17.*

Qua ex historia illud aduertere licet, Sacerdotes atque Prophetas, quorum est officium, Dei voluntatem denuntiare, eamque ad effectum deducere, populumq; in tàm grauibus de Regni iure contentionibus dirigere; eorum qui Regna inuadunt iniusteque possident, maleuolentiæ maximè esse obnoxios, propterea que sæpenumerò præsentem mortem incurrere.

Cùm de iure Regni contēditur, Sacerdotes in summo sunt periculo.

Ad

3. Reg. 13. 14

Exemplum Ieroboam, quem schismaticum esse Sacerdos denuntiauit.

Ad *Ieroboam* etiam Regem Israelis, Dei iussu accessit Propheta, & contra eum totamque eius posteritatem, iudicium diuinum prænuntiauit, ea potissimum de causa, quòd schismate facto populum illũ à veteri veroq; in Hierusalem Dei cultu separasset, nouumq; in *Bethel* altare erexisset (quod omnes à Sede Apostolica defectiones atque schismata propriè significat) aliosque sibi Sacerdotes extra ordinem Aaronis creasset, Sacerdotes (inquam) egentes ac sordidos, & verè ordinis omnis expertes; (qui etiam nobis hæreticorum Ministerium efficaciter repræsentant, vtpotè qui officia sacerdotalia vsurpant, cùm nullam habeant vel electioné, vel successionem, vel cum Sacerdotio Apostolico cognationem) illud autem Ieroboami facinus Deus tanta seueritate iuxta Prophetæ comminationem vltus est, vt ex tota illius familia *ne mingentem ad parietem* in vita reliquerit. *3. Reg. 14. v. 10.* Impius tamen Rex Prophetam sanctum apprahendere, neciq; tradere conatus est, & diuinę voluntatis declarationem quasi perduellionis crimen contra sua *Regalia* commissum accepit.

Superbi Oziæ exemplũ Sacerdotale mnnus ãbienti. 2. Paral. 26. v. 16.

Oziæ quoque Regi Iudæ *cùm eleuatum esset cor in interitum suum* (quemadmodum loquitur scriptura) ita vt non contentus amplitudine Regali, functionem etiam sacerdotalem vsurpare voluerit, *Azarias & cum eo Sacerdotes Domini octoginta viri fortissimi* magno animo *restiterũt*, eumque vi è templo exturbarunt. Cumque ille Sacerdotibus comminari, & vim vi repellere inciperet, diuinitùs turpissima lepra percussus est, moxq; non solùm eiectus est è templo, sed etiam è throno Regio, adeoq; ex omni hominũ societate & communione (quæ etiam præclara figura est eius excellentis potestatis, quàm à Christo Iesu Sacerdotes nouæ legis traditam habent ad Principes hęreticos non minùs quàm alios inferiores excommunicandum:) deniq; ius omne Regni, & Reipub. moderandæ potestas ab ipso erepta in filium eius transfunditur. Quo exemplo perspicuè constat, posse Sacerdotes etiam vi Regum impietatem frænare ac reprimere, cùm ita diuini nominis gloria & sacrosanctæ religionis conseruatio postulauerit.

Athalia Regina deponitur & interficitur Ioiada summi sacerdotis operã.

Sed multò memorabilior est zelus & industria bonorum sacerdotum, qui sceleratam Reginam *Athaliam* Regali fastigio depulerunt. Quæ post mortem *Ochozia*, vt regno potiretur, omnes illius liberos interfecit, vnico tantùm excepto; quem pia quadam mulier communi reliquorum stragi subduxerat, atq; in templo ad annos 7. educandum curauerat, quo tempore toto *regnauit* (inquit scriptura)

Athalia

4. Reg. 11. *Athalia super terram*, donec *Ioiada* summus Sacerdos idoneam opportunitatẽ nactus, quas poterat ad se vires contraxit tùm à sacerdotibus tùm à populo, legitimum Regni hæredem quem in custodia habuerat, multitudini conuocatæ proponit; eum in Regem vngit, capitiq; eius diadema imponit. Nec mora, impiam *Athaliam* quæ Regnum scelerate inuaserat, cum suis fautoribus ad portas palatij sui iugulari Ibid. v. 14. præcepit. Nec iustissimam hãc vltionẽ improba mulier euasit, quamuis scissis vestimentis exclamaret, *Coniuratio, Coniuratio*; quod non modò legitimi Principes, verùm etiam violenti Dominatores qui nullo iure nituntur, possunt & solent ad suam vtilitatem obtendere. Ad hunc modum Sacerdotes in legitimorum Principum causis sustinendis, authoritatem suam pro temporum opportunitate interponunt. Valdeque hoc officium, & cum eorum sublimi dignitate & cum sacrata vocatione conuenit.

Elias multos Principes deponit, aliasq; de multis vindictã sumit. Diuinam verò Eliæ Prophetæ constantiam & fortitudinem quis Christianus non admiratur? qui cùm ab *Achabo*, & eius Regina *Iezabele* (qui altaria Dei sacrilegè euerterant, & omnes Religiosos piosq; Dei cultores in Regno suo tyrannicè trucidauerant) ad necem quæreretur, tanquàm pacis & quietis publicæ perturbator; illis liberè in os 3. Reg. 18. dixit, non se quidem aut alios famulos Dei quos illi persequebantur, sed ipsum potius *Regem, eiusq; domum* has in Israële turbas excitare. Diuinoq; zelo accensus Iezabelis *pseudoprophetas qui comedebant de mensa eius, quadringentos & quinquaginta* vno die interfecit, atque ita rursus 4. Reg 1. sancta Dei altaria extruxit. *Ochoziæ* Regis Idolatræ duces atque nuntios, centumque viros qui cum ipsis erant, igne cœlitùs deuocato extinxit, donec tertius ille *Princeps quinquagenarius* in genua prouolutus eum ad misericordiam inflexit. Eadem quoque data sibi cœlitus authoritate fretus, vnxit *Hazaelem* vt Rex esset *Syriæ*, & *Iehu* vt Rex esset *Israelis*, & Elizæum, vt vice sua Prophetico muneré fungeretur; de 3. Reg. 19. v. 17. quib⁹ omnibus quasi eadem potentia instructis, dicitur, *quod quicumque effugerit gladium Hazael, occidet eum Iehu; & quicunq; effugerit gladium* 4. Reg. 9. *Iehu, interficiet eum Elizæus*; qui etiam interfecto Achabi filio stirpem illius totam à Regali dominatione submouit, ad quam deinceps in æternum, ius nullum potuerunt prætexere.

Atq; hi duo Prophetæ *Elias* & *Elizæus* tàm sunt in scripturis sacris insignes & nobilitati propter eam quam de sceleratis principibus Dei religionem contemnentibus sumebant vltionem, vt de priori Eccle. 48. diuina scriptura dicat: *Qui deiecisti Reges ad perniciem, & confregisti facilè potentiam*

potentiam ipsorum, & gloriosos de lecto suo. De altero item in eodē loco: *In diebus suis non pertimuit Principem, & potentia nemo vicit illum.* Alibi autem (vt iam notauimus) ipsis Regibus in morte nefarijs hominibus infligenda exequatur: ita nimirum vt si quis Hazaelis Regis Syriæ, aut Iehu Regis Israel gladium euaderet, eum interficeret gladius Elizæi. 3. Reg 19.

Quæ ex prioribus exemplis manifestò consequantur.

Ex quibus diuinæ scripturæ exemplis perspicuum est, primùm quidem Reges vnctos ac legitimè creatos, & posse & fuisse aliquando de gradu suo depositos; deinde quibus de causis id factum sit; denique vt ad Reges creandos & consecrandos, sic etiam ad eos exauthorandos, Deus vsus est ministerio sacerdotum & prophetarum, qui vel ordinariè vel extraordinariè de Regum impietate iudicabant, & diuinam contra eos voluntatem exequebantur.

Quanquàm enim neque Sacerdotes isti, neque Prophetæ, in Regno rebusque politicis, Regibus præerant, neque de Principum suorum diadematis & successione, poterant pro suo arbitratu disponere; tamen quoniam Reges isti potestatem & Maiestatem à Deo sibi tributam acceperant, eamque totam & quascunque vires habebant, impendere tenebantur ad Religionis incrementum, ad supremi omnium Domini cultum & honorem, ad populi salutem, eorumque in fide & timore Dei conseruationem; hanc ob causam meritò Sacerdotes ac Prophetæ (quibus diuinæ religionis atq; animarum cura principalis directè incumbebat, quiq; quoad spiritualia, Regibus suis verè præfuerunt) optimo iure illis repugnabant, si quid admittebant quod Deum inhonoraret, quod Religionem eius destrueret, quod suorum subditorum animas & mores insigniter corrumperet. His enim temporibus, vice Dei diuinam iustitiam administrabant aduersus eos, qui contra primam Regalis potentiæ institutionem, contra sponsiones & pactiones quibus se Deo populoque eius obligauerant, potentiam suam ad delendam religionem veram, ad erigendam & confirmandā idololatriam, hæresim, aut alia eius generis monstra inuerterent. Quibus in rebus, alijsque vel inter priuatos homines vel inter Principem ac populum controuersijs, illud non modò cum natura ipsa & ratione, verùm etiam cum iure Gentium, nationumq; omnium consuetudine, & diuinarum literarum testimonijs apprimè congruit, vt Sacerdotes, maximè verò summus Pontifex iudex sit, & diuinæ voluntatis ad populum interpres.

Sic enim in sanctissima Dei lege scriptum est: *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse prospexeris, inter sanguinem & sanguinem, causam* Deut. 17.

Omnib⁹ præcipitur vt pareant iudicio sacerdotum.

& causam, lepram & non lepram, & iudicium inter portas tuas videris verba variari; surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesq; ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem qui fuerit illo tempore: quæresq; ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisq; sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neq; ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto Iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israël, cunctusq; populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia. Hactenus diuina scriptura, generatim absque vlla prorsus exceptione omnes omninò fideles nō minùs Reges quàm priuatos homines, in istis controuersijs subijciens sacerdotibus, mandansq; vt eorūq; iudicio obtemperent.

Regum electio.

Quin etiam eodem in loco, Regum eligendorum ratio præscribitur (licèt nondùm populus Regem haberet, sed posteà eum erat à Deo postulaturus) neminem vt liceret Regem populo Dei præficere, nisi ex numero esset eorum, qui verè & fideliter Deum colerent iuxta cæremonias legis ac religionis suæ; quas illi leges sua voluntate

Ibidem.

condere aut moderari non poterant, sed eas à sacerdotibus Leuitici generis accipere tenebantur, sicque Dei timorem animis suis imprimere, eiusq; præcepta ac cæremonias diligenter obseruare. Quin etiam cauetur accuratè, & quasi stipulatione facta cum ipsis & ipsorum Rege conuenitur, ne contra Dei præceptum, populum ad Aegiptum reducat, id est, à fidei veriq; cultus diuini libertate, ad Idololatriæ falsæq; Religionis seruitutem. Quæ conditio deinceps inclusa erat & implicata in creatione omnium Regum, quicunq; ad populum Dei vereque fideles gubernandos eligebantur: nimirum vt nec vi, nec fraude, nec vlla prorsus ratione, à patrum suorum fide, religione, sacrisque cęremonijs quas à Sacerdotibus Dei acceperant, populum aliquando abducerent. Quam conditionem si Rex inuiolatam ratamque teneret, fœlix, faustumque, & perdiuturnum tum ipsi tum liberis eius promittebatur imperium: sin minus, sacerdotes & prophetæ qui eos hac tantùm conditione vnctos supra populum reliquum extulerant, vt Dei honorem propagarent, & sincerum eius cultum tuerentur, eos rursus ex eadem celsitate honoris ad communem cum reliquis sortem abijciebant; si quando videbant eos pactiones cum Deo factas deserere, & ad Deos alienos deficere, populumq; ad eandem impietatem impellere Cuius rei & nos aliquot exempla suprà posuimus, & plura ex *libris Regum* peti possunt.

Conditio intelligenda in Principum omnium creatione.

Atq;

Atq; ita quidem in lege veteri factum est. In lege autem noua, in hoc spirituali Christi Regno, Ecclesia nimirū Catholica, tum sacerdotes longè ampliori potestate sunt donati, tum principes Christiani arctiore vinculo astricti, vt Ecclesiam istam audiant, ament, foueant, omnibusq; modis dilatent & amplificent. De qua prophetico spiritu prædictum est: *Et erunt Reges nutritij tui & Reginæ nutrices tuæ.* Et rursus, *mammilla Regum lactaberis, &c. Gens & Regnū quod non seruierit tibi, peribit.* Qua in Ecclesia, illius sacerdotij quod in Saluatore nostro eminuit, excellens remanet potestas; *qui virga ferrea conterit & confringit tanquàm vas figuli* superbiam Principum, quicunq; rebellionem moliuntur contra sponsam eius & Regnum hoc quod habet in terra; in quo Regno Ecclesię suæ, iús habet super omnes Reges & imperia, *vt euellat, vt destruat, vt disperdat & dissipet, vt ædificet & plantet, quem adorabunt omnes Reges terræ omnesq; gentes seruient ei.* *Esa. 49.* *Esaie 60.* *Psal. 2.* *Ierem. 1.* *Psal. 71.*

Iam verò Christi prærogatiua sacerdotalis, quæ ipsius etiam Regiæ antecellit dignitati (multoque magis terrenorum Regum præstantiam superat) ea (inquam) Christi prærogatiua, amplissimis clarissimisq; verbis cum summo animarū nostrarum Pastore primū communicata est; deinceps verò, cum cæteris item Ecclesiæ Rectoribus. Pro quorū potestate sancienda, si manifesta Scripturæ verba expendantur, & posteà quid à Regijs adulatoribus pro Primatu Principum vndiquaq; corraditur, ieiunū prorsus & inane apparebit quicquid principes vlli sæculares, spirituali illi quam adeò ambitiosè concupiscunt, iurisdictioni prætendunt. Væ igitur isti terrenæ & lutulentæ superbiæ; væ hæresi ita hominum mentes excæcanti, & expressum Dei mandatum tàm crassè peruertenti. Nec tamen desinunt isti sectarum Magistri & Principum Gnathones eam mirabiliter extollere & prędicare, ad æternam suî ipsorum atq; aliorū innumerabilium calamitatem. *Matth. 16.* *Matth. 18.*

Sed vt vnde digressi sumus eò reuertamur, nunc in nouo testamento omnes vniuersè Christi oues, siue Principes siue subditi (nulli enim, si quidem Christiani sunt, excipiuntur) Petro pascendæ ac gubernandæ committuntur. Nunc Christi in terris vicario claues Regni cœlorum ab ipso Saluatore traduntur, vt aperiat & claudat, liget & soluat, pœnas inferat & remittat. Nunc omnibus dicitur, siue Reges fuerint siue Imperatores: *Obedite Præpositis vestris & subiacete illis, ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* A qua vel curatione, vel subiectione, quis est Christianorum *Ioan. 21.* *Matth. 16.* *Heb. 13.*

Principum, qui sibi immunitatem vendicare poterit? Nunc penes
1. Corinth 5. hos Ecclesiæ Præpositos, facultas est amplissima interdicendi nobis omni prorsus consuetudine cum hæreticis, blasphemis, Idolatris, ne eos in domos nostras admittamus, nec in via occurrentibus *dicamus*
Ad Tit. 3. *aue*; hoc est, ne communem salutationem impertiamus, multò magis
2. Ioann. 5. v. 10. ne eos obedientia aut obsequio nostro honoremus.

Spirituales Pastores facultatem habent puniendi corporaliter.

Ac ne quis fortè hanc potestatem ita penitùs esse spiritualem existimet, quasi ad fidelis populi bona & facultates, imò ad vitam auferendam corpusq; varijs cruciatibus affligendum non possit pertingere; cùm hæc temporalia sint, ideoque Sacerdotalis officij in rebus spiritualibus occupati terminos videantur excedere, animaduertendum est, longè secus nos edoceri ex ipsis Apostolorum rebus gestis, cùm primùm accepta à Christo authoritate vsi sunt. Quamuis enim illorum spiritualis potestas primò ac directè ad ciuilia negotia non extendebatur, secundo tamen loco & quasi peraccidens, includebat non modò animas, verùm etiam corpora, bonaque temporalia; quatenus nimirum istorum procuratio confert ad salutem animarum, ad maiorem Ecclesiæ vtilitatem, & meliorem gubernationem eorum qui diuino iure pastoribus suis subijciuntur. Sic D. Petrus
Actor. 5. cùm tantummodò Magistratus esset spiritualis & animarum pastor, tamen propter sacrilegium & mendacium, marito & vxori simul repentinam mortem inflixit. D. Paulus excæcauit Elimam Magum, &
Actor. 13. ad sui cõtemptores *in virga* disciplinæ venturum se comminatur. Vi-
1. Cor. 4. rum in Ecclesia Corinthica insigniorem, propter incestum excommunicauit; hoc est, non tantùm spirituali pœna affecit, verùm etiam
1. Cor. 5. *Sathanæ tradidit in interitum carnis*, vt caro & corpus eius varijs tormen-
1. Tim. 1. tis conficeretur: quemadmodùm etiam effecit vt *Hymenæus* & *Alexander* propter blasphemiam & hæresim à spiritu malo correpti, corporalibus pœnis vexarentur. Magna denique fiducia & libertate contestatur, amplam à Deo accepisse se potestatem, qua *omnem vlciscatur inobedientiam*, & elata corda frangat, atque *in captiuitatem obsequiumq; Christi redigat*. Et de Apostolis, sanctisque in hac vita hominibus: *Nescitis*
2. Cor. 10. 1. Cor. 6. (inquit) *quoniam Angelos iudicabimus? quantò magis sæcularia.* In quibus omnibus, inter Reges ipsos Christianos, & alium è plebe Christianum quemcunq;, nulla prorsus est differentia, Reges enim ad vnum omnes quoniam se suaque sceptra suaui iugo Christi submiserũt, in eo Ecclesiasticæ pastorumq; suorum authoritati non minùs quàm oues cæteræ, obtemperaturos se professi sunt.

Ac

Ac quamuis ſtatus ipſe, Politia, ac Poteſtas ciuilis, ſi per ſe conſideretur, valdè diſtincta ſit à ſtatu Eccleſiaſtico ac Repub. ſpirituali, quam Eccleſiam, ſeu *corpus* Chriſti *myſticum* appellamus; ideoque & magiſtratus ciuilis ab Eccleſiaſtico interdum ita ſeparetur, vt alter ab altero omninò non pendeat, neque inter ſeſe aliquam habeant relationem mutuam (quemadmodum in Eccleſiis illis vſu venit quę ſub Turca ſimilibuſq; infidelium Principum Imperijs degunt; quod etiam ſub Imperatoribus Paganis, Apoſtolorum ætate factum eſt) noſtris tamen temporibus, cùm à Rebuſpublicis Chriſti leges generali conſenſu receptæ ſunt, duoque illa corpora, *Politicum* & *myſticum*, Eccleſia & Reſpub. ciuilis, Magiſtratus Eccleſiaſticus ac ſæcularis in vnū quodammodò coaluerūt (licèt natura, fine, ac gubernandi modo, perpetuò maneant diſiuncta & ſeparata) talem inter ſe ordinem, &(vt ita loquar) ſubalternationem habent, vt quanquàm reciproca quadam officiorum conſuetudine vtrumque indigeat, & vtrinque alterū alteri præſtat; neceſſe eſt tamen inferius, hoc eſt, ciuile, in omnibus rebus honorem Dei vel ſalutem animarum quocunq; modo attingentibus, ſuperiori illi, ſpirituali videlicet, parere, & eius præſcriptione dirigi.

Ciuilis Magiſtratus ſpirituali ſeu Eccleſiaſtico ſubiectus eſt inter Chriſtianos.

Duas has Reſpublicas, eleganter *D. Gregorius Nazianzenus*, vnius eiuſdemq; hominis corpori & animo ſiue ſpiritui comparat, horum vtrique ſuæ ſunt propriæ actiones, proprij fines, obiecta propria, natura quidem inter ſe diuiſa, & in alijs creaturis ſeparabilia (eſt enim in beſtijs corpus ſine ſpiritu, eſt in Angelis ſpiritus ſine corpore) quæ in hominis perſona ſic coniunguntur, vt licèt vtriuſque actiones maneant diſtinctæ & alterutri natura peculiares, retinent tamen eum quem dixi mutuum inter ſe ordinem & relationem, vt alterū ab altero pendeat, & inferius à ſuperiore, corpus ab anima gubernetur. Quare ſi quando operationes corporis, ſaluti animæ, ſanctiſque eius deſiderijs, ac fini vltimo ad quem aſpirat, afferant impedimentum, tum valdè æquum eſt, vt anima imperio ſuo ad corpus reprimendum vtatur; vt tanquàm moderatrix quædam præſcribat, licèt cum aliquo corporis detrimento, ieiunia, vigilias, aſflictiones, & alia quibus carnis petulantia coërceatur & quaſi depaſcatur luxuries; vt à circumſpiciendo cohibeat oculos, à loquendo contineat linguam, aureſque & pedes & reliqua membra ab vſitatis actionibus refręnet. Ad eundem planè modum, habet Ciuilis poteſtas Principes ſuos, ſuas leges, & tribunalia: habet item Eccleſiaſtica, Prælatos ſuos, ſuos

Aptiſſima ſimilitudo D. Nazianzeni exprimens ſubordinationem Ciuilis & Eccleſiaſtici Magiſtratus.

D. Nazian. in oratione ad populum trepid. & Imp. cōmot.

Canones, Concilia, & Consistoria. Hęc, vbi Pagani Principes rerũ potiuntur, prorsus sunt inter se diuisa & segregata: in Christianis verò Rebuspub. etsi minimè confundãtur, nec peruersissimè (vt nũc fit in Anglia) status spiritualis in temporalem cõuertitur, aut eidẽ miserè substernitur; ita tamẽ inter se cohærent & copulantur, vt Ciuilis status (quem in hac comparatione necesse est inferiorem dicere) sub Ecclesiastico tanquàm sublimiore ita sit dispositus & ordinatus, hic, vt regat tanquàm anima, ille, vt regatur instar corporis. Quanquàm dùm Ciuilis Reipub. gubernatio ęternę saluti & Regno Christi non officiat, Ecclesiasticus Magistratus illius actionib⁹ & rebus gestis sese nõ interponit, sed potius tuetur, laudat, & honore debito prosequitur, eiq; in singulis Rebusp. eam quam par est obedientiam exhibet.

At verò cùm ita rerum ordo confunditur, vt Ciuilis Magistratus diuinam ordinationem impediat, & cursum populi ad salutem æternam contendentis remoretur; tum verò spiritualis potestas illud sibi iure vendicat, vt temporalem ita delinquentem corrigat, & quibuscunq; potest rationibus efficiat, ne quod ex terreno Regno, Ecclesia Christi detrimentum capiat. Quam quidem Ecclesiam, ipsius Christi sacerdotij amplitudine ornatam, varijs etiam ministrorum gradibus à Spiritu sancto perpolitam, necesse est terrenæ Reipub. ad dignitatem tantum antecellere, quantum vel Sol luna, vel anima corpore, vel cœlum denique terra est dignius & præstabilius. Propter quam illius supra omnes homines siue Principes siue Priuatos excellentiam, Christus ipse in Euangeliõ palàm denuntiat, vt *si quis Ecclesiam non audierit, sit nobis tanquàm Ethnicus & Publicanus.*

Quando Magistratus Ciuilis ab Ecclesiasticis est corrigendus.

1. Cor. 12.

Matth. 18.

Id quod quamuis meridiana luce sit clarius, sitque hoc ipsum Rebuspubl. adeò salutare, vt eorum incolumitas in hac cum Christi Ecclesia eiusque sacerdotio conspiratione, ac Ciuilis status temporibus necessarijs submissione, verè consistat (id quod Reges etiam ipsi fatentur, quotquot pro suis populique peccatis non indurauerunt, Deique terribili iudicio ad demonstrandum exemplum potentiæ iustitiæque eius, tanquàm vasa contumeliæ sunt reseruati) plerosq; tamen etiamnum inuenias, vel perditos adulatores qui Principum auribus insusurrant, vel imperitos hæreticos qui planè credant & publicè doceant, prælatos istos charissimæ Christi sponsæ, eius mystici corporis & præstantissimi in terris Regni (quos ex hoc mundo ad Patrem rediturus amplissima potestate instruxit, & quos misit in mundum ea cum authoritate quam ipsi Pater suus primò contulerat

Rom. 9.

Subdola Politicorum adulatio ad certam Principum perniciem.

lerat) hos (inquam) prælatos, erga Principes terrenos nihil omninò posse: transcendere terminos officij & vocationis eorum, si Principé aliquem declarent violasse leges diuinas & Ecclesiasticas; vel si propterea aliquam illis pœnam siue spirituale siue corporalem imponát. Quòd si vsq; eò progrediantur vt Principes excommunicent, vt populum ab eorum obedientia liberent, quibus nec diuina nec humana lege quispiam vere Christianus obtéperet; hoc verò, etiamsi Principes in omnem Atheismű & Maiestatis diuinæ blasphemiam ruant, facinus est istis parasitis tàm horrendum & immane, vt nullo vel exquisitisimo mortis genere posit expiari.

Huius autem rei veritas quò magis pateflat, æquum ego Lectorem illud vehementer rogo, vt secum diligenter expendat, tum ea quæ suprà sunt commemorata, tum ea quę deinceps consequentur. Ex quibus intelliget postquàm Christi fidem Reges amplexi sunt, probos quosque piosque Reges Ecclesiasticis se Censuris atque disciplinæ semper subiecisse; improbos verò ac sceleratos hoc suaue iugum excussisse, ita tamen vt propterea singularis iniustitię, impietatis, & tyrãnidis notã sibi inusserint, & postea vel pœnitentia legitima Ecclesię satisfecerint, vel in æternű damnati, & in hoc mundo vitã ignominiosam egerint, & in altero morté sempiternã incurrerint. *Principes Ecclesiæ non obtemperantes quemadmodum castigati.*

Ante annos circiter mille trecentos, Babylas Episcopus Antiochenus excommunicauit vnicum eo tempore Christianum Regem aut Imperatorem *Numerianum*(vt quidam aiunt, vt alij verò *Philippum*) eò quòd Regis cuiusdam filium sibi in fœderis mutuò percusi obsidem datum interemisset. Qua iustitia offensus Imperator (sicut mali interdum Principes solent) Episcopű suum interfici statim mandauit; quem propterea D. Chrysostomus cæterique patres tanquàm illustrisimum illius ætatis martyrem prędicant, quòd singulari sua constantia atq; in Deum fiducia, Episcopis omnibus gloriosum prębuisset exemplum, quemadmodum sese erga Principes suos gerere debeant, & ne Ecclesiasticę disciplinę virga cõtra eos, cùm opus esset, vti pertimescerent, quæcunq; tandem supplicia ipsis idcircò essent perferenda. Post optimi verò pastoris necé hoc modo à crudeli Imperatore perpetratam, Romanus Pontifex *Fabianus*, quòd summus esset Ecclesię Christianę pastor, vel (vt alijs placet) *Fabius* Babylę martyris in Episcopatu successor, repetita excommunicatione, aliisque remedijs adhibitis, ad pœnitentiam tandem Imperatorem induxit. *Babylas Martyr. Chrysosto. in vita Babylæ. Niceph. l. 5. cap. 25. 26.*

Sanctus quoque *Ambrosius* Mediolanensis Episcopus, Imperato-

Sozomen. l. 7. c.24. Theod. l. 5. c.17. Ambros. lib. 5. epi.28. August. de ciuitate Dei. lib. 5. c. 26.

peratorem *Theodosium seniorem* excommunicauit, & ad pœnitentiam inter Laicos publicè agendam compulit, præcepitque vt purpuram & ornamenta Imperialia deponeret, vt relinqueret solium quod intra cancellos vnà cum Sacerdotibus in interiori templi adyto habebat, & foris inter Laicos in posterum cōmoraretur; & tandem postquàm mensibus octo pœnitentiam egisset, hoc ad extremum illi iniunxit, vt legem sanciret qua omnes tollerentur occasiones eius criminis perpetrandi, quod Imperator priùs admiserat, & propter quod Imperatorem ipse excommunicauerat.

Aetas impudens,

Longè nimirum alia tunc erant tempora, nostrisque multò fœliciora. Mirabilis erat Episcoporum constantia, & pro Dei causa zelus incredibilis, singularis etiam eminebat in Principibus Christianis humilitas atque obedientia. Nullus tum erat adulator adeò impudens, nullus tàm perfrictæ frontis hæreticus, qui de isto Principū Pontificatu Ecclesiastico somniaret, aut qui eos ab Ecclesiæ Christi Pastorumque suorum correctione, nescio quo priuilegio, eximeret: cùm nihil in historijs omnium ætatum frequentiùs occurrat, quàm Christianos Principes hanc sibi impositam disciplinam Ecclesiasticam humiliter subijsse. Sic enim *Anastasius* Imperator à *Simmacho* Papa excommunicatus est, *Lotharius* item ac *Michael* Imperatores à *Nicolao* primo, alijq; Reges ac Principes à suarum prouinciarum Episcopis, vt ex omnium Nationum historijs constat. Nos ex multis pauca, sed ea illustriora & antiquiora exempla repetemus.

Varij Imperatores & Principes ab Episcopis excommunicati

Nicephor. l. 13. c.34. Georgius Patriarcha in vita Chrysostomi.

Innocentius primus *Arcadium* Imperatorem, eiusque coniugem *Eudoxiam*, excommunicationis sententia extra Ecclesiam Christianorū proiecit, eò quòd Episcopo suo *S. Ioanni Chrysostomo* resisterent eumque persequerentur. Neque verò tum temporis Imperator, aut pro Imperatore quisquam cauillatus est (quomodo nunc hęretici nostri summa cum impudentia & ignorantia garriunt) Romani Pontificis iurisdictionem suæ Prouincię Occidentalis certis limitibus esse circumscriptam, nec ad Orientem se porrigere; esse *Antichristum* si quis sibi tàm vniuersalem potestatem arroget, vel seipsum esse caput Ecclesiæ, & tum non esse sibi præscribendum quemadmodum Ecclesiam regat; vel si non sit, velle se Pastores suæ Grecanicæ Ecclesiæ audire, & ad eorum voluntatem se conformare. Quid *Roma* cum *Constantinopoli*? quid Episcopo Italiæ cum Imperatore Orientis? Sed hęc mendica & mendax theologia nondùm illis temporibus cuiquam Christianorum innotuerat, ideoque & Imperator, omnesque totius

Iustitia Britan. pag.44.

Orien-

Orientis Episcopi longè alio modo Pontificis Romani sententiam exceperunt. Nos eam breuiter describemus, quoniam & plena Maiestatis est, & argumento quod iam tractamus, valde accommodata.

Vox sanguinis fratris mei Ioannis (inquit *Innocentius* Papa ante annos circiter mille ducentos) *clamat ad Deum contra te* (*O Imperator*) *sicut quondam Abel iusti contra parricidam Cain, & is modis omnibus vindicabitur. Eiecisti è throno suo, re non iudicata, magnum totius orbis doctorem, & vnà cum eo Christum persecutus es. Neq; Ecclesia tantùm Constantinopolitana, sed orbis sub sole totus magnam iacturam fecit, viro tàm diuino amisso, persuasione vnius Dalilæ fabulam hanc & spectaculum exhibentis. Verùm excipiet illa & præsentem hic pœnam, & futurum sempiternum supplicium, &c.* Ista præfatus, alijsq; paucis atrocitate sceleris illius explicata, ita deinceps ad Censuram ipsam accedit: *Itaq; ego minimus & peccator, cui thronus magni Apostoli Petri creditus est, segrego & reijcio te & illam à perceptione immaculatorum mysteriorum Christi Dei nostri. Episcopum etiam omnem, aut Clericum ordinis sanctæ Dei Ecclesiæ, qui administrare aut exhibere ea vobis ausus fuerit ab ea hora qua præsentes vinculi mei legeritis literas, dignitate sua excidisse decerno. Quòd si vt homines potentes quenquam ad id vi adegeritis, & Canones vobis à Seruatore per sanctos Apostolos traditos transgressi fueritis, scitote &c.* Sic sanctus iste Pontifex, quem B. *Augustinus* multis in epistolis & libris valdè prædicat, cum Imperatore egit, cumque scelerata illa Imperatrice *Eudoxia*, quæ maritum ad tàm crudele facinus instigauerat, & tandem ad pœnitentiam vtrosque perduxit.

Sententia excommunicationis latæ ab Innocentio Papa contra Imperatorē Arcadium. Imperatrix.

August. epi. 90. 92. 95. de peccato origi. l. 1. c 9. Contra Iulia. lib 1 cap 4.

Et intra hos quidem terminos constiterunt Episcopi, quamdiu ea fuit in Christianis Regibus pietas, & erga Deum reuerētia, vt verbis & Censuris admoniti seipsos emendarent. Fuisset enim magnæ imprudentiæ acerbiora medicamenta illis vulneribus adhibere, quę leuioribus fomentis poterant curari. Verùm cùm paulatim Principes quidam iusto Dei iudicio, propter peccata populi ad tàm nefariam religionis Christianæ contemptionem laberentur (quod ferè fit, vbi hæresis & Apostasia paulò altiùs aut diuturniùs radices egerint) vt ad eos corrigendos excommunicationis pœna, vtpote tantùm spiritualis, & aliæ Ecclesiasticæ Censuræ non satis valerent; tunc non Episcopi modò, sed etiam alij viri sanctißimi ipsorum Principum subditi, ab alijs Regibus armorum subsidium ad eos in ordiné cogendos flagitarunt. Quod item & in alijs probarunt, & vt fieret pro sua virili iuuarūt ipsi Pontifices Romani antiquißimi, illis temporibus quibus Protestantes, Pontifices fuisse optimos integerrimosq;

Quando, & quib⁹ de causis spirituales pastores tēporali gladio vti cœperunt.

mosque confitentur. Quod idcirco fecerunt, vt qui bus corrigendis virga spiritualis non sufficeret, eos temporalis ad pœnitentiam reuocaret, aut certè Catholicos & innocentes subditos ab illorum iniusta vexatione defenderet.

Bellum pro Catholica religione, licitũ est & gloriosum. Illud quidem Christianis omnibus exploratè tenendum est, nullum esse bellum iustius, nullum honorificentius, quàm illud quod pro Religione fit, siue domi geratur, siue contra hostem externum suscipiatur, Religionem dico, non nouam, Lutheranam, Zuinglianam, Anabaptisticam, aut aliam aliquam nostra memoria ab hominibus ebriosis & luxuriosis inuentam; sed veram, antiquam, Catholicam, Romanam, quæ sanctissimis Ecclesiæ Christi legibus, generali populorum Christianorum consensu, & grauissimis temporum atque ætatum omnium Concilijs, verus Dei cultus & vnicus esse decernitur, cui omnes Respubl. principes & populi, vel iuramento, vel voto, vel sacramentis ritè susceptis, vel his etiam modis simul omnibus seipsos sua sponte submiserunt. Pro hac (inquam) religione decertare, præclarum & gloriosum est, eo modo eoque tempore, quo nobis conscientia, & leges sacræ, iuxta sacerdotum, summiq; in primis Pastoris sententiam, bellum esse legitimum persuaserint. Longè autem secus est, cùm bella mouentur pro execrandis & antiquitus in Ecclesia primitiua damnatis hæresibus, aduersus Reges & Sacerdotes Christianos atque Catholicos; quod nostra ætate fecerunt Lutherani, Anabaptistæ, & Caluiniani, nulla neque diuina neque humana lege illorum rebellionibus suffragante. Illa verò priora bella pro Christi Ecclesia, ad eum quem diximus modũ suscepta, maximè sunt laudabilia, eò quòd nullum cogitari potest scelus siue in Regibus siue in subditis magis infandum & detestabile, quàm est in Christianis Christianæ fidei derelictio, & ad nefarias absurdissimasq; hæreses defectio.

2. Parali. 15. v. 13. *Si quis non quæsierit Dominum Deum Israël* (inquit Rex *Asa* ab *Azaria* propheta admonitus) *moriatur à minimo vsq; ad maximum, à viro vsq; ad mulierem*, omnisque populus, multique etiam qui relicto schismate ad eum ex Israël confugerant, *iurauerunt in omni corde suo* se omne periculum subituros pro religione Deoque patrum suorum, *Præstititq; eis Dominus requiem per circuitum. Sed & Maacha mater Regis Asa ex augusto depositæ est imperio* propter apostasiam, eò quòd coleret libidinosum illud numen Priapi.

 Hanc

Hanc ob causam in *Deuteronomio* quoque præceptum legimus, vt omnes interficerentur pseudoprophetæ, & quicunq; populum Dei à religione vera ad Deos alienos seducerent, eorumque sectatores ad vnum è medio tollerentur, etiamsi nobis essent coniunctissimi; siue *frater filius matris nostræ*, siue *filius noster*, siue *vxor*, siue etiam *amicus quem diligimus vt animam nostram.* Eodemque loco præcipitur, si quæ vel amplissima ciuitas à vero Dei receptoq; cultu ad peregrinas religiones discedat, vt ferro ac flammis funditùs deleatur, idque ita, vt ad tàm abominandi facinoris detestationem nunquàm in posterum habitetur. *Delebis* (inquit Deus) *eam & omnia quæ in ea sunt vsq; ad pecora, quicquid etiam suppellectilis fuerit, congregabis in medio platearum & cum ciuitate succendes, ita vt vniuersa consumas Domino Deo tuo, nec ædificetur amplius, sed sit tumulus sempiternus.* *Deut. cap. 13.* *Ibidem.*

Quòd si fortè quis adeò simplex sit, vt opinetur istis legibus solos priuatos teneri, non item Principes & Rectores populi, nouerit ille ab eodem Deo in *libro Numerorum* mandari, vt *tollantur cuncti Principes populi, & suspendantur contra solem in patibulis*, eò quod sacrificijs Moabitarum sese contaminassent. Quo item loco iubetur, vt propter idem sacrilegium, *occidat vnusquisq; proximum suum*; ipseque *Phinees* Sacerdos Domini, quòd sua manu quendam ex ducibus interemisset, magnam gloriam, & sempiternum à Deo sacerdotij honorem promeruit. Quin & iussu *Moysis* Leuitæ interfecerunt triginta tria hominum millia, neque *proximis* nec *amicis* nec *fratribus* pepercerunt, quòd verū Deum deserentes Idololatrię sordibus se polluissent; eaq; strages ita vehementer Deo probata est, vt qui eam perpetrarunt, dicantur *consecrasse manus suas Domino, vnusquisq; in filio, & in fratre suo, vt detur eis benedictio.* Illud autem in omnibus his exemplis sedulò notandum est, populum non sua voluntate & impetu ad has cædes proruppisse, sed à Prophetis & Sacerdotibus commonefactos. Id quod omni posteritati secuturæ exemplo est, ne aliâs priuato odio, fauore, superbia, aut alia quauis animi perturbatione in errores ruam⁹, & tùm improbitatem nostram religionis velo obtegamus, quod hæreticis alijsq; seditiosis hominibus semper in more est positum. Quare illud in primis iterum atque iterum consideretur, vt belli causa iusta sit; vt pro vera, antiqua, & Catholica fide suscipiatur contra prophanas nouitates; vt ab ijs denique approbetur, quibus à Christo commendata est & Ecclesiæ suæ & animarum nostrarum curatio. *Num. ca. 25.* *Principes ob idololatriam morte mulctati.* *Exod. 32.* *Ibid. v. 29.*

Quemadmodùm in *libro Numerorum* videmus à Deo mandari *Iosue*

Numer. 27. populi totius duci fortissimo ac præstantissimo vt *ad verbum Eleazari sacerdotis ingrediatur & egrediatur*; hoc est, vt bellum indicat, vel pacem faciat iuxta modum ab *Eleazaro* sacerdote constitutum. Talia fuere *2. Paralip. cap. 13.* bella à Rege *Abia*, alijsq; Iudæ Regibus contra schismaticos Israëlitas iustissimè & fœlicissimè gesta, qui reges, Ciuitates in talibus bellis *Bella pro religione contra schismaticos.* captas, optimo iure deinceps possederunt. *Edom* quoque & *Lobna* Ciuitates, à Rege *Ioram* defecisse legimus ad aduersarios eius. Cuius facti hanc iustissimam causam assignat scriptura sacra, *Dereliquerat* *2. Paralip. cap. 21.* *enim Dominum Deum Patrum suorum, & excelsa fabricatus est*, neq; voluit ad eam quam semel abiecerat religionem veram reuertere. Fuit *4 Reg. c. 8.* quoque factum illud filiorum Israël admodùm præclarum, & zelo ad Dei cultum retinendum flagrante, & exemplo ad omnem posteritatem memorabili, cùm bellum inferre statuerent tribubus *Iosue 22.* *Ruben* & *Gad* & dimidiæ tribui *Manasse*, ea tantùm de causa, quia schismaticum (vt ipsis videbatur) altare extra eum locum erexissent, quem Deus solùm cultui suo & sacrificijs immolandis præstituerat.

Iam verò postquàm Christiana religio in orbe propagata est & confirmata, permulta bella summa cum laude & gloria gesta sunt contra Principes & Respub. fidem eam extirpare vel supprimere molientes. Sic olim *Armenij* Christiani, armis sese contra Imperatorem *Eusebius lib. 9 cap. 6. 7.* *Maximinum* legitimè defenderunt, eiusq; exercitum magna cum clade & ignominia profligarunt. Sic variarum nationũ Catholici, Episcopos *Niceph. lib. 7. cap. 28.* suis in cathedris armorum præsidio conseruarunt aduersus infidelium impetus, maximè autem aduersus hæreticorum Imperatorum edicta, contra quos pro Ecclesijs protegendis & Ecclesiasticis bonis ab eorum sacrilega rapacitate vindicandis sæpenumerò dimicarunt. Sic *Antiocheni* ciues aduersus *Galerium* Imperatorem eiusque satellites, constanter Ecclesiam suam armis tutati sunt. Eodemque *Nazian. de laudibus Basilij.* modo *Basilium* atque *Ambrosium* gloriosos Episcopos, contra insanos hæreticorum furores Catholici protexerunt. Neque verò hoc à po- *Ambr. lib. 5. epist.* pulo tantummodò factũ est qui temerè & inconsultò multa interdum committit, & de quo sedando cùm iam ad tumultuandum inclinaret, rogatus *D. Ambrosius* eleganter respondit; in sua quidem potestate situm esse vt populũ ad arma non concitet, concitatum verò vt mitiget illiusq; furorem cohibeat, illud quidẽ in sua potestate non esse: verùm etiam Episcopi ipsi talium Prouinciarum quæ ab hæreticis Principibus opprimebantur, à Catholicis Regibus opem sine

vlla seditionis aut læsæ Maiestatis nota implorarunt.

Beatus ille *Athanasius* qui optimè sciebat quantum Principi debebatur, & quando fas erat vel nefas ei resistere, aduersus *Constantium* Arrianum primum Imperatorem hæreticum à *Fœlici* Romano Pontifice condemnatum, ab ipso Constantij fratre *Constante* Occidentis Imperatore auxilium postulauit. *Constantius* verò Arrianus, fratris arma reformidans, *Athanasium* aliosque Catholicos Episcopos suis Sedibus restituit, quanquàm *Constante* vita functo, maiore quàm vnquã anteà furore Athanasium est persecutus. Successor quoq; S. Athanasij *Petrus* Sancti Basilij frater, ab Apostolica Sede opem (id quod afflictis Episcopis, alijsque Catholicis tùm temporis valdè erat vsitatum) petijt & obtinuit. *Atticus* quoq; Episcopus Constantinopolitanus Persas Christianos à Rege suo infideli profugientes & auxilium suppliciter implorantes, non solùm ipse quibus potuit opibus subleuauit, sed etiam *Theodosium* ad eorum defensionem suscipiendam bellumq; propterea cum Persarum Rege gerendum permouit, cui & Christus ipse mirabiliter adfuit cæsis ex inopinato multis Persarum millibus, ipsoq; posteà Rege Imperij gubernaculis priuato, adeò vt Catholici vitam deinceps tutam & quietam egerint.

Bella pro religione sanctißimi Episcopi probarunt.

Athanasius. *Theodo. lib. 2. cap. 5. 13. Socra. lib. 1. cap. 13. Sozom. lib. 4. cap. 7.*

Damas. in Pontif.

Petrus Alexandrinus. *Socra lib. 4. cap. 17. 30. Sozom. lib. 6 cap. 19.*

Socrat. li. 2. cap. 18.

Atticus Constantinopol.

Quid de magno illo *Leone* primo Pontifice dicam, qui Imperatori eiusdem cognominis persuasit, vt ad Catholicos ab iniurijs grauissimis liberandos, contra Alexandriæ Tyrannum, atque Eutichianos hæreticos arma sumeret, qui Protestantium nostrorum instar, Monasteria & templa funditùs euertebant, aliaque eius generis sacrilegia quamplurima perpetrabant. Leonis autem ad Imperatorem verba ita se habent: *Debes incunctanter aduertere, Regiam potestatem tibi non solùm ad mundi Regimen, sed maximè ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, &c. Quare si laudabile est aduersarum gentium arma conterere, quanta erit gloria ab insanissimo tyranno, Alexandrinam Ecclesiam in cuius contritione omnium Christianorum est iniuria, liberare.* Deniq; *Gregorius* Magnus *Gennadium* Exarchum Africæ ad bellum hęreticis inferendum hortatur, illudque ei & apud Deum & apud homines magnam gloriam pariturum ait. Omnesq; omnium ætatum Episcopi cùm de hæresi ageretur, deque iniurijs Ecclesiæ Christi illatis, quoniam has causas optimè sciebant sub suam iurisdictionem cadere, nunquàm destiterũt authoritatem suam interponere, excommunicando, hortando, Imperatores ad res per Legatos componendas permouendo, cùm illud non valeret, eosdem Imperatores ad exercitum conscribendum,

Niceph. lib. 14. cap. 21.

Leo Magnus. *Euagr. li. 2. cap. 8.*

Leo epi. 75.

Gregorius Magnus. *Gregor. lib. 1. epist. 72.*

viáque & armis progrediendum, persuadendo: denique omnes modos à Deo concessos ad tranquillitatem Ecclesiæ procurandam experiendo. Quæ tamen omnia omnibus temporibus non sunt adhibenda, sed maturè pro temporum & personarum discrimine dispensanda.

Qui Principes & quando excommunicari possint.

Optimo quidem iure poterant sancti olim Episcopi (quod & interdum fecerunt) Arrianos Imperatores excommunicare, subditosq́; Catholicos denuntiare liberos, vt eorum vim vi repellerent, ac arma armis reprimerent. Verùm hoc ab illis non semper factum videmus, quòd Christianorum tenues vires immensam Tyrannorum potentiam nulla comparatione exæquarent; nemini tamen dubium esse debet, quin *Constantium* illum ac *Valentem* Arrianos, & *Iulianum* Apostatam, aliosq́ue huiusmodi, Catholici Episcopi excommunicare potuerint, atque ab eis Imperij fasces adimere, omnesq́ue subditorum cum illis pactiones de fidelitate & obedientia rescindere, si opibus satis magnis instructi fuissent Catholici ad illud facto conficiendum, quod iure pieque Christianis legibus poterant attentare.

Quin etiam adeò iustum & laudabile est religionis causam agere, & iniurias ab hominibus innocentissimis depellere, vt propterea Christiani, Ethnicis etiam Principibus (Ecclesiasticæ licèt disciplinæ minimè subiectis) armata manu resistere possint; & potuerunt Christiani in primis illis persecutionibus cùm Pagani Imperatores Ecclesiam tanta cum immanitate vastabant, aduersus eos armis sese communire; quod tamen (vt plerique existimant) minimè licuisset, si Principes Ethnici Christianos non vexassent, nec fidei plantandæ & prædicando Euangelio hostiliter sese opposuissent. Quanquàm in ea sententia D. Thomas esse videtur, vt Regem Ethnicum eo solo nomine omni sua in Christianos authoritate priuari posse existimet. Illud vtcunque sit, hoc certè constat, Reges illos qui Christi fidem Ecclesiæque defensionem aliquando professi sunt, tùm excommunicari posse, tùm de imperio deponi, idq́ue sæpenumerò antiquitùs factum esse propter Hæresim, Apostasiam, vel alias iniurias Ecclesiæ Christi factas; vt aliquando etiam ob alia quædam atrocissima flagitia, quæ ad totius populi manifestam perniciem vel corruptionem videbantur tendere.

Vide D. Tho. 2. 2. q. 10. artic. 10.

Principes ob schisma vel neglectā religionem, ex-

Sed vt de religione potissimum, criminibusq́ue ad eam pertinentibus loquamur; *Leo* tertius à *Gregorio* 2. excommunicatus est, omnique quod in Italia habebat imperio & ditione priuatus. Græci quoq; Impe-

Imperatores quoniam religionem Christianam atq; Ecclesiam minùs curabant, summum Imperium amiserunt, quod Leo 3. Græcis ademptum, transtulit ad Germanos. Posteà Germani Imperatores multi ob iniurias intolerabiles Ecclesiæ Dei illatas, ob sacrilegia, & hæreses, sanctissima Ecclesiæ disciplina Pontificumq; Romanorum diligentia, vel in ordinem coacti, vel dignitate sua sunt exuti; vel denique si Christi vicario præfractè restiterint, diuina post iustitia de eis eorúmue posteritate terribiliorem vindictam sumpsit. Tales Imperatores ab historicis numerantur *Fredericus* primus, *Fredericus* 2. *Otho* 5. *Ludouicus* 3. *Ludouicus* 4. & (quem postremo loco nominamus quòd plura nobis de eo dicenda sunt) *Henricus* 3. vel (vt alijs placet) 4. à *Gregorio* 7. excommunicatus: quem hominem famosi huius Libelli author cæterorum more hæreticorum frequenter inculcat, eò quòd *Henricus* iste vnus inter reliquos maiorem obstinationem præ se tulerit (singulari licèt Pontificis constantia aliquando ad pœnitentiam subeundam, aliquando in summas angustias adductus est) adeò vt tandem collecto exercitu Pontificem inuaserit, cumq; Roma expulerit, & in illius locum *Antipapam* quendam substituerit, qui haud aliter Christi vicario aduersatus est, quàm Christo Domino Antichristus extremis mundi temporibus aduersabitur. Hic verò pseudopontifex nefarij Imperatoris viribus fretus, Sedem Apostolicam occupauit contra verũ Pontificem *Gregorium* 7. quem Libelli author vulgari hæreticorum more, *Gregorij* nomine non dignatur, sed *Hildebrandum* potiùs vocat; quemadmodùm hæretici in Germania cùm post fœdus Smalcaldicum Imperatorem bello lacesserent, eum non *Carolum Imperatorem*, sed *Carolum Gandauensem* appellandũ statuerunt.

communicati & depositi.

Henricus 3. Imperator.

Antipapa.

Hæreticorum malitia.

Quoniam verò optimus hic sanctissimusque Pontifex contra vires Imperatoris se tueri non potuit (quem quidem Imperatorem historiæ illius ætatis omnes hominem fuisse valde flagitiosum, sacrilegum, simoniacum, hæreticum, omnibusque scelerum maculis notatissimum testantur) quoties de illo Protestantes nostri loquuntur, mirabiles triumphos canunt, quos & Libelli author hoc loco imitatur. Verùm pari ratione & Herodiani *Ioanni Baptistæ* insultare potuissent, cuius salutare consilium tàm vehementer Regi displicuit, vt propterea excellentissimo Prophetæ caput amputauerit; quemadmodùm idem post *D. Ioannem*, multis prophetis & Episcopis accidit; qui propter sententiam Ecclesiæ, hoc est ipsius CHRISTI, Principibus liberè denuntiatam, præsens vitæ capitisq;

Contentio inter Gregoriũ 7. & Henricum 3. Imperatorem.

capitisq; periculum frequenter adiuerunt. Quo rerum euentu quisquis causæ alicuius bonitatem dijudicare voluerit, næ ille preclaram religionem fabricabit, & egregius *Britannicæ* fortassis *iustitiæ* patronus censebitur; nulla enim alia in orbe Christiano iustitia talibus argumentis seipsam poterit tueri. Sic enim & *Pilati* contra *Christum*, & *Neronis* contra *Petrum* & *Paulum*, omniumq; cruentissimorum tyrannorum contra sanctos Dei martyres, actiones iustæ atque laudabiles erunt. *Gregorius* (inquit iste) *in exilium tandem ab Imperatore missus est*, preclarum sanè facinus, & dignum quod ab istis Euangelicis præconibus celebretur. Sed & *Ioannes* Euangelista à *Domitiano*, & *S. Athanasius* à *Constantio* in exilium eiectus est. *Chrysostomus* verò ab *Arcadio* & *Eudoxia*, & *Ioannes*, *Martinus*, *Siluerius*q, martyres & Pontifices Romani, à sui temporis Imperatoribus idem passi sunt quod Gregorius 7. & in exilio fœliciter vitam cum morte mutarunt. Ecquis tamen præter istum *Iustitiæ Britannicæ* prædicatorem, hos sanctissimos Episcopos reos iniustitiæ faciet, & persecutorum iniustitiam eorum innocentiæ anteponet?

Gregorius 7. vir bonus.

Contra verò Pontificem istum *Gregorium* (quem aduersarij præcipuè oderunt, vt credere par est, quòd primus hæresim Berengarianam publicè damnauit & disputatione publica refutauit) licèt nonnulli Imperatoris adulatores & Apostolicæ sedis hostes, Libellos famosos (vt nunc hæreticis in more est) disseminarunt, & splendorem nominis eius varijs calumnijs maculare conati sunt; fuit tamen sine quæstione, vir excellentis tùm doctrinæ tùm pietatis, nihilque contra Imperatorem fecit, nisi sanctè, honorificè, & quod Pastorale eius officium maximè requirebat. Cuius rei testes optimos quosque illorum temporum aut proximè sequentium historicos, nisi breuitati studeremus, facillimum esset producere. Vnius tamen *Baptistæ Fulgosij* Ducis aliquandò Genuensis, viri Principis & doctissimi testimonium apponemus. Qui ante annos centum de hoc Pontifice ita mentionem facit, vt eum tanquã illustre exemplum fortitudinis & constantiæ posteritati commendet. *Constantissimus habitus est* (inquit iste) *Gregorius 7. Pontifex; qui quòd Henricum 3. Imperatorem propter aperta nimis Simoniæ crimina pro pastorali officio reprahendebat, grauibus ab eo iniurijs affectus est. Itaque iniuriarum magnitudine compulsus, Henricum Gregorius vt hæreticum imperij honore priuauit. Cùm autem Henricus solui Ecclesiastica censura, non emendatione vitæ sed armis quæreret, alium creare Pontificem enixus, capta vrbe obsidere Gregorium*

Testimonium Ducis Genuensis de Gregorio 7. Pontifice.

Lib. 3 c. vltimo factorum memora.

cœpit

cœpit. *Quæ mala cùm Gregorius pateretur, nunquàm tamen à iusto proposito dimoueri potuit.* Sic ille de Pontifice simul atque Imperatore. Crimina verò horrenda propter quæ Pontifex vsque eò prouectus est vt Imperatorio eum Diademate indignum decerneret, ita recenset Trithemius. *Henricus Episcopatus & Abbatias vendit &c. etenim Constantiensem, Bambergensem, Moguntinensem, & plures alios pro pecunia; Ratisbonensem, Augustensem, & Strasburgensem, pro gladio: Abbatiam Fuldensem, pro adulterio; Monasteriensem verò Episcopatum (quod dicere & audire nefas est) pro Sodomitica immunditia vendidit. Cœlum & terra testes sunt hæc esse vera. Pro quibus nefandis malis ab Apostolica sede excommunicatus, nec Regnum nec potestatem aliquam super nos qui Catholici sumus, poterit exercere.* Quæ infanda Imperatoris illius scelera, in omnibus historicis grauioribus adeò sunt vulgata & trita, vt Caluinus ipse causam hanc agens, Henricum Imperatorem ab isto imperito scriptore tantoperè laudatum, asserat fuisse *hominem leuem & temerarium, nullius consilij, magnæ audaciæ & vitæ dissolutæ, propter insolentiorem administrandi rationem plerisq; Principum exosum; & qui Episcopatus totius Germaniæ haberet in aula sua partim venales, partim prædæ expositos.*

Vide Vspergen. libr. 5. Annalium.

Trithem. in Chronicis.

Scelera Henrici 3.

Caluinus Institut. lib. 4. cap. 11. Sect. 13.

Verùm vt ad alia progrediamur, idem hic *Gregorius* 7. eadem animi constantia *Boleslaum* secundum Poloniæ Regem excommunicauit Regniq; iure priuauit propter *S. Stanislai* Episcopi cædem ab eo ad sacrosanctum altare immani sacrilegio factam. Quam sententiam etsi viribus suis fretus ad tempus contemneret, tandem tamen à suis ipsius subditis derelictus, deinde ab ijs oppugnatus, in fugam se coniecit, & ad extremum mortem ipse sibi consciuit.

Propter hæresim etiam *Georgius* Bohemiæ Rex primùm excommunicatus, deinde à Rege Hungariæ Regno expulsus est. *Ioannem* quoq; *Alibretum* Nauarræ Regem, quòd Ludouicum duodecimum à Iulio 2. Pontifice excommunicatum, armis opibusque suis iuuisset, bello adortus *Ferdinandus* Aragoniæ Rex cognomento *Catholicus*, longè maiorem Regni partem ei ademit. Quin etiam ob maximas iniurias quibus Ecclesiam affecit, Episcopos Religiososq; pro sua libidine vexando atque prædando, & Ecclesiarum bona in suum fiscum auertendo, *Ioannes* Angliæ Rex cum suis omnibus anathemate confixus est, & post diuturnam sed irritam cum DEO & Sede Apostolica concertationem eò redactus, vt *sua bona spontaneaq; voluntate, ac communi consilio Baronum suorum* (hæc sunt ipsius verba, solennibus codicillis excepta & consignata) *conferret & liberè concederet Deo & sanctis Apostolis*

Posteriorum tempor. Reges excommunicati.

Angliæ Reges.

Ioannis Regis submissio Sedi Apostolicæ.

eius Petro & Paulo,& sanctæ Romanæ Ecclesiæ matri suæ, ac Domino Papæ Innocentio eiusq; Catholicis successoribus, totum Regnum Angliæ, & totum Regnum Hyberniæ, cum omni iure & pertinentiis suis, & quòd amodò illa ab eo & Ecclesia Romana tanquàm secundarius reciperet & teneret. In signum cuius obligationis & concessionis de specialibus redditibus prædictorum Regnorum sanctè promittebat se in singulos annos persoluturum 1000. marcas, hoc est 700. pro Anglia & 300. pro Hybernia. Huius pactionis vel submissionis authenticum instrumentum vidisse se Ioannes Bodinus ait. Exemplaria verò, in communibus patriæ nostræ historicis hodierno die supersunt.

Lib. 1. de repub. c. 9. Vide Stoum, Fox. & Grafton. in historia Ioannis Regis. Item Holinshead. pagina 576.

Iisdem ferè de causis, maximè verò quòd de sanctissimi Episcopi *Thomæ Cantuariensis* nece in vehementem suspicionem venerat *Henricus* 2. ab *Alexandro* 3. Pontifice & ad meliorem frugem, & ad salutarem pœnitentiam perductus est. Exempla huius generis plurima, non in Anglia modò, verùm etiam toto passim Christiano orbe vulgata, facillimum esset percensere. Ex quibus videmus, primò, quæ fuerit ætatibus omnibus hac in re Catholicæ Ecclesiæ consuetudo. Tùm, certam ex his deducimus conclusionem, Catholicos viros nec esse proditores, nec tenere *Assertiones falsas & proditorias* qui interrogati respondent, & credunt Principem quamuis alioqui legitimum, propter hæresim aut aliquam magnam impietatem populis perniciosam, excommunicari posse, abdicari Regno, à subditis deseri, armisque etiam coërceri, cùm grauissimum Ecclesiæ Catholicæ iudicium ita esse factu necessarium definiuerit. Quod item optimè Maiores nostri ostenderunt in eo, quem proximè nominauimus, Ioanne Rege, qui post Interdictum, cùm ad recuperandum ius suum hæreditariũ, Galliam cum exercitu esset inuasurus, Principes & proceres Regni responderunt, se nullam ei opem laturos, *nec extra Angliam pedem discessuros, nisi priùs sententia Pontificia reuocaretur, & Rex ipse eo interdicto manifestè solueretur.*

Vbi sup. pag. 581.

Excõmunicatio à Gregorio 1. lata in reges ac Principes.

Vnicum hoc loco *Gregorij Magni*, Pontificis illius nominis Primi sententiam adijciam, quem aduersarij confitentur & doctrinæ & sanctitatis laudibus inprimis floruisse. Hic cùm multis sæculis *Gregorium* 7. antecesserit, nosterque Apostolus iure habeatur, ideoque & pro Apostolica sua authoritate maiorem à nobis alijsq; Christianis fidem iure possit vendicare, quæstionem hanc quam nunc tractamus, iam olim facto suo terminauit. In eo enim priuilegio quod S. Medardi in Gallijs monasterio concessit, ita decernit: *Si quis Regum, Antistitum,*

Gregor. Epi.

Antistitum, Iudicum, vel quarumcunq; personarum sacularium, huius Apostolica authoritatis & nostra preceptionis decreta violauerit, cuiuscunque dignitatis vel sublimitatis sit, honore suo priuetur. *Fol libro. 11. in fine.*

Hæc fuit D. Gregorij potestas, hæc authoritas, hæc Christianorum fides, ex quo Anglia ad fidem conuersa est. Neq; verò ob huiusmodi fidem quisquam in ius aliquando vocatus, multò minùs de perduellione accusatus est, vsque ad hanc nostram miserabilem ætatem, tantum abest vt hæc sententia antiquis regni legibus ab *Edouardo* 3. latis læsæ Maiestatis crimen esse censeatur; quantumuis noui isti Solones, vel potiùs Dracones, suis Parlamentaribus legibus, & Confessiones, & Rosaria, & quid non ; cùm voluerint statuant esse crimina capitalia, & Maiestatem tùm diuinam tùm humanam lædentia.

Ab ætate verò D. Gregorij aut circiter, ad nostra vsque tempora, Christiani Reges omnes, præsertim verò Hispaniæ, Galliæ, Poloniæ, Angliæ, solennibus conceptisque verbis sanctissimè iurant, cùm ad populum regendum assumuntur, seruaturos se Catholicam fidem. Angliæ verò Rex disertis etiam verbis addit, se defensurum priuilegia & libertates, Ecclesiæ & clero concessas à Rege *Edouardo Confessore,* aliisque Regibus Antecessoribus suis. Hac sub conditione & fidei & libertatis, populus noster Anglicanus Regibus se submittit, & *Cantuariensis Archiepiscopus* Regem inungit. Hac conditione *Archiepiscopus* gladium ei porrigit, & diadema ei imponit, & annulo dato eius fidẽ Reipubl. deuincit, & sceptrum ei in manus tradit, & summam ei potestatem concedit; & ad extremum eum alloquens: *Sta* (inquit) *& retine amodò locum*, fidem & iusiurandum tuum; & denique horribili communione *pracipit ex parte omnipotentis Dei, hunc locum ne suscipiat, nisi fideliter constituerit ea plenè obseruare, qua illic tàm solenni iuramento promisit.* Quæ omnia non iocosè fiunt & ironicè, quasi Rex cùm volet, ea possit abijcere, sed seriò, religiosè, & coram diuina Maiestate, vt sciat Rex Christianus se ab Ecclesia recipere gladium, sceptrumque, & quam habet in Christianos potestatem, & pro Ecclesia gladium illum distringendum esse, vt *stet & retineat hunc locum*, hanc sponsionem; quam si fregerit, ipse regno suo subruendo quod huic fundamento inædificatum est, manum primus admouet, & subditum posteà recedentem, ab omni perduellionis nota liberat.

Iuramentum regis Angliæ cùm coronatur.

Vide Hollinshead in hist. Richardi. 1. pag. 476.

Hoc iuramentum Sanctus *Thomas* Cantuariensis, & præsens *Henrico* secundo Regi suo in memoriam sæpenumerò reuocauit, & etiam absens epistola ad eum scripta, vbi inter alia sic loquitur: *In vita S. Thomæ.*

Memores sitis confessionis quam fecistis, & posuistis super altare apud VVestmonasterium de seruanda Ecclesiæ libertate, quando consecrati fuistis & vncti in Regem à prædecessore nostro Theobaldo.

Imperatores Græci, qua cōditione sint admissi

Et Patriarchæ Constantinopolitani ab ijs qui in Imperatores essent deligendi (maximè cùm vigerent hæreses) scriptum publicum tanquàm instrumentum authenticum exigebant, quo promittebant sese fidem & decreta sanctorum Conciliorum seruaturos. Sic *Euphemius* patriarcha, vir sanctus & religiosus cùm coronaret *Anastasium, literas ab eo exegit quibus profiteretur rectam fidem, seq; nihil immutaturum de Ecclesiasticis decretis*; quas literas cùm post Imperator fraude surripuisset, & deinceps in hęreses varias laberetur, fulmine cœlitùs misso est interemptus. Eodem modo *Michaël* Imperator à *Nicephoro Patriarcha coronatus est, facta priùs illi literis manu sua subscriptis promissione, nihil eorum quæ in Ecclesia seruabantur, mutatum iri.* Alijque Episcopi cum alios in Oriente Imperatores crearent, similibus diplomatis de religiòne Catholica incorruptè continuanda diligenter præcauerunt. Scribitque Zonaras Patriarcham Constantinopolitanum, *Isaaco Commeno* Imperatori liberè palamq; dixisse, quemadmodùm per suas manus Imperium acceperat, ita nisi illud rectè ac pro dignitate administraret, fore vt idem Imperium sua authoritate amitteret. Et ne singula exempla minutè consectemur, eadem est conditio & status Christianorum Regum omnium, qui cùm ab infidelitate ad fidem conuertuntur, & per Baptismi sacramentum in Ecclesiam ingrediuntur, filij Ecclesiæ fiunt, non Patres; oues, non pastores; & ita sua sceptra Christo submittunt, vnaq; seipsos Ecclesiæ subijciunt, vt si deinceps Catholicam Christi & Ecclesiæ fidem deserant, Ecclesiæ correctioni necessariò sint obnoxij.

Zonaras Tom. 3. & Cuspinianus in Anastasio & Michaele & Ioan. Zymisij.

Quas ob causas subditi principibus negare possint obedientiam.

His ergo conditionibus solis Reges ab Episcopis diuina authoritate in Ecclesiæ communionem recipiuntur, his conditionibus vnguntur & coronantur. Quæ fidei & iurisiurandi vincula si ipsi primò perruperint, Deoque & Dei populo fidem datam fregerint, vicissim populo non solùm permittitur, sed etiam ab eo requiritur, idque officium eius postulat, vt iubente Christi vicario, supremo nimirum populorum omnium in terris pastore, ipse quoq; fidem anteà talibus Principibus datam non seruet: cùm clarissimum sit, hæresim & infidelitatem tanquàm pestem quandam serpere ad Reipub. atque animarum perniciem, neque intra certam aliquam regionem contineri, sed emanare ad Ecclesiæ Catholicæ religionisque in alijs

in alijs quoque prouincijs maximum detrimentum, ad quas tuendas Reges à Deo potissimum eriguntur. Estque tàm pestilens & Ecclesiæ exitiosa Regis à fide defectio, vt si nulla fuisset relicta potestas Apostatas Principes reprimendi, nequaquàm saluti nostræ, Ecclesięq; & sacrarum legum conseruationi satis à Deo Opt. Max. prouisum videretur. Et fuisset certè multò salutarius Ecclesiæ nunquàm Reges in gremium suum recepisse, quàm hanc eis infinitam licentiam reliquisse, vt cùm vellent possent recedere, & quos vellent possent corrumpere, & tyrannicis legibus subiectos ad quamcunq; religionem ab aulicis & adulatoribus inuentam compellere, nec tamen Ecclesiæ fas esset hanc impietatem vlla disciplina coërcere. Quis enim non videt, quemadmodùm vna quasi animorum conspiratione, integræ terrarum orbis prouinciæ à Christo desciuerunt ad *Paganismũ* cum *Iuliano Apostata*, ad *Arrianismum* cum *Valente*, & apud nos in Anglia, ad inchoatum *Zuinglianismum* cum *Henrico* 8. & ad perfectum *Zuinglianismum* cum *Edouardo* 6. nec dubium est quin Turcarum agrestem infidelitatem amplecterentur, si potentior aliquis Princeps eò inclinaret, & exemplo suo ad talem infidelitatẽ populo antecederet.

Principis exemplum valde periculosum.

Quòd si fides nostra atque æterna salus ad cuiusq; sæcularis Principis voluntatem ita suspenderetur, nullum vt superesset maximis his periculis remedium; si necessariò & simpliciter obediendum esset Principi quacunq; sit hæresi sordidissima turpificatus, tùm certè Respubl. Christi, Ecclesia testamenti noui, quauis paganorũ Republica longè esset deterior & infœlicior. Illi enim nunquàm Rempub. aliquam ita stolidè formarunt, vt non habuerint rationes certas & expeditas deijciendi à suis ceruicibus seruile iugũ tyrannorũ, quorum intolerabilis erat insolentia, & administratio perspicuè perniciosa societati hominum & communi bono, pro quibus omnes vbique Reges vel ab hominibus sunt electi, vel à Deo constituti.

Longè quidem maius est & firmius vinculum quo Christo atque Ecclesiæ astringimur, quàm quo humanæ vlli creaturæ obligamur; quamobrem si inferioris obsequium impediat cultum, quem superiori, adeoque & supremo omnium Domino debemus, quis non videt dandam nobis esse operam, vt legitimè ac ordinatè ab inferiori illa obedientia deoneremur? Mulieri, si cum marito infideli aut hæretico, *sine Creatoris contumelia* non possit viuere, permissum est ab eo discedere, & vicissim viro fideli à muliere infideli; & hoc loco coniugalem beneuolentiam nec alter iure potest re-

Christo quàm Principi magis obligamur.

Religio matrimoniale vinculũ soluit.

Lib. 4. Decret. tit. de

diuort. ca. 7. Theodoſ. l. Manichæos. ca. de hæret. Cap. fin. extra de hæret.

quirere, nec alter tenetur præſtare; quin & mancipio, cuius alio in genere magis neceſſarium eſt officium, & arctior obligatio erga Dominum, quàm alicuius ſubiecti erga Principem, licet antiquis Imperatorum legibus Dominum planè deſerere in hereſes ruentem: quin etiam *ipſo* (vt aiunt) *facto* ex mancipio in hominem liberum euadit. Parentes denique ſi hæretici fiant, poteſtatem in ſuos ipſorum liberos amittunt, quam alioqui & à natura & à legibus habent longè maximam.


Propter hæreſim Princeps authoritatem amittit.

Quamobrem non eſt quod quiſpiam admiretur, ſi Chriſtiana Theologia hoc certò exploratequè teneat, Regem propter hæreſim, ius ſuum atque authoritatem in populum Chriſtianum omninò deperdere. Nulla enim Reſpub. nullum Regnum poteſt eſſe Chriſtianum, niſi Chriſto & Eccleſiæ legibus obtemperet. Regnum verò licèt huic vel illi Regi non obtemperet, regnum Chriſtianum eſſe propterea nequaquàm deſinit, cùm nemo vir ſingularis neceſſarius ſit ad eius ſalutem, quemadmodùm contrà vnus aliquis Rex hæreticus religioni aduerſarius, & poteſt conficere & ſæpenumerò conficit eius interitum & diſsipationem.

Atque hæc (vti ſperamus) ſatisfacere poſſunt æquis Lectoribus, vt ne improbent moderatiſsima fratrum noſtrorum reſponſa ad quæſtiones de principibus propter hæreſim excommunicandis vel deponendis. De quo plura deinceps, prout occaſio dabitur, quandoquidem iſtius improbi Libelli author importunitate ſua eò nos perpellit: quemadmodùm & Magiſtratus ciuilis captioſis cruentiſque ſuis interrogatis quoſdam ex noſtris fratribus coëgit ante mortem liberiùs ſenſus ſuos explicare, quàm aliàs voluiſſent; quanquàm tunc etiam infra modum longè conſtiterunt, & tantùm perpauca quædam attigerunt, cùm multò plura & apertiora dicere, diuini verbi & ſanctarum literarum permitteret authoritas.

REBVS PVB. ESSE COMMODVM, ET REGVM SCEPTRIS FIRMANDIS ADmodum vtile, vt quæ inter ipsos populosq́; suos controuersia de Religione alijsq́; rebus grauissimis oboriuntur, propter quas Reges sua dignitate priuandi videntur, à supremo totius Ecclesiæ Pastore potiùs decidantur, vt est Catholicorum doctrina & iudicium; quàm populari seditione ac temeraria quorundam fantasia, vt est hæreticorum voluntas & consuetudo.

CAPVT VI.



Seditiosè admodùm Libelli huius famosi author viros Principes orbisq́ue Monarchas subinde compellat, monetq́ue quàm ancipiti in statu ac seruili viuant, dùm Romanis Pontificibus fas est Principes pro suo arbitratu erigere atque deijcere, illisq́ue resistendi facultatem populo concedere. Ac oratio eius videri fortasse possit iucunda & plausibilis, si ad eos Reges fieret qui nec homines curarent nec Deum vererentur; qui nullis honestis modis, sed tantùm efferata crudelitate & nefarijs fraudibus statum suum sustinerent; qui sui tantû temporis, nullam autem posteritatis haberent rationem, quin potiùs (vti de antiquis quibusdam belluinæ immanitatis hominibus fertur) illud optarent, vt ipsis mortuis, terrarum omnium deflagratio consequeretur. Cæterum cùm eos Principes alloquatur, quorum sapientia terrarum orbis regitur; quorum sceptra, diademata, gladijq; ipsi pro Christo & eius sponsa Ecclesia geruntur; quorum gloriosi maiores Apostolicæ Sedis benedictione & perpetuata cum summis eiusdem Pontificibus beneuolentia & consensu, creati primùm, & post confirmati fuerunt; ipsiq́ue illorum posteri maiorum vestigijs insistentes etiam nunc fœliciter regnant (atq; vt regnent diutissimè, supplices Deum precamur) hos Principes cùm alloquatur, non nisi molestam videri & fastidiosam necesse est hanc quàm tanto opere contexit narrationem. *Fraus aduersarij seditiosa.*

Multæ fuerunt illecebræ, multa inuitamenta, quibus nostra memoria Principes ad defectionem à fide Catholica sunt irritati. Ex quibus principale fortaſsis erat, exemplum finitimorû Principum in hac *Primaria causa religionis temporib' nostris mutãda*

hac impietate ipsis præeuntium; nominatim *Henrici* 8. eiusque *filij* & *filiæ*, qui non modò se ab Apostolicæ Sedis vnitate disiunxerunt, verùm etiam infandis legibus Apostolicam & Papalem omnem potestatem in suum diadema incluserunt: templaque, monasteria, sacella, & religiosorum domos disturbando, eorum fundos & possessiones auferendo; simulque Ecclesiarum bona, calices, cruces, aurum & argentum omne conuasando & in suum fiscum redigendo, infinitas opes collegerũt (quod fuit istius Anglicani Pontificatus exordium) præter alia plurima, quibus homines scelerati ad nouandam religionem poterant commoueri. Neque tamen hæc omnia, vel Imperatorem, vel alterutrum ex magnis Europæ Monarchis, vel alium quemcunque Regem sobrium & prudentem inducere potuerunt, vt Ecclesiæ Catholicæ summisque eius pastoribus nuntium remitteret. Intellexére nimirum ex veterum monumentis, omnibusque post Christum natum probatis historicis, quotquot olim Reges aut Principes Christi vicario directè sese opposuerunt, aut cum eo in fide & Ecclesiastica vnitate communicare recusarunt, certam vel in seipsis vel in posteris, Dei vindictam sensisse; eorumque Regna tandem ad Turcarum aliorúmue infidelium tyrannorum miserrimam seruitutem fuisse deuoluta.

Absit enim vt paucorum annorum fucata prosperitate secundoque rerum euentu sapientes orbis moderatores quicquam commoueantur; (quamuis Libelli author vt incautos decipiat, Anglicani Regni fœlicitatem post hanc ab Ecclesia Apostasiam mirabiliter extollat) quin potius pro sua sapientia magis in longitudinem prospicient, & quem in nobis finem hęc facta nequissima sortientur, & qualia futura sunt iusta Dei iudicia, patienter expectabunt. Nec modò attendent ad vltimam vsque Henrici 8. (qui *peccati radix* fuit) progeniem, verùm etiam ad nouam aliam posteà successuram, si tamen vsque eò Deus suam erga nos vindictam distulerit; quod nos quidem profusis lachrymis die nocteque ab eo postulamus, vt tàm posteros nostros, quàm præsentem etiam Principem, patriæque statum sua benignitate complectatur; vt iram suam iustissimam ab ipsis simul ac nobis auertat, quò alij Principes populique fideles, nostræ ad Ecclesiam Catholicam conuersionis exemplo potius ædificentur, quàm seuerissima in nos Dei vltione in posterum sapere doceantur.

Macha. ca. 1. v. 11.

Põtificis Romani in reges authoritas.

Enimuerò quæ Libelli author inculcat sollicitè *nullum alicuius Reipubl. statum securum esse posse, si pro sua libidine Pontifex Romanus Reges possit deponere:*

deponere, hoc nihil est aliud quàm crepitaculum puerile, vix fatuis terrendis idoneum. Norunt enim viri omnes prudentes, qui vel præsentia tempora considerant, vel præterita recordantur, Romanum Pontificem nullam huiusmodi authoritatem sibi vendicare, nullam exercere. Doctiq; omnes Theologi fatentur, nullam illi iurisdictionem esse proximam & directam in Principes sęculares, iura Regum, aut Magistratus ciuiles. Ideoque de illorum Regnis aut actionibus quicquam statuere non potest, nec illorum leges abrogare, vel immutare Regnorum iura, quemadmodum in Episcoporum, prælatorum, & sacerdotum officijs & ministerijs Ecclesiasticis, & vbi videtur facit, & optimo iure facere potest, cùm in eos directam habeat plenamque iurisdictionem. Principum verò actiones & leges non potest ad suum tribunal reuocare, nisi quatenus cùm summus sit Christi vicarius ac minister, animas omnium, ipsorum etiam Principum sibi habet commissas, ideoque inuigilare debet & speculari, vtrùm eorum regimen iniuriosum sit Christo & detrimentosum religioni veræ; vtrùm ipsorum Regum, populíue salutem impediat (quemadmodũ de schismate, hæresi, Apostasia, Idololatria certum est, alijsq; crassissimis in regno gubernando erroribus) de quibus, ab eo tanquàm ipsorum pastore admonendi sunt sæpenumerò, & cum lenitate, hoc si non sufficit, posteà sunt excommunicandi; eam censuram si aspernantur, tum demùm velut *Ethnici & Publicani sunt habendi*, planeq; indigni qui in populum Dei potestatem vllam obtineant. *Pag. 56. & deinceps.* *Math. 18.*

Hoc autem non est *Principes pro sua libidine deponere*; neq; vlli Christiano Principi maturè rem perpendenti iustam præbet occasionem, vt malè de censuris Pontificijs existimet. Soli hæretici, aut qui Christum à se repellere eiusq; fidem respuere cogitant, non sine causa Ecclesiasticam hanc disciplinam Deiq; vindictam pertimescunt; quam euadere non poterunt, quãuis humanis viribus à Pastoris sui quem Christus eis præfecit correctione, ad tempus sese subduxerint. Tantum verò abest vt Catholici pijq; Reges diuinam hac in re ordinationem, perpetuamq; Sedis Apostolicę praxim ac consuetudinem auersentur, vt contrà ad Regnorum suorum stabilitatem suęq; in Regno posteritatis perpetuitatem nihil esse vtilius, nihil fructuosius censeant, quàm se suosq; moderata quadam summi Pastoris reuerentia teneri, in ijs quæ ad fidem moresque Christianos spectant. Estque hoc Principibus, presertim adolescentibus in ætate florenti, sancti cuiusdam retinaculi instar, quod toto vitę decursu eos à varijs flagitijs co- *Qui Reges sibi à Pontificijs censuris metuant.* *Pontificis summa potestas, regibus vtilissima.*

erceat, & vt Regnum modestè moderateq; gerant admoneat, quò simul ipsi populusq; diuturna pace ac tranquillitate fruantur. Quòd si effrænata rerum omnium licentia illis tribueretur, facilè in calamitates innumeras possent incidere, & à subditis deseri; imò ab eis dignitate omni, siue Ecclesiastica censura accedat siue non accedat, dedecorosè spoliari. Nec vllus est (vt arbitramur) Christianus Princeps qui vel seipsum vel liberos posterosq; suos diutiùs imperio potiri desiderat, quàm in fide Catholica atque in Ecclesiæ Sedisque Apostolicę communione perseuerauerit; nemo est *qui sibi in Regno aliquē vel sanguine coniunctissimum subrogaret, si probabiliter in hæresim eum lapsurum crederet; quin eum prorsus exhæredaret, suaq; potiùs manu vitam eriperet, quàm Apostolicæ Sedis de eo censuram vel timeret vel attenderet.*

Quamobrem, licèt ijs quos suorum scelerum conscientia pungit, grauis admodùm & permolesta sit hæc Apostolica authoritas in Regibus castigandis; ea tamen pios ac legitimos Principes nequaquàm sollicitat, cùm præsertim pro sua prudentia satis intelligant & experientia aduertant, Principes tàm bonos quàm malos, omnium maximè varijs fortunæ casibus esse expositos, & mille modis posse suis Regnis excidere; aliquando populari seditione, aliquando nobilium quibus maximè fidunt conspiratione, sæpè domesticis bellis competitorum, sæpè externis incursionibus hostium; quibus incommodis summa Romani Pontificis authoritas maximo leuamento est, dum nascentes de iure titulorum controuersias componit, bellorumque occasiones amputat, & studiosissimè ad fœdera, ad inducias, ad pacificationem, pro rerum temporumque discrimine quibus potest rationibus suadet. Vnde multa sæpè & magna ad omnes Reges & Respub. Christianas, rebus eorum afflictissimis manarunt cōmoda. Quemadmodum constat ex historicis, Anglorum, Gallorum, & Scotorum varia bella, nostrosque domi ciuiles tumultus recensentibus, vbi Pontificis Romani opera, acerbissimas tempestates repentina serenitas sæpenumerò consecuta est: cùm vtraq; pars Pontif. Romani tanquàm supremi Pastoris & honorarij Christianorum Principum arbitri sententię æquissimę illarum causarum transactionem permitteret, quas alioqui nec leges, nec arma, sine lamentabili Christianorum strage potuissent decidere. Quin etiam Principes multi imbecilliores, cùm à potentioribus iniustè opprimerentur, ab hac potestate Apostolica subsidium frequenter impetrarunt; legitimique Reges à seditiosis subditis in miras angustias adducti, ab eadem firmis auxilijs opibusq; sunt cōmuniti. Horum

Commoda quæ à supremi Pontificis authoritate ad omnia Regna promanant.

Horum omnium exempla varia in historijs passim occurrunt, nostræ præsertim nationis, in quibus videre licet, cùm intestino *Baronnia* (quos vocamus) hoc est, Principum & Nobilium virorũ contra Reges suos bello Anglia flagraret, multos à Pontifice Romano legatos missos, qui monerent eos vt ab armis desisterent, & concordiæ rationes inirent. Quod cùm non fieret, eos excommunicabat; vnde factum est vt multi Reges suam potentiam retinuerint, quos aliâs verisimile est populari furore de gradu suo fuisse deturbandos. Neque desunt aliarum gentium exempla plurima, idque (ne antiquiora repetamus) nostra hac memoria, qua duobus præpotentibus Europæ Monarchis opem bonam attulit, partim militaria præsidia largè suppeditando, partim spirituales gratias illis impartiendo, qui fortiter fideliterque comprimendis Rebellibus, & confirmandis Regibus operam suam nauarent. *Anglia.* *Francia.* *Flandria.*

Non est sanè Apostolicus ille Episcopus, hostis alicuius Principis aut Principatus: quos nouit à Deo fundatos esse, quemadmodum & ipsius summa potestas ab eodem fonte manauit. Non est inimicus, sed fautor communis. & amantissimus pater omnium Christianorum, inprimis verò Principum. Non studet eos è suis Regnis expellere, non subditos seditiosè ab eorum obedientia auertere, non eorum intendit spolia & calamitates; ne tum quidem, quando cum infinito animi dolore compellitur (quod rarissimè accidit) pro populo subiecto contra Principem sententiam dicere. Nihil aliud suis omnibus dictis factisque molitur, quàm vt necessaria disciplina eos errantes ad salutis viam reducat. *Pontificalis authoritas Principibus non est inimica.*

Iudicent autem viri omnes prudentes quacunque ex natione, maioráne Principum sceptris pericula immineant à legitimis animarum suarum pastoribus, qui diuino spiritu, maturoque consilio, ac certo ordine, iustaque authoritate de rebus iudicant; an ab hæreticis & seditiosis hominibus, qui ad res suas aggrediendas, corrupta conscientia, aut potiùs furore atque amentia præcipitantur.

Protestantes, doctrina, scriptisque ac factis suis palàm ostendunt, Principes ob tyrannidem falsámue religionem posse dignitate spoliari. Nos item cum Catholicis omnibus docemus, ob hæresim, aliaque maxima flagitia posse Principes excommunicari, alijsque deinceps censuris coërceri. Et tamen immensum est inter vtrosq; discrimen, cùm Protestãtes ad Ministrorũ nutum, & subditorũ cupiditaté, Principes è suis solijs velint expellere, eorumque & mores & religio-

nem, iudicij sui priuata lance librare; quod Catholici tanquàm interminatum bellorum & seditionum chaos abominantur. Hoc ergò velim mihi respondeat egregius Libelli huius famosi artifex, qui tàm amicè Principes de periculo commonefacit, siquidem Pontifex in Reges tantum habeat authoritatis; an non Christiani Principes quos ipsorum ministri prædicant Regnis suis priuari posse, in periculo infinitè maiori versentur, cùm huiusmodi potestas ad istos perditos Ministros & faces seditionum deriuatur; nec id modò, sed etiam simul transfertur ad populum inconsideratum & seditiosum, odio Principum plerunque ardentem, & hac tempestate varijs etiam hæresibus inquinatum: adeò vt loco vnius charissimi patris innumeros habeant tyrannos sibi impositos, quorum Euangelij primum caput est, vt Regum capitibus insidientur.

Quæstio æquissima Libelli authori proposita.

Nec enim profectò Romanus Pontifex Scotis in *hoc primo Euangelij sui flore potestatem fecit, vt bello legitimam suam Reginam inuaderent, vt eam in carcerem conijcerent, vt terrore mortis eam ad diadema suum Spurio & Proditori post orbem conditum ingratissimo tradendum compellerent*; non eos Pontifex Romanus animauit, vt Regem suum excellenti indole adolescentem, tanquàm captiuum custodia arctiori continerent, & nouis subinde rebellionibus toties eum lacesserent, quamuis nec illis propter religionem, cur ipsum oppugnarent, nec Romano Pontifici (si causæ æquitatem excipias) aliqua fuerit ratio, cur eum defenderet. Nunquid Rom. Pont. tres potentissimos ac Christianissimos Galliæ Reges, eum qui nunc regnat, duosque ante eum clarissimos eius fratres in magnum persæpè Regni amittendi discrimen adduxit, multasque ac magnas Regni ciuitates atque prouincias eis detraxit, imò dum impuberi adhuc essent ætate, Regno penitus omni expoliare conatus est? Moris certè est Roman. Pontif. innocentes protegere, non opprimere, nec teneris eorum annis ad priuatum emolumentum malitiosè abuti. Et quidem tàm multa sunt tamque grauia quæ Regibus impendent à seditiosis subditis discrimina, vt in nostra etiam Anglia, Patrem filius, nepotem auunculus, maritum vxor, atque vt plurimùm nequior ac flagitiosior innocentem probumque Regno eiecerit. Quamobrem mirari satis non possumus scriptoris huius stuporem & tarditatem, qui tamen in publicis rebus adeò lynceus & oculatus cupit videri, alijsque etiam Regibus suam venditat perspicacitatem, nullum vt videat periculum Regibus imminere nisi ab authoritate Pontificis Romani; quæ (si verum fateri volu-

Rebelliones Protestantiũ in Scotia contra Reginam & Regem.

In Gallia, contra tres Reges.

Quam periculosa Regibus subditorum rebellio.

volumus) ſingulari Dei prouidentia tum Regibus tum ſubditis optimum eſt munimentum, & tanquàm firmum propugnaculũ, quò ingruentibus turbis vtrique ſe recipiant: cùm Apoſtolicæ huius authoritatis reuerentia innumerabiles ſubditos à rebellione deterreat, multoſque Reges alioquin per vim eijciendos, in ſuis Regnis conſeruet.

Proteſtantes nec vno quidem exemplo oſtendere poſſunt, Regem vllum à Chriſto nato, Pontificis iudicio exauthoratum, qui nõ fuerit vel manifeſtè hæreticus, vel certè vir admodum ſceleratus: contrà verò ſeditioſi homines, præſertim hæretici, iniuſtiſsimè non niſi bonos ſanctoſq; Principes è regnis ſuis exterminant. Iſtorum tamen furioſæ amentiæ politicus iſte cupit Reges ſeſe ſeruiliter & abiectè ſubſternere, potius quàm Chriſti regno ſacerdotioque honorificè ſe ſubiungere, aut in vnitate Eccleſiaſtica cum ijs conſpirare, quos Chriſtus & Spiritus ſanctus in Eccleſia præpoſitos conſtituerunt ad fideles in ſalutis via dirigendos: qui etiam terrenam hanc pacem & tranquillitatem pro viribus ſuis ſemper procurant, quod & ipſis paſtoribus maximo eſt ornamento, & Principibus populiſq; maximo eſt præſidio. Quemadmodum contrà nefarij homines qui inter principes & paſtores diſcordias ſeminant, mágis deteſtandi ſunt, magiſq; cum natura pugnant, quàm ſi animam inducerent, vt à corpore capitali odio diſsideret. Vt enim in homine, perſona tota probè regitur & ſtatum ſuum optimè tuetur, cùm caro non præceps ſuo fertur impetu, ſed ſe præbet obtemperantem ſpiritui: non aliter ciuilis Reſpub. & ad diuturnitatem, & ad ſecuritatem eſt optimè compoſita, quãdo cum Repub. ſpirituali maximè conſpirat, eiq; ſe moderandam tradit; quæ etiamſi potiſsimùm de ſpiritualibus laboret, promouet tamen quibuſcunque poteſt honeſtis rationibus etiam temporalem Principum & ſubditorum fœlicitatem, quæ ipſis quoque Eccleſiaſticis non minùs quàm reliquis eſt neceſſaria, quamque ſemper iſti maximo labore & contentione contra pacis & otij publicæq; tranquillitatis perturbatores propagare ſtudent.

Hæreticorũ ſordidus & ſeruilis animus.

Apta ſimilitudo.

Quamobrem vt Eccleſiæ DEI, præſertim *Sedi Apoſtolicæ* ſummi honores, ad honorem *Chriſti* eiuſque Apoſtolorum Principis *Petri*, à Chriſtianis omnium nationum Regibus tributi ſunt; ita omnium ætatum Pontifices, Regum Chriſtianorum gloriam augere ſemper pro ſua virili elaborarunt, non modò diuinis bonis, quæ tamen eorum prima eſt & præcipua cura, verùm etiam terrenis opibus & honoribus,

noribus, id quod Christiani omnes populi varijs experimentis didicerunt.

Ditiones authoritate Pontificali possessa.

Non erit (opinor) opus Respub. Regésue Catholicos hoc in loco commemorare, qui talia beneficia non dissimulant, & quascunq; Ciuitates vel Prouincias à Sede Apostolica sibi adiudicatas possidét, optimo se iure possidere non dubitant. Neque hîc ipse Rhetoricus Libelli author, qui prædicat nihil esse periculosius quàm vt Reges in huiusmodi negotijs à Papæ voluntate & arbitrio pendeant, dicere tamen audet, eas Regnorum partes iniuriosè malaq́ue conscientia teneri, quas Pontificali sententia tenent. Neq; verò, quanquàm plurimùm sibi placeat, eam tamen habet artificiosæ orationis vim & ornatum, vt aliquem Regem inducat vel ad vnicum pagum sic acquisitum antiquis dominis restituendum. Sed vt Catholicos Reges mittamus, varij Principes & Respub. Protestanticæ multa Sedis Apostolicæ beneficia in se collocata, multos honores, multa summæ dignitatis insignia, imò Regiones & Regna ab eadem Sede accepisse se fateantur necesse est, nisi suam velint non tantùm ingratitudinem, sed etiam insipientiam toti mundo patefacere.

Imperatoria Maiestas à Pontifice.

Quid enim? An non Imperatoria Maiestas omni dignitati & splendori humano antecellit? An verò vel ipsi *Protestantes Germani* negare possunt hanc amplitudinem à *Romano Pontif.* ad ipsos esse traductam. Nam quòd nonnulli eam populi Romani electioni tribuendam cauillantur, falsissimum est, & ab omni historiarum fide, ipsaq́ue ratione alienum. Nunquid verò negare audent penes Pontif. Rom. fuisse, hanc Imperij à Græcis transferendi potestatem? An verò affirmabunt eum qui nunc Imperio præest, omnesq́ue ipsius antecessores ad *Carolum* vsque *Magnum*, nullo iure, nulla æquitate, sed vi tantùm & oppresione alienum Imperium tenuisse? Atqui hoc illis necesse est dicere, si omnem Pontifici Romano de Regnis Imperijsq; disponendi authoritatem ademerint. Equidem Protestantem neminem qui quidem mentis sit compos, ita dicturum existimo, Germanum præsertim, cuius nationi ea res tàm singulari est decori & ornamento. Quamobrem non est profectò cur de insigni hac spirituali authoritate Germanorum natio conqueratur, quæ ab illa hanc excellentem supremæ Maiestatis altitudinem est consecuta, qua maior & sublimior in rebus humanis non potest desiderari.

Ordo principum Electo-

Deinde ordo Imperatores eligendi, & (quam magnam esse dignitatem omnes fatentur) *Potestas Electoralis* certis Principibus Germaniæ à

niæ à *Gregorio* 5. Pontif. concessa fuit. Qui Germanus cùm esset, suæq; Patriæ eximio aliquo honore ornandæ admodũ studiosus (vt Magdeburgenses ipsi testantur) illud in eorum gratiam effecit, vt Regis Romanorum electio (qui postquàm esset à Rom. Pont. coronatus, *Imperator Augustus* vocaretur) Germanicę nationis esset propria.

rum à Pontifice.

Magdeburg. cent. 10. cap. 10.

Ex quo facillimum est hæreticis satisfacere (si quidem ratione illis satisfieri poterit) qui superioribus annis ita vehemẽter stomachati sunt, quòd in priuando *Coloniensi Electore* authoritatem suam *Pontifex Roman⁹* interponeret. Quid hoc prodigij est, inquiunt isti? Electorem Imperialẽ à Pont. Rom. deponi? Prodigium certè, perinde ac si montes parturirent, aut cœlũ ipsum rueret; hominib⁹ pręsertim ignaris, qui nec natare nec legere sciunt. Homini verò aliqua ratione imbuto, quomodo videri poterit absurdum, si Pont. Rom. indignissimũ Episcopum, eumque Apostatam, Episcopatu suo, & (quod ex eo sequitur) Electorali dignitate priuet, qui primò nationi Germanicæ, atque illi Sedi Coloniensi, Electorem atq; Electoralem dignitatem contulit. Proferant nimirùm suas rationes, cur Rom. Pontifex quẽ ipsi non inficiantur satis magnæ fuisse authoritatis, vt dignitatem Electoralem in Germania, & in illa nominatim Sede constitueret, iam non satis retineat authoritatis, vt vnum miserum & impium Electorem ex eadem Sede remoueat.

Absurda hæreticorum cauillatio contra Pontificẽ, quòd Coloniensem priuaret Episcopatu.

Pontificis authoritas in Principes Electores, &

Illud etiam respondeat si potest Libelli author, qui clamitat indignum esse facinus quòd erga quosdam Imperatores Pontifex Romanus Ecclesiasticis Censuris vsus aliquando sit. Respondeat (inquam) quis in Germaniam primus sublimem illam dignitatem inuexit? Et vtrùm is qui illud iure fecerit, eo post iure caruerit ad alium substituendum, cùm locum illum teneret homo perditus, & ea Maiestate indignissimus? Illud denique respondeat, vtrum nobilis illa Germanorum natio non plura receperit etiam temporalia commoda & emolumenta, quàm incommoda & detrimenta ab hac Pontificali in Reges atque Imperatores potestate, quam Seditiosus iste Gnato tàm fastuosè respuit & aspernatur?

Imperatorẽ.

Veniamus ad illud quod ipse Libelli author, nosq; Angli optimè nouimus, quod patriam nostram attingit propiùs, & exteris quoq; nationib⁹ illius de qua nunc disserimus, rei veritatẽ luce clarius demonstrat. Si enim quod ipsis commodum est & salutare nossent Angli, & vt olim acceptorum beneficiorum gratam memoriam præ se ferrent (iam enim belluina hęc hęresis eos *ingratos, & affectionis humanæ*

Anglia Sedi Apostolicæ plurimùm debet

experten, planeque efferatos reddidit, vt de huiusmodi sectarijs D.

2.Timoth.3. Paulus ait) agnoscerent profectò ac palàm prędicarent, plurimùm se Apostolicæ Sedi esse deuinctos, non modò propter fidē ipsam Christianam, qua primùm *Britones* prisci huius Regionis incolæ sunt imbuti, nec modò quia post Angli eiusdem Sedis Apostolicæ studio, sub *Gregorio primo* ad eandem fidem sunt conuersi, idque indulgentia memorabili, cùm illos ad nefaria schismata relabentes materna nihilominùs charitate Ecclesia rursus complexa est, & veteri Christianæ religionis vnitati restituit; nec modò ob multas honorificas prerogatiuas Principibus Prælatisque nostris collatas, adeò vt hac in re (quod bona cum omniū Regum ac Rerumpub. venia dixero) nulli Ecclesiæ aut Reipub. totius orbis Christiani concedamus; non (inquam) propter hos tantùm spirituales honores Apostolicę Sedi plurimùm sese obligatos confiterentur, verùm etiam propter temporalia beneficia ab eadem Sede Regibus nostris humanissimè tributa. Siquidem Hyberniam liberalitate Adriani 4. vel (vt quidam volūt) Alexandri 3. donatam Henrico 2. ante annos circiter quadringentos Reges nostri obtinuerunt, neq; vllum obtendere poterunt ius aliud præter hanc donationem Sedis Apostolicę. Et tamen ius hoc firmum ratumque etiam hodierno die Protestantes nostri æstimant, & *Henricus* 8. Angliæ Rex cùm ab Ecclesia miserè discederet, & ex membro caput se Ecclesiæ in suo Regno constitueret, hoc solo iure & concessione subnixus, ad maiora deinde progressus est, proq; noua Pontificali quam ipse sibi assumpserat authoritate, ex *Hyberniæ Domino* (sic enim in primo Pontificis diplomate vocabatur) Hyberniæ se *Regem* effecit & vocauit; quam ampliorem appellationem arbitramur postea fuisse à Pont. Romano Reginę Marię concessam & confirmatam. Adeò semper Regum nostrorum, & nominis splendore & largiore ditione amplificandorum studiosa fuit Sedes Apostolica. Quas omnes dignitates atque commoda Pontificali licèt benignitate tantùm, aut certè potissimū accepta, nemo Regum Angliæ cuiuscunq; fuit religionis, hactenus reiecit vnquàm, aut vllis conscientiæ scrupulis impeditus est, quò minùs semel sic acquisita, perpetuò deinceps seruanda statueret; quanquàm ingratis hominibus molestum est beneficia huiuscemodi agnoscere.

I. Stom. anno 1171. in Henrico 2. Itē Holinsh. anno eodem pa. 420. & Polidor. Virgilius lib. 13. hist. Angliæ.

Hybernia Regibus Angliæ à Pontifice donata.

Neque tantùm Regna hoc modo comparata sine vllis conscientiæ angoribus Christiani Principes retinent, verùm etiam alios honorum titulos Maioribus suis quibuscunque de causis donatos, vt

Christiani Principes omnes à Pontif.

videre

videre eſt in maximis quibuſque Chriſtiani orbis Monarchis, quibus propter heroicas virtutes, & inſignia in Eccleſiam Catholicam merita, & præclarum aduerſus hæreticos alioſque infideles zelum, Romanus Pontifex glorioſiſsima honorum attributa aſsignauit. Sic in *Hiſpania* Reges vocantur *Catholici*, in *Gallia Chriſtianiſsimi*, alijque alijs id genus nominibus. In Anglia noſtri ſe ſcribunt *Defenſores fidei*; quod certè nomen antecedentibus illis non minùs eſt illuſtre, quodque conceſſum fuiſſe *Henrico* 8. Angliæ Regi à *Leone* 10. ipſi Proteſtantes norunt, quia Catholicam Romanamque fidem edito libro valdè bono (cuius adhuc autographum, ipſius Regis manu deſcriptum extat) aduerſus impurum illum hæreſiarcham Lutherum defenderat. Quamuis autem huius appellationis cauſa iam planè inuerſa ſit, eaque Pontificis authoritas in Anglia & à Patre qui primus honore illo affectus eſt, & deinceps à filio eius Edouardo, & nunc à filia, ad quos honor ille hæreditario iure tranſijt, grauiſsimè oppugnetur, iſtorum tamen nullus nomen illud deſeruit, nec vnà cum Pontificatu Romano reiecit, nec in ſuorum titulorum enumeratione omittit, quin potiùs magna ſuppliciorum acerbitate vindicat ſi quis eam Principi detrahere moliatur: quod nos ſanè non improbamus. Eſt enim inſtar ſempiterni cuiuſdam monumenti, quod in eorum auribus oculiſque memoriam renouat eius Eccleſiæ *fideiq;* quam tenentur *defendere:* & quàm peruersè gladium diſtringant contra eius *fidei* profeſſores, cuius ipſi quotidianis ſermonibus & ſcriptis ſe vocant *Defenſores*.

Rom. bonorum titulos libenter accipiunt & retinent.

Defenſor fidei.

His etiam licet adijcere innumera eaq; ampliſsima beneficia, quæ in nationem noſtram *Gregorius* 13. ſanctiſsimus Pontifex incredibili liberalitate profundit, in qua omnes anteceſſores ſuos longo poſt ſe interuallo reliquit, præter vnum *Gregorium primum* Apoſtolum noſtrum. Ad cuius diuinas virtutes eximiamque in nos charitatem exprimendam mirabili ſtudio hic vnus proximè accedit, non modò in totius patriæ miſerabiliter iam ab hæreticis corruptæ ſalute procuranda, verùm etiam in maxima propeque innumerabili hominum omnis ætatis conditionis ac ſexus multitudine piè ſubleuanda, qui crudeliſsimæ perſecutionis tempeſtate iactati in varias Catholicorũ prouincias ſe recipere, patriamque ipſam & quicquid erat chariſsimum, derelinquere ſunt coacti, vt eam nimirũ fidem diſcant quam maiores ſui cum reliquo orbe Chriſtiano tàm laudabiliter in vita & in morte ſunt profeſsi. Ob qua beneſacta, fœliciſsimum ipſius nomen

Peculiaria beneficia à Pontifice accepta.

ſ men

men non aliter quàm *Gregorij primi*, immortali memoria prosequentur Angli: fremant licèt & rumpantur isti ingratissimi hęretici, quorum infidelitati eum pestem & perniciem allaturum nequaquàm dubitamus.

Gregorij primi erga Anglos charitas.

Atque de *Gregorio primo*, quàm singulari charitate salutem animarum nostrarum complexus sit, præter alia hoc habemus egregium exemplum; quòd cùm quotannis magnam pecuniæ vim ex Gallia reciperet, & pueros Anglos permultos ibi vænales esse more mancipiorum intelligeret, eosque absque Baptismi Sacramento in miserrima corporis animique seruitute viuere, tantæ calamitatis misertus Pontifex, præsertim verò quòd hanc nationem suis laboribus Christo nuper acquisiuerat, ad procuratorem suum qui Ecclesiæ Romanæ in Gallia patrimonio, & huiusmodi pecuniarijs rationibus præfuit, scripsit, ne communi permutatione pecuniam Gallicanā transmitteret Romā, sed illic potiùs in pios vsus expenderet; potissimū vt redimeret è seruitute pueros Anglicanos, eosq; in Italiam turmatim deduci curaret comitatos religiosis Presbyteris qui eos moderarentur, & in fide instituerent, & statim baptizarent si qui in morbos periculosiores inciderent. Sicque non in Anglia tantùm gentis nostræ saluti modis omnibus studiosè consuluit, missis ad Euangelium in illa Insula prædicandum viris doctissimis vnà cum *D. Augustino* eorum ductore & Principe, nostroque Apostolo, verùm etiam in peregrinis quoq; nationibus maximos sumptus fecit ad sanctiorem iuuentutis nostræ educationem. Ita nimirum optimus hic Pontifex & clarissimus Doctor elaborauit, vt patriam nostram à Paganismo ad fidem Christi traduceret, & Deo fauente quod voluit effecit, proptereaque gratiam & gloriam immortalem cùm in cœlo tùm in terra est promeritus. Nec minora profectò sunt *Gregorij* 13. studia in eadem gente ab hæresi ad Catholicam religionem reuocanda. Nam & in exteris prouincijs nostræ gentis plurimos suis sumptibus educandos curat in sancta disciplina eademque fide quam ipsius antecessor *Gregorius primus* maiores nostros docuerat, & plurimos idoneos viros Dei Zelo accensos ac spirituali potestate præditos, pacatè, humiliter, & more prorsus Apostolico in patriam remittit, vt populares suos ab hæreticis deceptos ad veritatem informent, eosque Sacerdotali ministerio, Catholicæ Dei Ecclesiæ (extra quam certissimum est eos in æternum perituros) reconcilient: non autem vt bella suscitent, aut seditionum semina spargant, quod nefarius huius libelli author non minùs

Gregor. li. 5. epist. 10.

Gregori 13.

minùs falsò quàm impudenter afferit.

Quo in munere quia multò fructuosiùs Sacerdotes versati sunt, Christo eorum conatibus fœliciter aspirante, ad maiorem fidei Catholicæ dilatationem, grauiusque huius monstrosæ sectæ instar hydræ nouas quotidiè hæreses parturientis detrimentum, quàm ipsi Protestantes initiò suspicabantur; idcircò iam callidè & veteratoriè sanctissimis tum summi Pastoris conatibus, tum etiam optimis bonorum Sacerdotum officiis, nomina læsæ Maiestatis & doctrinæ proditoriæ contra statum suum obduxerunt. Sollicitéque aliorum Principum & populorum animis imprimere satagunt (eorum saltem qui non sunt versati in historijs Ecclesiasticis, nec considerant primos Saluatoris nostri Apostolos vel *Petrum Romæ*, vel *Paulum Cretæ & Corinthi*, aliosque deinceps primitiuæ Ecclesiæ patres, cùm Pagani Reges longè lateq; dominarentur, nullo alio modo ciuitates & prouincias fidei Christi subiugasse, quàm quo fratres nostri ad Angliam eidem fidei recuperandam sanctè pieque contendunt) conciones nostras, exhortationes, preces, sacrificia, absolutiones, reconciliationes, Rosariorum, imaginum sacrarum, ipsius etiam Christi crucis vsum, aliaque huiusmodi, expressa esse seditionis & rebellionis signa, nec aliud quicquam continere, quàm proditionem, & contra Reginam Regnique statum manifestam coniurationem. Imò verò (quod est incredibile dictu) ita contra pietatem obduruerunt, & humanitatem omnem exuerunt, vt popularibus suis alijsque etiam nationibus suggerere nō vereantur, supremum nostrum Pastorem, quem optimum Gubernatorem Ecclesiæ hac turbulenta tempestate à Deo datum Christiani omnes suspiciunt & admirantur, hac tantùm de causa *Seminaria* duo, aliaque eruditionis sanctæque disciplinæ subsidia Anglis instituisse, vt Seminaria essent bellorum, & flabella seditionum, ideoque tàm longè absunt à reddenda gratiarum actione (quam Anglia nostra si vnquàm ad sanam mentem redierit, reddet vti speramus cumulatè) vt & ipsum Pontificem Pontificisque munus ob hanc in primis rationem capitali persequantur odio; & in hoc libello calumniator iste illud beneficium, certum esse argumentum hostilis erga Reginam animi vaticinatur.

Sacerdotalis in Anglia laborum fructus.

Mira Angliæ in Romanum Pontif. malitia & ingratitudo.

Cæterùm væ peccatis nostris, & ô Angliam ter & amplius miserabilem, cuius ciuilis status cum hæresi tàm arctè est vinctus & conglutinatus, vt neque CHRISTI Vicarius charitate maxima ac disciplina, neque Sacerdotes Dei quibuscunque vitæ ac mortis suæ

Piæ & Zelosæ Gregorij actiones pro religione.

officijs, vlla sanandæ hæresi posint adhibere remedia, quin mox Reipub. hostes & Maiestatis læsæ rei censeantur. Quæ stolidissima malitia multò in Anglia nostra magis eminet, quàm in alia totius orbis Prouincia quacunque, licèt ea hæresibus non minùs quàm nostra sit inquinata. Est quidem Gregorij 13. hæc gloria propria & singularis, qua Antecessores suos aliosq́; cuiusuis ætatis Episcopos longè superat, quòd tàm suauiter, & tàm Apostolica cum mansuetudine, innumerabiles adolescentes in fide Catholica Christianisque moribus curat educandos, ad suam ipsorum salutem, patriæque in qua nati sunt beneficium, Catholicæq; fidei in præcipuis totius orbis prouincijs conseruationem. Infinitus propemodùm est eorum numerus, in Oriente presertim, ac Septentrione, & Meridie, qui non minùs quàm Angli, schisma, hæresim, erroresque varios imbiberunt, quibus omnib9 generalis hic pastor & pater, incredibili cura ac sollicitudine ita prouidet, vt eorum tum animis tum corporibus opem quacunque potest ratione adferat. Illius sapientia fit, vt hodierna die *Constantinopoli* & *Alexandriæ* versentur Patres quidam ex *Societate* IESV, alijsq́; in locis vbicunq; salutis animarum spes aliqua in Imperio Turcico affulget. Eademq́; *Societas* in *Moscouiam* penetrauit, aliasque prouincias Græcorum erroribus infectas. Idem Pontifex Seminaria *Armenijs, Græcis, Sclauonijs* exædificauit. Collocauit in *Sueuia, Liuonia, Polonia, Bohemia, Transsyluania, Societatis* eiusdem Collegia & Seminaria. Quin & Scotis eadem pietate modoque auxiliatus est, præsertim verò nobilissimæ *Germanorum* prouinciæ à Lutherana peste multis in locis vastatæ. Quid, quòd ad *Orientalem* quoque *Indiam* pastoralis eius sollicitudo se porrexit; vbi in *Iaponia*, superiori anno magnis sumptibus præclarum Collegium fundauit, & omnibus rebus necessarijs abundanter instruxit. Hæc sunt Gregorianæ pietatis pro Ecclesia Christi toto terrarum orbe excitata monumenta, dum interim ipsius & sanctæ Ecclesiæ hostes miserrimi, vitam suam consumunt turpiter, in iurgijs & rixis, & furiosis contra veritatem contentionibus.

Societas Iesu Constantinopoli, & in alijs remotissimis prouincijs.

Collegium Societatis in Iaponia.

Neque verò vlla est sub sole natio cuicunque tandem sectæ addicta, quæ hæc adeò piè & religiosè facta, tàm improbè ac malitiosè interpretatur quàm nostra Anglia; aut quę cogitat istas proditiones, conspirationes, & depopulationes, quas nostri dies noctesque pertimescunt, vel saltem pertimescere prę se ferunt. Germani quidé (verbi gratia) etsi non omnes Catholici sunt, sed permulti (dum ebrioso *Martino* alijsque insanis sectarijs leuiter credunt) ab Ecclesia Catholi-

Aliæ nationes licèt hæreticæ, minùs sunt, quàm Anglia ingratæ.

ca alienati, tamen & vtile & gloriosum suæ nationi existimant illud tàm celebre Germanorum in vrbe Romana Collegium. Vt & nostri quondam Angli multùm in eo gloriabantur, quòd nobilem ibi Scholam ab *Offa* Rege ante annos circiter mille extructam haberent, quæ post in Xenodochium mutata est. Imò (vt in hoc hæreticorum nostrorum impietatem tàm domi quàm foris, Turcis vel Paganis detestabiliorem Christiani omnes notent & exhorrescant) cùm hoc ipso anno Constantinopolim appulissent *Patres Societatis*, & à Christianissimi Galliarum Regis Legato æternis laudibus digno commendati, eius potissimum opera à Turcico Imperatore & securitatem impetrassent, & commodum * habitandi locum dono accepissent; *Angliæ Reginæ apud Turcas procurator contrarium suadere vehementer conatus est, & omnes neruos contendit, vt Imperator eos tanquàm homines seditiosos & statui suo perniciosos quamprimùm expelleret. Ita nulli in orbe populi* vel *Græci*, vel *Armeni*, vel *Sclauonij*, vel *Suetij*, vel *Moscouitæ* vel etiam *Turcæ* & *Pagani* has de optimo Pontifice formidines concipiunt, quas nostrates Angli comminiscuntur; tantum abest vt ferro, vt carceribus, vt tormentis, vt omni suppliciorum exquisita varietate propterea in homines pios & innocentes sæuiant. Qualem tibi à Deo vltionem impendere necesse est infœlix Anglia, quam hæc fera & agrestis hæresis adeò degenerem effecit, vt neque honoris tui apud homines, neque salutis apud Deum, rationem vllam habeas; vt leuiter contemnas & malitiosè condemnes munus hoc Pontificale, quo nulla vnquàm ætate quicquam tibi apud exteros honorificentius collatum est; vt eum qui hoc tibi donauit, Christi vicarium non odio hostili, non Vatiniano, sed prorsus diabolico persequaris; vt Christi ipsius prędicationem in alijs nationibus impedias, vt in fide Catholica omnium temporum extirpanda hostis sis pertinacior, quàm ipsi Pagani qui Mahometi nomina dederunt, nec vnquàm Christianis sacris fuerunt instituti.

Monsieur d'Hermind.

Religioni Catholicæ Angli bostes infestiores quā Turcæ.

* PERAE.


Atque hic etiam hæretici nostri ignorantiam suam longè maximam produnt, dum *Seminarij* vocabulum risu & scomatis excipiunt, perinde ac si seipsos ab omni non solùm communione, sed etiam cognitione orbis Christiani præcidissent, in quo vox hæc vulgari omnium sermone iam trita est: præsertim verò post pium illud Concilij Tridentini decretum, quo *Seminaria* huiusmodi educandis viris Ecclesiasticis erigenda esse statuitur. Neque minùs se ridiculos præbent, cùm tanquam faceti sanniones in hoc Libello de *Bulla* nomine

Nomen Seminarij.

Bulla.

mine cauillantur, *Bullasq́,* Pontificias cum ijs conferunt bullis, quæ repentè in pluuialibus aquis enascuntur & euanescunt. Ab huiusmodi nimirū Reuerendis Theologis hoc nouo Euangelio dignissimis, Ecclesia Christi iam oppugnatur. Verùm de *Societate* IESV, ac *Seminarijs* mittendisq́; in Angliam sacerdotibus, non est quòd hoc loco plura adijciam. Quicunque enim sunt eius vocationis & ordinis, ætatem habent vt pro seipsi respondeant. Estq́; hoc in illa quam ediderunt *Apologia* abundè pertractatum, cui libro aduersarij nunquàm honestè & probabiliter sunt responsuri. Quare de his satis, nunc quæ sequuntur expediamus.

Apologia Seminariorum.



DE POSTREMIS IN HYBERNIA BELLIS PROPTER RELIGIONEM SVSCEPTIS;

& quomodo Papa iustè poterit vti gladio; & quòd contentiones inter ipsum & alios Reges aliquando suborta, & obedientia ab istis negata, vel etiam vis illata ad defensionem suarum rerum temporalium, nihil iuuent causam Protestantium, vt eius in rebus spiritualibus fidei & religionis censuras contemnant & authoritatem aspernentur.

CAPVT VII.



OBijcit autem aduersarius quicquid à Pontifice suis illis Bullis, Excommunicationibus, Seminariis instituendis, alijsq́ue id genus spiritualibus officijs gestum est, contemni facilè ac negligi potuisse: atq; ita fecisse Reginam Angliæ, quæ omnes Pontificis contra ipsam conatus aspernata est, quamdiu is in Cathedra sua quietum se continuit. Sed cùm iracundia incensus Cathedram reliquit, & contra *D. Bernardi* consilium *Eugenio* datum (vt Libelli author prædicat) pro *verbo, ferrum* arripuit, cumq́ue contra scripturas sacras gladium strinxit, quem in vaginam recondere Petro Christus præcepit, armisq́ue suis Hyberniam inuasit; aliud certè à Regina expectandum non erat (inquit iste vir bonus) quàm vt illatam sibi vim vi similiter repelleret, & periculum tàm manifestum bello propulsaret.

Iustitia Britannica. pag. 57.

Quod nobis sanè mirum non videtur, quandoquidem spiritualem excommunicationis virgam, omnesq́ue Ecclesiasticas Censuras

369

iam antè contempserat, quæ summi Sacerdotis Ecclesiæque propria sunt arma, & vt B. scribit Augustinus, grauiora certè magisq; pertimescenda fidelibus, *quàm si gladio ferirentur, si flammis absumerentur, si feris subijcerentur*, estque hoc supplicium adeò formidabile, vt etiam cùm iniustè alicui infertur minimè sit negligendum. Quamobrem cùm has pœnas sperneret, quid mirum si bellicam impressionem Pontificis aut alterius cuiuscunq; non multùm vereretur.

August. contrà aduersar. legis & prophetar. li. 1. cap. 17.

Atqui hoc tamen terrarum orbis iure admiretur, & est certè obstupendum, quo modo exiguum illud Romani Pontificis in Hybernia supplementum tot Sacerdotes innocentissimos aliosque Catholicos ad mortem damnare potuit, qui nec Hyberniam viderunt aliquando, neq; rerum Hybernicarum, neq; Pontificij vel iuris vel voluntatis, in Anglia aut Hybernia fuerunt conscij. Producite enim si potestis vel vnum aliquod verbulum, vel literam, vel idoneum testem, quo probetis ex istis omnibus quos proximis his annis trucidastis, vnum siue ex *Societate*, siue ex *Seminarijs*, siue omninò sacerdotem aliquem, istarum rerum vel authorem, vel suasorem, vel denique participem fuisse. Sic enim aliquam fortassis defensionis vmbram habeatis vestræ *iustitia Britannica* prætexendam. Vel illud (si libet) probate, Summum Pontificem sua de hoc negotio consilia, quęcunq; tandem fuerint, cum illorum vel vno aliquo communicasse, & *iustitiam* vestram *Britannicam* perfectam esse & numeris omnibus absolutam confitebimur. Quid enim si *Pius* 5. *Nicolaum Mortonum* de excommunicatione acturum, sedecim ab hinc annis in Angliam misit, nunquid ex eo efficitur Sacerdotes omnes aut *Iesuitas* qui sedecim annis post in Anglia inueniuntur, proditores patriæ esse censendos? Si *Sanderus* vel priuato zelo motus, vel causa, sua opinione, iustissima fretus, vel etiam à summo Pontifice missus, bellis Hybernicis contra Protestantes pro fidei defensione interfuit, an vos propterea legibus vestris, aut iure vllo diuino humanóue plurimos morti addicere potestis, qui nec virum illum nec actionem vel à limine vnquàm salutauerint? Fieri quidem potest vt Pontifici non iniuria succenseatis, neque deerunt fortasse leges quibus vtrunque Doctorem afficiatis supplicio, quorum neuter vel ex *Societate* vel ex alterutro *Seminario* fuerat. Verùm hanc ob causam Sacerdotes omnes atque Catholicos tàm domi quàm foris, læsæ Maiestatis arguere, nimis est à ratione alienum. Vnius autem ob culpam alterum crudeliter trucidare, turpissima est iniquitas & iniustitia non ferenda.

Iustitia Britannica.

Pontificis acta Romæ, nō sunt causæ in sta, cur Sacerdotes interficiātur in Anglia.

D. Morton.

D. Sanderus.

Quod

mine cauillantur, *Bullasq́;* Pontificias cum ijs conferunt bullis, quæ repentè in pluuialibus aquis enascuntur & euanescunt. Ab huiusmodi nimirū Reuerendis Theologis hoc nouo Euangelio dignissimis, Ecclesia Christi iam oppugnatur. Verùm de *Societate* IESV, ac *Seminarijs* mittendisq́; in Angliam sacerdotibus, non est quòd hoc loco plura adijciam. Quicunque enim sunt eius vocationis & ordinis, ætatem habent vt pro seipsi respondeant. Estq́; hoc in illa quam ediderunt *Apologia* abundè pertractatum, cui libro aduersarij nunquàm honestè & probabiliter sunt responsuri. Quare de his satis, nunc quæ sequuntur expediamus.

Apologia Seminariorum.

DE POSTREMIS IN HYBERNIA BELLIS PROPTER RELIGIONEM SVSCEPTIS;

& quomodo Papa iustè poterit vti gladio; & quòd contentiones inter ipsum & alios Reges aliquando suborta, & obedientia ab istis negata, vel etiam vis illata ad defensionem suarum rerum temporalium, nihil iuuent causam Protestantium, vt eius in rebus spiritualibus fidei & religionis censuras contemnant & authoritatem aspernentur.

CAPVT VII.

Obijcit autem aduersarius quicquid à Pontifice suis illis Bullis, Excommunicationibus, Seminarijs instituendis, alijsque id genus spiritualibus officijs gestum est, contemni facilè ac negligi potuisse: atq; ita fecisse Reginam Angliæ, quæ omnes Pontificis contra ipsam conatus aspernata est, quamdiu is in Cathedra sua quietum se continuit. Sed cùm iracundia incensus Cathedram reliquit, & contra *D. Bernardi* consilium *Eugenio* datum (vt Libelli authur prædicat) pro *verbo, ferrum* arripuit, cumq́ue contra scripturas sacras gladium strinxit, quem in vaginam recondere Petro Christus præcepit, armisq́ue suis Hyberniam inuasit; aliud certè à Regina expectandum non erat (inquit iste vir bonus) quàm vt illatam sibi vim vi similiter repelleret, & periculum tàm manifestum bello propulsaret.

Iustitia Britannica. pag. 57.

Quod nobis sanè mirum non videtur, quandoquidem spiritualem excommunicationis virgam, omnesq́ue Ecclesiasticas Censuras

iam antè contempſerat, quæ ſummi Sacerdotis Eccleſiæque propria ſunt arma, & vt B. ſcribit Auguſtinus, grauiora certè magiſq; pertimeſcenda fidelibus, *quàm ſi gladio ferirentur, ſi flammis abſumerentur, ſi feris ſubijcerentur*, eſtque hoc ſupplicium adeò formidabile, vt etiam cùm iniuſtè alicui infertur minimè ſit negligendum. Quamobrem cùm has pœnas ſperneret, quid mirum ſi bellicam impreſsionem Pontificis aut alterius cuiuſcunq; non multùm vereretur. *August. contra aduersar. legis & prophetar. li. 1. cap. 17.*

Atqui hoc tamen terrarum orbis iure admiretur, & eſt certè obſtupendum, quo modo exiguum illud Romani Pontificis in Hybernia ſupplementum tot Sacerdotes innocentiſsimos alioſque Catholicos ad mortem damnare potuit, qui nec Hyberniam viderunt aliquando, neq; rerum Hybernicarum, neq; Pontificij vel iuris vel voluntatis, in Anglia aut Hybernia fuerunt conſcij. Producite enim ſi poteſtis vel vnum aliquod verbulum, vel literam, vel idoneum teſtem, quo probetis ex iſtis omnibus quos proximis his annis trucidaſtis, vnum ſiue ex *Societate*, ſiue ex *Seminarijs*, ſiue omninò ſacerdotem aliquem, iſtarum rerum vel authorem, vel ſuaſorem, vel denique participem fuiſſe. Sic enim aliquam fortaſsis defenſionis vmbram habeatis veſtræ *iuſtitiæ Britannicæ* prætexendam. Vel illud (ſi libet) probate, Summum Pontificem ſua de hoc negotio conſilia, quæcunq; tandem fuerint, cum illorum vel vno aliquo communicaſſe, & *iuſtitiam* veſtram *Britannicam* perfectam eſſe & numeris omnibus abſolutam confitebimur. Quid enim ſi *Pius* 5. *Nicolaum Mortonum* de excommunicatione acturum, ſedecim ab hinc annis in Angliam miſit, nunquid ex eo efficitur Sacerdotes omnes aut *Ieſuitas* qui ſedecim annis poſt in Anglia inueniuntur, proditores patriæ eſſe cenſendos? Si *Sanderus* vel priuato zelo motus, vel cauſa, ſua opinione, iuſtiſsima fretus, vel etiam à ſummo Pontifice miſſus, bellis Hybernicis contra Proteſtantes pro fidei defenſione interfuit, an vos propterea legibus veſtris, aut iure vllo diuino humanóue plurimos morti addicere poteſtis, qui nec virum illum nec actionem vel à limine vnquàm ſalutauerint? Fieri quidem poteſt vt Pontifici non iniuria ſuccenſeatis, neque deerunt fortaſſe leges quibus vtrunque Doctorem afficiatis ſupplicio, quorum neuter vel ex *Societate* vel ex alterutro *Seminario* fuerat. Verùm hanc ob cauſam Sacerdotes omnes atque Catholicos tàm domi quàm foris, læſæ Maieſtatis arguere, nimis eſt à ratione alienum. Vnius autem ob culpam alterum crudeliter trucidare, turpiſsima eſt iniquitas & iniuſtitia non ferenda.

Iuſtitia Britannica.

Pontificis acta Romæ, nō ſunt cauſæ in ſte, cur Sacerdotes interficiātur in Anglia.

D. Morton.

D. Sanderus.

Bellum Hybernicum.

Quod verò ad summi Pontificis in Hybernia causam attinet, eam nos quidem neque volumus neque debemus vel comprobare vel improbare: quippe qui nec propter prudentiam rerumque vsum digni sumus quibuscum sua ille consilia communicet, nec tàm præclarè de nobis ipsis existimamus, vt eius consilia & intentiones velimus perscrutari. Illud certè constat, tenues illas copiolas ad Hyberniam missas, vel potiùs suo ipsorum periculo illuc contendere permissas, Catholicorum grauissimè afflictorum, ac Principum quorundam virorum importunis precibus in eas oras peruenisse; quorum continuis querelis, & miseriis notissimis, variisque tùm animæ, tùm corporis angustijs planè intolerandis ad miserationem fortasse commotus Pontifex, illud concessit in causa religionis (causa iudicio suo longè æquissima) aduersus eam quam à suo Antecessore legitimè meritoque Regni iure priuatam esse censuit, & cum qua nullũ aliquando fœdus inierat, quod & alij Principes, & ipsa Regina potissimum, finitimis sæpenumerò faciunt (quibuscum tamen amicitiæ vinculis & pacis fœderibus arctissimè sunt coniuncti) in causis multò leuioribus; cùm nimirum vel populi calamitas, vel lucri sperati probabilitas, vel sua Regnique sui priuata commoditas eos ad bellum fouendum incitauerit.

Et mirari sanè quis posit homines istos tanto stomacho in summum Sacerdotem & Ecclesiæ Christi pastorem perbacchantes, eò quòd consenserit armis oppugnare principem si nulla fortasis ei ratione subiectam, at certè nulla ratione superiorem; cùm sectarum suarum Ministri & Magistri apud Belgas & Scotos aliosque populos, non modò subditis consulant vt aduersus legitimos suos Reges sacrisq; cæremonijs inunctos bellum gerant, sed ipsi etiam per se omnia contra eos hostilia moliuntur, imò in Scotia contra Principem eiusdem cum ipsis religionis & fidei.

Scotiæ Ministri rebellionum capita.

Quis enim ignorat Scotorum Ministros præcipuos fuisse operarios & architectos illius occultæ conspirationis, & post apertæ rebellionis quæ nuper in Scotia erupit contra ipsum nobilissimum Regem & vniuersum patriæ statum. An non in ciuitate *Sterlingi*, Ministri primùm consilio suo adfuerunt, & in acie posteà contra Regiam Maiestatem steterunt cum Comitibus *Angusia* & *Marra*, alijsque eiusdem factionis rebellibus? An non omnes eorum perniciosissimas aduersus patriam Regisq; ipsius caput coniurationes, *Comes Gowrianus* palàm confessus est, paulò priùs quàm eiusdem sceleris pœnas morte

morte sua lueret? An non *Patricius Gal'ouaius* in vrbe S. Ioannis Minister,& *Andreas Pollardus* subdiaconus Glascuensis, *Iacobus Carmichel* minister Haddingtoniæ, *Andreas Haius* Rector Ecclesiæ Renfroensis, *Andreas Meluinus* Theologiæ in Academia S. Andreæ professor, alijque ministri primarij propter huius infandæ perduellionis communionem in Angliam confugerunt, vbi lautè accepti in summo otio & securitate viuunt?

Atque ex eo tempore cùm in publicis Regni Comitijs nuper habitis, præsente Rege, ac tribus Regni ordinibus leges sancirentur, quibus tumultuosa Ministrorum authoritas coërcebatur, ministrique ipsi sui quisque Episcopi iurisdictioni subijciebantur (id quod & Dei verbo maximè conuenit, & nō modò in Anglia ab ipsorum fratribus Sectariis vsu receptum est, verùm etiam toto terrarum orbe, si vnicam illam exlegem atque seditiosam Geneuam excipias) huiusmodi leges cùm omnium consensu probarentur, atque in foro publico *Edinburgi*, quæ est Primaria Regni ciuitas, à feciali Regio promulgarentur, an non impudentissimi duo ciuitatis illius ministri *Robertus Pontus* & *Gualterus Bacanquellus* à Iacobo *Lausonio* præcipuo Ciuitatis concionatore (vt paulò post res ipsa docuit) ad flammam seditionis accendendam irritati, authoritati Regiæ publicè restiterunt, & multa contra eum protestati sunt, eamq; protestationem in monumenta publica à *Georgio* ciuitatis notario referri voluerunt? Tresque isti ministri an non post functum hoc exemplum incredibilis arrogantiæ contra Regem ipsum in illustrissima totius Scotiæ ciuitate editum, mox in Angliam festinam omnium proditorum & sacrilegorum profugientes, illic à sui similibus perhumanitér sunt accepti, vt rursus nouas in patria seditionis tædas accenderent? *Edinburgi 19. Maij. anno 1584.* *Intolerabilis ministrorum Scoticorum insolentia.*

Rursus in prioribus Regni Comitijs quę ante annos circiter duos habita sunt, an non Ministri summa cum impudentia perinsolenter efflagitarunt (spe magna alicuius rebellionis mox secuturæ inflati) vt in Parlamentum ipsi admitterentur tanquàm Episcopis pares vel etiam superiores? quos quidem Episcopos diuina lege affirmant Ministris nequaquàm pręstare? An nō hic vnus est ex articulis illis propter quos ipsorum *Archiepiscopus S. Andreæ* ita studiosè Ministros eos frangere & domare laborat? qui & in Angliam peregrinatus est, vt eius Ecclesiæ Sectarios de hac quæstione consuleret? An non alter illorum articulus est, manifestam esse hæresim, si quis Rex aut Princeps sese *Caput Ecclesiæ* in suo Regno appellet; posseque Regem à suis Ministris. *Schisma in Ecclesia Scotica, vtrum ministri sint pares Episcopis.* *Papatus Sco-*

sicus Ministrorum. Ministris excommunicari, imò & à Regali solio deijci? An non Archiepiscopum illi suum Glascuensem, *Robertum Montgomerium* à Rege electum excommunicarunt, totumq; biennium aut eò amplius per vim à Sede sua excluserunt, donec nouissimis his comitiis, parlamenti authoritate absolutus est, suæque dignitati restitutus?

Multa quidem vos contra Pontificem Rom. primum licèt Principemque vestra etiam confessione Christiani orbis Episcopum vociferamini, quòd suum ille consensum præbuerit, vt vel Religionis, vel alia quauis iustissima (vt illi videbatur) causa, quicquam aduersus legitimum Principem vi atque armis gereretur. Sed illud velim expendatis, vestri Ministri quid essent molituri, si parem cum Pontifice authoritatem potentiamq; haberent, similemq; aduersus contrariæ religionis Principes iustitiæ exequendæ speciem possent obtendere, cùm in certissima rebellione, atque in causa hominum sceleстissimorum ita se gerant aduersus Regem suum legitimum, eiusdē cum ipsis patriæ, sanguinis, educationis, & religionis, quos ille nulla vnquā iniuria læsit, sed maximis beneficiis (si quis esset in eis humanitatis sensus) ad oēm fidelitatē sibi prestandam arctissimè deuinxit.

Anglia aliorum Principū rebellibus opem subministrat. Quid verò? num Anglia vt nuper Scotis rebellibus, ita etiam in Belgio & Gallia subditis aduersus legitimos Principes nullam opem tulit? nullum adiumentum subministrauit? An non infesta Anglorum signa in veterum amicorum & fœderatorum mœnibus defixa sunt? An non eorum vrbes hostiliter occuparunt? An non seditiosos in omnibus circumcirca prouincijs, & pecunijs, & armis, & cōmeatu, & militaribus copijs iuuarunt? An non varijs in Parlamentis, maximè verò duobus, quorum alterum quinto huius Reginæ anno, alterum 13. coactum est, quę etiam publicè impressa per manus omnium peruagantur, palàm testati sunt ordines Regni, se duo maxima subsidia pecuniaria idcircò fuisse largitos, vt cōpensarent aliqua ex parte *inæstimabiles sumptus* (sic enim loquuntur) quos Regina copiosè effuderat ad Rebelles Gallos & Scotos (quos illic vocant fratres suos charissimos) contra legitimos Principes Regem Galliæ & Reginam Scotiæ corroborandos? An non inter istos Machiauelli discipulos axioma est vsu iam tritum, finitimarum Regionum bellis ac tumultibus suam quietem pacemque esse continuandam? Hoc cùm ipsi, alijque tàm crebrò faciant, & à multis non admodum improbetur, modò faciat ad Reipubl. statum vel conseruandum vel propagandum, adeóne criminosum erit Pontifici Romano, si hoc ille semel tentauerit

Anno 1563. & 1571. in actis Par anno 5. ca. 29. 30. & anno 13. cap. 23.

tentauerit propter veram Christi religionem, quod sæculares Principes, & ipsi inprimis Angli continenter admittunt ob reculas ponderis infinitè minoris? Et quidem si quid nostra in hoc negotio coniectura valeat, eò fortasse Pontifex faciliùs inductus est vt Hybernis auxilium ferret, quòd peruetustum Apostolica Sedes in eam insulam ius sibi vendicet, idque longè antequàm pacta ea inter *Ioannem Regem & Pontificem Innocentium* confecta sunt. Quos titulos quocunque modo acquisitos, Principes temerè dimittere non solent. Quanquàm de hoc Pontifice (cui Christus vitam perdiuturnam largiatur) illud certò affirmare possumus, cum sic affectum esse, vt vtramque insulam Catholicam videre malit, quàm vniuersi orbis imperio potiri. Tàm immane est illius erga nationem nostram odium, tàm grauis & interminata malitia.

Vide supra. pag. 141.

Gregori⁹ 13.

At *verbo* illi non *ferro* vtendum est (inquit Libelli author) vt *S. Bernardus Eugenium* monet. Rectè. Sancti igitur Bernardi arbitrio rem cō mittamus & quò faciliùs tum quæstionis veritas, tum etiā scriptoris huius fraus perspiciatur, integram D. Bernardi sententiam describemus, additis etiam scripturis quibus ille veritatem hanc confirmat. *Propter hoc* (inquit D. Bernard⁹) *magis aggredere eos, sed verbo non ferro; quid tu denuò vsurpare gladiū tentas, quem iussus es ponere in vaginam? quē tamen qui tuū negat, nō satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis, Conuerte gladium tuum in vaginam. Tuus ergo & ipse, tuo forsitan nutu, etsi non tua manu euaginandus. Alioqui si nullo modo ad te pertineret & is, dicentibus Apostolis, Ecce duo gladij hîc, non respondisset Dominus, satis est sed nimis est. Vterq; ergo Ecclesiæ, & spiritualis scilicet gladius & materialis, sed is quidē pro Ecclesia, ille verò ab Ecclesia exercendus: ille Sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum Sacerdotis, & iussum Imperatoris.* Hactenus D. Bernardus, eo ipso quē citat Aduersari⁹ loco.

D. Bernardi sententia, vtrum Pontifex possit vti gladio.

Bernard. ad Eugeniū. lib. 4. cap. 3.

Quemadmodum vterque gladius ad Pontificem pertineat.

Quare licèt plerunque non deceat Sacerdotes, qui pacis authores populis Principibusq; esse debent, bella gerere, vel suas saltem manus sanguine commaculare, neque sine grauissima causa ad comprimendos reos armis militaribus vti: ex his tamen perspicuum est, & ad eorum defensionem bella posse suscipi, & ad eorum consilium & suasionem prorsus esse suscipienda.

Illud etiam addimus, quamuis Dominus illa de *gladio in vaginam recondendo* metaphora, Apostolos suos docuerit mansuetudinē Euangelicam, formamque gregis regendi multò leniorem illis præscripsit, quàm qua Ethnici aliique Principes suos subditos coërcent, non tamen omni corporali castigatione Ecclesiæ suæ prorsus interdixit.

Corporalis castigatio Apostolis ac eorū successorib⁹ minimè interdicta.

Id quod ipsius B. *Petri* exemplo docemur, qui post hanc interdictionem, non verbo tantùm corripuit, verùm etiam corporali morte *Ananiam* ac *Saphiram* mulctauit. Quod vt ille miraculo rectè facere potuit, non obstante Domini præcepto de gladio reponendo in vaginam: sic idem, non prohibet D. *Petri successores* quin illud ipsum ordinaria iustitia poterunt efficere. Hoc autem nos exemplo eo libentiùs vtimur, quòd ad eandem rem probandam à D. quoque Bernardo vsurpetur, cùm ait: *Qui locum Petri tenet, potest vno ictu extinguere Ananiam, vno Simonem Magum.* Ac præcedente Epistola Eugenium alloquens ait: *Ad hoc enim constitutus es super Gentes & Regna, vt euellas & destruas, & dissipes & plantes.* Qua quidem in re, vt in alijs etiam laudatissimis iustitiæ operibus exequendis Pontifex non minùs quàm alij Principes, importunè quædam moliri potest, nec habere semper omnia prosperè ad suam voluntatem fluentia, etiam cùm causam habet æquissimam: vti in Machabæorum libris videmus bonos Dei Opt. Max. sacerdotes contra impias & prophanas Gentes depugnasse infœliciter. Tamen illud vniuersè asserere, quod vir iste contendit, *nullo modo* licere Pontifici ad iustitiam aut religionem tuendam arma capere, & falsum est, & hæreticum est, & à nemine affirmari potest qui sanæ sit mentis & cerebri.

Actor. 5.

Bernardus epist. 238.

Machab. lib. 1. cap. 5. 9. &c.

Iustitia Britan. pag. 38.

Meo quidem iudicio, si Protestantibus nostris Pontificem de commotione Hybernica auxilijsque subministratis accusandi animus est, idque seriò meditantur, hæc illis ratio est ineunda non vt impiè & Anabaptisticè affirment (quemadmodum iste imperitissimus Libelli author) omninò nefas esse Pontifici Romano bellum gerere; hoc enim luculentum est mendacium, in quo habebunt non solùm omnes in vniuerso mundo Catholicos, sed etiam plerosque suos fratres hæreticos, imò ipsos Anglicanos sibi aduersantes: quin in eo potiùs consistant, vt ostendant Pontif. causam non fuisse rectam, Reginam iniuria fuisse excommunicatam, falsam esse *Pij Quinti* sententiam, qui declarauit eam esse hæreticam, ideoque subiectos à iuramento suo & obedientia solutos. Sed hæc nobis particularia capita pertractare fas non est, illud tantùm probare voluimus, certas esse causas propter quas Pontifex posit excommunicare, & esse certas causas propter quas idem posit declarare Reges de iure Regio cecidisse; & causas item varias occurrere, propter quas Religionem propugnaturus arma posit mouere, & hostibus eius bellum indicere.

Vera ratio Pontificiosis Hybernia conatus refutandi,

Et est quidem verisimile, nostros Protestantes núquàm hoc fuisse negatu-

Pōtificis bel-

negaturos, nisi ipsorum tantummodò causa particularis ageretur. *lum contra Turcam.*
Neque enim eos ægrè tulisse arbitror, quòd *Pius* 5. idem ille qui Reginam excommunicabat, potentissimi contra Turcam fœderis Princeps & author fuerit, in eaque clarissima victoria nauali, & signa sua habuerit explicata, & fortissimos præfectos vnà cum reliquis belli molem sustinentes. Quam victoriam ipsi Angli (vt in eorum communibus annalibus reperio) publicis lætitiæ signis, incensis pyris, instructis conuiuijs, solenni etiam concione ad Crucem Paulinam habita, tanquàm salutarem Reipub. Christianæ & sibi pergratam, vel seriò vel simulatè celebrabant. Et tamen non minore cum similitudine veri poterat aliquis Turcarum religionis Minister has easdem scripturas citasse contra Pontificem, quàm nunc Protestantes ijsdem ad eum exarmandum vtuntur. Etenim si licet Pontifici vires à Deo sibi concessas contra Turcas ab eius iurisdictione prorsus alienos impendere, multò magis eas conferre poterit ad castigandos rebelles Ecclesiæ filios, quos ipsius iurisdictio propriè comprehendit; primò ratione animarum, tum quoque ratione temporalium bonorum, quatenus hæc animarum saluti promouendæ inseruiunt. *Stous anno 1571. & Hollinf. pag. 1860.*

Atque hæc quidem omnia summo Pontifici verissimè conueniunt, si nihil in eo consideremus præter sacerdotalem & Apostolicam functionem, quemadmodum exemplo *Phinees* manifestum est; *Numer. c. 25.* cuius sacerdotium in eo est fundatum & consecratum, quòd zelo plenus, hominis impij Deoque inimici sanguine manus ipse suas cruentauit. Quòd si quis prætereà illud obseruare voluerit, omnibus ferè sæculis summos populi Dei Sacerdotes, temporales etiam Principes extitisse, Iudicesque non in spiritualibus modò, verùm etiam in ciuilibus negotijs, nihil supererit dubitationis, quin optima ratione eam potentiam suam ad iustitiæ defensionem poterint accommodare.

Sacerdotium Testamenti noui clarissimè præsignificauit ille *altissimi Dei Sacerdos Melchisedech,* qui simul fuit Rex & Sacerdos. Illudque erat in naturæ lege receptum, vt principalium familiarum primogeniti, ijdem Reges essent & sacerdotes summi, quemadmodum B. Hieronymus testatur. Hoc modo constat Noë, Abraham, Isaac, & Iacob, populum Dei suasq; familias in temporalibus atque etiam in spiritualibus rebus gubernasse. Et in lege veteri *Moyses* ipse tum ciuilis iurisdictionis, tum sacerdotalis ministerij, principatum tenebat. *Heli* quoq; Sacerdos ãnos quadraginta vtroq; officio perfunctus est. *Genes. 14. Hebræor. 7. Melchisedec. Hieronymus in quæstion. Hebraicis. Pōtifices sum mi ijdem ferè sæper Principes tempo-rales.*

Moyses. In li. Leuit. & Numeror. Heli. In 1. li Reg. Machabæi. In lib. Machabæorum & Iosephus de Antiquit. Iudai. li. 12. 13. 14. &c.

Deniq; Machabęi illi, *Iudas, Ionathas, Simeon* & alij, non modò fuerunt in templo Pont. Max. verũ etiam in ciuitate æquissimi iudices, & in bellis quoq; fortissimi duces. Ad eundem sanè modũ Ecclesiæ Christi Pontifices, supremi in terra pastores nostri, diuina quidem prouidentia, primorumq; Regum ac Imperatorũ Christianorum donatione, ac populi deinceps fidelis Principumq; zelo ac pietate, temporales suas ditiones & patrimonia iustissimè possidẽt, ideoq; Principes sunt inprimis legitimi, & iuxta eam quam habent authoritatẽ pro se proq; alijs bella gerere possunt, quandocunque ipsis expedire videbitur.

Pontificis iurisdictio temporalis admodum legitima.

Et quamuis Ecclesiæ Dei Sedisque Apostolicæ hostes aduersus hanc Pontificis potestatem continuò bacchantur (quemadmodum reuerà hostes sunt capitales omnis spiritualis atque etiam sæcularis Principatus) illud tamen certissimum est, neminẽ esse in orbe Christiano siue Regem, siue alium quemcunque, qui aut primò statum suum meliore iure acquisiuit, aut in eo longiore annorum pręscriptione fundatus est, aut qui tàm diu & tàm manifeste eius quasi tutelam à Deo susceptam possit ostendere in tàm varijs Regnorum aliorum mutationibus; aut denique qui plura constantiæ ac perpetuitatis probabilia signa poterit commonstrare; de temporali Pontificis statu loquimur. Nam quoad spiritualem potestatem, eam ad extremum vsque iudicij diem, *Hæreticis* (vt B. Augustini verbis vtar) *frustrà circumlatrantibus* duraturam non dubitamus.

August. de vtilitate credendi. ca. 17.

Atque vt humana ista temporalium rerum subsidia, vtilissima plerunque sunt, & ad Ecclesiæ tranquillam gubernationem, duplicemq; illum honorem sanctis animarum nostrarum Pastoribus debitum valde nẽcessaria; ita liberalis talium bonorum à Christianis Principibus populisq; facta donatio, *B. Barnabæ*, aliorumq; similium exemplo mirificè commendatur, qui pietatis causa res suas vendiderunt, pretioq; ad Apostolorum pedes deposito, eas Ecclesiæ Dei consecrarunt. At verò prophanos homines, qui Ecclesiæ Christi istos honores & fortunas inuident, easq; mallent diripere & prædari, conterreat horribile exemplum Ananiæ & Saphiræ, qui ad vnum D. Petri verbulum, repentina morte ob simile sacrilegium conciderunt. Etenim si illi excommunicationem sunt promeriti (excommunicatos enim fuisse D. Augustinus censet) simulque tàm grauem etiam in corpore vltionem senserunt, quòd eorum quæ Deo & Ecclesiæ verbo promiserant tantùm, nondum autem facto & reipsa contulerant, partem aliquam sibi reseruarunt, futuram aliquando rerum inopiam

1. ad Tim. 5. Actor. 4. Actor. 5. August. con. epist. Parmen. lib. 3. c. 1.

inopiam paulò fortaſſe ſagaciùs tum demùm præmeditantes: quantò illi grauiore excommunicatione & morte etiam ſempiterna ſunt digni, qui Eccleſiarum omnium matrem ac magiſtram ſuo patrimonio & hæreditarijs bonis ſpoliare moliuntur, ab eaque ſacrilegis manibus eripere volunt, non partem aliquam eorum quæ ipſi dederunt, qui nunquàm vel pagum vnum ei ſunt largiti, ſed omnia quæcunque religionis gratia, multis annorum centenarijs, optimi Reges & Imperatores Chriſtiani, ſumma cum alacritate ad honorem Chriſti & Principis Apoſtolorum Petri, ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio donauerunt. Quod patrimonium, Apoſtolicorum præſulum ſingulari prudentia ac charitate diſtributum, in maiorem cedit Eccleſiæ Dei, pauperumque eius vtilitatem, in ampliorem Chriſti gloriam, totius denique orbis Chriſtiani vberius emolumentum, quàm cuiuſquam ſæcularis principis in vniuerſo mundo: (quod tamen ſine vllius iniuria, atq; ad ſolius Dei honorem à me dictum ſit) quanquàm ſunt Reges plerique quorum immenſas facultates, Pontifices quicunque habiti ſunt opulentiſsimi, nulla ex parte æquarunt. Atq; hoc mihi omnes æquos rerum æſtimatores neceſſariò conceſſuros ſcio, qui vel vnius Gregorij 13. ſanctiſsimi Pontificis opera varijs in locis immortalitate digna ſecum perpenderint.

Patrimonium Eccleſiæ Romanæ.

Qua de re aliquid erat hoc loco dicendum, eò quòd cùm alij quidam Proteſtantes, tum noſter iſte aduerſarius inprimis, Apoſtolicam Sedem non vereatur ream facere furti neſcio cuius & peculatus, in comparando temporalem hunc ſtatum, quem tot ætatum curriculo ad maximã Dei gloriam poſsidet. Qui ſi ingenuè agerent (quemadmodum ab * alijs quibuſdam factum videmus) illud potiùs Romanis Pontificibus vitio vertere debeant, quòd hæreditatem maiorum ſuorum, bona ex parte iam diu negligentia ſua amiſiſſent; cùm certum ſit ſupra annos mille, ante ætatem Gregorij Magni præter *a* Romam & ciuitatis Romanæ ditionem, magnum fuiſſe patrimonium Sedis Apoſtolicæ in *b* Sicilia, magnum in *c* Africa, varios habuiſſe cenſus & fundos in *d* Sardinia, in *e* Dalmatia, in *f* Gallia, in alijs tum intra Italiam, tum etiam extra Italiam prouincijs, vnde ingens pecuniæ numerus annuatim conficiebatur, quæ iam omnia Pontificum vel facilitate vel lentitudine ad alios dominos tranſierunt. Et tamen calumniator iſte vel ignorantia ductus, vel malitia occæcatus, ſubinde perſtringit iniurias, quas ſimulat Principibus Chriſtianis Pontificis Romani *immenſa & infinita tyrannide* (vt ait, in hoc genere factas

** Nicolaus Clemang. de corrupt. Eccleſiæ ſtatu. cap. 4.*

a Gregor. l. 5. epiſt. 12. 23. b lib. 1. epiſt. 2. 68. 60. c lib. 1. epiſt 73. d l. 1. epiſt. 59. 72. e lib. 2. epiſt. 22. f l. 5. epiſt. 10. 52.

Vide Euſeb. lib. 4. c. 22. & Paulũ diaconũ in vita Gregor. l. 2. ca. 27. 55.

Aduerſarij malitia & ignorantia.

Pag. 44.

re factas) interdum Imperatoriæ Maiestati, maximisque Christiani orbis Regibus seditiosè admodum ac veteratoriè suggerit, vt potentiam eius circuncidant; aliquando eosdem Principes ex suo ipsius animo Epicureo Deum diuinaque omnia securè contemnente diiudicans, nefariè laudat, perinde ac si Pontificis authoritatem ad tempus, publicæ cuiusdam vtilitatis gratia tolerarent, vsque tamen eò nihil vt suis ipsorum rationibus incommodet; qui aliàs (vt iste vir

Pag. 49. bonus somniat) Pontificias excommunicationes, censuras, canones atque præcepta, nihilò pluris faciunt quàm Principes ipsi Protestantes, qui in suis ditionibus omnes Pontifici non modò temporales commoditates, verùm etiam spirituales prærogatiuas eripuerunt.

De iurisdictione Pontificali à quibusdam Catholicis Regibus imminuta.

Cuius Pontificiæ potestatis vel repressæ, vel circumscriptæ, vel prorsus contemptæ, quædam recenset exempla à varijs Catholicis Regibus & rebus publicis edita, vt Angli in hac turpissima defectione & excommunicationis Ecclesiasticæ contemptione, nihil nouum aut insolens admisisse videantur; quam excõmunicationem Atheus iste solos homines ignaros curare ait, viros autem prudentes ac Principes nulla talium rerum religione teneri, quin eas & armis, & legibus, & edictis, cùm libet sine omni scrupulo fortissimè refutent.

Instit. Brit. Pag. 44. Quod vt probet, commemorat perineptè & à proposito alienissimè aliquot Galliæ Reges, qui *pragmaticis suis scitu & sanctionibus* multa summorum Pontificum priuilegia, multa emolumenta, multa quæ prętendebant iura restrinxerunt. Commemorat etiam Angliæ Reges, qui Pontificis authoritatem valdè represserunt *genere pœnæ, quæ siue*

Ibi. pag. 45. *peculatus siue bonorum direptio dicitur, quod eam vim habet vt rectè sic appellari posit: barbaro autem nomine, Præmunire dicitur. Cuius vis in recenti exemplo*

Ibid. pa. 46. *Cardinalis Thomæ Volsæi liquidò elucescit: Et Carolus* (inquit) *quintus* Imperator nobilissimus, nihil Pontificias Bullas & execrationes formidauit, *cùm exercitus & signa sua conuexit Romam, eamq́; fossa & vallo sepiuit, & diripuit in extremo; Pontificem deniq́; ipsum fecit captiuum, & maximam ei pecuniæ redemptionem imposuit.* Filius quoque Caroli Rex Philippus nihil fecit Pontificiam authoritatem, cùm *misso in Italiæ fines exercitu, quem dux Albanensis eò deportabat, depopulatis agris, deformatis hortis & pomarijs, exustis circa vrbem amœnis & delicatis ædificijs, vastitatem quandam rebus*

Pag. 47. *omnibus afferret.* Quin etiam *Henricus 7.* Angliæ Rex Pontifici Romano in *controuersia quadam aluminea* constanter restitit. Illiusque neptis Maria Regina, quanquàm Romanæ erat religioni valdè addicta, cùm *tamen intelligeret Pontificem Romanum in consobrinum suum Reginaldum Polum*

Cardina-

Cardinalem paulò infensiorem esse, ob eamq; causam ad minuendam Poli authoritatem Petoûm quendam fratrem obseruantem in Cardinalium Collegium cooptasset, purpureumq; galerum ac cætera nouæ dignitatis insignia Roma dimiserat vt ad Petoûm transportarentur; Regina de hoc apparatu facta certior, transmisit Caletum qui mandarent Romano nuntio, ne in Regni fines accederet, neq; Angliam versus è Caleto moueret pedem. Denique *Cardinalis Polus* cùm Reginam haberet causæ suæ patronam, nihil veritus est Pontificia mandata vel censuras, sed & suam ordinariam authoritatem Legati retinuit, & fratrem illum Petoûm in solita mendicitate coëgit viuere. Hæc sunt omnia quæ scriptor iste congessit, & in quibus valdè triumphat, vt Pontificis ipsius ac Pontificalium censurarum contemptum legitimum esse persuadeat, quæ nos omnia ipsius etiam verbis descripsimus, ne quid vel verborum eius vel sententiarum grauitati detraheretur.

Quæ si paulò accuratiùs expendantur, fraudis ac mendacij plenissima esse omnes statim intelligent. Ac primò, illud sanè impium est atque execrandum hominis Athei cômentum, Imperatorem ipsum, Regesque Christianos, reliquosque Principes, qui vel nostra ętate vel maiorum nostrorum memoria in orbe Christiano dominati sunt, Pontificis iurisdictionem suis in prouincijs tolerasse, non tàm ob religionem ac conscientiam, quàm humanam prudentiam, ad tempus nimirũ ac quoad ipsis placeret, *quatenus* (vt iste loquitur) *vel prosit sibi regnisq; suis, vel certè nihil obsit*, cùm nemo vel hodierno die viuat, vel vlla vnquàm ætate vixerit in Ecclesiæ vnitate Princeps Catholicus, quin supremam Pontificis in Christianos Reges populosq; omnes authoritatem tanquàm à Christo Domino fundatam, ex Scripturis sacris clarissimè deductam, veterum Conciliorum canonibus sanctissimis, Doctorumq; omnium testimoniis probatam, ipsis denique Imperatorum ac Prouinciarum Christianarum legibus luculenter confirmatam, ex animo agnouerit & professus sit. Estque ista quidem certè dedecoris labes turpissima, qua nefarius Atheista optimos Principes aspergit, cùm persuadere conatur, eos dum Pontifici obediunt, religionem, pietatem, ac sinceram conscientiam simulare, quando reuerà ciuilia quædam commoda tantummodò respiciant. Eadem sanè fronte impius hic Machiauellianus affirmare posset religionem ipsam Christianam, propter ciuilia quædam commoda à Rebus publicis esse receptam, quatenus ea Principis vtilitati vel ciuilis status emolumento inseruiat. Faxit verò Deus Opt. Max. ne hic

Responsio ad superiora exempla. Author libelli in Principes Christianos nimiũ contumeliosus. Pag. 49.

Analogia fidei Protestantica. sit scopus ad quem Protestantes nostri & Politici collineant. Valdè enim suspiciosum est hanc esse illam *fidei suæ analogiam* & stateram, qua omnes actiones examinant & metiuntur. Nullum profectò in finem alium nouo hoc Ministrorum ordine à se creato vtuntur, vt valdè est probabile, quàm vt rudem populum aliquantisper suspensum teneant, *Verbum Domini, Verbum Domini* identidem inclamando; intereà dum ipsi sceleratas molitiones suas ad optatos exitus perducant. Id quod de impio huius Libelli authore satis manifestum est, qui si Princeps esset (eius autem similes hoc tempore, Principibus nimis sunt intimi & familiares) nec *Petro* nec *Paulo* nec ipsi quidem *Christo* iurisdictionem aliquam spiritualem aut temporalem in sua ditione permitteret; neque excommunicari se vel Regno priuari ab illis magis quàm à Pontifice Romano pateretur, neque verò cum illis quicquam haberet communionis, nisi quatenus politicæ rationes & ciuilia commoda requirerent.

Scop' Machiauellian' aduersarij. Vnde & leges iam ab istis Lycurgis latas cernimus, quibus omnis in Anglia iurisdictio vel temporalis vel spiritualis, prorsus interdicitur homini cuicunque extra Anglicani Regni limites nato. Quę *Vide suprà c. 1. pag. 10.* leges haud dubiè non minùs Christum eiusque Apostolos (cùm in Anglia nati non fuerint) quàm ipsorum successores Episcopos Romanos excludunt. Qua quidem in re illud cum primis in aduersario nostro animaduertendum arbitror, quòd nullo prorsus discrimine spiritualem gubernationem à temporali distinguit: quin potiùs omnem Ecclesiasticam iurisdictionem penitus tollit atque abrogat, cùm in pestilenti hoc Libello spiritualem illam, & Pontificalem quam sibi Regina vsurpat potestatem, nouo certè nomine atq; in aliorum hæreticorum scriptis ad hunc vsque diem (vt opinor) *REGALIA Reginæ.* inaudito, Reginę *REGALIA* appellat. Quo verbo, Ecclesię Dei sacram hierarchiam omnem funditus exterminat, eamque in potestatem Regalem prorsus includit. Qua ratione & ipsi D. Petro spiritualem quam tempore Neronis habuit, potestatem eripiunt, eamque Neroni tanquàm *Regalium* suorum portionem tradunt; cui eodem iure competebat, quo hodierno die Papalis, & Episcopalis, & omnis Ecclesiastica authoritas, Reginæ Anglię tanquàm suorum *Regalium* pars quædam conceditur. Quod item multò vehementiùs confirmant testimonia quæ ex scripturis, imperitorum fortasis opinione pro- *Pag. 37. 38.* babiliter, sapientum autem iudicio stultissimè scriptor iste profert; ex D. Paulo *omnem animam sublimioribus potestatibus esse subditam*, ex D. Petro,

Petro, *subiecti estote cuiuis humanæ traditioni* (sic enim citat) *propter Dominum, siue Regi vt qui supereminent* &c. quæ propriè & proximè Neronis *Regalia* confirmant, qui eo tempore Romano Imperio potiebatur: non minùs verò aptè Neroni quàm Reginæ ad stabiliendum hunc primatum conueniunt. *Regalia Neronis.*

Quasi verò inter Regem & Sacerdotem nihil esset discriminis, nulla inter ciuilem Rempublicam, & Christi corpus mysticum differentia; quasi Christus hoc corpus suum, sponsam suam, spiritualem suam Rempubl. vel Regibus atque Imperatoribus Paganis regendam commisisset, qui non illo tantùm sæculo, sed aliquot etiam sequentibus, Christi Ecclesiam fidemque crudelissimè persequebantur; (quorum tamen *Regalia*, vel authoritas Regia, non minùs fuit perfecta & absoluta, quàm Principis vllius Christiani) aut Christianis deinceps Regibus, qui cùm Christi iugum suauissimum acciperent, & fide Catholica imbuerentur, non capita Ecclesiæ sed membra, & Episcoporum patrum suorum filij effecti sunt. Deniq; Politici isti perinde omnia miscent atque confundunt, ac si Christus dum in terris viueret, Ecclesię spirituales ministros nequaquàm prefecisset, neque posteà Spiritus sanctus designasset *Apostolos*, *Prælatos*, *Pastores*, & *Doctores*, qui eam ad extremum vsque mundi interitum gubernarent. *Nefaria spiritualis & tẽporalis potestatis cõfusio.*

Quæ diabolica confusio, spiritualem omnem primatum sæculari Principi tribuens (quam quidem potestatem scriptura sacra *humanam creaturam* distinctionis gratia appellat) vel potiùs miranda metamorphosis, & absurdissima spiritualis potestatis in *Regalia* Principum conuersio, si longiùs serpere permittatur, ipsam Ecclesiæ DEI ac Religionis omnis naturam, & tanquàm vitam atque spiritum corrumpet & destruet; viamque sternet Antichristo planissimam, qua potestatem vtramque, non modò spiritualem, sed etiam temporalem aboleat, seque ipsum *extollat super omne quod dicitur Deus, aut colitur* in cœlo & in terra. *Via ad Antichristianismum.* *1. Petri 2.* *Regalia Antichristi.* *2. Thessal. 2.*

Væ igitur patriæ nostræ populique nostri peccatis, quibus offensus Deus permisit, vt hoc detestabile exemplum spiritualem Ecclesię authoritatem & diuinum animarum nostrarum regimen in *Regalia* Principis transformandi apud nos primùm existeret. Meritoque pudeat nefarium hunc Diagoram (si quid haberet frontis) huius adeò scelestæ propositionis, qua ita defendit suum, aliàs puerilem, aliàs muliebrem Pontificatum, (dedecus, & infamiam, & turpitu-

dinem sempiternam tum Principum tum nationis nostræ) vt simul contumelijs indignissimis vexet alios laudatissimos Reges tanquàm insignes hypocritas, qui Apostolicam authoritatem in suis Regionibus ita demùm ferunt, quoad eam suo statui & commodis fructuosam esse perspiciant. Quam perimpudentem calumniam plenè copioseque refellit & ipsorum Regum excellens erga Deum pietas, & quam in rebus fidei ac Religionis (circa quas illius primatus propriè versatur) Pontifici præstant obedientiam, & alia permulta religiosa officia, sinceræ eorum fidelitatis argumenta efficacia, vt quòd Romanam Sedem fidemque aduersus sceleratos hæreticorum conatus quotidiè tuentur, quòd eam fidem in vita & morte præseferunt; quòd infinitos sumptus in eius hostibus reprimendis effundūt, imò sæpenumerò vitam suam, diademata, & regna eam ob causam periclitantur, quòd sacrosancta Apostolicę Sedis decreta accuratè obseruari faciunt, quantum per fluxós hominum hoc dissoluto sæculo mores, & effrænatam hæreticorum atque Atheorum licentiam fieri potest, quòd in plerisque Regnis, de sanctæ Ecclesiæ Sedisque Apostolicę inimicis iustam expetunt vindictam; deniq; quòd perpetuam habent cum Pontifice animorum coniunctionem & consensum in ijs omnibus quæ ad religionem spectant, semperque spirituales eius gratias, indulgentias, & benedictiones, eadem humilitate amplexantur, qua quiuis alius è media plebe Christianus.

Quàm fœdè improbus iste scriptor Catholicis regibus conuiciatur.

At verò plerique Principes (inquit Aduersarius) superiùs commemorati, Pontificum potentiam mirificè represserunt, & frenarunt authoritatem. Cui facilè respondemus, in his quæstionibus non esse semper exemplis, sed legibus potiùs ac ratione nitendum. Posset enim contrà quis obijcere exempla quæ suprà attigimus, *Ioannem* videlicet *Baptistam* ab *Herode*, *Babylam* martyrem à *Philippo* fuisse interfectum; *D. Chrysostomum* in exilium ab *Arcadio* eiectum, vexatum immaniter à *Constantio Athanasium*, *Diuumq; Thomam Cantuariensem* Anglię Primatem ac Metropolitanum, *Henrici* Regis opera trucidatum, permultos denique alios Principes Episcopis animarum suarum Pastoribus præfractè restitisse, cuius tamen obstinationis nonnullos postea vehementer pœnituit, in quo numero ponendus est Rex noster *Henricus* 2. Absit autem vt horum exemplis officium Regum erga pastores suos metiamur. Ita neque nobis necesse est *Pragmaticas* omnes leges siue Gallicanas siue Anglicanas tanquàm æquas probare, quas Princeps aliquis etiam Catholicus vel edidit iam pridem, vel in posterum

Exemplis nō semper insistendū est.

posterum est editurus, ad Pontificum iurisdictionem aliquo modo coërcendam.

Generalis & clara responsio ad omnia exempla superiùs obiecta pag. 182. 183.

Neque profectò ex altera parte necesse est, vt leges eas prorsus improbemus. Non enim continebant materiam omninò spiritualem, sed potiùs temporalem aut certè mixtam. Si temporalem, cuiusmodi fuerunt prærogatiuæ multæ vel Principum diplomatis, vel antiqua consuetudine Sedi Apostolicæ religiosè olim concessæ, non est mirandum si posteà re diligentiùs considerata, aut temporum mutata ratione, aut populi etiam zelo imminuto, reuocatæ fuerint, prętextu fortasse quodam Ciuilis Reipub. statum aut conseruandi aut amplificandi, cuius vtilitatibus magna illa priuilegia summo Pontifici alijsque viris Ecclesiasticis concessa nonnihil obesse videbantur. Sin verò leges eam habebant materiam subiectam quæ mixta erat, aut eius naturæ vt quicquid in illis continebatur, illud iure sibi vendicare poterat Pontifex tanquàm supremæ dignitati suæ adiunctum, & ad commodiorem tanti muneris obeundi rationem perutile; quia tamen nec huiusmodi leges ea detrahebant quæ necessariò vel diuino iure ad spiritualem illius functionem directè pertinebant, poterat pro sua prudentia Rom. Pontifex illas aut tolerare (tolerat autem multa quæ non probat) vitandi scandali, alteriúsue animarum periculi declinandi causa, aut certè compositione cum principibus & Rebuspub. facta, nonnihil Ecclesiasticæ pacis ac tranquillitatis gratia, de suo iure remittere. Quandoquidem huiusmodi commodorum quasi extrinseca & aduentitia iura, non ita eum afficiunt, quo modo salus populorum, tranquillitas Reipub. Christianæ regnorum, & prouinciarum in eadem Christi fide & Ecclesię vnitate conseruatio, in quibus vocationis eius prima institutio, & tanquàm natura & essentia versatur.

Omnes prouinciales leges de coërcenda potestate Pontificis, prorsus nec approbādæ nec improbandæ.

Pontifex de prærogatiua quacunq; humana cedere potest, non itē de diuina.

Nulla est humanitùs adueniens prærogatiua, quamuis longissimo tempore possessa fuerit admodum iustè, & à principio concessa admodum religiosè ad honorem Christi & eius officij, quod vice Christi summus eius minister exercet, quin vel ipse legitimis de causis poterit eam sponte cedere, vel tyrannorum violentia & hominum carnalium ambitione eam inuitus amittere. Spiritualem verò authoritatem in animas, in prouincias Christianas, in personas siue publicas siue priuatas, & quicquid Saluator noster largitus est Apostolorū Principi (super quem Ecclesiam vniuersam ædificauit, cuiq; primò, & deinceps eius successoribus claues regni cœlorum dedit, *Matth. 16.*

Ioan. 21. *Luce* 22. amplissima cum potestate ligandi, soluendi, puniendi, condonandi, pascendi, in fide confirmandi, decidendi res controuersas, &c.) nec ipse à se alienare potest, aut alteri cuicunq; tradere: neq; verò quęcunq; *Pragmaticæ* aut prouinciales leges, aut etiam generales totius orbis hanc ab eo potestatē possunt eripere. Hanc eius iurisdictionē nullus aliquando Rex Catholicus, nulla prouincia restringere conata est. Nec in Gallia, nec in Hispania, nec in patria nostra (quâdiu religione Catholica fruebatur) vlla inuecta sunt statuta, ad hanc eius authoritatem merè spiritualē tollendam, vel quoquo modo refręnandam.

Contentio inter spiritum & carnē quousq; sit tolerabilis. Quemadmodum autem in humano corpore, vbi caro spiritui & spiritus resistit carni (vt Apostolus testatur, nosque ipsi quotidie experimur) licèt pars vtraque suæ separatim vtilitati consulat, suique tanquàm imperij limites propagare contendat, ea tamen contentio vel tolerabilis est, vel certè nequaquàm perniciosa, quamdiu caro quæ est inferior, non nimis amori sui indulget, nec ita satisfacit desiderijs suis, vt interim animam opprimat, sed eius iustam rationem habet: ad eundem sanè modum in Repub. Christiana, vbi status ciuilis atque Ecclesiasticus vnum quasi corpus efficiunt, non est valdè repręhendendum, si vterque moderata quadam dimicatione ad limites suos in externa rerum politia tuendas nitatur, dum tamen intereà ei quod est summum & præcipuum vtrinque consulatur, nec alter alterius ruinam & euersionem obstinatè laboret.

Iniustissimæ Anglorū contra Ecclesiam actiones. Cæterùm vbi corpus Politicum (vt in patria nostrâ miserrima vsu venit) incredibili audacia cum Apostolica Sede & corpore Christi mystico bellum gerit, non de rebus medijs aut indifferentibus quæ aliquo modo, quanquàm minùs directè pertinent ad Ecclesiæ regimen spirituale, sed de ijs quæ necessariò & intimè vitam, & naturam eius, & spiritum ipsum continent, vbi aperta vi & sacrilegio, contra omnes leges diuinas & humanas, laici CHRISTI vicario summum suum primatum & sacerdotium eripiunt, Christique Ecclesiam Catholicam omni iure & authoritate, qua eam sponsus suus locupletauit, despoliant, & ista transferunt vniuersa ad *Regalis* Principis, eiusque nutu Sacramenta tollunt, articulos fidei permutant, Sacerdotium abolent, totamque Religionem penitus inuertunt, & pro fide, vero Dei cultu, & communione Catholica, fœdissimam apostasiam, execrabile schisma, & miserabilem rerum sacrarum & prophanarum confusionem inducunt; hoc loco, in hoc genere, etiamsi aduersarius omnes Christianas leges prouinciales aut munici-

pales

pales ſcrutetur, etiamſi omnes Chriſtianarum regionum per terrarū orbem excutiat angulos, nullam tamen Anglicanæ ſuæ Apoſtaſiæ vel legem vel regionem inueniet ſuffragantem, quamuis non vereatur homo profanus perabſurdè & admodum ridiculè proferre in medium *Concordata* Regum Galliȩ vel Angliæ, aut aliarum gentium leges ſiue æquas ſiue iniquas, Eccleſiaſticam vel Pontificalem authoritatem coërcentes. Longiſsimè enim abeſt, vt hæc omnia ſacrilegæ Anglorum ab Eccleſia Catholica atque Apoſtolica diſceſsioni vel leuiſsimam defenſionis vmbram prætendant.

Fieri quidem poteſt vt in *Anglia* etiam cùm eſſet Catholica, ab hominibus ſuæ vel voluptatis vel priuati lucri ſtudioſis, multa contra Eccleſiæ commoda tentarentur. Fieri poteſt, vt Reges tum noſtri tum aliarum etiam nationum, in ſuis contra Pontifices & Epiſcopos contentionibus, eos ad conditiones valdè iniquas perſæpè coëgerint, atque ita cum Eccleſiæ damno ſuæ libidini & ambitioni inſeruierint. Neque verò inficior, Reges nonnullos ipſa potentia & Maieſtate ſua fretos, leges aliquas in ſuis regnis ſtatuiſſe, etiam reclamante Apoſtolica Sede: quæ licèt propriè fidem aut religionem non impugnarent, Eccleſiæ tamen vtilitatem multùm minuebant, & nimis opprimebât libertatem, qualis erat lex illa Anglicana, quam aduerſarius admodum verè *Peculatum* dicit, *barbaroq́; nomine Præmunire vocari* ait. Contra quam varij Pontifices, prȩſertim verò *Gregorius* 11. & *Martinus* 5. plurimùm contenderunt, & vt tolleretur cum *Edouardo* 3. & *Henrico* 6. ſeriò vehementerque egerūt: quod vterque ſe facturum recepit, etſi neuter exoluit quod promiſit. Vnde fit vt priſtinam lex illa vim periniquam poſt obtinuerit (ſi tamen primi illius authores illud intenderint, quod poſteri ex ea ſunt expiſcati) eò quòd, ſi accedat paulò durior aut violentior iuriſconſultorum interpretatio, facilem ſubminiſtrat Principi occaſionem pro ſuo arbitratu omnia Eccleſiaſticorum bona à Dominis auferendi, & ſuo fiſco addicendi, ipſoſque carceribus perpetuis includendi, vniuerſum deniq; ordinem Eccleſiaſticum funditùs deſtruendi. Cuius rei horribile exemplum *Henricus* 8. initio huius ſchiſmatis edidit, cùm prætextu huius legis non ſoli Cardinali cui erat infenſus, nec ſolis Epiſcopis, aut certis Sacerdotibus (qui tamen nihil magis contra eum quàm Nobilitas & populus totius Regni deliquerat) ſed ſtatui Eccleſiaſtico per Angliam vniuerſo, manifeſtum fortunarum omnium & libertatis etiā periculum creauit, cùm eos immenſa pecuniȩ vi ad ſeſe

Iniquæ leges etiam tempori bus catholicis fieri potuerunt.

Lex vulgò dicta Præmunire.

ex ea calamitate & seruitute redimendos compulit, adeò vt ex sola Cantuariensi prouincia, plusquàm trecenta aureorum millia exegerit, præter alias iniquißimas conditiones eis impositas quibus ad Ecclesiam Anglicanam tanquàm à fundamentis excidendam, viam sibi strauit. Et tamen hoc tàm tetrum exemplum, *hunc peculatum* (quemadmodum ipse dicit) *& bonorum direptionem, quæ eam vim habet vt rectè sic appellari posit* (quo vno, nihil in hoc Libello veriùs scriptum est) hanc iniustißimam legem contra quam totus Anglicanæ Ecclesiæ nouus clerus multis in libris inuehitur, & quam vocat *maximam Ecclesiæ Anglicanæ calamitatem*, qua & pseudoëpiscopi & inferiores Ministri conqueruntur ita se deuinctos & implicatos, & quæ manifestò vident in religione Anglicana cum *Verbo Dei* tanquàm ex diametro pugnantia, ea tamen refellere non audeant, nec possunt, nisi certum libertatis & bonorum omnium discrimen velint incurrere (ex quo videmus eam esse hodierno die legis istius vim, vt Reginæ voluntatem efficiat esse Ministris lydium lapidem & amußim ad quam veritates suas Euangelicas examinant, & cum qua eorum *Verbum Dei* quadrare opus est, aut in Ecclesia Anglicana silentio æterno sepeliri) quam legem historici annotarunt à viris bonis semper fuisse improbatam, tanquàm latißimè patentem ad quoscunque ex inopinato suis laqueis irretiendos: hoc exemplum, hunc *Peculatum*, hanc iniquitatem, Libelli huius artifex (qua est impudentia) mirificè laudare, alijsque Principibus Christianis imitandam proponere non erubescit.

Parlam.^t Heric. 8. Anno 22. cap. 15.

Lex Præmunire, lex peculatus.

Secunda admonitio ad Parlamẽtum pag. 10.

Ibid. pag 6. & 24.

Polyder. Virgili. Anglica. histor. lib. 19. Anno 1365.

Cæterùm, vt ad legem ipsam reuertar, non quomodò nunc hominum fortaßis peruersitate corrumpitur & ad Principum voluntatẽ inflectitur, sed quomodò primis temporibus lata est, illud quidem fateor non eam modò, sed alias etiam iniustiores à Regibus & populis sanciri potuisse, easdemque ob pacis & charitatis amorem à Romanis Pontificibus tolerari, qui à Magistro suo, sanctißimisque Ecclesiæ primitiuæ Episcopis edocti sunt, vnius animæ salutem omnibus totius orbis honoribus, priuilegijs, ac facultatibus anteponere. Et certè modò Deus ritè vereq; colatur, siue causæ primò ad Romanam Curiam deferantur, siue non nisi post appellationes intercedentes eò traducantur; siue Pontifex, vel Princeps, vel Clerus, aut etiam populus Pastores suos eligat (qua in re p̄ro varietate locorum & temporum, magnam quoque fuisse varietatem legimus) hæc omnia leniter Ecclesia ferre nouit, & conferre omnia ad Christianam

pietatem

pietatem, modò vera fides,& Ecclesiasticæ iurisdictionis natura permaneat integra.

Hîc tamen illud prætermittere non debemus, poteritque omnibus Ecclesiæ filijs magnum præbere solatium, & est quidem à viris prudentibus diligenter animaduertendum, quod in plerisque istis de Pontificis authoritate limitanda, coërcenda, minuenda, aut immutanda controuersijs, ita res posteà ceciderunt, vt prudentissimi quiq; vehementer optarint nihil fuisse innouatum. Ad cuius clariorem demonstrationem, vt alia mittam, illud vnicū velim vnusquisq; diligenter expendat, Episcoporum dico, Abbatum, & aliorum Prælatorum electiones, & consideret an non præclariùs cum Ecclesia agebatur quando illæ per canonicam electionem, vel per summi Pontificis collationem fierent, quàm nunc post eam rationem mutatam agitur, aut verò agendum deinceps sperare poterimus. Varia quidē initio ad has nouationes inducendas homines non mali pro singularum regionum commoditate argumenta prætexebant, quæ paucorum annorum experientia & ipse rerum euentus magna ex parte refutauit.

Authoritatis Ecclesiasticæ diminutionē non fuisse vtilem.

Verùm hoc vtcunque se habeat, ex eo Angli nostrates nullum exemplum, nullam rationem, nullam probabilitatem, nullam probabilitatis vmbram captare possunt ad sua tragica & sanguinaria opera honestanda; hoc est, vt templa disturbent, vt monasteria euertant, vt homines religiosos partim exterminent, partim interficiant, vt Sacerdotes Dei trucident, vt sacratos per vniuersum regnum Episcopos in ergastula conijciant, vt iurisdictionem & authoritatem Apostolicam omnem contemnant, aspernentur, abrogent, blasphement; adeoque in publicis litanijs impiam hanc precationem emittant, *A Pontifice Romano &c. Libera nos Domine*; pro eo quod totus orbis Christianus sanctissimè precatur, *Vt Dominum Apostolicum & omnes Ecclesiasticos ordines in sancta religione conseruare digneris.* Ecquis verò sibi persuaserit adeò istos vel omnem exuisse humanitatem, vel ad tàm insignē impudentiam esse prouectos, vt hanc plusquàm Turcicam impietatem, Catholicorum Regum ac Prouinciarum exemplo defendere non erubescerent?

Barbara Protestantiū Anglorum cōtra Sedem Apostolicam malitia.

An verò credibile est ipsos suspicari *controuersiam illam Alumineam*, vti aduersarius vocat, inter *Henricum* 7. & eum qui tum viuebat *Pontificem Romanum*, eius generis fuisse, vt hoc exemplum animare debuerit præsentem Reginam, aut ipsius Consiliarios, vt summo Dei

 sacer-

sacerdoti hostiliter se opponerēt, & eum de spirituali Primatu quasi in ius vocarent? imò vt sine iure, aut iuris simulatione, aut iuridiciali actione quacunq;, primatum illi per summum nefas eriperent, & cui volebant, vel cui sortitò contigerit, aliquando fœminæ, aliquando puero, fortaßis etiam puellæ trimulæ aut bimulæ in cunis vagienti attribuerent? Quis credat istum *Iustitia Britannicæ* defensorem adeò esse truncum & stipitem, vt ista tàm diuersa atque disiuncta non poßit distinguere. Aut si distincta esse nouerit (quod magis est verisimile) egregium sanè veteratorem, aut gnauiter impudentem esse oportet, qui bella quædam ob lites terrenas inter Romanos Pontifices & sæculares Principes aliquando suborta commemorat, vt ex ijs concludat, Reges Catholicos Pontificis authoritatem flocci facere, Anglisque licere arreptis armis illi resistere, atque illius authoritatem in rebus fidei ac religionis contemnere.

Iure Anglicano, Infanceps etiamsi puella sit in cunis vagiēs, est caput Ecclesiæ.

Crassa aduersarij ignorātia.

Et eiusdem quidem generis sunt exempla reliqua; hoc est, nihil ad rhombum. Quid enim facit ad *Carolum Quintum* optimum & fortißimum Imperatorem Pontificię excommunicationis spretæ reum faciendū, quòd ipso in vlteriore Hispania agente, eius in Italia exercitus, *Borbonio* duce vrbem Romanam inuasit, diripuit, multaq; immania in ipsum Pontificem, Cardinales, aliosq; omnes ibidem comprehensos flagitia perpetrauit? cùm nemo nesciat nobilißimum Imperatorem, etsi eo tempore valdè adolescentem, neque consuluisse vnquàm vt talis direptio fieret, neque approbasse factam; de qua apud Pontificem posteà, aliosq; etiam Principes Christianos magna cum humilitate se diligenter excusauit. Ipse verò *Borbonius* eius sacrilegæ oppugnationis author, diuino planè iudicio ad tanti sceleris horrorem posteris demonstrandum, primus omnium (vt scribitur) & solus, in ipsis mœnibus suburbiorum interfectus est. Reliquus verò exercitus in eadem vrbe intra paucißimos menses, peste, fame, & inusitatis morbis, maiori ex parte miserabilem in modum extabuit: alij omnes non longè post ab hostibus concisi perierunt, vt ex tàm immenso exercitu (quod est à fidelibus historicis annotatum) vix vnus aliquis aut ignominiosam aut violentam mortem euaserit. Vtinam qui horum sectantur exempla, exitus quoque non dißimiles præcauerent.

Vrbis Romanæ Borbonio duce direptio

De *Catholici* verò Hispaniarum *Regis* qui nunc regnat, erga Apostolicam Sedem fide & obseruantia (quæcunq; tandem de rebus ciuilibus controuersię vel hactenus interuenerunt, vel deinceps interuenire

De rege Philippo & Duce Albano.

uenire poterunt) superuacaneum est cum friuolo hoc nugatore verba facere. Et istud vnicum documento esse potest, quàm aptè & ad rem accommodatè exempla sua seligat. *Albanus* enim *Dux* clarissimus, qui tum in exercitu Regis locũ tenebat etiam cùm ante vrbem castra metatus esset, admodum religiosè se gessit, & pro sua ipsius pietate, & ex Catholici Regis mandato, nec vim vllam aut detrimentum ciuitati attulit, nisi quòd milites hortos quosdam circa mœnia, pauculasq; ad voluptatem extructas ædes ac vineta deformauerint: quæ nimirum noster hic orator mirum in modum deplorat, qui tamen pro zelo suo Euangelico, quem etiam in toto hoc libello spirat, nihil magis exoptare videtur, quàm Ciuitatis illius cladem, ruinam, excidium, & extremam ab ipsis vsq; fundamentis euersionem.

Sed tamen *hi Principes* (inquit iste) *Pontificias censuras planè contempserunt*, quando ius suum & legibus & armis tueri non dubitarunt. Atqui obseruandum est, non esse moris Romano Pontifici omnes eos statim excommunicare, quicunque in Ciuilibus negotijs, pro particularis alicuius Ecclesiæ aut Prouinciæ emolumento, siue legibus, siue etiam armis ipsi resistunt, quemadmodum de eo quem iam nominauimus, *Carolo* 5. certum est. Quamobrem vbi Censuræ nullæ à Pontifice cõtra Reges feruntur, non est profectò cur Libelli author glorietur *Pontificias censuras & anathemata à Regibus contemni*. Neque etiam cùm tàm clara ac manifesta iniuria Catholicæ Ecclesiæ Sedique Apostolicæ inferatur, vt qui deliquerit, eum meritò excommunicandum Pontifex existimet, excommunicatus autem causæ suæ æquitate (vt ipsi videtur) fretus in sententia permanet, iusque suum persequitur, ne tum quidem excommunicatus censuram hanc contemnit, vt imperitè aduersarius hallucinatur: quin potiùs à Sacramentorum vsu abstinens eorumque consuetudine à quibus leges ei interdicunt, illud diligenter elaborat, cùm ea qua par est humilitate, vt de causa Pontifex diligentiùs cognoscat, vtq; aliorum Principum & bonorum virorũ iudicio res tota componatur. Vel (vt vno verbo absoluam) si in litibus istis terrenis & agrarijs, in quibus iustissima Principis cuiuscunque causa esse potest, aut certè iustissima Principi alijsq; viris doctis ac pijs videri, hîc si fateamur posse Principem ius suum armis defendere absq; metu censurarum Pontificalium, cùm hoc nihil impediat perfectam illius in rebus spiritualibus obedientiã, ecquid ex hoc sequitur posse sacrilegos hoĩes, hæreticos, apostatas, & obstinatos peccatores Ecclesiæ Catholicæ iudicio pro sua libidine

Quemadmodum Pontifex Principesque seculares possint armis contendere.

refragari, & illud contemnendo in sua impietate impudenter persistere? Quàm est hic præposterus ratiotinator, qui ita absurdè culicem elephanti, & testudinem Pegaso componit, & ex antecedenti tàm facili & tolerabili, conclusionem adeò non solùm difficilem & intolerandam, sed planè scelestam & sacrilegam deducit?

Responsio ad exemplũ Mariæ Reginæ. Quid enim, si *Maria Angliæ Regina* certior facta, Romæ constitutum fuisse, vt illustrißimo *Cardinali Polo* legati authoritas adimeretur, eaq; ad alium quendam transferretur, hominem quidem pium, sed tamen ei muneri fungendo nequaquàm idoneum; si Regina huius mutationis nuntium Romanum Angliæ ingressu prohibuerit, donec Pontifex de re tota pleniùs edoceretur (quod statim eiusdem lectißimæ Principis opera, magna cum diligentia & obseruantia factum est) hoccine continuò alijs omnibus manifestæ defectionis & apertißimæ rebellionis exemplum esse debet? vt propterea seipsos à communione Ecclesiæ Catholicæ præscindant? vt authoritatem Pontificis reijciant? vt (quod monstrum est & contra naturam) eam ad fœminam traducant, & in animas atq; conscientias suorum subditorum, Apostolicam ei authoritatem attribuant? Quid hoc vno absurdius vel dici vel cogitari potest? Neque minùs peruersè exemplum illud vsurpatum est ab huius Reginæ Consiliarijs, tertio postquàm ea regnare cœpit anno. Cùm enim à *Pio* 4. Pontifice Maximo legaretur in Angliam Nuntius Apostolicus, illud vnum ad gloriam Christi & Ecclesiæ tranquillitatem postulaturus, vt ex Anglicanæ Nationis & Religionis doctioribus, quidam ad *Concilium Oecumenicũ Tridentinum* mitterentur (quod idem fecerunt plerique omnes Christiani nominis Principes) ad quorum etiam ampliorem securitatem *Saluum* (quem vocamus) *Conductum* ipse secum attulerat, quo omnis libertas eundi, redeundi, in Concilio arguendi, disputandi, & quæ volebant proponendi sine vlla formidine aut Ecclesiasticorum Canonum contra hæreticos & Apostatas præiudicio continebatur; Reginæ quidem Consiliarij de eo postulato deliberantes, hoc vnum *Reginæ Mariæ* factum tanquàm Aiacis clypeum obiecerunt, vt Nuntium eum ab insula ingredienda excluderent, exemplo non improbando improbißimè abutentes, partim ad suam à reliquo Christiano orbe & communione Catholicorum separationem continuandam, partim etiam (& fortasse potißimum) ad obtegendum suorum Superintendentium metum, imbecillitatem, & ignorantiam, qui simulantes timorem incendii, sed reuerà Catholicorum eruditionem

Ingressus in Angliam negatus Apostolico Nuntio, qui ad Concilium Oecumeni. Tridentinũ citabat.

Superintendẽtes Angliæ timuerũt ire

suæque

suæq; ignorationis infamiam timentes, cùm scirent longè aliud esse domi coram imperita concione inaniter gloriari, aliud in doctissimo orbis terrarum theatro punctis argumentorum respondere & hæreses suas defendere, omnem occultè mouerunt lapidem, ne eo proficiscerentur, quamuis Regina ipsa, Nobilesque permulti in hanc partem valdè propenderent. Sed Superintendentium tandem importunitas vicit, decretumque fuit nec audiendum quidem esse legatum Apostolicum, nec in insulam vlla ratione admittendū; hanc inhumanam impietatem (vt dixi) *Mariæ Reginæ* facto longè dissimillimo in vulgus approbantes. *ad Concilium Tridentinū.*

Atque illud idem deinceps ad hunc vsque diem opposuerunt, eoq; prætextu non modò antiquam omnem *Sedis Apostolicæ* erga nos authoritatem ac iurisdictionem respuerunt, illiusque Sedis Episcopum non minùs alienum ac hospitem in Repub. nostra ęstimauerūt, quàm alium externum Principem qualemcunque, quem nulla planè rerum nostrarum cura attingit (quanquàm & talium legatos ad fouendam societatem mutuam, siue bello siue pace, ipso Gentium iure libenter admittunt) verùm etiam sensim ad extremam blasphemiam delapsi, eum *Diabolum* appellarunt & *Antichristum*, ipsoq; etiam *Turca* deteriorem, cuius legatos (vt lippis & tonsoribus est notum) humaniter & peramicè excipiunt, cùm interim legatis *Sedis Apostolicæ* igni & aqua interdicant, vt nec pedem in ea terra possint ponere. Ex quo manifestum euadit, in quam infinitam miseriam Hæresis nos præcipites agat, quàm immane odium rebellium filiorum animis ingeneret contra matrem, à qua ad suam ipsorum certam perniciem, turpiter impieque defecerunt. Atque hæc (vt arbitror) sufficere poterunt æquo lectori, vt intelligat quàm insulsè & pueriliter Libelli huius author ad generalem Anglorum à Romana Ecclesia discessionem ac Censurarum Pontificalium contemptum excusandum, exempla nonnulla protulerit earum controuersiarum, quæ de rebus ad fidem ac Religionem minimè spectantibus, summo Pontifici cum Principibus quibusdam Catholicis aliquando intercesserunt. *Professi' hæreticorum.*

***

QVOD PRINCIPIS AC REGNI AB ECCLESIA ET SEDE APOSTOLICA SEPARATIO

& à Catholica Religione defectio, sola sit causa periculorum omnium imminentium quæ Politici videntur formidare: quodq; Catholicis ac Romano Pontifici ista immeritò falsoq; tribuantur, qui etiam iniuria Regni vocantur hostes.

CAPVT VIII.

Impia Regis Jeroboam solertia. 3. Reg. c. 12.



EROBOAM Rex quo suum in decem Tribus regnum constabiliret firmiùs, operæ pretium se facturú putabat, si eas ab omni aliarum tribuum quæ in Iudæa remanserant, Deoq; in templo Hierosolymitano sacrificia iuxta legis præscriptum offerebant, societate & communione prorsus discluderet. Hanc ob causam nouos sibi suoque populo Deos excogitauit, nouas inuenit Dei colendi rationes, nouos ex infima plebe & inordinatos Sacerdotes creauit, loca denique noua in quibus Deus coleretur instituit. Timorem siquidem non improbabilem conceperat, si statis anni temporibus secundùm legem Dei ad templum Hierosolymitanum populus ascenderet Sacrificij immolandi, aliasque legis cęremonias peragendi gratia, ibique cum altera parte populi & Sacerdotibus societatem contraheret, illisque vt par erat, in rebus Religionis ac conscientiæ auscultaret; fore vt tandem ad Salomonis successores rediret, vel saltem multùm ad eam reconciliationem moueretur. Illud etiam videtur Rex ille suspicatus, si populum sibi in rebus tantùm ciuilibus haberet obtemperantem, esse se non perfectum sed inchoatum, & (vt ita loquar) dimidiatum quendam Regem, non aliter quàm Protestantes nostri (vt illi nequiter adulentur, cuius interitum moliuntur) de veteribus Angliæ & aliarum Prouinciarum Catholicis Regibus prædicare solent, eos nó nisi dimidiatos Reges in suis regionibus fuisse, si eorum potestatem cum regali huius *Augustissimæ* Maiestate longè lateque patente, & infra suum ambitum omnes causas non minùs spirituales quàm temporales, non minùs diuinas quàm humanas cóplectente cóparemus.

Ita

Ita quidē *Ieroboam* secum ipse deliberabat, ita quod deliberauerat confecit. Nec dubium est quin propterea à suis *Politicis* tanquàm præstantis ingenij & magnę prudentiæ Princeps vehementer fuerit commendatus. Verùm quod ab eo prudentissimè factum videbatur atq; ad sui status confirmationem vtilissimè, illud breui post tempore ad totius familiæ ruinam populique perpetuam calamitatem conuersum est, id quod & Dei Propheta prædixit, & euentus ipse paulò post comprobauit. *3. Reg. cap. 12. 13.*

Siquidem politica filiorum huius sęculi astutia, si cum vera piorum hominum sapientia conferatur, potissimùm cùm veræ virtuti & saluti animarum opponitur, semper manca est & imperfecta, tandemque in meram fatuitatem desinit. Nunquàm autem eius imbecillitas apparet euidentiùs, nec pestis quam suis sectatoribus affert magis est perspicua, quàm vbi contra ipsius Dei sanctissimas leges dimicat, vbi diuini spiritus ac veritatis ipsius potentiam labefacere, & Christi sponsæ eiusq; regni ac Sacerdotij statum & firmitatem laborat conuellere. Sic enim Babylonica illa turris à Gygantibus ædificari cœpta, perfici non potuit. Sic consilium *Achitophelis* dissipatum est, *Herodisq;* crudelissima fraus qua Christum in cunis occidere machinabatur, ne regnum ipsi posteà eriperet, authori nihil profuit, & Iudęorum consultatio qua in Christi mortē sceleratissimè conspirarunt, ad statum patriamq; suam à Romanorum incursione liberandam, consultoribus ad vltimam ipsorum stragem & internecionem cessit. Experimento didicit Saulus quàm sit *durum, contra stimulum calcitrare.* Exclamauit Iulianus Apostata, *vicisti Galilae,* (sic enim per contemptum homo nefarius Christum Dominum appellabat.) Denique verissimum illud est à Sapiente dictum: *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium aduersus Dominum,* & à Propheta, *Non est pax impijs, dicit Dominus.* *Humana prudentia, cùm Christo se opponit, mera est stoliditas* *Genes. 11.* *2. Reg. 17.* *Matth. 2.* *Ioan. 11.* *Actor. 9.* *Theod. Eccl. hist. lib. 3. cap. 20.* *Prouerb. 21.* *Esaiæ 57.*

Ex quo efficitur illos demùm Principes populosque verè esse vtroque in sæculo & hoc mortali & altero immortali beatos, eorum tantùm statum legitimum esse ac diuturnum, qui sua sceptra CHRISTI imperio submittere fideliter sunt edocti, suaque Regna ac Respublicas cum sacerdotio sanctissimaque sponsa illius coniungere, *per quem Reges regnant,* & de cuius Ecclesia olim Propheta cecinit, idq; verissimum esse omnium ætatum experientia ostendit, *Gens & Regnum quod non seruierit illi, peribit.* Hanc *qui non audierit,* necesse est nobis vt sit *tanquàm Ethnicus & Publicanus.* Eam qui spernit, eiusq; *Nulla Respub. felix & diuturna, sine religione Catholica.* *Prouerb. 8.* *Esaiæ 60.* *Matth. 18.* *Lucæ 10.*

pastores

Pastores contemnit, *Christum ipsum spernit, Deum ipsum contemnit.* Quicunque illius authoritatem in rebus præsertim fidei ac Religionis recusant, Regemque potiùs eligunt qui & corporibus & animabus regendis præsit, illi profectò non tàm Christi sacerdotes, quàm Christū ipsum à se repellunt; contra Christum dico ipsum insurgunt, ne quicquam in eos habeat imperij & authoritatis. Denique quisquis quod Dei est, reddit Cæsari, ac secularium Principum temporalem celsitatem, Sacerdotum noui Testamenti potestati spirituali ordine præpostero anteponit, Dei profectò ordinationi resistit, & aliquando tandem re ipsa experietur (quibuscunque interim humanis artibus, quacunque prudentia & potentia suas partes ad tempus sustinuerit) temerè admodum atque inconsideratè in hanc se arenam descendisse.

Vide 1. Reg. cap. 8. & 10.

Domus siquidem quam oppugnant, supra firmissimam & inexpugnabilem petram est ædificata, quam nullæ tempestates, Paganæ vel Hæreticæ, externæ vel domesticæ persecutionis, nulli ventorum imbriumq; turbines, nullæ fluminum inundationes poterunt demoliri; imò aduersus quam *nec portæ inferi præualebunt.* Ac nec forte *Nemrothi* isti, nouique Gygantes Euangelici perperàm dicta nostra interpretentur, seque ipsos in insana hac contra Ciuitatem Dei dimicatione fallant, ex D. Augustino intelligant *Romanæ Ecclesiæ Sedem & successionem,* illam esse *Petram* quæ ita diuino præsidio communitur, vt nullo modo possit expugnari. Sic enim scribit: *Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede, & in ordine illo Patrum quis cui successerit videte. Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.*

Inexpugnabilis petra Rom. Ecclesiæ.
Matth. 16.
Augustin. in Psal. contra partem Donati.

Electi ad hoc ædificium lapidis angularis ea est vis & natura, vt *super quem ceciderit comminuat eum, & qui super eum ceciderit conquassetur,* quemadmodum Prophetarum Christique ipsius testimonio constat. Nec modò verùm est nunquàm *deficere fidem Petri*, perpetuante nimirum eam iuxta promissum suum Christo Domino, sed & Apostolicum Ecclesiæ regimen Spiritu sancto dirigente, ad finem vsque sæculi permanere: quod iam olim Ethnicos Imperatores omnes patientia sua constantiaque superauit, contra quos Sacerdotij Christi in terris thronum, fideique ac Religionis tribunal summum, Deus ipse prouidentia sua collocauit, & omnipotente dextera continuauit in ipsa Imperij arce, aliquot annorum centenarijs post Christi ascensionem, quamuis interim Imperatores Romani, omni & ingenio, & arte, & prudentia, & etiam crudelitate contenderent ad eam

Lucæ 20.
Lucæ 22.
Ephes. 4.
Rom. Pontifices contra Rom. Imperatores præualuerunt.

Romanæ

Romanæ Sedis succeſsionem radicitùs extirpandam. Quin & ea ætate, Monarchæ illi ampliſsimi, Romanos Epiſcopos licèt miſerrimos & afflictiſsimos magis formidabant, eoſque in Ciuitate Romana moleſtiùs ferebant, quàm alium quemcunque potentiſsimum imperij ſui æmulum vel competitorem, vt de *Decio Imperatore* ac *Cornelio Pontifice* ſcripſit D. Cyprianus, qui quidem Pontifex, vt & cæteri illius anteceſſores, hac de cauſa martyrium paſſus eſt, *Cyprianus Epiſt. 52.*

Romana Sedes veteres omnes hæreticos & perſecutores deuicit. Eadem etiam promiſsione ſanctique Spiritus præſidio fulta, hæc *Sedes* profligauit veteres omnes hæreticos & hæreſiarchas longiſsimo interuallo Proteſtantibus iſtis, & authoritate, & potentia, & eruditione præcellentes, quorum etiam partes propugnabant non pauci certarum Prouinciarum Reguli, ſed Imperatores orbis terrarum, qui non minori atrocitate Epiſcopos, Sacerdotes, alioſque per vniuerſum Imperium Romanum Catholicos perſequebantur, quàm Proteſtantes modò principes quidam in ſuis territorijs eoſdem affligunt. Denique hæc *Sedes* omnes difficultates, omnes tempeſtates, omnes fluctus, ſcopuloſque domi & foris prętervecta, in hodiernum diem firmiſsimè ſtat (fruſtrà comminante, & ſudante, & coniurante, & terras inferoſque commouente toto Apoſtatarum grege) omnibuſque virtutis & ſolidæ gloriæ ornamentis eſt florentiſsima. Nulla vnquàm memoria eam Catholici Reges magis dilexerunt & honorarunt, nunquàm eam obſequentes Eccleſiæ filij ſtudioſiùs coluerunt, nunquàm deſertores & hoſtes eam vehementiùs timuerunt. Id quod inter alia multa obſtinatus iſte furor oſtendit, quo nunc quidam in Anglia noſtra miſeranda correpti, non tàm ſeipſos ſuſo tot innocentum hominum ſanguine ſaluos pręſtare putant, quàm abiectiſsimè, & ſeruili planè animo, de *Romana Sede* vindictam aliquam ſumere, & odium ſuum inueteratum in eam aliqua ex parte ſaturare: quam illi Sedem diuinæ aduerſus ipſos iuſtitiæ miniſtram quandoque futuram, deſertæque fidei ac Religionis Catholicæ pœnas ab eis exacturam, non ſine cauſa pertimeſcunt. Verentur enim ne fulmen illud Excommunicationis toties ab ipſis renouatum, quemadmodum in alijs prouincijs nunquàm euaſit irritum, ita in Anglia, vim ſuam aliquando ſit habiturum, quamuis paucorum annorum pace ac proſperitate elati adulatores quidam, domi populo omnem ſecuritatem polliceantur, paucisque mactatis Sacerdotibus, in portu ſe nauigare clamitent. Qui quidem ſi malis his remedium verum quærunt, cùm omnia circumſpexerint, nullum ſine quæſtione inue- *Inſatiabilis Anglorū furor erga Romanam Sedē, quam etiam valdè formidant.*

nient aliud, quo charißimam patriam ab interitu non spirituali modò, verùm etiam temporali liberent, quàm si humili pœnitentia ab Ecclesia Dei veniam supplices deprecentur.

Quamuis enim Ecclesiasticos omnes atque Catholicos è mundo exterminare possent, aut si ipsum Pontificem suis in carceribus captiuum tenerent, vt de eo pro sua voluntate sententiam possent ferre; imò quamuis tot Romanos Pontifices possent è medio tollere, quot occiderunt Sacerdotes, & quot illorum maiores, veteres intelligo fidei Christianæ hostes, interfecerunt Martyres, nunquàm tamen victoria potiri, nunquàm vltricem omnipotentis Dei manum possent effugere, qui sui numinis contemptum, hæreses, schismata, & apostasias, tandem grauißimis supplicijs vindicat. Quemadmodum nos ipse in sacris literis apertè monet cùm ait: *Ne dixeris peccaui, & quid mihi accidit triste? Altißimus patiens est redditor.* Reddit enim Deus, sed patienter admodum, & tum, vt scribit Augustinus, *tarditatem supplicij grauitate compensat.*

Ecclesiast. 5. Deus patiens redditor.

Neminem latere arbitror in veterum monumentis vel mediocriter versatum, quantam toti *Africæ* vastitatem infœlix *Donatistarum* secta attulerit, quomodo *Arrianorum* hæresis post tot tantosque tumultus toto penè orbe concitatos, tandem in *Mahometis* perfidiam desierit, quemadmodum Orientalis Ecclesiæ à Petri Sede separatio, plurimas illius clarißimas olim prouincias in miserrimam corporis atque animi seruitutem adduxerit. Nec minùs euidens est in quas angustias & extrema pericula, nobilißimum *Galliæ* regnum, *Germaniæq;* ac *Poloniæ* & *Belgij* Respublicæ valdè aliquando florentes, imò & pleræque omnes septentrionales Prouinciæ nobis finitimæ, pestilenti hæresis istius contagio, & scelerata sectatorū eius proditione coniectæ sint. Quarum miseriarum attenta consideratio ita nos afficit, vt sine lachrymis de *Angliæ* nostræ infœlicitate & terroribus qui eam circumstant, nec sine horrore maiori ad futuras eius calamitates animum intendere poßimus, cùm illud ex Regni nostri monumentis perspicuum sit, nullam esse nationem aliam quæ crebriores Reipub. totius mutationes subierit; neque verò vnquā huiusmodi aliquam violentam mutationem accidisse, nisi quam notabilis aliqua Ecclesię Christi contemptio præcesserit. Id quod ex plurimis quæ paßi sumus incommodis, & aliorum populorum in nostrum regnum incursionibus ac victorijs patet, atque ex ijs etiam quæ *Gildas* ille *Sapiens*, ac *venerabilis Beda*, alijq; viri prudentes literarum monumentis cōmendarunt, quæ breuitatis causa prætermitto. Illud

Hæreses quā fuerint & sint Regnis omnibus calamitosæ.

Illud vnum memorię ſempiternæ mandandum eſt, quando Angliæ Reges cum Romanis Pontificibus mutuis amoris ac beneuolentiæ honoriſque officijs coniuncti vixerunt, Ciuiliſq; magiſtratus cum ſpirituali Eccleſię Chriſti Republica ſuiſq; Paſtoribus, pace, charitate, & Chriſtiana animorum vnitate permanſit colligatus; tum demùm fœlicem & victricem fuiſſe Angliam noſtram, & bonis omnibus cum ſpiritualibus tum etiam temporalibus, diuini numinis largitate copioſè circumfluentem. Adeò vt vel ſola eorũ beneficiorũ recordatio quę ex tàm ſalutari cum EccleſiaChriſti conſpiratione in nos manarunt, mirifica quadam voluptate animos noſtros poſſet perſundere, niſi acerbiſsimus præſentis calamitatis ſenſus in quam impia hac Apoſtaſia incidimus, & illud & alia omnia in luctum atq; dolorem non conſolabilem conuerteret.

Hoc certè ſine controuerſia verum eſt, & à nemine negari poteſt. Quicquid Anglia ad gloriam rarũ ac ſingulare poſsidet in Eccleſijs, in ciuitatib⁹, in Academijs, collegijs, ſcholis, monaſterijs, bibliothecis; quæcunq; fuerunt ornamenta Reip. noſtræ, quæ inter cætera Europæ regna nequaquã poſtremũ obtinuit locum, ea ſimpliciter omnia, Catholica religio procreauit, Catholica religio peperit, Catholica religio perfecit & abſoluit, potiſsimũ verò illuſtres & ſancti noſtrę Nationis Epiſcopi. Quemadmodũ itemq; quicquid veræ pietatis, iuſtitiæ, religionis, fidei ac cõſcientiæ, pietatis ac timoris Dei, quicquid pacis, quicquid obedientiæ, quicquid veritatis & honeſtatis eluxit in vllo hoium genere, illud totum quantumcunq; fuit, nulli alij cauſę attribuendũ eſt, quàm piæ diſciplinę, potenti doctrinæ, multiplici gratię, & diuinis Eccleſiæ Catholicæ ſacramentis. Sicuti ex aduerſo, quorundã annorum experientia illud confirmauit, hanc bonorum operum, probitatis, & honeſtatis inopiã, hanc auaritię, libidinis, periurij, ſacrilegij, & aliorum ſcelerum omniũ abundantem & exuberantem copiam, à Proteſtanticæ doctrinę preconibus non ſolùm inutilibus, ſed etiam peſtiferis & exitioſis profluere. Qui occupatis per vim ac fraudem optimorum Eccleſię prelatorum Sedibus (quæ nec ab ipſis, nec pro ipſis vnquàm erant inſtitutæ) miſerabilem ruinam ac vaſtitatem Eccleſiaſtici ſtatus monumentis tota fortaſſe Europa pulcherrimis attulerunt, ſublatoq; tremendi Sacrificij quotidiano vſu, & antiquata peccatorum confeſſione, caſtitate, fide, obedientia, humilitate, omni deniq; morum vitęq; honeſtate, mortiferũ ſuę ab Apoſtolica Sede defectionis & nefandi ſchiſmatis fructũ ſatis ſuperq; oſtenderũt.

Quæ commoda & honores Angliæ religio Catholica contulit.

Fructus quos hæreſis Patriæ noſtræ attulit.

Hoc autem vt ad lectoris memoriam reuocemus, facit insolens & importuna aduersarij nostri iactatio, qui iterum atque iterum ad nauseam vsque inculcat fœlicitatem Reipub. Anglicanæ post hunc ab Ecclesia Catholica discessum, præsertim verò (inquit iste) *post Pontificias execrationes & fulmina, nunquàm enim copiam omnium rerum ad nostrā voluntatem affluentium fuisse vberiorem.* Nihil homo miser totus in terrenis sordibus demersus, de populi sanctimonia, de religione, conscientia, fidelitate, bonitate loquitur: hanc enim virtutum comparationem si fecisset, omnes, ipsi etiam Protestantes testarentur, tàm incredibiliter hanc ætatem à maiorum suorum integritate degenerasse, vt sine magno dolore commemorari non possit. Nunquàm enim in Anglia, tanta omnium scelerum colluuies extitit, nunquàm tanta iniustitia, nunquàm tàm iniquæ hominum bonorum oppressiones, latrocinia nūquàm plura, libido nunquàm effrenatior, luxuria nunquàm profusior, superbia, infidelitas, periurium, simulatio & dissimulatio nullo vnquàm tempore tàm impunè & impudenter grassata sunt. Et tamen profanus iste Diagoras quasi præter caducam hanc & terrenam vitam de alia aliqua nihil prorsus resciret, varijs in locis sui insignis libelluli repetit suorum in hac vita prosperitatem, *Nunquàm vixisse ciues in ampliori & securiore pace, vel ad maiores numeros excreuisse, vel morbis oblanguisse minùs, vel opibus & diuitijs firmiores fuisse, ipsum etiam terræ solum nunquàm maiorem fructuum vim & copiam peperisse, quàm post hæc immissa in Regnum Pontificia fulmina.* Non aliter quàm sceleſtissimus ille tyrannus *Dionisius* cùm templa multa expilasset, & mox nauim conscendens secundo vento nauigaret, *videtis* (inquit) *amici, quàm bona à Dijs nauigatio sacrilegis detur.* Eodem prorsus modo vir iste gloriatur, Reginam Angliæ *fuisse regnis suis, tot ijsdem annis perfruentem, quot quatuor simul Pontifices Romani vix compleuerunt, quintuplo autem superasse tempus Mariæ Reginæ, idq̃, tàm prosperè, nihil vt videatur addi posse ad tàm diuinam fœlicitatem, sic vt maximi Christiani Reges nullam sibi iniuriam factam putent, si fortunæ eorum cum eiusdem fœlicitate comparētur, quidam etiam rectè secum actum existiment, si inferiore etiam in gradu collocentur: nihil vt causa sit, cur omnes potestates Christianæ, non modò tuendum sibi tàm expressum diuini iudicij in Regina nostra exemplum, sed & suspiciendum quodammodò & eximio quodam cultu venerandum sibi proponant.*

Iustitia Britan. pag. 54.

Principale aduersarij argumentū pro religione Anglicana.

Ibid. pag. 52.

Cic. de Nat. Deorum.

Iustitia Britannica pag. 50. & 43.

Omnes Christianæ potestates adorēt fortunam Reginæ Angliæ.

Quas impuri hominis profanas cogitationes, & comparationes extra modum odiosas, absit vt Reginæ ipsi, vel prudentibus eius Cōsiliarijs tribuamus. Multò enim magis sine dubio prudentia valent, & con-

& consideratiùs istarum rerum fragilitatem ponderant, quàm vt paucorum annorum dominationem Regiam, aut aliam quamcunq; terrestrem fœlicitatem tàm pueriliter admirentur, quasi vel ipsa de se Regina propheticum illud vsurpare velit, *Sedeo Regina, & vidua non sum, & luctum non videbo:* vel sapientes eius Consiliarij hanc illius prosperitatem obstupescentes, illi applaudere, & (vt olim populus Herodi immensa superbia inflato) succlamare, *Voces Dei non hominis.* Cæterùm absit à nobis longissimè, vt de istis tàm barbarè existimemus. Neque enim ignorant quæ mox in Herode Dei iudicia secuta sunt, neque quod à Sapiente scriptum est, *Ante ruinam exaltatur spiritus.* Nec eos latet quanta sit rerum humanarum varietas & inconstantia, quàm repentini hominum fœlicissimorum in miserrimam conditionem lapsus. Legerunt opinor de Polycrate Samiorum Rege, qui cùm extraordinaria quadam prosperitate frueretur, ab amicis quibusdam præsertim verò ab Aegypti Rege admonitus est, vt sponte sua ipse sibi infortunium aliquod aut calamitatem accerseret, quia fieri vix poterat, quin illa tàm diuturna fœlicitas miserabili tandem casu terminaretur, id quod euentus quoq; declarauit. Quod exemplum in simili fortunæ secundæ cursu *S. Gregorius Nazianzenus* diligenti meditatione dignum esse prædicat, qui etiam aptissimè, *mundũ hunc vniuersum per circulũ quendam gubernari ait, iuxta illud scripturæ sanctæ: Potentes de sedibus deponit, & insuspicabilem diademate ornat.* Deniq; *B. Augustinus* sententiam (vt opinor) non improbabunt, qui Christiano homini nihil periculosius affirmauit, quàm diuturnam in continua prosperitate vitam agere.

Esaiæ 47. *Apocal. 18.* *Actor. 12.* *Diuturnæ fœlicitatis magnũ periculũ.* *Prouerb. 16.* *Polycrates.* *Nazianzen' ad Vitalia.* *Idem orat. 3. aduer. Iulia.* *Ecclesia. 11.*

Quamobrem tota ista inanis & magnifica ostentatio non aliunde quàm ab authoris huius petulanti vanitate proficiscitur, qui videtur eundem habere animum, cum hominibus infimis & Mysorum postremis, qui iuxta Prophetam beatos eos existimant, *quorum promptuaria sunt plena eructantia ex hoc in illud, oues fœtosæ abundantes in egressibus suis, bouesq; crassi: cùm non est ruina maceriæ, neq; transitus, neq; clamor in plateis eorum.* At qui verè Christiani sunt, longè alia lance veram fœlicitatem ponderant, & cum eodem Propheta dicunt, *Beatus populus cuius Dominus Deus eius,* sine quo & cuius extra domum, (quæ est Ecclesia) omnis humana fœlicitas nihil est aliud quàm grauioris damnationis materia, eaque si extraordinaria fuerit, magnum profectò sempiterni interitus argumentum.

Egregia aduersarij vanitas. *Psal. 143.* *Ibidem.*

Neque tamen velim quenquam hæc ita interpretari, quasi terre-

nam istam rerum abundantiam & copiam, siue in priuatis hominibus, siue in publicis rebus, inter præclara Dei beneficia non annumerem: nec quasi ex altera parte arbitrer hanc secundam paucorum annorum fortunam, cum constanti gloria & longè diuturniore patrum nostrorum fœlicitate, vllo modo esse comparandam. Sed illud tantùm volo, ex his fortuitis casibus, nullum vel certum vel etiam probabile argumentũ diuini fauoris erga fortunatos posse deduci, cùm ista mundana commoda bonis cum improbis, religiosis cum infidelibus, & Turcis cum Christianis sint communia, imò frequentiùs prouidentia diuina in homines deteriores conferuntur. Sæpè enim in hac vita *Lazarus mala recipit*, & *diues epulo bona*. Sæpè tyranni triumphant de *populo Dei* & *ciuitate sancta*. Sæpè Antiochus diripit *templum Dei, Sanctum sanctorum*, & manubias à veris Dei cultoribus ablatas amandat in regnum suum: cùm interim fideles in hac afflictione, magnam Dei misericordiam cognoscant & prędicent. *Etenim multo tempore non sinere peccatoribus ex sententia agere, sed statim vltiones adhibere, magni beneficij est indicium. Nō enim sicut in alijs nationibus Dominus patienter expectat, vt eas cùm iudicij dies aduenerit, in plenitudine peccatorum puniat, ita & in nobis statuit, &c.* Et tamen hoc argumentum à rebus secundis sumptum, Libelli huius authori valdè Theologicum visum est, quo plebi nihil ferè nisi præsentem hanc vitam & voluptates, commoda, & iucunditatem consideranti persuaderet, Deum ipsis mirabiliter fauere, eorumque multiplices hæreses & teterrimam Apostasiam esse cultum illi gratissimum.

Lucæ 16. *Ierem. 52.* *1. Macha. 1.* *2. Macha. 5.* *Ibid. cap. 6.*

Examinatur vtrum Anglia in mundana aliqua sit prosperitate.

Cęterùm vt insolentem hominis vanissimi gloriationem pleniùs reprimamus, respondemus simpliciter non eam esse Angliæ nostræ fœlicitatem hoc tempore, quam iste nostratibus qui domi sunt rudioribus, & externis hominibus nostrarũ miseriarum ignaris ostentat. Nam tametsi perpauci si cum alijs conferantur (nequaquàm certè tertius quisque in toto Angliæ Regno) ita se ipsos conformarunt ad præsentem temporum conditionem, vt compressis conscientiæ stimulis, neglectaque religionis cura, ad participandas quæ offeruntur opes & voluptates sese accommodent, & innumerabilibus Catholicis honestissimisque viris spoliandis seipsos locupletent, ideoq; statum hunc terrestrem quendam Paradisum existiment, quando sua tantum sentiunt incommoda: nos tamen qui exploratè cognoscimus, multò maiorem Regni partem cuiuscunque generis & ordinis afflictam esse, vastatam, exinanitam bonis omnibus, & cum

ipsis

ipsis posteritatem quoque totam extremis miserijs perculsam & prostratam, vt ex eorum ruinis aditus fieret alijs ad hanc fœlicitatem de qua vir iste tantoperè triumphat, non possumus non apertissimè cōtestari totum Reipublicæ nostræ corpus, nunquàm generaliter vllis temporibus calamitate horribiliori fuisse oppressum.

Primùm enim vt de ordine Ecclesiastico loquamur, qui & fuit semper, & nunc etiam est, vbicunque locum suum tenet, & in omni certè Christiana Repub. esse debet, honore & dignitate primus, quique in nostra patria, siue numerum spectes, siue eruditionem, siue prudentiam, siue aliquam quamcunq; excellentiam, nulli profectò totius Europæ Clero concedebat: hic ordo penitùs est deiectus & obtritus, euersi bonis omnibus & honoribus. Episcopi cæterique Prælati, alij contrusi in carceres, alij in exilium pulsi, ad vnum omnes ferè ærumnarum longitudine ac magnitudine consumpti. Isti igitur tot tantique viri, quibus & DEVS, & natura, & natales etiam sui destinauerant aliquam partem huius adeò in immensum prædicatæ fœlicitatis, nullam eius particulam gustant; sed propter solam conscientiam & veritatis confessionem, quam veluti sacrum quoddam *depositum* à maioribus sibi commissum acceperunt, terrenam fœlicitatem omnem perdiderunt, & vel iam olim vita defuncti sunt, vel tot annos calamitosos transegerunt, quot illi prosperos ac iucundos duxerunt, qui eorum occuparunt loca, verè *filij huius sæculi qui nubunt & nubuntur*, carnales nimirùm & inordinati Apostatę, Ministriq; abiectissimi, qui aliorum Sedes adepti, hanc fœlicitatem non iniuria commendant, qua fit vt veri Domini in miseria & mendicitate contabescant, dum latrones de eorum bonis iniustissimè partis luxuriantur.

Veteres Episcopi & clerici Catholici, quàm miseri.

1. Tim. 6. 20.

Luca 20.

Noui Superintendentes.

Secunda Admonitio ad Parlamentū in præfat. & pag 20. 23. 24. 32. 55.

Qui tamen si aliquid in se honestæ indolis aut generosi spiritus haberent, secumque perpenderent, quàm carè tum Pseudoëpiscopi episcopatus, tum reliqui inferiores sua (quæ vocantur) Ecclesiastica beneficia compararent, quantum prætereà de veteribus fundis & censibus decerpatur, quàm varijs annuatim pensionibus, decimis, subsidijs, gratuitis muneribus, necessariò tamen persoluendis exhauriantur, quàm seruiliter viuant obnoxij plerisq; Aulicis, & multis ex media vel infima sæpenumerò nobilitate, nunquàm ita insolenter fortunas suas efferrent, nisi quòd hominib^9 huiusmodi, *Omnis panis dulcis est:* & qui ad integras Episcoporū possesiones, imò ad vnū teruntium ius sibi nullum fuisse cognouerunt, lautè & liberaliter

Ecclesia. 23.

ſe tractatos putant, ſi partem aliquam quibuſcunque modis potuerint inuadere.

Sed vt hos mittamus, & ad alteram Reipublicæ partem oculos conuertamus, omneſque hominum ſæcularium ordines per vniuerſum regnum animo ac cogitatione luſtremus, multis magniſque argumentis ac coniecturis perſpiciemus ita affectam eſſe Rempub. Anglicanam, vt ea ſi in tres partes diſtribuatur, vna fortaſſe variis Proteſtantium generibus poterit aſsignari, duæ verò vt minimùm ad Catholicam fidem voluntatis inclinatione propendent, atque idcircò huius Anglicanæ fœlicitatis ſuauitatem nullam percipiunt. Ex quo Catholicorum numero etiamſi permulti mundanis curis impliciti, vel legum terrore coacti, religionem ſuam diſsimulant, & hæreticas Eccleſias frequentant, tamen quia varijs modis cognoſcuntur eorũ voluntates & intimi ſenſus, propterea apud Proteſtantes in magno ſunt odio & diffidentia, & ſine exiſtimatione, ſine dignitate, ſine gratia, multis cum iniurijs viuunt ignominiosè, eorum facta curiosè obſeruantur, cum quibus agunt, quid moliuntur, adeò vt iſti in perpetua ſolicitudine degant. Quoad conſcientias verò, multò ſunt infœliciores, dum in nouę huius fidei articulos abſurdiſsimos, verbi gratia, Reginæ *Regalia*, Primatum Eccleſiaſticum, & alia permulta iurare coguntur, quę illi falſa, impia, & in religione Chriſti planè monſtra eſſe firmiſsimè credunt, dum neceſsitate adducuntur vt corrupta illa Sacramenta accipiant, quæ eorum conſcientia vel maximè auerſatur, quæq; venenata & mortifera eſſe norunt tum animabus ſuis, tum etiam amicorum chariſsimorum qui in illorum gratiam ijſdem Sacramentis communicant, dum inuita conſcientia perditiſſimos illos Miniſtros audire & conducere compelluntur, qui nihil aliud quotidiè legunt, loquuntur, concionantur, quàm meras blaſphemias in Chriſti Vicarium, Eccleſiam, Sacramenta, Sanctos, & quicquid omninò in cœlo & in terra eſt ſacroſancti. Denique dum non ſolùm in hac anxietate lamentabili, propter legum acerbitatem viuunt, ſed etiam (quod eſt omnium miſeriarum caput) in hac conſcientiæ carnificina extremum ſæpenumerò ſpiritum effundunt. Quare iſti, vt perſpicuum eſt, prorſus expertes ſunt huius beatitatis de qua agitur, imò verò in maximis angoribus vitam ducunt, optantque crebrò multis cum lachrymis (cuius ipſi auriti & oculati teſtes ſumus) vt Regina medietate ſuorum bonorum contenta, liberum eis ſanctorum Eccleſiæ Sacramentorum vſum quamuis occul-

Diuiſio Anglorũ quoad religionem.

Calamitas ſemiCatholicorũ, id eſt, qui mente ſunt Catholici, hæreticorum tamen congregationes adeunt.

Conditio lamentabilis.

tum & clandestinum concederet. Neque rarò timiditatem suam deplorant, vxorumque & liberorum fortunam, quorum naturali charitate impediti, vt necessarium eis præstent auxilium, inuiti quodammodò & reluctantes in tàm pestilenti schismate viuunt.

De sinceris verò ac constantibus Catholicis quid dicam? quorum maxima est in vniuerso Regno multitudo, mirificeque indies, Deo seruorum suorum laboribus cooperante augetur; qui cum probè intelligant non satis esse vt quis *corde credat ad iustitiam*, nisi etiam cùm tempus est, *ore confiteatur ad salutem*, Christumq; audiunt dicentem, *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor eum coram Patre meo qui in cælis est: qui autem negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo*, hi certè qui non minimam Regni Anglicani partem efficiunt, & in varia genera dispertiuntur, nonnullos summæ nobilitatis heroës, multos admodum honoratos, illustres, locupletes; reliquos optimos & honestissimos, omnibusque illis apud quos versabantur charissimos, horum nec vnus aliquis istam aduersarij singularem fœlicitatem vel extremis (quod aiunt) labris degustauit, quin potiùs multos iam annos tantas miserias, damna, & detrimenta sunt perpessi, vt ea nullius lingua, nullius ratio possit exprimere, nec nos fratresque nostri vel minutissimam eorum partem, vllis adhuc literis, epistolis, picturis, & imaginibus sumus assecuti.

Verorũ Catholicorum summa miseria.

Roman. 10.

Matthæi 10.

Quòd si Catholici omnes in Europa fratres nostri ea possent mente & intelligentia complecti, quæ sancti isti Confessores facto & opere quotidiè experiuntur, nosque ipsi persæpè oculis nostris intuemur, equidem non dubito quin pro nostro adeò miserabili statu vim quandam lachrymarum profunderent, assiduisque precibus (quod & illos facere speramus) misericordiam diuinam nobis implorarent. Si carceres omnes teterrimos Catholicis hominibus refertos, si vincula, si compedes, si eculeos, si inusitata hominum cruciandorum instrumenta per vniuersum illud regnum in Catholicis excarnificandis occupata cernerent, si formam eos ad tribunalia adducendi inter homines perditissimos & maximè infames contemplarentur; si quàm multi fame, inedia, & pædore carceris sint consumpti, quàm multi palàm crudelissimè necati, quàm multi post bonorũ publicationem ad perpetuos carceres damnati, quàm multi funditus exhausti vel miserè spoliati, dum pro *singulis Missis auditis, centum marcas* Reginæ persoluunt; quàm multi viri aliquando nobiles, aut aliàs pecuniosi, ad extremam sint mendicitatem redacti, dum annuatim

Infinitæ Catholicorũ in Anglia afflictiones.

222 coronat. & paulò amplius.

nuatim

Ecc. coron. nuatim *ducentas sexaginta libras Anglicanas* Reginæ pendunt, *eò quòd hæreticorum Ecclesias & conciones adire recusant*; quàm multi facultates omnes totamque hæreditatem paternam amiserint, quia religionis causa Angliam deseruerunt & in alias Regiones profugerunt; quàm multi in varijs Regni prouincijs, ijq; valdè diuites & maximè erga pauperes benefici, suis ex ædibus, exploratorum, lictorum, apparitorum improbitate eiecti, quàm multi in locis incognitis peregrinentur, compulsi sæpenumerò in syluas, in montes, imò in paludes, vt insequentium hæreticorum furorem euadant; quàm multa amantissima coniugatorum paria alterutrius fuga, exilio, aut captiuitate inuitissimè distrahantur, quàm multæ perhonestæ familiæ hac ratione prorsus dissipentur, quantam ad pauperiem redacti liberi, quantus numerus hac eadem necessitate extra patriam pulsus, vel ad incerta variorum bellorum pericula desperatè ruat, vel maturiùs de statu suo deliberans, ad Seminaria, Academias, vel alia studiorum aut Religionis loca se conferat, ne tantas parentum, fratrum, familiæque suæ ærumnas oculis contueatur (labyrinthum quendam ingressus sum lector, vel potiùs immensum pelagus, vnde me nunquàm expediam, si omnia velim enumerare genera mortis, tormentorum, afflictionum, quibus nostrates Catholici ij qui meliore sunt loco, domi indies, imò & in horas conficiuntur) hæc si cuiusquam oratione possent particulatim & ad lectoris intelligentiam euidenter describi, faciem nobis inferni cuiusdam horroris repræsentarent, potiùs quàm diuinæ illius fœlicitatis, cuius adeò crebra mentione vir iste lectorum aures obtundit. Inferioris verò conditionis homines, agricolæ atque opifices (quo in genere Catholici sunt penè innumerabiles) cùm pares non sint soluendo impiam illam mulctam quæ pro Missis auditis penditur, multò minùs numerare possint illam grauiorem menstruam summam, quæ à Catholicis Protestantium congregationes adire recusantibus exigitur, isti barbarè & crudeliter per publicas plateas flagellis conciduntur, quod & alijs in locis, & nuper in *Ciuitate Vvintoniensi*, multis fortissimis Confessoribus factum est. Nonnullis aures candenti ferro perforantur, alijs penitùs abscinduntur, alijs alia tormenta inusitata inferuntur. Et in hunc modum plerique omnis ordinis ac sexus Catholici immaniter excruciantur.

Ioan. Vvestby vir honesto loco, hybernum ferè tempus totum in palude aurium tenus stare, & sæpe caput immergere coactus est, vt se à persecutoribus occultaret.

At ordo ille, quem in partitione nostra fecimus tertium, *Protestantes vz*, nihil sub istis Rectoribus ad perfectam fœlicitatē desiderant.

Ita

Ita quidem videri posset, & est sanè admodum credibile, sed tamen vt veritas elucescat, & vera ratio Anglicanæ gubernationis meliùs percipiatur, paucis istorum conditionem attingemus. Isti autem *Protestantes* cùm sint in duas sectas ferè æquales diuisi (minores enim sectulas permultas ex vtrisque enatas præteriemus) quorum alij vulgari religione quam primum Reginæ Parlamentum stabiliuit contenti, nihil inquirunt vlterius, sed in ea fidem suam & spem (si quam habent) salutis æternæ collocant, vnde *Protestantes Parlamentares* non iniuria dicuntur: alij verò eam religionem vt impuram & contaminatam, & tanquàm Chymeram quandam aut Minotaurum, partim diuinam, partim belluinam, ex multis articulis bonis & Euangelicis, pluribus autem impijs & Antichristianis conflatam abominantur, isti *Protestantes* qui propter puritatem quam præ se ferunt vocantur *Puritani*, & melioris putantur esse conscientiæ & maioris zeli, qua tandem beatitudine perfruuntur? Qui multis iam annis contestati sunt, eam religionem ad quam amplectendam legibus deuinciuntur, continere *errores apertè intolerabiles*, *& manifestam defectionem à Christo*; qui à nouis *istis Magistratibus non aliter quàm à Pontificibus Romanis verbum Dei* clamitant esse *circumcisum & alligatum*, *vt nihil ex eo proferri possit quod istorum placitis aduersatur*; qui prædicant *Sacramenta esse impiè corrupta & profanata*, statas in Ecclesia preces nihil continere nisi *fædos abusus, varias ac impias battologias, mendacia aperta, stoliditates vel manibus tractabiles, aliaq; multa cum scripturis diuinis pugnantia, Papæ Romani nomen solùm mutatum esse, cùm authoritas eius translata sit* ex Italia in Angliam, à Rom. Pontifice *ad Cantuariensem Archiepiscopum*, reliquos sub eo *Pseudoèpiscopos omnes, meras esse reliquias seminis Antichristiani, eosq; bellum inducere Christo, omniq; verè Christiano ita de illis sentiendum esse, tanquàm iuratis inimicis Ecclesiæ Christi*: qui propter has fœdissimas religionis maculas, palàm denuntiant Reipublicæ Anglicanæ rectoribus *tolerabilius fore Sodoma & Gomorrhæ in die iudicij quàm illis, nihil aliud expectandum esse quàm præsentem Dei vindictam super vniuersam illam Regionem, quanquàm Politici isti Angliæ Machiauelliani contra Deum ipsum satis se putant esse munitos*; & *quando cum Christo non sunt, perinde esse ac si contra ipsum essent, ideoq; iam siue partes tueantur Iudæorum, siue Turcarum, siue hypocritarum Angliæ Protestantium, nihil esse discriminis*: qui propter sinceram veritatis confessionem queruntur, *multa fratrum suorum millia capitalibus actionibus inuolui, mulctis crudelibus ad extremam inopiam redigi, suffocari in carceribus, perire fame, grauissimas vexationes sufferre, istamq; Reginam induci* ad per-

Protestantium in Anglia duæ sectæ notiores.
Noua Anglorum religio, Protestantibus ipsis qualis videatur.
Protestantium puriorum de suis miseriis querimonia.
Secunda Admonitio ad Parlamentū.
In præfatio.
Ibid. pag. 7.
Pag. 42.
Pag. 14. 38. 39. 40. 41.
Pag. 34. 35.
Ibi. pa. 3. 4.
Pag. 8.
Iudæi, Turcæ, & Protestantes Angliæ.
Ibi. pag. 10. 26. 35. 37. 43. 59.

ad persequendos Euangelij Professores non aliter quàm pater eius Henricus 8. *inductus est ad persequendos sui temporis Protestantes:* hæc qui conqueruntur, & tàm liberè contra Angliæ moderatores inuehuntur, varijsque emissis Libellis hæc omnia iterum atque iterum inculcarunt, nec isti opinor beati dicendi sunt, aut huius fœlicitatis aliquo modo participes, qui diris legibus & supplicijs ab Euangelio Christi abstracti, ad religionem tàm corruptam & inquinatam alligantur. Et tamen doctissimus iste scriptor communi hæreticorum cuiuscunque generis more, magnam suæ fœlicitatis Anglicanæ causam in eo positam suspicatur, quia Regina *æternum æterni filij Dei Euangelium tutatur*, quia nimirùm talibus Theologis, illud totum est *æternum æterni filij Dei Euangelium*, quod pro tempore, mutabili & incertæ mortalis & caduci Principis voluntati est gratum; cuius exemplum nostra ætate, sola Anglia illustri experimento toti Europæ demonstrauit.

Euangelium Anglicanū. Iustitia Britannica. Pag. 51.

His ergò & alijs mille modis qui à nobis recenseri non possunt, cùm Catholici qui & meliorem & maiorem etiam partem Anglicanæ nationis efficiunt affligantur, idque propter solam Catholicam Maiorum suorum fidem (quemadmodum de præcipuis Ecclesiasticis Libelli author palàm fatetur, atque etiam de permultis laicis, *in quos hactenus non esse* propterea *durius consultum ait*, perindè ac si libertatis, dignitatis, honoris & fortunarum omnium amissio, nulla esset *duritia) nec Catholici* modò, sed etiam *Protestantes* ij qui nolunt conscientias suas huc atque illuc ad aliorum imperium versare, & eas simpliciter ad Principis voluntatem religionemque conformare, ijsdem incommodis conflictentur, adeò vt istis quas dixi miserijs infinita hominum multitudo obruatur: hanc nos Rempubl. beatam dicemus? hunc statum fœlicem? omnia esse in Anglia tranquilla, florentia, & fortunata vbi reuerà perpauci aliorum spolijs locupletati regnant? vbi perpauci dico, si cum ingenti aliorum numero comparentur, facultates, officia, dignitates & opes totius regni inter se diuiserunt? Vbi isti, perindè ac si armatis exercitibus plenaque victoria regnum illud subiugassent, in eoq; Monarchiam sibi constituissent, omnia per homines quosdam sibi gratia & familiaritate deuinctos administrant, ad nobilissimorum & verissimorum regni Procerum damnum, direptionem, atque internecionem, an est quisquam adeò mentis inops, qui in hac Babylonica captiuitate Rempublicam beatam ac fœlicem prædicet?

Ingens, longè maioris in Anglia partis, calamitas. Pag. 23.

Et tamen ista paucorum hominum conditio, qui maxima Reginæ leni-

Quid iam ap-

næ lenitate, & Catholicæ religionis in hæresim commutatione, fortunas suas in immensum auxerunt, Anglicani *Status* nomine apud Protestantes vocatur, eorumq; abundantia, otium & securitas, illius *Status* & totius Regni fœlicitas censetur: cùm verà regni cuiusq; fœlicitas non minùs in subditorum, quàm in ipsius Regis prosperitate consistat, eaque demùm Respubl. fœlix dicenda sit, in qua improbi homines, latrones, hæretici, homicidæ, aliæque id genus pestes, miseri sunt atque ærumnosi, pœnasque à legibus præscriptas sustinent, non autem vbi Dei Sacerdotes, verique Catholici, ad quos ab iniuria defendendos, & leges & Reges omnes sunt instituti, flagitiosissimorum hominum ludibrio ac libidini exponuntur, perpetuisque iniurijs ac contumelijs vexantur. Quæ cùm ita sint, cumque pars Regni longè maior ac melior in hac intoleranda infœlicitate iaceat, qua nulla vnquàm post Christum natum extitit calamitosior, eaque non temporali modò, verùm etiam (quæ longè est grauior) spirituali, neminem esse arbitror qui non facilè videat inanem esse prorsusque ridiculam hanc aduersarij de Anglicana fœlicitate ostentationem.

pelletur Status Angliæ.

Vera Regis fœlicitas.

Sed vt *Politicum* hunc, aut si mauis *Atheum* apertiùs refellamus, qui sęculari fœlicitate metitur omnia, & *Pontificium* illud *Anathema*, vel in Anglia fuisse irritum, vel etiam in benedictionem commutatum affirmat, ob prosperos variarum rerum successus qui posteà sunt consecuti, seponamus ea quæ hactenus ostendimus de immensa hominum multitudine in illis miserijs demersa, & alium orationis cursum ingrediamur. Fingamus ergo ad clariorem propositi nostri demonstrationem, vt olim *Octauiani, Antonij, & Lepidi* triumuiratus *Romani Imperij* Maiestatem totam absorbebat, sic nunc *Reipublicæ Anglicanæ* summam & vim omnem in certis Protestantibus esse positam, & eorum opes atque potentiam totius esse Regni fœlicitatem, hoc tamen posito & liberaliter concesso, confidenter isti adulatori asseueramus, illudque omni homini non nimiùm pertinaciter in susceptis opinionibus defixo confirmabimus, Remp. nostram post tempora *Gulielmi primi* quem *Conquestorem* vocamus, nunquàm tàm varijs & desperatis periculis fuisse inuolutam, nullamq; esse in orbe Christiano Prouinciam quæ nostra non sit multò fortunatior, quanquàm Politicus iste pro sua mirabili prudentia, auguratur earum nullam esse quæ non præclarè secum actum existimaret, si fœlicitatis Anglicanæ partem aliquam posset adipisci.

Vniuersalis Angliæ calamitas, quam hæresis inuexit.

Hoc quod dico, difficile est persuadere adolescentulo imperito,

incendijs conflagrarent; ita tamen Deus hæc eorum mirifica consilia stultitiæ & fatuitatis conuicit, eaque sursum deorsum vertit, exitus planè contrarios & inopinatos illis tribuendo, omnes vt iure admirentur prouidentiam diuinam, quantum ea ab humanis cogitationibus differat, quantumque sit interuallum inter sana hominum verè prudentium consilia, & vafra aliorum versutaque ingenia ac præcipites actiones, qui in rebus gerendis ad priuatam & præsentem commoditatem omnia referunt, nullam autem vel publicæ salutis, vel posteritatis secuturæ rationem sibi habendam existimant.

Anglorum fraudulenta consilia dissipata à Deo.

In Scotia. An non videmus sceleratas eorum molitiones in *regno Scotiæ* diuinitus esse dissipatas, Deique ipsius sola bonitate rem totam eò esse deductam, vt à scopo quem illi sibi proponebant, nihil potuerit esse alienius, nihil magis contrarium? An non idem illis accidit in *Regno*

In Gallia. *Galliæ* sub tribus fratribus inuicem sibi succedentibus? vbi post tot susceptos labores, tot profusos sumptus, tot strages editas, nihil aliud quàm oleum & operam perdiderunt? Quem verò exitum eorum

In Flandria. conspiratio cum *rebellibus Belgis*, aut cum *Apostata Coloniensi*, alijsque alibi eiusdem farinæ hominibus sit habitura, videre ipsi incipiunt, in eoque perspicuè (si velint) vnà cum alijs omnibus vel mediocris iudicij, prouidam, iustam, & potentem Dei Opt. Max. dexteram poterunt suspicere. Hæc cùm secum Protestantes nostri consideratiùs expendunt, videntque omnes suos extraordinarios conatus finibus tàm insperatis concludi, eoque se reductos vt quò se vertant planè ignorent, neque verò in incœpto cursu progredi possint sine totius Reipub. ingenti periculo & certa ruina, iudicent obsecro viri prudentes, quantis curis, quibus timoribus, quibus cogitationum fluctibus eos iactari necesse est, quamuis anxietatem suam fractosque animos vt occultent, vulgò plausibilia multa prædicent, de serenitate aëris, de frugum abundantia, & numero iumentorum, de Reginæ in imperio diuturnitate omnes sui temporis Pontifices & Principes superante.

Occulti Protestantium Anglorum timores.

Cæterùm, si fontem quærimus ex quo manarunt illæ priùs memoratæ infames & flagitiosæ machinationes, quas exceperunt istæ extremæ formidines & miseriæ, quæ vel ipsis inuitis erumpunt ad omnium cognitionem, neque verò ab ipsis dissimulari possunt, licèt hanc anilem de prosperitate rerum surdis canant fabulam, vera istorum omnium radix & caput fuit, discessio à *Deo patrum suorum*, & religionis Catholicæ in *Caluinismum* aut veriùs *Atheismum* cómutatio,

Vera origo Anglicanæ calamitatis.

per

per quam tot iam annos Anglia nostra continenter perit. Hic est ille equus Troianus qui patriam nostram perdidit, quamuis & istius Libelli author, & nonnulli alij scriptores Anglicani (infantibus aut bestijs nihilò prudentiores, qui virgis & fustibus quibus cæduntur irasci solent, ad causam autem vel authorem verberum non respiciunt) suarum miseriarum & terrorum causam omnem reuocant ad Excommunicationem Pontificis, piaq; officia sacerdotum, quietè admodum ac pacatè populum in doctrina salutis instituentium.

Quantum verò hæc nefanda à Catholica fide & Christiani orbis communione Apostasia Deum offenderit, quamq; illud inconsideratè factum fuerit, etiamsi nihil aliud præter eorum statum temporalem & Principis Reiq; publicæ tranquillitatem perpendatur, ipse Deus toti mundo luculenter ostendit, illis ipsis tàm inexpiabilis fraudis authoribus viuis adhuc & vidétibus: quanquàm aliàs ea fuit sceleris concepti fœditas & magnitudo, vt etiamsi omni prorsus conscientiæ ac religionis sensu destituti fuissent, vel communis tamen ratio & experientia eos potuisset edocere, ex tàm venenato semine nihil salutare fore procreandum. Sed priuatæ (proh dolor) vtilitatis studium & infinita ambitio (quibus stante religione Catholica, satisfieri non posse arbitrabantur) vel eorum intelligentiæ tenebras offuderunt eosque in errorem hunc impulerunt, vti sæpenumerò vsu venit; aut potius (quod item peruulgatum est) eædem causę istos adeò transuersos egerunt, vt repugnante conscientia illud sequerentur, quod siue temporalem siue spiritualem vtilitatem respicias, Reipublicæ futurum erat maximè perniciosum.

Rationes quibus ostenditur imprudēter à Politicis mutatam fuisse religionem Catholicam.

Quis est enim adeò rationis atque iudicij expers, omniumq; rerum ignarus, vt non probè sciat magnas omnes mutationes Rebus. pub. admodum esse periculosas? Si quis Parlamentaria vestra Statuta legesque municipales mutare velit in leges Ciuiles, si consuetudines quibus Respub. vestra plerisque in rebus dirigitur, abolere & nouas introducere, si Monarchiam vestram in aliam Reipub. administrandæ formam conuertere, quantos obsecro tumultus, quantam rerum omnium perturbationem excitari necesse est? At verò nulla mutatio adeò est periculosa quàm religionis, idq; religionis illius, quæ à primis nostris Apostolis fundata, recepta ab Ecclesiarum totius orbis Christiani matre, confirmata miraculis, comprobata Ecclesiæ Catholicæ legibus, Concilijs, Synodis, iudicijs, ac inueterata omnium temporum consuetudine, cum obtinuit apud omnes

Omnis in Rerpub. mutatio periculosa, præsertim verò religionis.

Chriſtianos iuſtum honorem & venerationem, vt nulla vnquàm poſt Chriſtum natum religio alia, habita fuerit Deo grata, & ſacroſanctō eius verbo conſentanea. Quodnam tandem conſilium hoc vno potuit eſſe peſtilentius? Neque verò potuerunt Politici iſti tàm ſtupidi eſſe, vt non aduerterent ſubditos Regni hanc innouatam fidem moleſtiſsimè laturos, quorum tàm multi erant Catholici nuperrimè Eccleſiæ reconciliati, qui ſolenni miſſa legatione, voto ac iuramento Apoſtolicæ Sedi factō ſanctiſsimè receperant, nunquàm ſe deinceps ad priſtinum Schiſmatis vomitum reuerſuros. Nec latere eos potuit quantum ea res mœrorem illis omnibus eſſet allatura, qui à veteri Eccleſiaſtico ordine toti patriæ admodum venerando aliquid habebant opis & ſubſidij, cùm iam illi oculis ſuis aſpicere cogerentur, viros tàm ſanctos, liberales, ac beneficos, eiectos domibus, euerſos bonis, incluſos carceribus, & in eorum locum ſubrogari venereos quoſdā Superintendentes & libidinoſos Miniſtros, quos eo quidē tempore pauci admodum probabant, nunc autē dies ipſe & experientia oſtendit, eſſe eos verè Regni totius fęcem & ſentinam.

Catholicæ Religionis mutatio Anglis moleſtiſſima.

Excommunicationis periculum.

Non ignorabant, ſummum Pontificem altera iam vice tàm contumelioſè deſertum, à conſueta Eccleſiaſticæ diſciplinæ virga, Excommunicatione videlicet, contra delinquentes non eſſe ſemper temperaturum, quin eam vel propriæ conſcientiæ ſtimulus, vel officij ratio, vel Sedis Apoſtolicæ dignitas tandem aliquando extorqueret. Quam ſententiam etſi illi falſa religione deprauati ſtatuiſſent contemnere & potentia ſua ad tempus propulſare, tamen non adeò erant improuidi, quin aduerterent varias inde domeſticas ſeditiones probabiliter exorituras, quando talibus Cenſuris plurimæ domi ſubditorum conſcientiæ percellerentur, & externus aliquis Princeps captata temporis opportunitate, eiſdem Cenſuris ad ſuum emolumentum fortaſsis eſſet vſurus.

Non ſatis probè ſubduxerunt rationes ſuas, ſi non attendebant ex hac tàm turpi & dedecoroſa reiectione Pontificis, arctō religioſæ amicitiæ fœdere cum Catholicis omnibus ac potentiſsimis Principibus Chriſtianis coniunctiſsimi, eorum quoque animos à nobis alienari potuiſſe, ex eoque magnam Patriæ noſtræ malorum & periculorum ſegetem ſuccreſcere. Ipſe ſenſus vel recordatio cruentiſsimorum bellorum quæ patrum noſtrorum memoria in *Heluetia* & *Anglia* ſub *Henrico* 8. & *Edouardo* 6. propter religionem geſta ſunt, & ancipites talium præliorum euentus eos præmonere debuerant eadem

Inteſtina bella.

dem

dem in posterum accidere potuisse, quemadmodum reuerà acciderunt tum in *Anglia* tum in *Hybernia*: vbi cùm regio tota ad Catholicam religionem admodum sit propensa, non erat laboriosum præsensisse, quàm intolerabili cum conscientiarum tormento, & manifesto bellorum ciuilium discrimine, ad nouam religionem amplectendam populus ille esset pertrahendus.

Subditi propter terrorē solùm obedientes. Certum est enim axioma, *Metum diuturnitatis malum esse custodem*, cumque non minùs certum sit Principem nullum tàm securè subiectum sibi populum gubernare violentia & terrore, quàm amore & beneuolentia, quomodò non venit illis in mentem *Hyberniam* totam, magnamq; *Angliæ* partem, nulla vnquàm charitate, sed vi summa & tanquàm hostili imperio in obedientia esse continendam? Illud verò maioris est periculi, atque à nouatoribus istis inprimis erat ponderandum, hanc quam ipsi inuexerant religionis varietatem, maximè cùm simul accederet Excommunicationis sententia, multorum animos aliàs Principi addictißimos ita concutere & permouere potuisse, vt deinceps non ex conscientia libera, sed seruili potius necessitate obedirent. Non autem quæ seruili necesßitate exprimitur, sed quæ à libera subditorum voluntate ducitur, ea demùm obedientia vnicum est & stabile regiæ potestatis firmamentum.

Fuga Nobilium. Considerare debuerunt, quàm multi primæ nobilitatis & dignitatis viri, propter conscientiæ libertatem aliasque molestias à religionis mutatione profectas, solum versuri, relictaque patria ad exteras nationes erant migraturi, quorum animos vel religionis zèlus, vel propriæ calamitatis magnitudo, ita posset aduersus exilij sui authores ac bonorum sectores exasperare, ipsorum vt absentia inimicorum paci magnum conflaret periculum. Quos isti reprimere non poterunt *fugitiuos* eos appellando, aut alia iactando ex triuio arrepta, vulgaris contumeliæ nomina. Non enim hæc aut alia huiusmodi nobilißimum Principem *Henricum* 7. Reginæ istius auum terruerunt, quo minùs sanguinarium tyrannum *Richardum* 3. fortiter *Henricus 7.* inuaderet, eumq; licèt in Regem vnctus esset ac Regni possesionem teneret, gloriosè tamen & Regni possesione & vita etiam priuaret.

Dissensiones ob religionē implacabiles. Illud etiam erat præmeditandum, varias ex hac nouitate fidei easque implacabiles dissensiones orituras, non in populo tantùm, sed inter charißimos quoq; amicos maxima vel sanguinis vel affinitatis necesßitudine coniunctos. Nulla est enim contentio tàm capitalis atque internecina, quàm ea quæ propter differentiam fidei &

cultus diuini excitatur, ruptaq; semel Ecclesiæ Christi vnitate, quis non statim expectaret infinitatem quandam Sectarum Reipub. cum primis perniciosam qua ipsi etiam Protestantes obruerentur? Cuius iam pridem experimentum miserum & exitum funestissimum vidissemus, nisi non tantùm Magistratus, sed etiam *Puritani, Anabaptistæ, fratres* (qui vocantur) *Amoris*, aliæque Sectæ quibus Anglia redundat, neruos ingenij contendissent omnes, ad Catholicos frænandos, & eorum progressus quàm maxima diligentia impediendos.

Obiectio. Verùm gloriatur aduersarius, se suosque his omnibus periculis egregiè defunctos, multasq; victorias de hostibus tum externis tum domesticis retulisse, vt quæ gesta sunt omnia, & prudenter incœpta, *Responsio.* & fortunatè perfecta videantur. Cui respondeo, istorum res gestæ ad extremum si exitu fœlici terminentur, esse eos tantò fortunatiores, intereà illud velim intelligant, non tàm esse prudentis hominis pericula cùm euenerint quoquo modo declinare (cùm secundi euentus hominibus temerarijs, fortuitò quandoque obueniant, vt & nostro & veterum prouerbio celebratur) quàm pericula ne eueniant prospicere, eaque consulto præcauere omnia, ex quibus pericula necessariò consequantur.

Atheniensiũ incõsulta temeritas.

Hæreticorũ falsa spes de abolenda fide Catholica. Sed in hoc religionis negotio, ipse etiam Deus eorum conatus mirabiliter irritos fecit & inanes. Nam cùm omnem Catholicæ fidei memoriam & nomen penitùs extinguere decreuissent, leges contra religionem varias easque crudelissimas instituendo, quales nec apud Christianos nec apud Paganos vllæ vnquàm extiterunt, veteres Episcopos omnes in carceres contrudendo, eosq; illic temporis longitudine consumendo, Ecclesiarum omnium pulpita, scholas, officia, dignitates, & reliqua regni commoda, suæ sectæ, sibique addictis & tanquàm consecratis hominibus assignando, aliasque rationes adhibendo, quęcunque humana vel crudelitate, vel ingenio, vel diligentia ad Catholicam religionem extirpandam poterant excogitari: iam nihilominùs in singulos annos & dies, Catholicorum non modò numerum, sed zelum etiam, constantiam, patientiam, eruditionem, sic accrescere sentiunt, vt clarissimè videant & confiteantur, quod *digitus* DEI *est hic*, & si in incœpto progrediuntur, *erit nouissimus error peior priore*.

Exodi 8. 19. Matthæi 27. v. 64.

Protestantiũ Anglorũ magna dissimu- Hoc certè vnum eos ostendit ingenti terrore diuinitus immisso vehementer esse attonitos, quòd cùm immani quadam ferocitate quotidiè fundant innocentum martyrum sanguinem, occulta tamen

men veritatis vi,communique hominum iudicio conuicti, ita stupent & examinantur, vt Catholicos Catholicæ religionis causa occidere vel non audeant, vel saltem pudore impediti palàm id agnoscere vereantur. Ideoque (vt in hoc etiam Libello videmus) omnia ad *Reginam*, ad *Statum*, ad *Reipub.* pacem perturbatam auocare laborant, & talibus mendacijs orbi Christiano illudere. Ex quo manifestum est, eos in hac præclara quam iactant prosperitate, incredibili metu excruciari, & omnia magna, mediocria, minima pertimescere. Quorum etiam terror ex hoc apparet euidentiùs, quòd nec pauperrimus quispiam sacerdos ad Angliam appellit Missam celebraturus, quin illi statim credant certum ipsis interitum & vastitatem afferri. Nulla vspiam quauis in ora conspicitur nauis, nullus Princeps conscribit militem, vel quemcunque bellicum apparatum instruit ob prouincias & regiones suas, quin nostri statim interpretantur ea destinari ad inuadendam Angliam. Nullum denique Collegium ad subleuandos exules apud exteras nationes instituitur, nullum auxilium Catholicis Anglis siue in Aulis Principum, siue in castris præbetur, quin isti statim persuadent sibi omnia referri ad perniciem Status sui, & panica quadam formidine correpti, exclamant cum Iudæis, quòd *venient Romani, & tollent locum & gentem nostram.* *Ioan. 11.*

latio & formido.

Quamdiu patria nostra Ecclesiæ Catholicæ vnitatem tenuit, cumque finitimis Principibus vel iusta bella, vel honestam pacem habuit, ecquis huiusmodi timor de perpetuis hostium incursionibus animos nostros occupauit? Ecquid tàm sollicitè & crebrò lustrabantur milites? disponebantur excubiæ? ad singulos Angliæ portus iuramenta aduersus Romanum Pontificem exigebantur? Num in proficiscentes peregrè, aut redeuntes domum tàm scrupulosè inquirebatur? Denique num per vniuersum Regnum tot grassabantur diurni in publicis vijs, tot nocturni in priuatis ædibus exploratores? num tot vbiq; apparebant curæ, angores, sollicitudines? tot de subditorum fide suspiciones? perinde ac si Anglia iam tota nihil esset aliud quàm statiua quædam castra, vbi milites in horas singulas & momenta, starent in procinctu ad repentinas hostium irruptiones sustinendas. Hæccine verò est summa Angliæ fœlicitas? hæccine securitas illa de qua Politicus iste tàm multa gloriatur, & cuius exiguã partem si vicinæ prouinciæ perciperent, admodum se beatas arbitrarentur? Mediocris sanè fortuna cum securitate, maximis etiam totius orbis voluptatibus tanta cum anxietate, longè est præstantior.

Quantum autem ex signis externis colligere vel coniectura assequi possumus, nulla totius Europæ natio in tàm ancipiti rerum suarum statu fluctuat & vacillat, quàm Anglia nostra. Væ ergo peccatis, væ hæresibus & Apostasijs nostris, solis tantorum malorũ effectricibus.

Neque tamen hæc à nobis ita dicuntur, quasi aliqua probabilitate anticipatam haberemus cognitionem eorum periculorum quæ tàm vehementer isti metuere videntur, aut quasi vllam eorum causam vel Sacerdotes vel Catholici præbere potuerint. Neque certè vlla est causa alia, præter eam quam olim notauit Propheta dicens:

Psa. 52. v. 6. *Deum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore vbi non erat timor.* A Domino solo factum est, qui timorem hunc illis incussit, ac infœlicitatis miseriæque suæ sensum aliquem impressit, vt ita ad agendam impiæ defectionis pœnitentiam expergefaceret.

Admodũ periculosa Angliæ proximi hæredis ignoratio.

Sed hæc demùm summa mihi calamitas esse videtur, quę vniuersum Anglię Regnum, omnesq; generatim ordines & hominem vnũquemque singulatim inuoluit, à qua nec vnus aliquis se poterit eximere; incertum intelligo regni hæredem proximum, quod certissima atq; cruentissima bella tum externa tum ciuilia necessariò pariturum est, in tanto præsertim competitorum numero, tanta religionum varietate, tanta deniq; ambitiosissimorum hominũ turba: quorum nonnulli iam nunc eò sua referunt consilia, contrahunt amicitias, coëunt factiones, muniunt se fœderibus, omnesque cogitationes ad regnum adipiscendum dirigunt. Quò fit vt Patriæ nostræ quies, pax & fœlicitas, & quicquid homini est in hac vita iucundũ & optabile, illud omne tenuissimo filo pendeat, ab vnius nimirum vita, quæ iam ætate multùm est prouecta, & humanarũ miseriarum casibus vt cæteri omnes obnoxia Deique omnipotentis manui semper subiecta, qui cùm libuerit *aufert spiritum Principum, & terribilis est apud Reges terræ.*

Psal. 75. 12.

Enimuerò vt ex rebus minutioribus ad ista longè maiora iustè ponderanda ducamur, quis est in Anglia vir nobilis aut illustris, vel qualicunque loco, modò pecuniosus & locuples, quem non miserrimum æstimaremus, si aut nesciret aut negligeret quem esset relicturus bonorum suorum hęredem? si eum videremus suo vnius genio indulgere, suoque tantùm tempori consulere, posteritatem autem susque deque habere, & rerum suarum copia quasi pomo contentionis in medium proiecta, omnia fortunæ committere? Quantò autem hoc est miserius, quantò calamitosius, quantò naturæ ipsi magis aduersarium, nobile & amplissimum regnum in eas

adduci anguſtias, vt eundem ſalutis ſuæ ac vitæ Principis, extremum fore diem arbitretur, vt in eo regno nullus pacis ſuę, tranquillitatis, ac facultatum vſuram diuturniorem vix ſperare poſsit, quàm quoad Regina vixerit; id eſt, ad decem fortaſſe aut viginti, ſiue plures ſiue pauciores annos, vel quocunque demùm ſpatio placuerit diuinæ prouidentiæ Reginæ vitam circumſcribere. Hoc cùm euidens ſit argumentum & clariſsima demonſtratio infinitę Regni noſtri calamitatis, illud tamen ipſum non pudet fraudulentos aduerſarios magnificè prędicare, atque ad ſingularem ſuæ in Repub. gubernanda prudentiæ commendationem inuertere, illud ſubinde populo ſuggerentes, quàm hoc modo fœlices ſint, quàm ſtudioſè continuis precibus pro Reginæ incolumitate debeant inſiſtere, cuius ſolius vita tantam illis beatitatem largitur: quòd ſi ea moriatur, vnà cum ea Angliæ fœlicitas eſt moritura, & malorum Ilias regnum vniuerſum oppreſſura.

Id quod nec ipſi quidem Conſiliarij palàm aperteque profiteri dubitant, quemadmodum manifeſtè declarat oratio quam ex eorũ numero quidam habuit, cùm ſeruulus neſcio quis temerè diſploſo tormento nautam in regia naui non procul ab ipſa Regina quæ tum fortè aderat, vulnerauit. Qua in oratione clariſsimus ille vir nihil aliud poſt Reginæ mortem expectandum eſſe affirmat, quàm rerum omnium confuſionem, perſecutiones, ſtrages, vltiones, bella, ſpolia, mulierum & virginum conſtuprationes, & quicquid eſt in orbe malorum & miſeriarum, ac millies plura quàm ipſe ſua poterat mente ac intelligentia percipere. Neque dubitat concludere, ea nos die *omnium fore mortalium longè infœliciſsimos*, cùm Reginæ ſolius vita omnem nobis fœlicitatem & terreſtrem & cœleſtem conferat. Hæc nobilis ille Conſiliarius de communi noſtra calamitate pronuntiauit. Interim ſic omnia reguntur & diſponuntur, fœlices vt nos ipſi exiſtimare debeamus ſi quoad vixerit Regina, Reſpublica quoq; viuat; cum eius autem funere efferatur etiam Reſpublica & Oceano malorum obruatur. Hæc eſt (proh dolor) illa Angliæ fœlicitas quam iſti tantoperè ſuſpiciunt atque admirantur, qui præſentem ſed incertam paucorum annorum proſperitatem, nulla habita poſteritatis ratione, rebus omnibus anteponunt. Eam autem viri boni & prudentes non fœlicitatem ſed miſeriarum omnium caput exiſtimant, cùm in publico corpore nihil ſit laudabile, nihil magnoperè expetendum, niſi idem fuerit cum ſecuritate ac diuturnitate coniunctum.

Oratio Domini Chriſtophori Hattoni apud Stowm Elizab. anno 21.

Vaniſſima Angliæ fœlicitas, quam Libelli author prædicat.

Quam

Succeßioni in Anglia peßime cõsultum.

Quam miseriam nostram etsi valdè grauem, illud tamen grauiorem reddit & magis memorabilem, quòd tot iam annis quibus nos Deus patienter expectauit, non modò nullum huic tanto malo remedium à Consiliarijs alijsque prudentibus viris est adhibitum, verùm etiam (quod longè est miserabilius, & magis à communi ratione naturaque abhorrens) ne adhibeatur, seuerisimis legibus & acerbisimis pœnis est constitutum. Decernitur enim, *ne quis aut verbo aut scripto affirmet aliquem quemcunq, esse legitimum hæredem & successorem Reginæ, præter naturalem Reginæ ipsius sobolem. Qui secus fecerit, reus esto pœnarum quæ lege Præmunire continentur*; hoc est, ipse perpetuis carceribus, bona verò eius omnia regio fisco addicantur. Qua lege dum de præsenti statu fingunt se sollicitos, de posteritate in æternas vel perdiuturnas certè calamitates præcipitanda, nihil prorsus laborant. Et (quo nihil cogitari potest vel toti regno, vel ipsi Reginæ contumeliosius) haud obscurè indicant, quamuis qui consanguinitatis legitimæque succeßionis iure Reginę proximus fuerit, nec nominari à quoquam hæres posset, nec ipse sibi proximi hæredis locum aut nomen asciscere, *Naturali* tamen Reginæ *Soboli* vtrumq; fas esse. Quæ profectò sententia grandi dedecore non caruisset, proximoque hæredi iniuriam non ferendam intulisset, si *Regis* alicuius *Soboli naturali* hoc extraordinarium beneficium contulisset. Verùm illud concederem *Naturali soboli Reginæ*, in qua propter sexus verecundiam, fornicationis peccatum longè quàm in viro est fœdius & flagitiosius, & quæ ex eo nascitur proles ad tale priuilegium percipiendum minùs habilis & idonea, hoc verò probrum est indignißimum, & planè inexplicabile. Neque dubium est quin veteratorum quorundam fraude inuentum fuerit & Statuto affictum ad aliquam insignem maculam regio nomini aspergendam, contra totius Parlamenti sententiam; quod (vt nos quidem conijcimus) nunquàm de ea clausula speciatim deliberauit, quamuis extet inter cętera Statuta, peruulgata & typis impressa, vt in communibus exemplaribus videmus.

Parlament. Elizabeth. an. 13. c. 1.

Sed illud vtcunque sit, nostram hoc infœlicitatem toti terrarum orbi manifestam reddit, pristinamque Regni gloriam apud omnes ita diminuit atque obscurat (maximè cùm hoc scientes ac videntes, imò etiam consentientes admittant Reipubl. moderatores) vt tantam miseriam nunquàm satis deplorare poterimus, neque aliam illius causam excogitare, quàm iustißimum DEI iudicium, qui (vt Italis est in prouerbio) hominem pro peccato castigaturus, primò *cerebrum illi aufert*, ne imminentes pœnas prudentia posit auertere.

Leua lui il ceruello.

Atque hoc flagellum Angliæ, quod manifestò ab impia Catholicæ Ecclesiæ sedisque Apostolicæ reiectione prouenit, in *Henrico* 8. fundatum est, qui fuit nostris quidem temporibus *Radix Peccati* (vt de *Antiocho* scriptura sacra loquitur) cùm Primatum Ecclesiæ supremamque illius regendæ authoritatem, ipse sibi iniustissimè arriperet. Hæc enim prima Regni nostri fuit calamitas, ex qua profluxit quicquid malorum deinceps perpessi sumus. Quem Regem Deus mox pœnis maximis cùm temporalibus tùm etiam spiritualibus afflixit. Vix enim tres anni intercesserunt, cùm coniugem suam illius quæ nunc viuit Reginæ matrem interfecit multiplicis adulterij & incestus condemnatam, cuius amore paulò anteà tàm miserè deperibat, vt in illius gratiam priorem coniugem, lectissimam fœminam (cum qua plusquàm viginti annos laudabiliter vixerat, & cui in ipso repudij persequendi feruore, apud iudices hoc celebre testimonium publicè dabat, *quòd præter excellentem nobilitatem, eam semper præstiterat honestatem & obedientiam quam ipse poterat optare; aliisque omnibus virtutibus adeò fuerat ornata, vt plures nec in fœmina conditionis longè inferioris poterant desiderari*) hanc coniugem repudiaret, & vnà Ecclesiam Christi, in qua ipse maioresq;, nongentos aut eò ampliùs annos permanserant, & simul optimorum & doctissimorum, sibique charissimorum sanguine, se Regnumque suum crudeliter funestaret.

Henricus 8. Anglicanæ calamitatis radix.
1. Machab. 1. v. 11.
Parlament. Henrici 8. an. 28. ca. 7.
Paulus Ioui' hist. lib. 35.
Stous Henrici 8. anno. 21. pag. 961. 962.
Inæqualis permutatio vel vxorum vel religionum.
Roffensis Morus.

Deinde verò lege omni solutus, vxores pro libidine duxit, & viuis prioribus superduxit nouas, quas cùm voluit repudiauit, mutauit, & denique occidit tùm vxores tùm amicos & intimos familiares, incredibili prorsus atq; inaudita post homines natos animi impotentia. Deinceps propter discessionem ab Ecclesia & teterrima sacrilegia, tali erat conscientiæ œstro percitus, & tàm ancipites eum sollicitudines huc illucque distrahebant, vt interdum progredi & Principibus Protestantibus socium sese in Religione adiungere cogitarit, interdum verò regredi & se Pontifici Romano reconciliare. Quod etsi ter vt minimùm post primum lapsum tentabat, ad grauiorem tamen illius vltionem, sine effectu Deus permisit euanescere: vnde factum est vt miris conscientiæ stimulis excruciatus in incredibili angore animam exhalaret, cùm illi perpetuò ante oculos obuersarentur innumera quæ perpetrauerat scelera & sacrilegia, quibus plùs minùs centū millia hominum qui se Deo consecrauerant, ex suis monasterijs vel religiosis cellulis eiectos ad sæcularem vitam retraxit, vnoque anno decem millia sacrarum ædium atque

Grauia Henrici 8. peccata & sacrilegia.
Ex 376. ædibus, quarū singularum annui redditus erant infra 200. libras Angli-

bb Eccle-

canas, omnes simul vix cõficiebant libras 32000. extrusi sunt religiosi plus quã 10000. Stow Henrici 8. an. 28.

Ecclesiarum disturbauit, vti quidam temporis illius vir doctissimus hoc Epigrammate annotauit:

Millia dena vnus templorum sustulit annus,
Quàm timeo in pœnas vix satis vnus erit.

Testamentũ Henrici 8. corruptum.

Religio antiqua toto regno abrogata

Et iste Rex qui sine vlla diuini numinis reuerentia ac timore tot millia testamentorum à sanctissimis viris factorum resciderat, ędesque ad Dei honorem, animarum salutem, & Reipub. vtilitatem extructas diruerat, ipse eandem mensuram ab alijs retulit. Vix enim extremum spiritum effuderat, cùm ipsius testamentum resciffum est & mutatum, aliudque eius loco suppositum, eaque Romana religio quam & viuus semper propugnauit, & legum seueritate, & illo nuper assumpto Ecclesiastico primatu, & acerbissimis supplicijs eorum qui delinquebant, constabiliuit, quamq; religionem moriens ijs diligentissimè commendauit quibus filij curam commisit: hæc ipsa religio toto mox regno est abrogata, & in eius locum Zuinglianismus tanquàm ad insigniorẽ Regis mortui contumeliam substitutus, quem ille toto vitę suæ tẽpore odio immortali persequebatur.

Henrici 8. progenies ob peccata Patris luit pęnas.

Cumque tres egregios liberos superstites reliquisset, *Edouardum, Mariam*, & *Elizabetham*: *Edouardum* magnæ spei adolescentem iam matrimonio idoneum è vita Deus sustulit. Eum secuta est *Maria* soror natu maior, quæ pòst longam virginitatem, tandem solo liberorum desiderio publicæque vtilitatis gratia nupsit, & ea tamen absque liberis, breui pòst tempore ad superos migrauit. Vltimo loco supererat *Elizabetha* quæ nunc regnat, quam propter iuuentutis florem, & varia argumenta eò permouentia, omnes arbitrabántur se fuisse statim tradituram in matrimonium alicui Principi vel externo vel domestico, maximè cùm potentissimi in orbe Christiano Reges eam ambirent, ipsaque ad illud vitæ genus videretur satis propensa, & multos ſępenumerò amoris potiundi magna spe compleret. Verùm hoc quoq; ne succederet, in patris pœnam Deus impediuit, ac paulatim in hanc quam patimur orbitatem delabi Regnum passus est, vt contra omnem hominum expectationem tota Regis illius pulcherrima progenies sinę fructu defloresceret; & cùm ille posteritatem immoderatè concupisceret, ex eo trunco surculus tàm breui tempore nullus relinqueretur.

Libelli author ineptissimè Reginæ

Quibus publicis difficultatibus tenuis admodũ est & iniucunda consolatio, quam adhibet parasitus hic noster, plenam certè impudentis adulationis, quam ipsi etiam Reginæ molestissimam esse nequaquàm

quaquàm dubitamus: *Virginem* nimirum *Reginam* esse prędicat, & hoc *Virginitatis* nomen libenter vsurpat, cùm neque Protestantes Virginitati meritum aut laudem magnam tribuant, cui matrimonium generaliter & in omnibus exæquant, in quibusdam etiam anteponunt, & nos Catholici in his ingentibus periculis, vbi rerum publicarum salus & tranquillitas vertitur, fatemur sacratas & Deo dicatas virgines ab eo excellentiori vitæ genere abductas fuisse, & Ecclesiastica dispensatione in matrimonium collocatas. Atque vtinam (si tamen Deo Opt. Max. ita visum fuisset, & à Reginæ voluntate non abhorruisset) ad Regni securitatem, huius Virginitatis loco, liberos haberemus ex ea in legitimo & honorabili matrimonio susceptos: quod vitæ genus non caret pia quadam continentia, eaque (vt nunc sese res habent) fortasis hac sua Virginitate, & maioris apud Deum meriti, nec minoris apud homines gloriæ. *virginitat. inculcat. pag. 89.*

Verùm sunt hæc omnia manifesta diuinæ erga nos patriamque nostram iracundiæ signa, quæ eò etiam videtur magis ingrauescere, quòd deficiente iam illustri hac *Henrici* 8. progenie, nec illud quidem ferunt nonnulli, vt ad eiusdem sanguinis Regij stirpem proximam decurramus; nobilissimi illius Regis *Henrici* 7. huius Reginæ aui nepotes intelligo, cuius Regis fortunatus & insigni victoria clarissimus in Regnum aduentus, & quod secutum est faustum matrimonium, multiplexq; soboles ex eo procreata, omnes de iure regni dissensiones & bella ciuilia longè funestissima restinxit, duasque illas regales familias *Lancastrensem* & *Eboracensem* fœliciter arctissima societate deuinxit, hanc (inquam) legalem, & omnium nationum iure probatam successionem nonnulli interuertere moliuntur, & nefaria quorundam Puritanorum aliorumque hominum ambitiosorum calliditate seducti, cumque factione & *Lancastrensi* simul & *Eboracensi*, totique generaliter *Henrici* 7. familiæ aduersaria se consociantes, pristinas illas seditionum ciuilium flammas rursus accendere, omniaque cæde & sanguine permiscere nituntur, ex quo sperant se Regium diadema cui voluerint capiti imposituros. Sicq; iustissimo Dei iudicio in duo simul incommoda longè maxima incurret patria nostra, alterùm quod Deum ipsum & religionem Catholicam improbè reijciet, alterum quòd per summū scelus, verum, proximum, & legitimū Regni hæredem, in eoq; *Henrici* 7. posteritatem omnē suo iure spoliabit. Hunc verò timorē conceptū minuere possent qui Reip. nostræ clauū tenent, si nunc tandē post tot annos hæc impendentia mala prȩoccupare aut possent aut vellent, certum

Regni hæredem declarando. Cæterùm in hoc etiam futurum Angliæ nostræ vulnus videtur mortiferum & insanabile, nisi Deus omnipotens supra humanas vires rebus tàm desperatis opem inexpectatam attulerit. Tale enim in hac materia præiudicium factum est, vt non dico certum Regni hæredem declarare, sed neque de vllo declarando deliberationem inire nostrates se posse existiment, propter Statutum cuius proximè mentionem fecimus, sine præsenti rerum omnium discrimine. Id quod procrastinare & de die in diem ducere malunt, ad suum vsque & Reginæ interitum, quàm statim sibi tantam miseriam accersere. Deus Opt. Max. omnia benè fortunet, eaque conuertat ad quàm amplissimam nominis sui gloriam, quæcunque demùm confusio nobis propterea aduenerit.

Supra pag. 235.

Angliæ & Scotiæ regnorum in vnam Monarchiam coniunctio, sceleratè impedita.

Illud tamen admirari satis & lamentari nõ possumus, quòd cùm duorum nobilissimorum *Angliæ* & *Scotiæ* Regnorum in vnam Monarchiam coniunctionem cruentissimis sæpè bellis & vtriusque nationis plurimo sanguine quæsiuerimus, eam autem nunc Dei bonitas & naturæ ordo tàm expedita & suaui ratione & vtrique populo maximè æquabili offerat, matrem nobis sequestrem largiendo & filium; illam insigni prudentia ac patientia, egregiaque animi in rebus aduersis constantia ac fortitudine, & pari vtriusque gentis amore ac beneuolentia præditam, hunc verò quoad omnes naturæ dotes quæ in Principe requiruntur, nemini prorsus suæ ætatis in Europa secundum; vtrumque Anglicani sanguinis & generis, vtrumque ex tota *Henrici* 7. progenie, successionis ordine proximum, vtrumq; huic Regnorum vnitati conficiendæ aptissimum, & ad hoc munus obeundum diuinitus quasi delegatum, hanc tamen tàm commodam, tàm directam, tàm diuinis humanisque legibus apertam viam quidam obstruere, & tanquàm obiectis molibus intercludere laborant, & iniustis legibus, inhonestis artibus, perfidiosè captiuam detinendo matrem, flagitiosè domesticas excitando rebelliones contra filium, vtrumque Regno fraudare, vel saltem ius Regni omnibus legibus certissimum, quantum in ipsis est, maximè incertum & ambiguum reddere conantur. Vtrique autem & quibuscunque vtriusque amicis ius hoc vendicare aut de eo verbum vllum emittere interdicitur, dum interim ambitiosi quidam, hac incerti hæredis occasione subnixi, de inuadendo Regno clandestina ineunt consilia, & necessarijs ad id obtinendum factionibus sese corroborant. A quorum hominum infinita cupiditate longè plus periculi tùm Reginæ

ginæ ipsi tum vniuerso Regno impendet, quàm vnquàm obuenire poterat, si legitimus hæres apertè designaretur; quod tamen isti periculum absque vlla veri similitudine prætexunt, vt populo hæredem Regni minimè declarandum esse persuadeant.

In has vndiquaque angustias iusto Dei iudicio redacta est Anglia, dum interim Libelli author cęterique Protestantes multa læta & iucunda aniliter narrant, de copia frugum & fertilitate agrorum, vt nostrorum animos ab his immensis & interminatis miseriis considerandis auertant, quas ob desertam fidem Patrum nostrorum boni omnes ac prudentes viri valdè metuunt, certoque expectant, nisi ad Deum ac Dominum nostrum reuertamur, & in vnitatem Catholicæ Romanæq; Ecclesiæ aggregemur, quam tàm indignè dereliquimus & tàm furiosè sumus persecuti, extra cuius societatem atq; obedientiam, vt in hoc mundo nulla est vera pax aut securitas, ita in altero nulla est salus, nulla fœlicitas. Id quod vt toties repetamus facit charitas & naturalis in necessarios, parentes, patriamque nostram amor, *vt gens absq; consilio sapiat ac nouissima prouideat.* *Deutero. 32.*

Non enim Romanus Pontifex, neque Sacerdotes istorum hominum ruinam concupiscunt (quod tamen Libelli huius author durissima fronte affirmat, & nonnulli fortasse rudes atque ignari opinantur) cùm & Pontifex tanquàm amantissimus Pater & Pastor, incredibili labore ac sollicitudine multisque & suspirijs & sumptibus, Sacerdotes verò sanguinis sui vitæque dispendio ad salutem populo importandam ac Regnum totum Christo Christiq; vicario reconciliandū connitantur. Quòd si verum fateri volumus, illi demùm Reginæ Regnique capitales sunt inimici (atque hoc exitus tandem demonstrabit) qui primùm Ecclesiæ Sedisque Apostolicæ deserendæ authores illi fuerunt, qui etiamnum post tàm multa diuinæ iræ indicia, Ecclesiæ eiusdem authoritatem & Censuras contemnendas esse persuadent, qui supremo fidelium Christianorum Pastori, Manlianis imperijs, sanguinarijs legibus, & vi bellica repugnandum esse consulunt: perinde ac si Pontifex hac disciplinæ Ecclesiasticæ virga aduersus rebelles, non ex paterno amore, charitate, & beneuolentia, sed hostili potiùs odio, inuidia, & maleuolentia fuisset vsus. *Quinam verè sint hostes & Reginæ & Regni.*

Moyses & *Aaron* restiterunt *Chore* eiusque sectatoribus, & diuinam aduersus eos sententiam sunt executi, nec tamen hostiliter erga eos fuerunt affecti. Idem ipsum *Samuel* aduersus *Saulem*, *Elias* aduersus *Iezabelem*, alijque Prophetæ aduersus alios Reges, non solùm absque omni *Numer. 16. Viri sancti suis Principibus resistunt ex charitate.*

omni odio, verùm etiam multo cum amore & charitate fecerunt. Nec dissimili modo sanctissimi viri *Ioannes Episcopus Roffensis*, & *Thomas Morus Regni Cancellarius*, alijque multi insignia nationis nostræ lumina *Henrico* Regi sese opposuerunt, magno cum amore & beneuolentia infœlix illud sceleratumque ab Ecclesia Catholica & propria coniuge diuortium constanter fideliterque dissuadentes. Cuiusmodi homines nihil certè minùs sunt quàm perduelles aut Principis Patriæue hostes, quibus trucidandis cruentæ leges sint excogitandæ, aut Principum gladij exerendi. Sed si aduersariorum nomen merentur, in illo aduersariorum genere numerandi sunt, de quibus Saluator præcipit, vt *simus consentientes aduersario nostro in via*, si velimus declinare multa pericula aliàs fortasse nobis superuentura. Qua in re illi solùm prudentes sunt Consiliarij, quique in Repub. excelsum illum honoris locum teneant dignissimi, & fideles item subditi, qui Reginam debita cum humilitate monent, ne suauiter modò blandientis fortunæ lenocinijs & illecebris decipi se patiatur, neque securitatem suam in violenta & obstinata Ecclesiasticæ vel Pontificiæ censuræ contemptione positam existimet. Quin potiùs *Theodosium seniorem* à *D. Ambrosio* excommunicatum intueatur, sibique ob oculos proponat, quemadmodum *Theodosius Iunior* in causa *D. Chrysostomi* se gesserit, cuius ob exilium, Imperatoris illius vterque parens excommunicatus erat. Consideret vnà, quem tandem exitum habuerit contentio illa inter *Henricum* 2. & *Romanum Pontificem*, eumque qui tum viuebat *Cantuariensem Archiepiscopum*, & deinceps inter *Ioannem Regem*, *Sedemq́ Apostolicam* & illius ætatis clerum. Isti enim omnes quamuis potentissimi erant Principes, tandem tamen cesserunt & cum *Apostolica Sede* in gratiam redierunt. Quæ certè via postquã iuniorũ Principum ira & impetus animi paulisper deferbuerit, semper fuit & semper erit apud Deum hominesq́; longè honestissima, & qua vna saluti suæ Regnorumq́; suorum tranquillitati verè consulant.

Vide supra. pa 115. &c.

Matthæi 5.

Quodnam salutare consilium Reginæ sit dandum.

Theod. hist. lib. 5. ca. 17. & Sozom. l. 7. cap. 24. Socrat. hist. li. 7. ca. 44. & Theod. lib. 5. ca. 36. Polydor. Virgil. histo. Ang. lib. 13. & 15.

Id quod Reginæ Pater (à quo capite temporibus nostris hæc Apostasia initium sumpsit) & anteà aliquoties, & sub finem vitæ potissimùm vidit, atque vt illud à posteritate sua auerteret, maiorum suorum vestigia insequi, seq; Ecclesiæ communioni adiungere valdè desiderauit: quod tamen antequàm perficeret, occulto Dei iudicio morte præreptus est. Cæterùm quod ille non est assecutus, id filia illius natu maxima gloriosè præstitit, non modò propter conscientiæ suæ vinculum ac religionis necessitatem, verùm etiam vt

Henricus 8. suam cum Apostolica Sede reconciliationem meditatus est.

patris

patris voluntati ac desiderio satisfaceret, quod ille primarijs quibusdam Consiliarijs aperuerat, qui illud publicè testati sunt ad *Crucem Paulinam*, locum totius Regni frequentissimum. Atque vtinam nostra patriæque nostræ peccata non impedirent, quo minùs prudentissimi Reginæ Consiliarij rem hanc ea grauitate ac maturitate ponderarent, quam & ipsorũ & nostræ, & nostrorum oīum rationes postulant; cùm eorũ in hoc negotio probam vel improbam electionẽ, nostra sequatur vel diuturna fœlicitas vel calamitas sempiterna.

Quòd Principes seculares habeant Superiores quibus parere debent.

Speramus certè ex moderatis Reginæ Consiliarijs neminem impudentis huius parasiti adulatione multùm commoueri, dum prædicat, neminem esse cui Regina obtemperare debeat præter solum Dominum, *nullam esse ei superiorem potestatem in Regnis suis, nisi prapotentem solam æterni Dei dexteram*, ideoque Pontificis Romani aut cuiusquam alterius Censuras securè posse contemni. Est enim hæresis nimis manifesta & crassa, dicere Regem cùm de anima & religione agitur, esse supremũ, nec habere superiorem cui subijciatur. Nec enim solùm totius Ecclesiæ Pastorem suum etiam Superiorẽ agnoscat necesse est, si quidẽ ad Christi gregem pertineat (cuius omnes oues sine vllius exceptione, expressa Christi Domini sententia, Petro Apostolo Petrique successoribus pascendæ & regendæ committuntur) verùm etiam alios sui Regni Prælatos qui animæ Regis curam habent, à quorum obedientia in rebus spiritualibus lex diuina non magis Regem eximit, quàm alium quemuis ex infima plebe Christianum. Non enim Reges magis quàm alij immunes sunt ab illa D. *Pauli* regula & præscriptione fidelibus omnibus data, qua ait: *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis*, cuius præcepti rationem & populo & Regi æqualiter communem mox reddit, *ipsi enim vigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.*

Iustitia Britannica. pag. 50.

Ioan. 21.

Hebr. 13.

Quare si Principes non solùm corporibus sed etiam animabus constant, habent ergò & *præpositos qui de Principũ animabus rationem reddant Deo*: si tales sunt Principum *præpositi*, ergò & Principum est istis *Præpositis* se submittere eisq; obedire: si obedire debent & eis subijci, ergò necesse est, vt eos superiores agnoscant. Qua iam fronte dicit perniciosus iste assentator, Regibus & Regnis nullum esse Superiorem præter solum Deum? eos esse in Regnis suis quoad omnes causas Ecclesiasticas, quoad Religionem, quoad animas & conscientias, supremos omnium moderatores? nec posse eos à Pontifice aut Prælato quocunq; excõmunicari, aliâue disciplina corrigi, si fidem Catholicam deseruerint? Si

Theodosius Imperator. Si *Theodosius* Imperator in huiusmodi incidisset superbiæ suæ approbatores, aut si ipse ita gratia omni & sapientia fuisset destitutus, vt talibus susurris aures patefacere voluisset, nihil certè *D. Ambrosii* fecisset censuram & sententiam. Sed multò erat fœlicior, multoque religiosiùs Christianam disciplinam perceperat, quàm vt huiusmodi in rebus seipsum Episcopo suo anteponeret, aut Maiestatem Imperatoriam prætendens, solumque Deum superiorem agnoscens, immunitatem sibi in hoc mundo arrogaret ab omni repræhensione, quodcunque tandem vel in religione crederet, vel contra religionem admitteret. Et est hoc quidem illustre vestigium & expressa nota religionis temporibus nostris prorsus conculcatæ, quòd isti prophani hæretici & homines Athei, humana diuinis, politiam temporalem spirituali, animam corpori, terram cœlo, Regalia Sacerdotio, vitam hanc proximæ, adeoque & ipsi æternitati tàm absurdè bestiarum more præferunt. Id quod demonstrationem efficit luculentam, hac hæresi ad *Paganismum* & *Epicureismum* directam atque expeditam sterni viam, cùm apud eam eiusque Prędicatores videamus nihil æstimari, nihil esse in pretio, nisi mundana & terrestria, Reginas, Reges, potestatem sæcularem, à quibus caducos honores, sordidas voluptates, & alia huius generis carnalia commoda se sperant posse consequi.

Primat' Ecclesiastici Regis, manifestum signũ Atheismi.

Veterum patrum contra primatũ Regium dicta & facta. Cæterùm istius rei veritatem ediscere & possumus & debemus, partim à veteribus, gloriosis, & præstantissimis Doctoribus atque Episcopis Ecclesiæ primitiuæ, partim etiam à moribus primorum potentissimorum Imperatorum & Regum qui eiusdem nobiscum Catholicæ fidei erant & professores & defensores. Ad quam etiam veritatem magis illustrandam, multùm facit constans doctissimorũ ætatis nostræ Protestantium sententia. *Quid autem est honorificentius* (inquit D. Ambrosius) *quàm vt Imperator Ecclesiæ filius esse dicatur? Imperator enim bonus, intra Ecclesiam non supra Ecclesiam est.* Diuusque *Chrysostomus* Sacerdotes admonens officij sui de cohibendis à Sacramento altaris illis qui peccatum aliquod grauius susceperant, nominatim præcipit, vt eam authoritatem etiam contra Reges, aut alios quoscunque supremæ dignitatis exerceant. *Siue quis Dux militiæ sit* (inquit ille) *siue Præfectus, siue Princeps diademate coronatus, indignè autem accedat, coërce & prohibe, maiorem illo potestatem tu habes.* Sic item D. *Gregorius Nazianzenus* alloquitur Imperatorem suum: *Te quoq; imperio meo ac throno lex Christi subijcit. Imperiũ enim nos quoq; gerimus, addo etiam præstantius ac*

Ambros. li. 5. epist. 32.

Chrysostom' hom. 60. ad populum Antioche. & in Matthæũ homil. 83.

Nazianzenus ora. 17. ad ciues Nazianz.

tius ac perfectius, nisi verò æquum est spiritum carni fasces submittere, & cœlestia terrenis cedere. Sed non dubito quin hanc dicendi libertatem in optimam partem accepturus sis, vt pote sacri mei gregis ouis sacra, magniq; pastoris alumna, rectèq; iam olim à Spiritu docta & instituta.

D. quoq; *Athanasius* manifestò asserit & confirmat, *Constantium* Imperatorem Arrianum esse *præcursorem Antichristi*, eò quòd *in decernendo principem se faceret Episcoporum, & præsideret iudicijs Ecclesiasticis*: eamq; ab illo iniustè arreptam prærogatiuam & iurisdictionem (quam honestus Libelli huius author in Regina nostra vocat *Maiestatis illius Regalia*) appellat *ipsam abominationem desolationis quæ prædicta est à Daniele Propheta.* Quidnam (bone Deus) arbitramur sanctissimum hunc Patrem fuisse dicturum, si vidisset *Cromvvellum Comitem Essexiæ*, constitutum Regis Henrici *Vicarium generalem in spiritualibus*? si Episcopos & Archiepiscopos iam in synodo congregatos, *omnes eius aduentum præstolari*, vt interim res Ecclesiasticas aut Theologicas nec extremis auderent digitis attingere? si eos *huic tandem ingredienti assurgere, eiq; multum honorem & reuerentiam tanquàm Vicario suo generali deferre*? denique si eum vidisset inter Episcopos considere, & Episcopis omnibus hoc loco præsidere? Quid si aspexisset *Edouardum* puerum decennem, patris Henrici hæredem, eodem iure fontem omnis spiritualis potestatis sibi vni vendicasse, & quosdam inde canales suis regijs diplomatis ad Episcopos hoc modo deriuasse? *Edouardus 6. Dei gratia, &c. Reuerendo Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo. Quandoquidem omnis & iuris dicendi authoritas, atq; etiam iurisdictio omnimoda, tàm illa quæ Ecclesiastica dicitur quàm secularis à Regia potestate velut à supremo capite manat &c. ad ordinandum igitur quoscunq; intra diocæsim tuam Cantuariensem, ac ad omnes etiam sacros & presbyteratos ordines promouendum, per præsentes ad nostrum duntaxàt beneplacitum duraturas tibi damus potestatem.* Quòd si Archiepiscopi hanc deriuationem comprobassent, & ex ea Episcopos presbyterosque suos ordinassent, & religionem immutassent, si literas suas ad Episcopos inferiores transmisissent hac forma: *Thomas permissione diuina Cantuariensis Archiepiscopus per illustrissimũ in Christo Principem Edouardum 6. supremum in terra caput Ecclesiæ Anglicanæ & Hybernicæ, sufficienter & legitimè authorizatus &c. tibi Edmundo Londinensi Episcopo & omnibus cõfratribus Coepiscopis vice & nomine Regiæ Maiestatis quibus in hac parte fungimur, mandamus vt imagines ex Ecclesijs cuiusq; diocæsis tollantur, vt priuatæ missæ prohibeantur &c.* si Episcopi hunc Regis Primatum Ecclesiasticum defendissent, eumque asseruissent esse *Principalem partem re-*

Athanas. ad solitariã vitam agentes.

Primatus regius, Antichristianus.

Cromwellus Comes, Regis Vicarius generalis in spiritualib⁹. Fox. Act. & Monumenta in vita Crõwelli.

Fox. in Edouardo 6. anno 1546. 1547.

Episcopi ordinant sacerdotes authoritate Regia, & mutant religionis capita.

Fox. vbi supra.

Horne cōtra Feknam. pa. 3. 101. 103. *Nazian oratio. 21. in laudem magni Athanaſ.*

galis poteſtatis; Regis enim poteſtatē ſupremā eſſe in omnibus cauſis Eccleſiaſticis, omnes cùm dico, deſigno vniuerſalem comprahenſionem ita vt nulla prorſus excipiatur; nunquid huiuſmodi viros admirabilis ille *Athanaſ.*, *ille Prophetis & Apoſtolis æqualis, magnū Eccleſiæ columen* (vti eum vocat & deſcribit D. *Nazianzenus*) in Epiſcoporum aut Archiepiſcoporum numero habuiſſet? nónne potius vt Apoſtatas, & iuratos Antichriſti ſatellites exhorruiſſet? Neq; enim difficilis eſt coniectura quid fuerit exiſtimaturus, ſi audiſſet hanc totam poteſtatem deinceps hęreditario iure ad fœminam fuiſſe translatam: ſi reſciuiſſet de *ſigillo Reginæ ad cauſas Eccleſiaſticas*, de iudicijs & Iudicibus ab ea ad huiuſmodi cauſas tractandas deſignatis, eam poſſe pro ſua voluntate Epiſcopalem authoritatem conferre & auferre, Epiſcopos creare & deponere, & tanquàm ſupremam Iudicem de controuerſijs Eccleſiaſticis vltimam & immutabilem ſententiam pronuntiare. Nulli vnquàm Reges vel Catholici, vel hæretici huc vſque prouecti ſunt, in quos tamen ius hoc maiore ſimilitudine veri poterat conuenire quàm in fœminam quamcunque, de quibus omnibus perſpicuè *D. Chryſoſtomus*: *Cùm* (inquit) *de Eccleſiæ præfectura agitur, vniuerſa quidem muliebris natura functionis iſtius moli ac magnitudini cedat oportet.*

Chryſoſt. lib. 2. de ſacerdotio.

Quòd ſi Proteſtantes noſtri Antiquitatem omnem fuiſſent obliti, mirum eſt quòd nec nouitatem, hoc eſt, ſuos ipſorum Doctores & Euangeliſtas maiori cum iudicio expenderent. Quis enim Ioanne Caluino contra hunc Eccleſiaſticū Primatū neruoſior? *Hoc erat ſine vlla controuerſia* (inquit Caluinus) *omnibus in Eccleſia primitiua perſuaſum. Si fidei quæſtio agitabatur, aut quæ ad Eccleſiam propriè pertineret, cognitio deferebatur Eccleſiæ. Sic intelligendum eſt quod ſcribit. Ambroſius ad Valentinianum: Auguſtæ memoriæ Pater tuus, non modò ſermone reſpondit, ſed legibus quoq; ſanxit, in cauſa fidei eum iudicare debere, qui nec munere ſit impar, nec iure diſsimilis. Item, ſi Scripturas aut vetera exempla intuemur, quis eſt qui abnuat in cauſa fidei, in cauſa* (inquam) *fidei, Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis iudicare? Contendit quidem Ambroſius ſpiritualem cauſam, hoc eſt Religionis, ad Ciuile forum non eſſe trahendam. Meritoq; in hac re eius conſtantiam laudant omnes.* Eccleſia verò Geneuenſis in Chriſtianę fidei confeſsione, ſub Theodori Bezę nomine publicata, quàm perſpicuè hanc Anglorum impietatem his verbis refellit? *Itaq; diſpiciendum ſentio, non quatenus piorum Principum à Synodis præſentia excludatur, ſed quatenus ſuis limitibus circumſcribatur, vt hîc ſibi longè aliter faciendum meminerint, quàm ſi in ſuo ſolio ciuilibus vel audiendis controuerſiis vel legibus condendis*

Calui. Inſtitut. li. 4. ca. 11. ſectio. 15.

Scriptura & Eccleſia primitiua Imperatores ſubijcit Epiſcopis.

Cōfeſsio Chriſtianæ fidei c. 5. ſectio. 15. Limites poteſtatis regiæ.

dendis considerent, cùm in Synodo intersint non vt regnent, sed vt seruiant, non vt leges condant, sed vt ex Dei verbo per os Ministrorum ipsius explicatas, & sibi & alijs obseruandas proponant. Et ne quis exempla potestatis Principum hoc modo circumscriptæ requirat, ibidem docemur, *Non aliter Dauidem, Salomonem, Ezechiam, Iosiam, egisse cum Israelitica Ecclesiæ senioribus. Et ex veterum Synodorum actu omnibus liquet, veteres illos orthodoxos ad vnum omnes, de ciuilis potestatis & Ecclesiastici ministerij finibus regundis non aliter censuisse.* *Ibidem. Omnes pa-tres Regesq; veteris testa-menti & no-ui refutant primatũ prin-cipum.*

Mitto breuitatis causa Lutheranos, quamuis in alijs articulis penè omnibus à Zuingliana factione toto cœlo differentes, in hoc tamen, mirifica sententiarum atque animorum vnitate coniunctos, vt cùm vehementer clamitant, *eos falcem in alienam messem mittere, & alienam functionem temerè inuadere, Sanctumq; sanctorum intrare quemadmodum Ozias, imò esse Antichristos, & bellum indicere verbo Dei, vniuersam pietatem abiurare, negare Deum, seq; in illius locum collocare: qui cùm politici sint magistratus, audent tamen nouas religionum formas componere, easq; Ecclesiæ ministris præscribere &c.* *Magdebur-genses Cen-turia 7. in præfatio. pa. 13. 14.* mitto quòd Lutherus, primus & funestissimus huius Apostasiæ parens, eosdem Regibus cancellos & limites circundat. *Quod agat* (inquit) *Cæsar satis superq; habet, administrationem videlicet Reipublicæ, nimirùm hoc ei præscripsit officium Deus, & hos veluti limites posuit. Quòd si autem tendat vlterius* (ad Ecclesiæ præfecturam) *iam in Dei iurisdictionem inuadit.* Et alibi: *Prophanus Magistratus, & externum illud imperium, non nisi in externa item & corporalia potestatem habet. D. Petrus prophanum magistratum solùm Humanum Statutum vocat, ideò nihil ei licet in statuta Dei, aut de fide aliquid præcipiendi.* *Sleidanus lib. 13. Lutherus tom. 5. in 1. Petri cap. 2.* Hæc (inquam) & alia huius generis in communibus Lutheranorum scriptis vbique obuia mittamus omnia; tantùm quia fides hæc est Anglorum propria, Anglorum Protestantium, eorum qui *Puritani* vocantur, sententiam intelligamus ex vno, qui de hoc ipso Primatu ita scribit: *Monstrosus ille aper Henricus* 8. (sic enim modestissimi homines de Rege suo loquuntur) *necessariò Caput Ecclesiæ appellari voluit sub pœna perduellionis, atq; sic è loco suo deturbauit Christum, cui soli illud competit. In hoc ergo articulo (O Angli) nihilò eratis meliores Romano Antichristo, qui eo nomine seipsum Deum facit, regnatq; in hominum conscientijs, & exterminat verbum* D E I, *quemadmodum etiam fecit vester Rex Henricus, quem ita prædicatis, & cuius ductum in religione secuti estis: quem eo modo & vos Deum fecistis, nihil credentes nisi quod ille approbabat.* *Gilby in Ad-monitione ad Angliam & Scotiam pa. 70. Henricus 8. Angliæ suo tẽpore Deus.*

Sed vt ad Antiquitatem redeamus, vel hoc vnicum, quòd *Athanasius* ille *Magnus*, & cum illo *Osius*, *Leontius*, *S. Hilarius*, & alij primatum hunc in hæretico illo Imperatore *Constantio* tàm acriter reprehenderunt, præmonere debuit patriam nostram & prudentes Reginæ Cõsiliarios, vt diligenter sibi cauerent & à simili errore perabsurdo, & etiam à suspicione Arrianismi quæ multorum in animis facilè poterat ingenerari, cùm viderent nostros ipsis scelestissimorum Arrianorum qui primi fuerunt istius impietatis authores, vestigijs in hoc tàm insigni capite religionis insistere. At verò primatum illum totum, imò cum accessione longè maiori longeq; diuiniori, assignare fœminæ, quæ illius (vt D. Chrysostomus monet) nulla ratione est capax, hoc quidē fatuitatis est incredibilis & assentationis nimiùm barbaræ, qua fit vt Angli omniũm ludibrio prostituamur, & in voculas omnium & quæ modò sunt nationum, atque etiam secuturæ posteritatis incurramus.

Primatus principis Ecclesiasticus, æterna labes Angliæ.

Hoc enim verè est non honorare Reginam tanquàm proximam à Deo, sed planè diuinitatem ei tribuere, eamque populo suo in locum Dei subrogare. Quæ cogitatio etsi à Regina ipsa absit longissimè, cùm tàm multa habeat mortalitatis suæ in memoriam reuocandæ argumenta; tamen illud certum est, hac execrabili & blasphema adulatione posse eam ad tàm horrendam impietatem non leuiter impelli, quemadmodum in paganis quibusdam Imperatoribus videmus, qui semel humanæ modestiæ limites transgressi, nunquàm destiterunt donec diuinos honores sibi assumerent. Ad quod proximus gradus est, affirmare & credere, *temporalem Principem esse Sacerdote in causis Ecclesiasticis superiorem*, vel *in Repub. Christiana proximam à Deo & Christo dignitatem esse* non *Sacerdotalem* sed *Regalem*, atq; hac ratione regimen Ecclesiasticum Reginę vendicare, quod *D. Paulus* clarissimè testatur esse Episcopis traditum, cùm ait: *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei quam acquisiuit sanguine suo.* In quo errore aliorum omnium dementissimo, & Anglicanę religionis hominibus peculiari, miserabile est post 101 annos, post tàm multum sanctorũ Martyrum contra eam impietatem declamantium copiosè profusum sanguinem, post tot doctissimorum virorum monita, videre tamen illos semper hærere, semperque pro iniquissimo hoc Principis spirituali primatu scripturas eas stupidè citare, per quas *Claudius* vel *Nero* (quorum temporibus illa scribebant Apostoli, & de quibus particulatim loquebantur) eundem

Regina tantũ, non Deus efficitur à libelli authore

Actor. 20. v. 28.

Nota.

eundem in Ecclesia gubernanda causisq; Ecclesiasticis primatum supra *Petrum & Paulum* sibi poterat asciscere, non minori ratione quàm quiuis Rex, qui hodierno die in orbe Christiano viuit.

Cùm enim S. Petrus monuit Christianos ad quos scribebat, & in ijs reliquos omnes, vt *subiecti essent Regi tanquàm praecellenti & praesidibus ab eo missis* (quem locum Aduersarius tàm confidenter vrget) primùm, ecquis est tàm tardus & hebes, vel potius tàm pertinax, & caecus, vt putet *D. Petrum* praescribere aliqua alia officia exhibenda Regi, quàm eiusmodi quae communia fuerunt & Paganis principibus eo tempore persequentibus Ecclesiam, & Christianis Principibus eandem post Ecclesiam protegentibus? Deinde, ecquis est Protestantium adeò insulsus, vt ex hoc loco velit arguere Paganos Imperatores ratione subiectionis quam hîc praescribit Apostolus, & ex vi suae Maiestatis Imperialis *DD. Petro, Paulo,* ipsoque etiam *Christo Saluatore* nostro in Ecclesia Dei & Ecclesiastica gubernatione fuisse superiores? (nam & Saluator noster temporibus suis non aliter se gessit erga Imperatorem, quàm hoc in loco *D. Petrus* hortatur Christianos omnes) atq; ita excellentem Apostolorum vocationem, vel excellentissimum Christi Sacerdotium apud Deum fuisse abiectius & apud Christianos minùs aestimandum, quàm Regalia Neronis aut temporalem authoritatem cuiuscunq; alterius, siue fidelis siue infidelis Principis? Tertiò, num ita parùm oculati sunt vt perspicere non possint, Regem vocari ab Apostolo *Praecellentem*, non quidem ratione aut comparatione alicuius spiritualis potestatis, sed Principum, Ducum, Praefectorum & aliorum qui loco eius populis ius dicunt & prouincias regunt, vt ex ipso textu facillimè deducitur? Quartò, nec adhuc tantulùm profecerunt aduersarij, vt distinguere possint & secernere causas in quib[us] Christiani Sacerdotes, Religiosi, alijque omnes (iuxta D. Chrysostomum) subijciuntur Principibus iustis, siue Paganis siue Christianis, ab ijs causis in quibus Princeps Sacerdoti praecipere non potest, sed contrà sacerdos Principi, hoc est, causas ciuiles ab Ecclesiasticis, ea quae attingunt corpus & res terrenas, ab ijs quae versantur circa conscientiam, religionem, aeternamq; tùm corporis tùm animae salutem? Quintò, nec illud ex verbis D. Petri antecedentibus aduerterunt, hanc fuisse occasionem cur de obedientia scriberet, vt instrueret fideles, quemadmodum sine offensione agerent inter Paganos cum quibus habebant consuetudinem? Pagani autem, vt de alijs permultis, ita de hoc potissimum ca-

1. Pet. cap. 2. v. 13. *Iust[in]. Brit. pag. 38.*

1. *Multa Protestantiũ absurda, dum primatũ spiritualẽ Principũ, in verbis D. Petri fundant.*

2.

3.

4.

5. *Verus sensus verborũ D. Petri.*

lumniabantur Christianos, quòd perduelles essent contra Imperatorem, quòd occultas coniurationes haberent, quòd obedientiam ei negarent (quam eandem cantilenam nunc Catholicis occinunt Protestantes) idcircò quia Christi fidem ad nutum Imperatoris nolebant deserere & Christianam disciplinam abijcere; sed magis Deo sanctisque Pastoribus suis à Christo constitutis in materia religionis parendum censebant, quàm Imperatori aut eius militaribus Præfectis. Ad huiusmodi igitur falsas calumnias reprimendas hoc à Christianis postulat D. Petrus, vt Principibus in omni causa mundana, temporali, & ciuili obtemperent, vt tributa soluant, vt obseruent leges, vt sub eorum imperio pacatè & modestè viuant, vt pro eis etiam orent, siue Christianam religionem tolerent, siue etiam persequantur.

6. Deniq; an credibile est vel huius Libelli authorē, vel eius socios adeò esse obtusos & hebetes, vt nec illud animaduerterent, quòd etsi Apostoli & sanctißimi primitiuæ Ecclesiæ Episcopi in Imperatores adhuc paganos & à Christo eiusq; religione alienos nihil habebant authoritatis, nec eos aliqua disciplina poterant cohibere qui nondū erga Apostolos & spirituales Ecclesię Rectores aliquod agnoscebant subiectionis officium, nunc tamen cùm Reges se populumq; suum Euangelio Christi submiserunt, liberaq; voluntate iugum eius suauissimum suis ceruicibus imposuerunt, & susceptis Christi Sacramentis se membra filiosq; Ecclesiæ effecerunt; his temporibus, hoc loco, omni rationi legiq; tum diuinæ tum humanæ consentaneum est, vt quemadmodum Magistratus spiritualis principi sæculari in rebus sæcularibus honorem præstat & obedientiam, sic etiam ex altera parte sæcularis Princeps Magistratui spirituali in rebus spiritualibus ad fidem, religionem, & animam spectantibus, similem honorem & obedientiam exhibebat? cùm vterq; suæ super alterum præstantiæ conuenientes habeat modos, vel legum seueritatem, vel disciplinæ grauitatem, quibus vterq; vicißim in ordinem redigatur, si alteruter contra alterum rebellare cœperit? Ex his autem duobus quoniam Magistratus spiritualis *in ijs constituitur quæ sunt ad Deum*, quę spectant ad animas, quibus illæ dirigantur ad vitam & fœlicitatem sempiternam, Princeps autem temporalis potißimum versatur circa bona & tranquillitatem huius mortalis vitæ, ex eo fit vt horum vtrumq; si mutuò conferamus, necessariò fateri debeamus authoritatem spiritualem esse excelsiorem & diuiniorem, Deiq; Opt. Max.

Differentia inter Principes Christianos & paganos.

Hebræ. cap. 5. v. 1.

supra

supra creaturas suas potestati summæ magis vicinam & similem, quàm est authoritas terrena aut *humana creatura*, quemadmodũ hoc in loco Apostolus Regem eiusque Præfectos appellat. *1. Petri 2. v. 13.*

Quare sicuti *omnis potestas* siue spiritualis siue temporalis *à Deo est*, vti docet Apostolus, ideoq; obedientia ac subiectio vtrique in suo genere tribuenda est, licèt quoad diuersa obiecta, causas, & rationes; ita illud quoque clarissimum est, ex his duabus Ecclesiasticam politiam & regimen ciuili longè esse sublimius & excellentius. Vnde *D. Ignatius*, hunc præscribit Superiores nostros colendi & honorandi ordinem: *Honora Deum vt omnium authorem & Dominum, Episcopum verò vt Principem sacerdotum imaginem Dei referentem, Dei quidem propter Principatum, Christi verò propter sacerdotiũ. Honorare oportet & Regem. Nec enim Deo quisquam præstantior aut quisquam similis ei in rebus omnibus; nec Episcopo quicquam maius in Ecclesia, qui Deo consecratus est pro totius mundi salute, nec inter Principes quisquam similis Regi qui in pace & optimis legibus subditos moderatur. Qui honorat Episcopum, à Deo honorabitur, sicut qui ignominia afficit illum, à Deo punietur. Si enim iure censetur pœna dignus qui aduersus Regem insurgit, quantò grauiori subiacebit supplicio qui sine Episcopo quid volet agere, concordiam rumpens & decentem rerum ordinem confundens? Sacerdotium enim est omnium bonorum, quæ in hominibus sunt, apex: qui aduersus illud fuerit, non hominem ignominia afficit, sed* DEVM *&* CHRISTVM IESVM *primogenitum, qui natura solus est summus Sacerdos patris, &c.* *Roman. 13. v. 1.* *Subordinatio potestatis Episcopalis & Regiæ iuxta D. Ignatium.* *Ignatius epistola ad Smyrnenses.*

Quòd si quis prætereà scire desiderat, quemadmodum veteres Christiani Imperatores hac de re iudicarint, & in negotiis his spiritualibus erga Sacerdotes quales se præbuerint; quibus honoribus, priuilegiis & prærogatiuis eos eorumq; sanctam vocationem affecerint, & supra cõmunem Laicorum sortem extulerint etiam in causis ciuilibus, legat is apud *Socratem & Sozomenum*; Constantinus Magnus quàm magnã modestiam præstiterit erga Patres Concilij Niceni. Legat & notet in D. Augustino egregiam humilitatem eiusdẽ Imperatoris vsque eò se demittentis, vt *à sanctis Episcopis veniam petere* voluerit, quòd in Cæciliani causa Episcopalis iudicij propria, suam authoritatem interposuerit, qui tamen Donatistarum importunis precibus contra suam voluntatem eò fuerat pertractus. *Neque enim* (inquit D. Augustinus) *ausus fuit Christianus Imperator de iudicio Episcoporum qui Romæ sederant iudicare.* Legat & expendat in D. Ambrosio *senioris Valentiniani* legem *qua sanxit, in causa fidei vel* *Veterũ Christianorũ Imperatorũ hac de re sententia & praxis.* *Socrat. lib. 1. cap. 5.* *Sozom. li. 1. cap. 9. & 16.* *August. epi. 162.* *Ibidem.* *Ambrof. lib. 5. epist. 32.*

Ecclesiastici

Ecclesiastici alicuius ordinis eum iudicare debere, qui nec munere impar esset, nec iure dissimilis: hoc est, sacerdotes de sacerdotibus voluit iudicare. Idem ferè scribitur ab eodem *D. Ambrosio* de Imperatore *Gratiano* in Concilio Aquilegiensi. Denique vt breuis sim, legat attentè 6. Constitutionem *Imperatoris Iustiniani* vbi Christianus Imperator rectè discriminat Sacerdotium & Imperium, illudq; huic anteponit ita scribens: „Maxima quidem in omnibus sunt dona Dei à superna collata clementia, Sacerdotiũ & Imperium, illud quidem diuinis ministrans, „hoc autem humanis præsidens, quæ ex vno eodemque principio „vtraque procedentia, humanam exornant vitam, &c.

Atque hæc ita sese habent in ijs Regionibus vbi Ecclesia & Status ciuilis in vnum quodammodò corpus & Rempublicam coaluerũt: vbi quemadmodum Prælati & Ecclesiastici multis in causis subsunt Regibus, sic Reges & populi reciprocè multis in causis obediunt Ecclesiæ eiusque Prælatis, vtrique autem honoribus mutuis sese inuicem prosequuntur, & suauiter ad Christi Regnum propagandum consentiunt; sic tamen, vt spiritualis principatus inter Christianos semper primas teneat, quanquàm temporalis quoad mundanas opes, gloriam, & magnificentiam populo in pace continendo valdè necessariam, ferè præstet, & in oculis hominum, maiori splendore rutilet, quam exteriorem etiam Regum pompam & speciem, Prælati in suis separatim prouincijs, omni quo possunt officio pro virili alere & conseruare non detrectant. Romanus verò Pontifex inter Episcopos omnes populumq; Christianum vniuersum primus, cùm neque ratione ditionis temporalis vlli sit omninò Principi subiectus, & ratione iurisdictionis spiritualis omnes prouinciarum & regionum particularium Episcopos longo interuallo superet, hic (inquam) cùm principatum habeat neutro modo aut relatione quacunq; sub altero constitutum, necesse est vt tanquàm supremo in loco positus & singulariter eminens, alijs sine exceptione omnibus longè anteferatur. Et quanquàm eius status temporalis non expressè fundetur in lege diuina, neque ad Deum tanquàm proximum eius authorem referatur quemadmodum Primatus spiritualis, qui à Christo directè & proximè deducitur, tamen magna Dei prouidentia factum est, vt postquàm Imperatores & Reges Christianam fidem amplexi Ecclesiæ communioni sese adiunxerũt, summus eius Pontifex ad honorem Christi, illiusq; quo vice Christi fungitur excellentis officij, ab omni subiectione eximeretur, bona cum

Diuina prouidentia circa Pontificis statum temporalem.

cùm Regum ipsorum & Imperatorum voluntate, ab eisq́; collocaretur in possessione Ciuitatis orbis terrarum primariæ. Id quod nūquàm potuisset effici,& tot sæculis ad hunc vsq; diem perpetuari,inter tot mutationes,casus,& ruinas quæ interim omnibus circumcirca regnis & Monarchijs amplissimis acciderunt, nisi Dei singularis bonitas & ordinatio ita statuisset,in eum finem,vt hic Episcopus sub nullius imperio positus, securiùs liberiusq́; minori cum periculo, & maiori cum æquabilitate iustitiam posset administrare omnibus, & sine formidine aut personarum acceptione, Ecclesiasticam disciplinam erga omnes ex Christi grege vel maximos vel minimos,vel arietes vel agnos exercere. Quod tàm commodè fieri non poterat, si quemadmodum alij Episcopi,sic & iste alicuius Regis imperio viueret obnoxius.

Atq; hîc etiam ex imperitissimis nostris hæreticis nōnulli (& nominatim Libelli author) adeò sunt vel cōmunis sensus ignari, vt cōtra ea quæ diximus, magnis lateribus iactare audeant D. *Paulum* præcipientem, *vt omnis anima potestati sublimiori subdita sit*, ex hoc loco (quātum conijcere possumus) concludentes, Pont. Romanum Reginæ Angliæ *subditum* esse debere, vel saltem alicui alteri Principi. Quasi verò *omnis anima*, *omni potestati* se ipsam debeat subijcere, aut alij cuicunq; quàm tali, quæ in eam legibus & moribus iustā habet authoritatem; aut quasi vel huic tali alijs in rebus parendū sit quàm ijs quæ ordinatè & legitimè ab illa mandari possunt; aut etiam quasi Deus sæcularem tantùm potestatem erexisset, & obedientiam omnem illi præstandam sanciuisset, de spirituali autem potestate nihil vspiam meminisset, nec de obedientia quæ illi debetur quicquam penitus significasset. Ab huiusmodi nimirum stupidissimis homuncionibus Ecclesia iam oppugnatur, qui & religionis omnis sunt expertes qua in his controuersijs dirigantur, nec rationem habent qua dijudicent ea quæ paulò sunt difficiliora,& sensu communi carent quo cernant ea quæ sunt apertissima & tanquàm ante pedes, cùm istiusmodi loca proferunt ad Principum tantumòdò temporalium potentiam constituendam, quæ vel manifestis verbis, vel necessaria consequentia multò magis spiritualem authoritatem confirmant, & obedientiam illi exhibendam præcipiunt.

D. Paulus cōtra primatum absurdissimè ab aduersario citatus pag. 37.

Roman. 13. v. 1.

Eadem etiam cæcitate vir iste producit dictum Saluatoris, *Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic*; vt probet Pontifices non debere sibi temporalem authoritatem sumere, sed *solùm pastoritio munere* in pascen-

Lucæ 22. 25.

Iustit. Brit. pag. 28.

Christi verba perperàm intellecta. *in pascendis ouibus defungi, sicuti Petro præceptum est: Pasce oues meas; quæ disciplinæ forma, multa sæcula post Christi & Apostolorum mortes & sepulturas à multis Rom. Pontificibus pijs retenta est.* Atqui nec hoc Saluatoris præceptum vnquàm protulisset, si eò Tyrannica tantummodò dominatione Paganis Regibus erga suos subditos admodú familiari, magistratui Christiano siue temporali siue spirituali à Christo interdictum nouisset, neutri autem prohibitum iustum supra alios regimen & principatum. Id quod discere potuerat vel à suo domi Archiepiscopo, Status Archiepiscopalis magnitudinem contra *Protestantes puriores* defendente, qui clarè affirmat, *communem esse Scriptorum omnium opinionem, hæc Christi verba non ad solos Ecclesiasticos pertinere, sed ad Christianos omnes promiscuè, illisq; prohiberi non principatum, dominatum, aut similem authoritatem, sed tantùm ambitiosam eius affectationem*: quem esse verum loci sensum ex variis Protestantium commentariis ostendit. Aut si illud non aduertit, hoc saltem debuit considerare, vocem *pascendi*, compræhendere non solùm concionandi munus, sed etiam legitimos modos sanctosq; conatus Euangelio propagando & hominum saluti promouendę commodos, pro differentia temporum, locorũ, & personarum: in quo genere sunt excommunicationes, & alię censuræ Ecclesiasticæ, quibus sine controuersia ad spiritualem potestatem directè pertinentibus æquum erat aduersarios humiliter obtemperare. Quod si facerent, nunquàm hos Pontificis vel aliorum gladios extimescerent, quorum inani & garrula repetitione lectoribus adeò sunt fastidiosi.

Vvhitegif. in Defensione contra T. C. cap 1. diuisio 1.

Pascere, quid contineat.

Protestantiũ zelum præposterus in limitanda vtraque potestate Roma. Pontificis. *Pag.39.* Simulant quidem hac in re nescio quem zelum Apostolicum, aiunt enim Pontifices antequàm his affluerent opibus & amplitudine temporali, *Christiq; doctrinam & piam Apostolorum simplicitatem imitarentur, plus in Ecclesiam fructus attulisse, magisq; fines eiusdem & terminos vel centum annis extendisse, quàm eorum posteri execrationibus & gladijs quingentis annis prodesse potuerunt.* At respondemus, istos nunc id præ se ferre quasi Pontifici ereptam velint non solùm temporalem potentiam (quò tamen eorum argumenta & scripturæ loca hactenus citata solùm videbantur tendere) verùm etiam armaturam spiritualem & Ecclesiasticam omnem in peccatoribus castigandis disciplinam, quam Libelli author *execrationum* nomine designat, quibus tamen perspicuum est veteres Episcopos non minùs, imò fortasse magis & frequentiùs fuisse vsos aduersus Christianos delinquentes, quàm nunc ijsdem posteriores Pontifices vtuntur: licèt ante Principum

pum ad fidem conuersionem, aliquam aliam disciplinam, multò minùs *saeculare brachium* illis corrigendis adhibere non potuerint: quandoquidem ijs temporibus nondum eam habebant dignitatem mundanam, quam & ipsorum sublimis inter Christianos vocatio requirebat, & diuina prouidentia non longè post eis largiebatur; quin potius saeculis aliquot in perpetua viuebant persecutione, mortemque ab inimicis nominis Christi illatam sufferebant. Quam eis conditionem perpetuam imprecari videntur aduersarij, quibus molestum est quòd viribus vllis sint instructi, vel ad impugnandos Turcas, vel ad castigandos haereticos, qui spirituali excommunicationis sententiae obtemperare pertinaciter recusant.

De populis autem ad fidem CHRISTI conuersis aut conuertendis, vtrùm Pontifices Romani ad CHRISTVM plures aggregauerint primis saeculis cùm in paupertate viuerent, an verò posterioribus quando magis erant locupletes & copiosi, non est cur admodum subtiliter examinemus. Hoc potius à viris prudentibus expendendum est, vtrùm ille quem nunc videmus Romanorum Pontificum Status magnificentior, nostris temporibus ad populos Principesque iam Christianos in fide suscepta continendos non magis sit idoneus, quàm fuerit prior illa indigentia antiquissimo Apostolorum saeculo. Quanquàm illud difficile probabit aduersarius, plures nationes ad Ecclesiam fuisse adiunctas in illa Pontificum paruitate & inopia, quàm post in eorum opibus & magnitudine. *Temporalis potentia, Pontifici admodum necessaria.*

Hoc quidem ex historiis manifestum est, *Angliam* nostram, *Germaniae* partem longè maiorem, *Poloniam*, *Hungariam*, *Belgium*, & alias regiones septentrionales, praeter *Indiam* orientalem & occidentalem, multasque in extremis mundi finibus prouincias, vel primò fuisse ad Christum conuersas, vel post Apostasiam recuperatas, sanctis posteriorum Pontificum laboribus. Sed vt ab inuidiosa comparatione aduersarium abducam, illud confidenter assero, hunc qui modò viuit Pontificem Romanum sua vnius spirituali & temporali potestate diuinitus accepta, longè plus operari ad Paganos, Turcas, Iudaeos, Mauros, Haereticos, Schismaticos & alios infideles Christiana fide imbuendos, quàm omnes vbique Protestantes si in vnum conferantur, Reges, Principes, Duces, & Respublicae; vt interim silentio praeteream innumerabilia charitatis officia multis partibus orbis Christiani tributa, quae nunquàm efficere potuisset, si his humanis *Conuersiones populorũ ad fidem, opera posteriorum Pontificum.*

opibus & facultatibus fuisset destitutus, quæ non minùs ad ista præstanda, quàm ad illustrem excellentemq; supra Principes atq; Prælatos omnes vocationem suam tuendam requiruntur.

Verùm de præstantia potestatis spiritualis, siue in Rom. Pontifice qui nullum habet in terris superiorem, siue in alijs particularium regionum Episcopis, qui sæpenumerò sub aliorum Regum imperio viuunt, satis opinor multa diximus ad refutandam aduersarij & similium pestiferam adulationem, qui sæcularem quemcunq; Principem liberare cupiunt ab omni Pastorum suorũ obedientia. Tantummodò pauca D. Ambrosij verba omnibus in patria nostra viris prudentioribus diligenter ponderanda, tanquàm coronidis loco apponemus, quæ plurimum habent momenti ad hanc totam controuersiam determinandam. *Mandatur mihi* (inquit D. Ambrosius) *trade Basilicam. Respondeo, nec mihi fas est tradere, nec tibi accipere* (*Imperator*) *expedit; domum priuati nullo potes iure temerare, domum Dei existimas auferendã? Allegatur; Imperatori licere omnia, ipsius esse vniuersa. Respondeo; Noli te grauare Imperator, vt putes te in ea quæ diuina sunt, imperiale aliquod ius habere, noli te extollere, sed si vis diutius imperare, esto Deo subditus. Scriptum est, Quæ Dei Deo, quæ Cæsaris, Cæsari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiæ. Publicorum tibi mœnium ius commissum est, non sacrorum.*

Epistol. 33. *Egregia D. Ambrosij de spirituali primatu sententia.* *Mat.* 22. v. 21. *Luca* 20. v. 25.

Hæc D. *Ambrosius* Imperatori *Valentiniano*. pariq; libertate & fiducia nos Principi nostræ omnibusq; qui sub ea Reipub. administrandæ præsunt testamur, eos turpiter eius clementia abuti ad suam ipsorũ damnationem perpetuam, & ad Reginæ Regniq; certissimam ruinam, (nisi Deus supra humana merita suam nobis misericordiã præbuerit) quicunq; sordida adulatione vt ei ad tempus gratificentur, eius Regalia terrenumq; principatum supra sacerdotium & Apostolicam authoritatem sic attollunt, vt eam excipiant à cõmuni Christianorum reliquorum conditione, vt eam solutam esse velint ab obedientia qua Chtistiani omnes alligantur, hoc est, ne Ecclesiæ Christi illisq; Pastoribus subijciatur, quos eiusdem Ecclesiæ in hoc sæculo Spiritus sanctus constituit gubernatores.

Impia est adulatio eximere regem ab obediẽtia pastoris sui.

Denuntiamus illis ingenuè & apertè cum eodem eximio Doctore, deq; hoc tum capita nostra in hac vita periclitabimur, tũ animas in futura, idq; ea cum submissione qua decet subditos, & sine vlla vel leuissima eius Regiæ Maie. imminutione, illi nihil esse iuris, authoritatis, aut potestatis in Ecclesiam vel causas Ecclesiasticas, non magis quàm tenuissimo in sua Repub. Christiano: imò multò minùs, donec rur-

nec rursus inseratur in cõmunionem Ecclesiæ & vnitatem sedis Apostolicæ. Vnum hoc adijcimus, quòd & propter loci dignitatem, & solennem sanctissimi iuramenti obligationem, multò magis quàm subditi ad Ecclesiam defendendam astringitur.

Postremò, illis omnibus quæ superiùs attigimus argumentis, rationibus, Patrum & sanctarum literarũ testimonijs innixi, asserimus præter Deum omnipotentem, vnicuiq; sæculari Principi Christiano, & Pastorem suum proprium, & maximè Pastorem generalem totius Ecclesiæ, esse in hoc mundo superiorem quoad omnes causas religionis & conscientię, in quibus omnibus ei iure diuino tenetur obedire, nisi æternam damnationẽ velit incurrere. Nec dubitamus Dei iustum & terribile iudicium illis Regibus populisq; omnibus imminere, qui ei parere recusant, eiusq; sanctionibus præfractè reluctantes, Antichristiana superbia potestatem sibi vendicant, quam illis nulla ratione fas est tribuere.

CONCLVSIO LIBRI, CONTINENS BENEVOLAM SVASIONEM ET AMICVM

hac omnia pacificandi ordinem, si aliqua nimirum via ineatur religionis Catholicæ in Anglia tolerandæ, & istius cruentæ persecutionis vel prorsus tollendæ vel saltem mitigandæ.

CAPVT IX.



AM verò etiamsi cùm seriò meditamur Patrię nostræ peccatum grande & inexpiabile, acerbissimũ ex eo dolorem & timorem vt par est, concipimus; tamen vel insita nobis erga carnem & sanguinem nostrum affectio, impellens vt magis fausta speremus quàm sumus promeriti, vel immensitas infinitæ Dei misericordiæ, humanæ impietati contrariam mercedem rependens, veniam nimirùm peccatis eorum quos verè pœnitet, sæpè nos exuscitant ad gratiam à Deo & misericordiam potiùs expectandam, quàm supplicium debitum & iudicij seueritatem.

Causa cur & timeamus & speremus de patria nostra

In qua meditatione illud crebrò nobis occurrit, si quod sit remedium diuinæ vindictæ à Principe & patria nostra auertendæ, abundantia certè sacrati sanguinis his postremis annis, adeoque & à primis huius Apostasiæ temporibus tanta cum charitate & constantia profusi, primum locum tenet. Qui etsi in cœlum clamare, & vindictam videatur exposcere (quod verum est, si respiciamus homines scelestos sine pœnitentia in impietate sua obfirmatos, ciusque clamor contra eos nunquàm erit inanis) tamen eo speramus nobis impetrari misericordiam, maximè cùm consideramus infinitum illorum numerum qui tantæ immanitati nunquàm consenserunt. Hoc illud est quod nos in primis solatur, & ad præclaram spem erigit. Roborat hanc spem, multorum optimorum Sacerdotum & nobilium Laicorum heroica fortitudo, qui perpetuò non solùm preces & alia Christianæ pietatis opera, sed etiam fortunas, libertatem, vitam suam quodãmodò sacrificant pro charissimæ patriæ salute. Roborat tandem spem, summi Pontificis incredibilis cura & sollicitudo, qui nostram reconciliationem immensa cum charitate procurat. Roborat generalis consociatio omnium toto orbe Christianorum, ad nos Ecclesiæ restituendos coniunctis animis contendentiũ. Nulla est Ecclesia, nulla est societas, nullum est Monasterium aut Collegium paulò celebrius in orbe Christiano, quod non flagranti zelo, publicis ieiuniis & precibus, apud Deum pro misericordia nobis obtinenda intercesſit. Illi denique homines, illæ actiones, illa vno verbo omnia quæ aduersarij putant solas esse suorum periculorum & perturbationum causas efficientes, ea nos amplisſima spe complent, vt certò propè expectemus, & istis veniam & toti Patriæ salutem Dei bonitate esse impertiendam.

Conditio à Libelli authore proposita.

Iustit. Brit. pag. 70.

Vtque iam in conclusione non minùs amicè & liberaliter cum aduersario agamus, quàm ille videtur nobiscum, nihil certè optamus aliud ad eius rei complementum, quàm proponit & partim pollicetur, nisi vt certam haberemus de ea Reginæ & Consiliariorũ voluntatem, aut vt Libelli author apud illos ea polleret authoritate & gratia, qua posset ad effectum perducere quod verbis obscurè significat: hoc est, *se non dubitare, quin Regina sisteret manus à fundendo ciuium suorum sanguine, potiusq; omne munificentiæ genus in eos conferret, si illi ab externis fraudibus desisterent & à perscribendis libris plenis conuitiorum; si deinceps non vagarentur in tenebris sed in lucem prodirent & solem, seq; ad verum disciplinæ scholarumq; suarum vsum immutarent, suaq; manerent profesſione & deuotione*

uotione contenti; ſic enim loquitur, quæcunque ſit interim mens hominis & ſententia. Verùm (bone Deus) ſi aliqua miſericordia, ſi aliqua iuſta & honeſta pacificatio etiam cum conditionibus periniquis aliquo tamen modo tolerabiliùs vnquàm fuiſſet meditata, vel Catholicis cupidè deſiderantibus oblata, aduerſarijs nunquàm fuiſſet opus hanc tantam crudelitatem expromere in neceſſarios ſuos, in cognatos & ciues amantiſsimos, iſtę turbæ, timores & pericula nunquàm fuiſſent cogitata, quæ nunc in eorum animis tàm altas radices egerunt. Si magiſtratus miſericordia vel leuiter commoti patefeciſſent aures continuis clamoribus, lachrymis, obteſtationibus Catholicorum, aliquod leuamentum conſcientijs ſuis incredibiliter vexatis poſtulantium, quibus in dies ſine intermiſsione noua imponebantur iuramenta execrabilia, articuli religionis inauditi, variæ ſubſcriptiones, Eccleſiarum, concionum, communionum hæreticarum frequentationes, aliaq; funeſta Caluiniſmi approbati ſymbola; ſi Catholici impetrare potuiſſent, vel aperta licentia vel tacita ſimulatione, in quibuſdam licèt paucißimis Regni locis ſecretò ſine vllo Proteſtantium ſcandalo, liberum eius fidei & religionis vſum in qua omnes maiores noſtri à prima Inſulæ conuerſione vixerunt & mortui ſunt, in qua ipſi aduerſarij baptizabantur, & à qua nullo vel diuino vel humano iure auelli poterunt ad aliquam nouam religionem aut ſectam ab ipſis vel maiorib⁹ ſuis libera voluntate nunquàm approbatam; ſi inter tot inſignes Eccleſias, Collegia, alioſque magnificentiſsimos apparatus toto regno à *Catholicis* & pro *Catholicis* factos, & ſolis *Catholicis Catholicæq;* religioni, nullis autem *Proteſtantibus* aut eorum qualicunque ſacrilego *Miniſterio* deſtinatos, vel quædam exigua ſacella veris Dominis illiq; diuino cultui propter quẽ omnia inſtituebantur, fuiſſent permiſſa: ſi vel partem aliquam eius libertatis potuiſſent adipiſci, quam habent *Catholici* in *Germania, Heluetia*, alijſq; locis vbi poteſtas ſumma eſt penes *Proteſtantes*, aut quam habent *Hugonoti* in *Gallia*, imò ſi ea cum humanitate fuiſſent tractati quam *Chriſtiani* experiuntur inter *Turcas*, vel *Iudæi* inter *Chriſtianos*; aut ſi hoc non modò precibus & ſupplicibus Libellis, ſed etiam tributis idq; moderatis vel immoderatis exorari potuiſſet, quod crebrò, demiſsiſsimè, & lamentabili cũ obſecratione fuit flagitatum: vel vt breuis ſim, ſi de Catholicorum animabus, corporibus, fortunis, vlla aduerſarios attigiſſet cura & commiſeratio, nunquàm tanta domi multitudo eorũ im℘baſſet regimen, nunquã ipſi tàm varios timores de mul-

Catholicorũ in Anglia difficultates extremæ.

Catholici nuſquã gentium, nec apud Turcas viuunt tàm miſerè quàm in Anglia.

de multorum alienata voluntate, de Nobilium & aliorum illustriũ virorum discessione concepissent: nunquàm tot Collegia & Seminaria in aliorum Principum ditionibus fuissent instituta & Anglicanis adolescentibus referta, quorum initium nunc quidem est gloriosum, exitus autem in posterum magis fortasse magisq; erit Christianis omnibus admirabilis: nunquàm tàm multi Sacerdotes vel domi olim vel foris nuper consecrati, qui eorum hæreses adeò constanter & efficaciter confutarunt, hanc palæstram fuissent ingressi: omnis amputata fuisset occasio tot libros scribendi, partim vt innocentiam nostram maiorumq; fidem defenderemus, partim vt iustissimis querelis Christiano orbi notam faceremus barbaram & intolerabilem crudelitatẽ, quæ quotidiè ad nos conficiendos exercetur.

Libri contra aduersarios scripti sine vllis conuitijs.

In quibus omnibus libris nemo Protestantium tota Anglia conuincere poterit authores alicuius mendacij, calumniæ, procacitatis, aut immodestæ contra Principem vel persecutores ipsos maledicentiæ: quomodocunque hoc in loco placet Libelli authori sine argumento vaticinari. Imò in hoc genere de simplicitate & innocentia nostra adeò certi sumus, vt fidenter huic homini asseueremus, eum producere posse nullam lineam, nullam sententiam, nullum exemplum ex omnibus scriptis nostris, quo accusationi suæ vmbram aliquam probationis obtendat. Quemadmodum ex altera parte, nec iste, nec ex fratribus suis vlli, aduersarios hostes Ecclesiæ Dei, liberos præstare poterunt ab aliquo crimine, vel quoad mores vel quoad doctrinam, quod nos illis obiecimus.

Denique illi Sacerdotes qui Angliam ingrediuntur (de quorum clandestinis actionibus, simulato habitu, continuaque intra priuatos parietes remansione, iste tàm multa conqueritur, quasi hæc satis superque essent ad eos omnes grauissimæ perduellionis manifestè conuincendos) iam olim publicè apparuissent in habitu sacerdotali, & sacratas ordinis sui functiones apertè in oculis hominum exercuissent, quemadmodum apud alios omnes Christiani nominis populos & prouincias vsitatum est, si quocunque modo sine euidenti capitis discrimine, hoc ab eis fieri potuisset. Atque in præsentia nihil ampliùs exoptant, quàm Principis permissionem aut mandatum (quod obscurè subindicat Libelli author) quo palàm *vtantur doctrina, deuotione, & professione sua iuxta Scholarum morem*, aut aliam quamcunque de vitæ securitate sponsionem, moxque se offerent paratissimos ad fidei suæ rationem vel coram Academijs Angliæ, vel ipsa Regina &

Publica disputatio desideratur, si vllis æquis conditionib. possit impetrari.

gina & Consiliariis quibuscunque reddendam. Id quod multis libris varijsq́; modis fratres nostri sæpenumerò admodum humiliter & vehementisimè flagitarunt, nec vnquàm potuerunt impetrare.

Inijcit nobis spem Libelli author desituram persecutionem, si Sacerdotes & alij ex Seminarijs apertè agerent. Et nos illi vicisim sanctisimè pollicemur, si priùs desierit persecutio, & de Principis voluntate constiterit (hoc enim ipso naturæ ordine primò requirendum est) Sacerdotes, Religiosos; & Catholicos omnes in lucem esse prodituros, easq́; Christianæ religionis functiones & opera quæ nunc necesitate compulsi in occulto peragunt, palàm publiceque administraturos. Neque enim quenquam per Dei gratiam, ordinis, fidei, professionis, aut Magistri sui pudet, etiamsi singuli & aliàs natura, & ipsis quoque religionis nostræ legibus obligamur, nos ipsos quamdiu Dominus permiserit, à persecutorum gladijs saluos conseruare & incolumes. Atque hoc quidem inter alia permulta, insigne est argumentum, & sacerdotum aliorumque Catholicorum innocentiæ, & aduersariorum ignorantiæ atque malitiæ; quòd cùm acerrimè studeant homini Christiano aut Sacerdoti, læsæ Maiestatis actionem intendere, nihil aliud expiscari poterunt præter ista nugatoria, quòd publicè medio foro non ambulet, quòd secretò res suas agat, & ad carnificis laqueos declinandos, habitu sit indutus suæ vocationi non admodum congruenti; crimen illi persimile cuius olim nequisimus *Fimbria* optimum *Scæuolam* quem grauiter vulnerauerat, coram Iudicibus accusare voluit. Rogatus enim causam cur *Scæuolæ* diem dixit, respondit, *quia* nimirum *non toto corpore ferrum recepit.* *Cic. pro Roscio Amer.*

Sanctisimus Rex & Propheta Dauid, cùm in ijs locis esset vbi periculum aliquod capitis suspicabatur, non solùm aliàs manifestè fugiendo, aliàs occultè latitando, aliàs artificiosè statuam suo loco supponendo inimicorum manus euasit, sed etiam aliquando planè furiosum se simulauit, vt apud *Achim Regem Geth* quò ita præsenti se periculo expediret. Quàm sæpè illud occurrit apud Euangelistas de Saluatore nostro, non quòd præceperit Apostolis suis, *cùm persequentur vos in ciuitate ista, fugite in aliam*, sed quòd ipse *fugit in Aegyptum*, quòd *abscondit se*, quòd *ascendit* ad Ierusalem *die festo non manifestè sed quasi in occulto.* Et alibi: *Iesus non iã palàm ambulabat apud Iudæos, sed abijt in regionem iuxta desertum, & ibi morabatur cum discipulis suis*, adeò vt necesse fuerit Phariseis eum comprehendere studentibus, quasi regio edicto promulgato, emissarios suos & exploratores armare publica autho-

Quòd liceat fugere & occultare se tẽpore persecutionis.

1. Reg. 19. v. 13. *1. Reg. 21. v. 13.* *Matth. 10. v. 23.* *Mat. 2. v. 13.* *Ioã. 8. v. 59.* *Ioã. 7. v. 10. & 11. v. 36.* *Ibi. 11. 54.*

 ritate,

Ioā. 11. v. 56. Ioan. 3. v. 2. & 7. v. 50. Ibidē c. 19. v. 38. Act. 1. v. 13. & 12. v. 12. Damasus in Pontific. Sozome. lib. 6. cap. 12. & lib. 5. cap. 6. Socrat. li. 4. cap 12. Damasus in hist. Barlaā. Theodor. lib. 4. cap. 12. Exēplū Eusebij martyris rebus Anglicanis aptissimum.

ritate, ad eum inuestigandum. *Querebant enim eum* (inquit Scriptura) *& dederunt mandatū, vt si quis cognouerit vbi sit, indicet, vt apprahendant eum.* Et quis ignorat criminosum nō fuisse Nicodemo, quòd sępè ad *Christum venerit nocte*? quòd *Ioseph ab Arimathæa fuerit discipulus occultus propter metum Iudaeorum*? Quis nescit Apostolos & ante effusum in eos Spiritum sanctum, & post etiam, seipsos occultasse in priuatis cubiculis & cœnaculis? quemadmodum etiam primi Pontifices & Martyres Romani metu persecutorum, suos habebant conuentus, celebrabāt mysteria, & cogebant synodos in cryptis subterraneis. Aut quomodo obliuisci poterunt, quid *Magnus* ille *Athanasius* egerit, grassante contra eum *Iuliani Apostatæ* & Arrianorum Imperatorum *Constantij* & *Valentis* persecutione, qui aliquando in priuatis domibus ad multos annos, aliquando etiam in patris sepulchro delituit? Aut quemadmodum sanctus ille *Barlaam* & habitu, & gestu, & reliquis actionibus mercatoris personam induerit, vt Principem *Iosaphat* Christianæ fidei lucrifaceret? Cur illis non venit in mentem memorabile exemplum *Eusebij* beati martyris & Episcopi *Samosateni*? *qui habitu militari indutus & capite tiara operto, Syriam, Phœniciam, & Palæstinam peragrauit, quò presbyteros Diaconosq; crearet, & alia Ecclesiastica obiret officia*, tū nimirum cùm illarum prouinciarum Ecclesiæ veris Sacerdotibus & Sacramentis diuinis essent spoliatæ per *Arrianos*, quemadmodum nunc Ecclesiæ Anglicanæ vastatæ sunt per *Caluinistas*.

Vestitus mutatio licita.

Est quidem veritas apud Theologos omnes certa & indubitata, quemcunque religiosum, Sacerdotem, aut Christianum hominem, ad euitandum vitæ vel libertatis periculum, posse in locis infideliū relinquere habitum, vel si quæ sunt similia externa professionis suæ symbola, & in se quamuis personam suscipere, vt ita saluti consulat. Et nisi insidiosæ hæreticorum fraudes ipsa iam assiduitate nobis essent notissimæ, miraremur certè hanc tantam in Protestantibus nostris disciplinam & religionem, qua à nobis postulant vt more Sacerdotum, in Sacerdotali veste incedamus cum manifesto discrimine vitæ, quando ipsorum domi Ministri in tanta licentia & securitate magnos conscientiæ prætendunt scrupulos, ne aliquo peculiari vestitus genere vtantur, imò prędicant impium esse & superstitiosum, vllum vsurpare habitum religiosum vel Ecclesiasticum quo Sacerdotes à laicis internoscantur. Et tamen illud inficiari non possumus, aduersarios nostros magna ratione adduci, vt Sacerdotes sic ornatos palàm velint incedere. Sic enim facillimè eos simul om-

nes

nes comprænhensos possent è medio tollere, eoque modo (vt arbitrantur) plenam victoriam consequi. Cęterùm Saluator noster cùm prædicit se *discipulos suos missurum sicut oues in medio luporum;* illos commonefacit, & in illis nos omnes, debere vtique nos non modò *simplices esse sicut columbas*, sed etiam *prudentes sicut serpentes*, maximè cùm versamur inter lupos, hoc est hæreticos, qui omnium mortalium maximè sunt truculenti & sanguinarij. *Matthæi 10. v. 16.*

Sed vt ad propositum nostrum redeamus, eamq; quam offert aduersarius conditionem de tollenda vel mitiganda hac persecutione, si deinceps *nō vagemur in tenebris sed in lucem prodeamus & solem:* nos quidem coram Deo & Angelis eius sincerè profitemur (modò certi aliquid obtinere poterimus de securitate vitę, de libertate conscientiæ, de Christianæ Catholicæque Ecclesiæ ritibus ad salutem nostram fratrumque nostrorum obeúndis) nos quæ iam absconditè & secretò exequimur, eá omnia in luce & sole palàm acturos; idque ea cum modestia, pace, & tranquillitate quæ deceat Sacerdotes, quaque semper hactenus vsi sumus, vt ita demùm ea quæ suspicamini esse Statui perniciosa, quia fiunt in occulto, vobis ipsis appareant perspicuè nihil continere omninò, præter materiam religionis & pietatis, ad quam solam omnes huiusmodi actiones verè referuntur, & quæ Statui non solùm nihil obsunt, sed plurimùm etiam prosunt.

Quare, si illi qui modò sub Regina Reipub. nostræ habenas moderantur induci non possint, vt seipsos Regnumque vniuersum ad illam antiquam formam & speciem Catholicæ professionis reuocent, quam nobis reliquerunt maiores nostri, & qua Respub. fruebatur cùm isti ad eam regendá accederent (id quod absolutè & simpliciter est optimum, licèt fortassis aliquam leuiorem ignominiæ maculam ipsi putent sibi adhæsuram, si primum illum errorem agnoscerent, quamuis reuerà longè est cùm ignominiosius tùm periculosius in errore suscepto perseuerare) tamen illud considerent, in hoc ab eis quoad ciuilem politiam fuisse erratum maximè, quòd vel ab initio, vel posteà, conscientiæ libertatem non concesserint Catholicis, quorum in Regno numerus erat maior, & conditio honoratior, ideoque & maiori indulgentia dignior, quemadmodum Protestantes in *Germania* alijsque Prouincijs finitimis magno suo commodo fecerunt. Quæ culpa si non omninò, saltem magna ex parte posset corrigi, si vel adhuc aliqua

miſeratione afficerentur erga tantam multitudinem, quæ luctuosè admodum & quoad animas & quoad corpora in ſummo mœrore langueſcit, propter hominum perpaucorum (vt eſt communis opinio) inſolentem & neſcio quam peruicacem animi inductionem: qui in quauis tenui recula aut circumſtantia cedere, ſuæ dignitati turpe exiſtimant, quantacunque demùm vtilitas ex eo ad Rempublicam ſit prouentura.

Aduerſariorum progreſſus in perſecutione nobis fortaſſe ſecurior. Atque hanc ſanè conſcientiæ libertatem dum requirimus, minùs fortaſſe nobis ipſis conſulimus quàm aduerſariorum opulentiæ & mundanæ tranquillitati, cuius ipſi mutationem admodum videntur metuere. Et quis nouit an diuina prouidentia longè alia lance velit hæc omnia pendere, nobiſque dicere, *neſcitis quid petatis:* *Matth. 20. v. 22.* qui fortaſſe iudicat illud eſſe ad nominis ſui gloriam præclarius, & ad ſalutem tum noſtræ nationis vniuerſæ, tum plurium particulatim animarum expeditius, vt per medios iſtarum perſecutionum *Germania.* fluctus peruadamus, & ſanguine noſtro noſtram ipſorum fratrumque ſalutem comparemus. Et ſanè ſi illi qui apud *Germanos* ſunt Catholici, eodem modo quo his poſterioribus annis *Angli*, carceres, vincula, & mortem fuiſſent perpeſsi, nec ciuitates ſuas vt multis in lo- *2. Cor. 6. v. 15.* cis *inter lucem & tenebras, Chriſtũ & Belial* diuiſiſſent, forſitan ante hunc diem Catholici fuiſſent illic & numero plures, & zelo feruentiores, regioque tota Eccleſiæ Catholicæ reſtituta; cuius iam pars Lutherana non tàm religiosè hæreſim ſuam amplectitur, quàm fructuosè quietem, otium, & cum Catholicis pacificam beneuolentiam conſectatur.

Cæterùm quoniam iſta ſupra nos ſunt & à noſtra comprehenſione aliena, diuinæ ea diſpoſitioni relinquamus. Nos *humanum dicimus* *Rom. 6. 19.* *propter infirmitatem noſtram*, vt ait Apoſtolus. Illud autem exploratè *Duo compoſitionis genera Angliæ ſalutaria.* certum eſt, nationi noſtræ tum Principi tum populo, ſiue Dei reſpiciant honorem, ſiue mundi fœlicitatem, ſiue rationes ſuas, ſiue aliorum omnium, optimum quidem eſſe vt ſe rurſus vniant Eccleſiæ Dei, communioni omnium maiorum ſuorum, & populorum Principumque qui nunc viuunt Chriſtianorum. Hoc ſi impetrari non poteſt, proximo loco ad ſuam ſecuritatem & ſtatus ſui conſeruationem vtiliſsimum eſt, vt manus deinceps cohibeant à Catholicis ſubiectis & fratribus ſuis perſequendis, vt eis permittant libera cõſcientia diuinis Eccleſię cęremoniis & Sacramẽtis vti & frui; quò ſic Reginam eiuſque Conſiliarios precibus ſuis Deo commendent

tan-

tanquàm Patronos, quos nunc commemorant solùm, tanquàm Persecutores.

Quòd si harum conditionum neutra apud eos valere poterit, sed qua semel ingressi sunt via, eadem ad extremum vsque sint progressuri, vt corpora, bona, vitas, animasque nostras velint eripere, quid superest nisi vt Domino Deo omnium arbitro æquissimo, Iudiciq; incorrupto tum Principum tum subditorum, & vnico afflictorum consolatori, omnia committamus, qui *iudicet & discernat causam nostram.* Cuius sanctissimo nomine, verbo, & promissione nitentes, hoc illis asseueranter dicimus (& vt quod dicimus illi maturè considerent per Christi sanguinem obtestamur) nullis vnquàm humanis viribus, nulla prudentia, posse eos extinguere fidem Catholicā, superare Ecclesiam Christi, aut præualere contra Deum. Nullus est *Herodes*, qui Christum in cunabulis possit interficere. Nullus *Pharao*, qui masculos nostros possit submergere, & Dei populum destruere. Nullus *Aman*, qui possit extirpare Iacobi progeniem. Studeant isti dies & noctes omnibus crudelissimis modis imminuere, frænare, spoliare, exinanire, abijcere & abolere domi forisque totam stirpem Catholicorum: studeant artificiosis huiusmodi Libellis alijsq; impudentissimis fictionibus, mendacijs, & calumnijs nos obruere, obijcientes inuenta à se læsæ Maiestatis & alia quæcunque crimina, *mentientes propter Christum*; ineant contra nos fœdera cum totius mundi Sectarijs, Protestantibus, Turcis & Atheistis; his tamen inuitis omnibus, *seminis Dei*, hoc est, Catholicorum non modò numerus multiplicabitur, sed etiam potentia, & zelus in causa Dei semper erit flagrantior. Sacerdotes non cessabunt progredi in vocatione sua, maiori quàm hactenus spiritu, diligentia, deuotione, patientia, & fortitudine, memores admonitionis à Christo datæ *eum fore saluum qui perseuerauerit vsq; ad finem*; memores item illius pulcherrimi testimonij de magno & fideli Propheta Esaia, qui *spiritu magno vidit vltima*; sic enim de eo loquuntur scripturę sanctæ, eò quòd in Dei cultu medijs non contentus ad vltima semper contendit, & ad vltimum vsque finem nunquàm eum defecit *spiritus fortitudinis* & excellens animi magnitudo. Persecutores noui veteribus nihilò sunt robustiores; & Ecclesia quanquàm ætate magis est prouecta quàm fuit olim, nihilò tamen magis est imbecillis aut infirma. Propugnator eius non minùs præstò est ad succurrendum, quàm fuit antiquitus. Neque verò nos sumus meliores Patribus nostris, nec vnquàm magis con-

[Margin notes: Con. Iusto. — Psal. 42. v. 1. — Matthæi 2. — Exodi 1. — Esther 7. — Matth. 5. 11. — Esa. 53. v. 10 — Matth. 10. v. 22. — Ecclesi. 48. v. 27. — Esa. 11. v. 2.]

Math. 18. v. 23. & c. 20. v. 1. 1. Machab. c. 3. v. 49. Leo serm. 1. in Natali Petri & Pauli. August. epistola 162.

temp simus mortem, nunquàm minùs æstimauimus vitam. Iacta est alea nostra, & sors optimè cecidit, subductæ sunt rationes, & à magno *Rege patref amilias* approbatæ. Multò melius est nobis in hoc Apostolico certamine mori, quàm viuere *& videre mala gentis nostræ & sanctorum*, cùm certò sciamus firmissimum esse illud D. Leonis: *Nullo crudelitatis genere destrui potest Sacramento Crucis fundata religio. Non minuitur persecutionibus Ecclesia sed augetur*; & illud item D. Augustini: *Nemo delet de cœlo constitutionem Dei, nemo delet de terra Ecclesiam* DEI.

LAVS DEO.


EXEMPLAR LEGIS CRVDELISSIMAE CONTRA SACERDOTES ET OMNES ECclesiasticos aliosq́, Catholicos, conscripta in Comitijs Parlamentalibus Angliæ, mense Martio, Anno Domini 1585. Regni verò Elizabethæ 27.

LEGIS TITVLVS.

ACTVS SEV STATVTVM CONTRA IESVITAS & SACERDOTES è Seminariis prodeuntes, & contra alias consimiles personas inobedientes. Chap. 2.

PRAEFATIO.

Totius legis fundamentum manifestis mendacijs nitens. Vide annot. sequentem.



VM variæ personæ, *Iesuitæ* nuncupati vel professi, *Sacerdotes* etiam *Seminaristæ*, alijque Presbyteri partibus vltramarinis creati ac ordinati, iuxta formam ac ritus *Ecclesiæ Romanæ*, in hoc *Angliæ* regnum aliaque Regię Maiestatis dominia à paucis annis venerint ac missi fuerint, quotidieque veniant ac mittantur, ea intentione (quod satis † constitit tàm ex variis ipsorum examinationibus & confessionibus, quàm ex multis aliis mediis & probationibus manifestis) non solùm vt Maiestatis suæ subditos ab obedientia debita auertant, sed etiam ad concitandam seditionem ac rebellionem, & apertam hostilitatem infra suæ Maiestatis Regna, ad magnum periculum securitatis Maiestatis suæ, personæ regalissimæ, sed ad totius Regni extremã perditionem, desolationem & subuersionem, nisi per bona quędam & opportuna media huic incommodo occurratur, & malum imminens tempestiuè præueniatur.

† Hoc

409

† *Hoc impudentissimè affirmatur, cùm nullis adhuc tormentis vel vnam syllabam talis confessionis aut probationis extorquere potuerint.*

DECRETA.

1. Quòd omnes Ecclesiastici Catholici exulare debent.

Ad huius rei reformationem, statutum sit, decretũ & stabilitum, Reginæ excellentissimæ Maiestatis authoritate, ac authoritate dominorum tàm Ecclesiasticorum, quàm temporalium, populiq; Anglicani in hoc Parlamento congregati, ac authoritate totius Parlamenti, quòd * omnes & singuli *Iesuitæ, Sacerdotes, Seminaristæ*, & alij Sacerdotes quicunq;, creati vel ordinati extra Regnum *Angliæ*, aliaque Maiestatis suæ dominia, vel in aliquibus Maiestatis suæ dominijs ac Regnis, ex authoritate & potestate, vel iurisdictione à *Sede Romana* deriuata, vendicata, vel prætensa, † post festum Natiuitatis *S. Ioannis Baptistæ*, anni primi Regni dictæ suæ Maiestatis, discedent ex eodem Regno *Angliæ*, omnibusq; alijs Maiestatis suę regionibus ac dominijs, infra quadraginta dies post finem pręsentis Sessionis Parlamentalis, si ventum, auram, & transitum commodum nancisci queant: vel alioquin statim post dictos quadraginta dies, vbi primùm ventus, aura, & transitus haberi possunt.

* *Simile planè decretum habes Hunerici tyranni Arriani, de eijciendis Ecclesiasticis Catholicis ex Africa, apud Victor. Vtic. lib. 2. de persecut. Vandal.*

† *Hoc adijciunt cùm in speciale odium nouorum Sacerdotum, qui dominante illorum hæresi, subortι sunt: tum etiam ne includantur nonnulli ipsorum Pseudo-episcopi & prælati, qui ex antiquis Monachis & sacerdotib⁹ Apostatæ facti fuerũt.*

2. Ecclesiastici manentes in Anglia, vel ingredientes post 40. dies, rei sunt læsæ Maiestatis.

Statutum sit prætereà, & decretum authoritate prædicta, quòd posthac non licebit vlli *Iesuitæ, Sacerdoti seminaristæ*, aut alicui alteri *Sacerdoti*, vel *Diacono*, vel *religioso*, vel *Ecclesiasticæ personæ* cuicunque, quæ infra idem Regnum, vel alia suæ Maiestatis dominia nata fuit, & antegresso tempore post dictum festum Natiuitatis *S. Ioannis Baptistæ*, anni primi regni suæ Maiestatis creata, ordinata aut professa fuerit, vel deinceps creari, ordinari, aut profiteri potuerit authoritate aliqua, vel iurisdictione à † *Sede Romana* deriuata, vēdicata, vel prętensa, quocũq; demùm nomine, titulo vel gradu vocentur aut censeantur, non licebit (inquam) huiusmodi cuiquam personę post supradictos

40. dies elapsos, in aliquam huius Regni aut aliorum Maiestatis suæ dominiorum partem venire, vel in ea esse aut remanere, nisi in illis tantùm casibus specialibus, & ex occasionibus illis specialibus, & pro illis tantùm temporibus, quorum vel quarum in hoc præsenti statuto expressa mentio fit. Qui aliter fecerit, omnis huiusmodi transgresio pro læsæ Maiestatis crimine habebitur & iudicabitur: & persona quęcunque taliter transgressa fuerit, propter huiusmodi transgresionem, læsæ Maiestatis rea iudicabitur, patieturque, spoliabitur, atque mulctabitur, vt læsæ Maiestatis conuicti solent.

† *Hinc patet totum hoc odium esse in Sedem Apostolicam. Si enim Sacerdotes consecrati more Græcorum vel vllo alio ritu schismatico aut sectario ingrederentur Angliam, periculum ex hac lege non incurrerent.*

3. *Qui Ecclesiasticos recipiunt, plectendi sunt homicidarum pœna.*

Quicunque autem post elapsos quadraginta dies, & tempus illud abeundi priùs constitutum ac limitatum, scienter ac volenter domo receperit, sustentauerit, confortauerit, adiuuerit, aut defenderit aliquem huiusmodi *Iesuitam, Seminaristam sacerdotem*, aut alium *Sacerdotem*, vel *Diaconum*, vel *Religiosum*, vel *Ecclesiasticam personam*, vt suprà dictum est, liberè agentem aut extra carcerem constitutum, † cognoscens eum *Iesuitam* esse, *Sacerdotem seminaristam*, aut alium talem *Sacerdotem, Diaconum*, vel *Religiosum*, vel *Ecclesiasticam personam*, vt suprà dictum est: pro huiusmodi offensa condemnabitur *felonia*, perindè ac si furti aut homicidij reus esset, absque vllo clericatus beneficio ad euadendum, hoc est, mortis supplicio, iactura bonorum, ac alijs pœnis mulctabitur, quibus de furto aut homicidio conuicti mulctari solent.

† *S. Albanus protomartyr Angliæ, propter receptionem clerici passus est. Beda lib. 1. cap. 7. Histor. Anglorum.*

4. *Iuuenes laici non redeuntes domum, & fidem Catholicam abiurantes, rei fiunt læsæ Maiestatis.*

Statuitur porrò authoritate prædicta, si subditus aliquis Maiestatis suæ, non *Iesuita* nec *Sacerdos seminarista*, aut alius talis *Sacerdos, Diaconus,*

Diaconus, *Religiosus*, *Ecclesiasticus*, (vt suprà dictum est) in Collegio tamen aliquo *Iesuitarum* vel † in aliquo *Seminario* iam erecto vel constituto, aut posthac erigendo vel constituendo in partibus transmarinis, vel extra hoc Regnum in locis externis, vel nunc existens & institutus, vel posthac futurus & instituendus, non redeat in hoc regnum infra sex menses post edictum super hac re in ciuitate *Londinensi* sub magno sigillo regio publicandum, moxq; infra biduum post huiusmodi in *Angliam* reditum, coram Episcopo diocœseos, vel duobus Iustitiarijs pacis eiusdem comitatus, ad quem vel quam appulerit, non se submiserit suæ Maiestati eiusq; legibus, iuramentumque de religione in statuto anni primi regni eiusdem suæ Maiestatis editum, non susceperit, quòd tunc, talis quilibet alio modo, quàm dictū est, rediens, ingrediens, & existens in hoc regno, vel alijs suæ Maiestatis dominijs, propter huiusmodi offensam reditus, vel existentiæ in regno, vel in alijs suæ Maiestatis dominijs, absq; submissione prædicta, iudicabitur quoque vt læsæ Maiestatis reus, patieturq;, spoliabitur, atq; mulctabitur, vt in causa læsę Maiestatis.

† *Hoc dicitur, quia in his locis tantùm Angli fiunt Sacerdotes: ex quo patet hoc decretum eò tendere, quò edictū Hunerici Vvandali prohibentis, ne amplius crearentur Sacerdotes Catholici, in vita S. Fulg. Ian. 1.*

5. *Qui vllum subsidium præstiterit Catholicis exulibus, amittit bona & libertatem.*

Insuper authoritate prædicta statuitur & decernitur, si aliqua persona Maiestati suæ subdita, vllo vnquàm tempore post elapsos quadraginta dies prædictos, scienter ac volenter, directè vel indirectè, per viam cambij aut alia quauis arte, via, aut medio quocunque transtulerit, tradiderit, vel miserit, aut transferri, mitti, vel tradi procurauerit aut effecerit, vltra mare vel extra hoc regnum, vel extra alia Maiestatis suæ dominia vel territoria, ad aliquas externas partes, vel alioqui scienter ac volenter concesserit, † dederit, aut contribuerit aliquam pecuniam, aut aliud subsidium alicui *Iesuitæ*, *Sacerdoti seminaristæ*, aut alicui tali *Sacerdoti*, vel *Diacono*, vel *Religioso*, vel *Ecclesiastico* (vt suprà dictum est) vel in subsidium, aut beneficium alicuius Collegij *Iesuitarum*, vel *seminarij* iam erecti ac constituti aut posthac erigendi & constituendi in vllis locis externis, vel in subsidium alicuius personæ tunc existentis, de, vel, in dictis collegijs vel seminarijs, & nondum reuersæ in hoc regnum cum submissione in

ff hoc

hoc ſtatuto expreſſa, el in eodẽ Regno perſiſtentis: quòd tunc quęlibet perſona ſic offendens † incurret periculum, & pœnam ſtatuti de *Præmunire* facti ãno 16. regni Regis *Richardi* 2. quę pœna eſt, vt perdat omnia bona tàm mobilia quàm immobilia, & corpus tradatur ad perpetuos carceres.

† *Similẽ crudelitatẽ obycit Euſebius Vercellen. Arrianis, quòd prohiberent Catholicis afflictis, eleemoſynas auxiliáq; ſuorum, in vita Euſ. apud Sur. menſe Aug.*

† *Quàm atrox pœna ob eleemoſynam fortè martyris in filium, aut vxoris in maritum.*

6. *Qui dimiſerit filium aut famulum extra Angliam, niſi cum ſpeciali Reginæ licentia in ſcripto, perdit pro ſingulis vicibus 333. aureos.*

Statuitur porrò & decernitur authoritate prædicta, quòd non licebit vlli perſonæ, ſuæ Maieſtatis vita (quam Deus diutiſsimè durare velit) ſuam prolem, vel aliam quampiam perſonam ſuo regimini cõmiſſam, in vllas partes tranſmarinas extra ſuæ Maieſtatis obedientiam ac ditiones mittere abſque ſpeciali licentia ſuę Maieſtatis, concilij ſubſignata manibus, & in eum finem habita vel obtenta (exceptis mercatoribus, propter eos ſolummodò, quos ipſi vel aliquis eorum ad partes tranſmarinas negotiationis ſuę tantùm cauſa tranſmiſerint, vel vt tanquàm nautæ inſeruiant, nec aliter) ſub pœna cõfiſcationis centum librarum monetæ Anglicanæ pro qualibet huiuſmodi offenſa.

7. *Huius crudeliſſimæ legis executio in quouis Angliæ Comitatu fieri poteſt.*

Statuitur inſuper authoritate prædicta, quòd quælibet huius ſtatuti tranſgreſsio examinari, audiri & determinari poſsit, tàm in tribunali, quod vulgariter Bancum regium nuncupatur, in Comitatu quo pro tempore tribunal illud erit, quàm etiam in alio quocunq; Comitatu infra regnum hoc, vel alia ſuæ Maieſtatis dominia, vbi tranſgreſsio ipſa committitur vel committetur, vel vbi tranſgreſſor appręhendetur & capietur.

8. *Permittitur naucleris exportare Eccleſiaſticos in exilium, infra quoddam ſpatium, & cum quibuſdam conditionibus.*

Proui-

Prouisum etiam & eadem authoritate supradicta statutum sit, quòd liceat, liceatque vnicuique Domino vel gubernatori nauis aut nauiculæ, quouis tempore infra dictos quadraginta dies, vel aliud tempus anteà dictarum personarum abitioni concessum ac limitatum, transuehere in quascunque partes transmarinas, quemuis huiusmodi *Iesuitam, Sacerdotem seminaristam*, vel alium *Sacerdotem* prędictum, modò idem *Iesuita, Sacerdos, seminarista*, vel alius quiuis *Sacerdos* prædictus sic transuehendus, tradat Prætori aut alij cuipiam Magistratui illius oppidi, portus, vel loci quo ad transfretandum venerit, † nomen suum, & quo in loco ordinem illum suum seu gradum acceperit, & quanto tempore in Regno hoc remanserit, vel in alijs suæ Maiestatis dominiis ac ditionibus.

† Hoc totum ad fraudē pertinet, vt quos vellent ex præcipuis retinerent, sicut retinēt quos in carceribus habent. Sed laus Deo, paucissimi vsi sunt hoc Priuilegio.

9. Ecclesiastici omnes qui quouis tempore in causis religionis submittere se voluerint Reginæ legibus, liberantur à pœnis totius huius legis.

Prouisum sit præterea, quòd hoc statutum, vel aliquid in eo compręhensum, non extendetur ad aliquē talem *Iesuitam, Sacerdotem seminaristam*, vel alium *Sacerdotem, Diaconum* vel *Religiosum*, vel *Ecclesiasticum*, vt prædictum est, qui aliquo tempore infra dictos quadraginta dies, vel infra triduum postquàm in hoc Regnum, vel alia suę Maiestatis dominia posthac venerit, * submiserit seipsum alicui Archiepiscopo, vel Episcopo huius regni, vel alicui Iustitiario pacis infra Comitatum quo appulerit, moxque verè & sincerè coram dicto Archiepiscopo, Episcopo, vel tali Iustitiario pacis, iuramentum suprà nominatum de religione, quod editum fuit anno primo huius Reginę, acceperit, suæq; manus scriptione confessus fuerit & agnouerit, deincepsque cónfiteri & agnoscere continuauerit, debitam suam obedientiam erga suæ Maiestatis leges, statuta, & ordinationes iam latas & ordinatas, seu † in posterum ferendas ac ordinandas in causis ad religionem pertinentibus.

** Hinc patet totū illum fucū conspirationis contra Reginæ personā, positū in præfatione, falsum esse, & solā causam huius barbaræ legis, religionis Catholicæ odiū fuisse.* *† Animaduerte quàm sit hoc absurdum.*

10. *Quòd prima nobilitas siue Pares Angliæ, per suos æquales, vel ad mortem vel ad spoliationes ac carceres pro offensis in hanc legem iudicabuntur.*

Prouiso semper, quòd si contingat aliquando deinceps Principem aliquem huius regni, quem Parem vocamus, accusari de aliqua transgresione, quæ hoc statuto fit crimen læsæ Maiestatis, *feloniæ*, aut reatus de *Præmunire*, quod inuestigatio & determinatio huius Principis causę, ad eiusdem ordinis Principes, & ad suos dignitate pares pertinebit, quemadmodũ in alijs huiusmodi criminũ causis fieri solet.

11.

Prouiso nihilominùs, & authoritate prædicta declarato † quòd si quis talis *Iesuita, Seminarista Sacerdos*, vel alius quiuis *Sacerdos* prædictus casu aliquo ita debilis aut corpore infirmus fuerit, vt ille vel illi, infra tempus hîc limitatum, sine euidenti & imminenti periculo vitæ emigrare nequeant, hocque innotescat, tàm per corporale iusiurandum partis laborantis * quàm per alias idoneas rationes, ipsi Episcopo diocœsano, & duobus Iustitiarijs pacis infra Comitatum, in quo dicta persona vel personæ commorantur: quòd tunc data obligatione bona & sufficiente securitate, dictæ personæ vel personarum, simul cum fideiussoribus obligatis ad summam ducentarũ librarum Anglicanarum ad minimũ, quòd ille vel illi intereà temporis benè & † legaliter se gerent erga supremam Dominã nostram Reginam, & erga vniuersum illius populum, quòd tunc ille seu illi sic permissi, & sic vt suprà dictum est, facientes, poterunt remanere & persistere in dicto regno sine vllo detrimento vel periculo (quod ille vel illi alioquin per hoc statutum incurrerent) tantisper, dũ per dictum Episcopum & Iustitiarios limitatum ac ordinatum fuerit, modò tamen id tempus dilationis non excedat sex menses ad plurimũ, & nemo detrimentum aliquod sustinebit, vel periculum incurret per hoc statutũ, ex eo quod sustentet vel recipiat huiusmodi personam vel personas, sic (vt dictum est) permissas, eo duntaxàt tẽpore durante, quo tales personæ infra regnum cõsistere permittentur, nõ obstantibus quibuscunq; in hoc statuto contentis ad contrarium.

† *Periculosè ægrotantibus longius tempus manendi permittitur, sed cum tali-* *libus*

libus conditionibus, vt totus hic paragraphus ad fraudem, & non ad lenitatem compositus sit.

** Iurare debet, & tamen ei non creditur, nisi aliundè etiam probetur.*

† Hæc legalis conuersatio talis & tàm captiosa est per Angliæ leges, vt nullis nisi perditissimis ferè hominibus iniici solet, nec fideiussores possunt securitatem pro quoquam in eo genere obligationis spondere, sine euidenti ipsorum periculo. Vnde vix pater pro filio in hac obligatione spondebit, & multò minùs quisquam audebit pro sacerdote Catholico se prodere Catholicum, & simul obligare se ad summam 666. aureorum, quæ hic requiritur. Hoc satis cognitum erat huius Paragraphi scriptoribus.

12. *Qui Sacerdotes cognitos non prodiderit, plectetur ad arbitrium Reginæ.*

Statuitur præterea authoritate prædicta, quòd omnes & singuli huius Regni subditi, qui post elapsos quadraginta dies supradictos, cognouerint & intellexerint, vllum huiusmodi *Iesuitam, sacerdotem seminaristam*, aut alium *sacerdotem* supradictum manere, consistere, vel existere infra hoc regnum, vel infra alia Reginæ dominia & loca, contra verum sensum & intentum huius statuti, & non *detexerint eundem alicui Iustitiario pacis, vel superiori Magistratui infra duodecim dies post talem notitiam habitam sed volenter potiùs celauerint hanc suam notitiam: quod quilibet sic offendens mulctabitur & incarcerabitur ad arbitrium Reginæ. Quod si verò pacis Iustitiarius eiusmodi, vel superior Magistratus, cui talis dilatio & detectio facta fuerit, infra viginti octo dies sequentes, alicui consiliario regio vel Præsidi, aut Vicepræsidi concilij Regij in partibus septentrionalibus & Vvalliæ finibus constituti, pro tempore existenti, dictæ rei notitiam non intimauerit, quòd tunc ille vel illi sic transgredientes pro qualibet huiusmodi transgresione ducentas marcas Anglicanas promulcta pendent.

** Hæc est antiqua praxis persecutorum infidelium lege decernere, vt Sacerdotes prodantur: id fecit Maximianus Iudex apud Bed. lib. 1. cap. 7. Histor. idem Licinius Tyrannus, vt habes in vitis SS. martyrum Hermyli, Strabonici Ian. 13. id ipsum statuerunt Valerianus & Galienus Impp. vt docet martyrium S. Stephani Papæ August. 5. vbi etiam videre licet, quomodò S. Afra nobile potiùs martyrium pati voluit, quàm Narcissum Episcopum prodere latitantem: idem dici potest de S. Albano & alijs.*

13. Quod Magistratus cui sit proditio, eam testificabitur.

Statuitur porrò authoritate prædicta, quòd Consiliarius priuati consilij Regij, Præses vel Vicepræses, cui talis informatio exhibita fuerit, tradet parti informanti scedulam manu sua subscriptam, qua testificabitur talem sibi informationem exhibitam fuisse.

14. Quod iuramenta, obligationes, & submissiones, quæ fient, in acta publica referentur.

Statuitur præterea, quòd omnia huiusmodi iuramenta, obligationes & submissiones, quæ vigore huius legis ac statuti fient modo supradicto, referentur in Cancellariam per eos coram quibus facta fuerit, infra tres menses post submissionem huiusmodi, † sub pœna mulctę centum librarum monetæ Anglicanę, pro qualibet eiusmodi negligentia, quæ mulcta in vsum Dominæ Reginæ, hęredum & successorum eius applicabitur.

† *Inanis est hæc seueritas, quia nulla talia hactenus facta sunt, nec opinor in posterum fient.*

15. Si quis se submiserit & abiurauerit, conspectum tamen Reginæ ad decem milliaria fugere debet per decem annos, sub pœna capitis.

Etiam statuitur, vt si persona aliqua, quæ illo modo quo dictũ est, se submiserit ac iurauerit, infra decem annos post talem submissionem factam, intra decem milliaria accesserit ad illum locum in quo sua Maiestas fuerit, absque licentia suæ Maiestatis, ad eum specialem finem concessa, & per manus propriæ suæ Maiestatis subscriptionem contestata: quòd tunc & deinceps † talis persona non gaudebit sua dicta submissione, nec vllum ex ea beneficium accipiet, sed quòd dicta submissio planè irrita & inanis fiet, perindè ac si nunquàm facta fuisset.

† *Quid si Regina inopinatò se moueat versus locum in quo degat talis submissus & abiuratus? sine dubio dignus esset; qui vitam quauis ratione amittat, cùm animam iam amiserit.*

ANNO.

ANNOTATIO AD STATVTI PRAECEDENTIS PRAEFATIONEM MENDACISSIMAM.

DVM considero quàm manifesta mendacia hoc Parlamentum Anglicanum in hac sua præfatione ponat pro totius sequentis crudelitatis fundamento, occurrunt animo verba illa verissima Sancti Augustini: Frons hæreticorum non est frons, si hoc vocabulo non corporis membrum, sed pudorem intelligamus. *Quid enim? est ne possibile, quenquam plura testimonia afferre posse pro re quapiam probanda ac confirmanda, quàm Catholici Angli libris multis editis iam attulerunt, pro manifestanda innocentia sacerdotum suorum qui passi sunt? Pro declarando instituto, pro aperiendis causis, ob quas ingressi sunt: pro honestissima ac Apostolica conuersatione demonstranda, & pro conuellendis mendacijs ac calumnijs suorum persecutorum? Legat quis libellum* De persecutione Anglicana, *legat* Apologiam pro Seminariis Anglorum, *percurrat* Vitas duodecim præclarissimorum martyrum, *quos hæretici minùs quàm duodecim mensium spatio sustulerunt, euoluat vniuersam illam* Concertationem *Treuiris excusam his proximis annis: perpendat denique responsum illud vltimum ad persecutores Anglos contra falsò nuncupatam* Iustitiam Britannicam, *& facilè cernet verissimè dixisse sacrum illum Doctorem, nullam esse frontem hæreticorum, nullum pudorem. His enim libris qui latinè omnes editi sunt, & nõnulli etiam Gallicè, alijsque linguis, (præter multos præterea Anglicano sermone scriptos) ita manifestè demonstratur illorum sacerdotum integritas, qui hodie ex animarum zelo, Apostolico more in Anglia laborant, vt nihil amplius adiungi possit, nec vnquàm adhuc aliquid ad hos libros responsum fuit ab hæreticis, nec responderi poterit.*

Impudentia hæreticorum. Augustin' lib. 4. con. Iulianum. cap. 4.

Libri scripti ab Anglis in Catholicorũ defensionem.

Quia tamen hoc ipso in loco, non vnus aliquis, sed integrum Parlament, seu senatus Dominorum, nimirum spiritualium & temporalium (vt ipsi loquuntur) verbo hæc vniuersa negat, contrariumque asserit (dicunt enim satis constare tàm ex varijs sacerdotũ ipsorum examinationibus & confessionibus, quàm ex multis alijs medijs ac probationibus manifestis, illos mitti ac venire in Angliam, non solùm vt Reginæ subditos ab obedientia debita auertant: sed etiam ad concitandum seditionem, rebellionem ac manifestam hostilitatem, ad personæ Regiæ periculum ac totius Regni subuersionem) ego repetam hic breuissimè tria solùm argumenta, quæ partim ex supra dictis illis libris, partim ex hoc ipso statuto collegi, quibus euidentissimè demonstrabitur vniuersam hanc grauem accusationem, fucum esse ac calumniam, hæreticorum spiritu dignissimam.

Tria argumenta quibus refutatur Parlamenti præfatio.

Ac primum quidem Argumentum ducetur ab ipsis sacerdotibus alijsque Catholicis qui hactenus comprehensi, examinati, torti, aut passi sunt: quorum euidentissimum est, hæreticos nullum adhuc verbum, aut syllabam elicere vel extorquere potuisse ad hanc intentionem rebellionis detegendam, licèt omnibus neruis in id incubuerint, omnesque machinas & artes adhibuerint, vt vel illecebris, vel tormentis id efficerent. Si enim talem aliquam confessionem obtinuissent, iam sine dubio eam euulgassent ad aliquam saltem suæ crudelitatis defensionem, vel si aliqua alia manifesta probatione rem comperissent (vt hic mentiuntur) vniuerso iam orbi illam communicassent, illo saltem vltimo suo libro famoso, quem per antiphrasim, Iustitiam *vocabant* Britannicam. *Sed nihil tale in illo libro fuisse præter meras calumnias cùm satis per se, tùm luculentissimè ex Catholicorum responso patuit. Huc etiam accedit, quòd sacerdotes omnes, qui occisi ab illis fuerunt, non solùm in priuatis examinationibus, in carcere & tormentis, & in iudicijs publicis hanc intentionem rebellionis pernegarunt, verùm etiam sententia mortis iam accepta, cùm liberi essent ab omni humano iure, imò ad patibulum in*

I. Nulla adhuc cõfessio vlla vi elici potuit.

ipso mortis articulo, cùm iam iam ex hoc mundo exituri erant, & ad Christi tribunal sistendi, professi ac protestati sunt, se nihil vnquàm tale concepisse animis, sed religionis solius causa in patriam rediisse, & pro ea libentissimè lætissimeque mori, in cuius rei signum, & pro Regina, & pro Republica, & pro ipsis etiam interfectoribus, deuotissimas coram omnibus fundebant preces. Calumnia ergò est & nequissimum mendacium, quòd hac in præfatione Parlamentum affirmat, ex ipsorum confessionibus aliisque manifestis probationibus, rebellionis intentionem manifestatam esse.

2. Hæreticorum acta eos conuincunt mendacij.

ARGVMENTVM alterum sumetur ex iis, quæ persecutores ipsi fecerunt ad tegendam iniquitatem & iniustitiam suam, cùm sacerdotes Catholicos occidebant. Primò enim quosdam iam interfectos, post mortem condemnare voluerunt libris editis ad populum, quibus persuadere rationibus utebantur, illos sine dubio fuisse proditores patriæ, & in certam Reginæ necem vnanimiter conspirasse. Atque hac larua contra viros sanctissimos Campianum, Scheruinum, & Briantum *sunt vsi. Deinde verò cùm alios septem pari scelere enecare statuissent, nec haberent modum, quo populo satisfacerent (prius enim artificium non illis omninò ex animo successerat) adhibuerunt aliud inuentionis genus, vt scilicet iam condemnatis de proditione, proponerent articulos quosdam odiosos de Pontificis authoritate in excommunicandis, deponendisque Regibus, vt vel sic ex responsis, quæ Sacerdotes dare cogebantur, arriperent ea quæ magis eos traducere possent ad plebem, id quod factum est. Producti enim ad supplicij locum, lectisque ad articulos responsis, conuitiis publicis exagitati fuerunt, & statim interempti. In ipso tamen momento mortis, oblata fuit illis publicè, non solùm vita, veniaque, ac libertas, verùm etiam Reginæ gratia & amicitia, si quicquam de se confiteri sceleris, vel vlla in re licèt valdè mediocri, ad ipsorum religionem accedere vellent. Atq; hoc ipsum factitatum etiam est cum aliis multis in carcere existentibus: ex quo luce meridiana clariùs patet, hos viros constantissimos, non ob pœnam proditionis, sed ob religionis odium occisos fuisse.*

3. Huius statuti decreta Sacerdotes liberant à rebellionis suspitione.

TERTIA probatio, & quidem omnium euidentissima (si tamen quicquam prioribus euidentius dici potest) ex iis desumatur, quæ hoc in decreto à Dominis nostris Parlamentalibus dicuntur, qui postquàm tàm grauia & atrocia præfati essent contra Sacerdotes & Iesuitas *de seditione, rebellione, ac aperta hostilitate, deque periculo magno Maiestatis suæ personæ regalissimæ, de extrema totius regni perditione, desolatione, ac subuersione per ipsos intenta, ac confessionibus propriis manifestata: cùm (inquam) hæc omnia magno verborum sonitu proclamassent, eaque sola tanquam causas grauissimas ac necessarias statuissent huius seuerissimæ legis condendæ, paulò post tanquàm sui obliti, ipsis decretis ostendunt, non proditionis metum esse, sed religionis, qui impulit illos ad hanc sententiam. Eò enim pertinet clausula illa paragraphi secundi,* De ordinatione ex ritu Romano. *Eò pertinet quod paragrapho quarto statuitur:* Vt omnis iuuentus Anglicana, quæ in seminariis vltramarinis ac collegiis Iesuitarum instituitur, domum redeat sub pœna læsæ Maiestatis, ac pseudoepiscopis se submittat, quoad omnes Reginæ leges latas vel ferendas de rebus religionis, iuramentumq; accipiat contra Pontificem pro Reginæ authoritate in causis Ecclesiasticis. *Eò etiam pertinet quod paragrapho sexto prohibetur:* Ne quis filium suum extra Angliam mittat, nisi cum speciali Reginæ licentia ad id obtenta, *Veremibus scilicet hæreticis Anglis, ne iuuenes perspecta Ecclesiæ Catholicæ facie, statim afficiantur. Sed clarissimè omnium illud rem euincit, quod paragrapho nono statuitur:* Vt quocunque tempore Sacerdotes aliqui aut Iesuitæ submittere se voluerint Reginæ & suis Episcopis in causis religionis, ac iuramentum suscipere contra Pontificem Romanum, liceat eis non solùm in Angliam venire, verùm etiam manere, libereq; versari sine vllo periculo. *Quod nunquàm tamen sine dubio permitteretur, si huius legis conditores vel comperissent, vel existimassent, tàm nefarias ipsos proditiones concepisse, quàm in præfatione sua affirmant. Omnia ergò hæc ab odio dissimulato religionis proficiscuntur.*

ANNOTATIO AD IPSA SAEVISSIMA STATVTI DECRETA.


QVANQVAM non dubitem, quin Christianus lector per se considerabit, quanta sit iniquitas & sæuitia huius statuti hæreticorum, volui tamen hoc loco quædam colligere, & vno quasi intuitu contemplanda proponere, quibus admoneamur quid sit talium Dominorum regimini subesse. Primùm ergò prætereatur illud tanquàm leuius, quòd omnis iuuentus Angliæ, si ad sacerdotium Ecclesiæ Catholicæ se contulerit, eo ipso non solùm patriam, verùm etiam patrimonium & omnem parentum in se beneficentiam amittat: quòd pœna proditoris puniendus sit, si vel in patria subsistat, vel ad suos redeat, quos etiam vniuersos, bonis omnibus euertet, si vel minimum subsidij ab ijs accipiat. Sit hoc, inquam, leue & hæretico regimini facilè concedendum: illud verò quàm est intolerabile & planè tyrannicũ, vt nullus ex vniuerso regno discedere possit sine speciali Reginæ licentia, perindè ac si totũ regnum carcer esset, ac ipsa custos & clanigera? Item illud: Si extra Angliam quis fuerit, redire cogatur ad fidem Catholicam abiurandam, alioquin vt patriæ proditor ac rebellis existimetur? Quid verò illud? si pater filium, filiúsue patrem in Angliam redeuntem, tecto domóue receperit, etiamsi Princeps aut Par Angliæ fuerit, incurrat tamen mortis & infamiæ supplicium: si autem frater fratri, vxor marito, aut quiuis alius sibi coniunctissimo subsidium aliquod aut eleemosynam transmitti curauerit, ex eo solo bonis omnibus spoliatus, in perpetua carcerum seruitute vitam finiet?

Crudelitas horum decretorum.

Hæc est, ecce, seruitus illa tàm corporum quàm animorum, quam hæresis Catholicorum imponit ceruicibus, vbicunque dominatum suum figere potest, quam vtinam totius orbis Catholici attentè considerarent, animisque imprimerent, quò sic alienis malis admoniti, diligentiùs sibi suisque rebus prouiderent. Perpende igitur, (Christiane lector) quid potest in vniuerso mundo calamitosius fingi aut cogitari, quàm homo Catholicus hodierna die in Anglia? si enim exire inde velit, retinetur; si sibi viuere, non permittitur, pertrahitur vel ad conciones, vel ad carceres: si hæreticorum Ecclesias frequentare detrectet, 66. aurei singulis mensibus ob eam solam culpam ab eo soluendi sunt: si peccata sua confiteri Sacerdoti attentauerit, crimen est læsæ Maiestatis; si sacerdotem adeat, non confessionis causa sed consilij, eumque non prodat, plectendus est Reginæ arbitrio: si domo eum receperit, supplicium mortis sustinebit. Si rem quampiam à Pontifice benedictam apud se retineat, bona omnia amittet simul etiam cum libertate. Si iussus contra Pontificem iurare, recuset, proditoris pœna plectetur; infinita ferè talia afferri possent. Sed supra cætera omnia, illud mihi videtur planè barbarum & tamen ridiculum, quod nono paragrapho huius statuti requiritur, vt Catholici iurent ac serio promittant se obedientiam præstituros erga suæ Maiestatis leges & ordinationes iam latas & ordinatas (*sic enim loquitur*) seu in posterum ferendas & ordinandas in causis ad religionem pertinentibus. *Quo innuitur, primùm religionem Angliæ certo adhuc loco nondum constitisse, sed esse in motu. Deindè quotiescunque Regina mutare religionem suam voluerit, toties esse obligatos Catholicos vt idem faciant: quo ineptius aut absurdius nihil potest vel cogitatione fingi.*

Intolerabilis seruitus.

Ridiculũ.





BREVIS DESCRIPTIO RERVM A CATHOLICIS IN ANGLIA GESTARVM, ET AFFLICTIONVM, QVAS PASSI SVNT AB ANNO PRIMAE ELIzabethæ Angliæ Reginæ, id est, ab anno incarnationis Dominicæ 1558. vsque ad annum 1588. collecta partim ex hoc opere, partim ex libro 7. Nicolai Sanderi de visibili Monarchia, ex libro 3. de schismate Anglicano, & ex diario eidem libro adiuncto.

Libuit hîc paucis verbis velut in tabella lectoris ob oculos ponere totam seriem Concertationis ab initio, in qua & multitudinẽ eorum qui passi sunt, varietatemq; pœnarum, imposturam item fraudemq; cum summa aduersariorum immanitate coniunctam intueri licebit. Et quidem numerus eorum, qui propter fidem malè mulctati sunt, certus iniri non potuit, cùm is effrænata aduersariorum in nostros sæuiendi cupiditate & crudelitate indies augescat; quos tamen potuimus aliundè, maximè è Sanderi de Monarchia visibili opere, collegimus ad septingentos & eò amplius tum Martyres tum Confessores. Neque putes velim his exigui numeri finibus, Catholicorum patiendi voluntatem, aut eorum qui passi sunt, multitudinem terminari, quorum tolerantia & perpeßione non modò veteres Angliæ, sed & noui horum causa carceres constructi omnes facti sunt celeberrimi; vt non difficilè coniectes complura millia inuictos Martyrum animos suscepisse ac prorsus imbibisse.

Hinc animum ad persecutorum crudelitatem conuerte, & videbis eos hanc Christi gregis fugandi mactandique rationem iniisse, vt primò quidem Pastores omnes, id est, Episcopos sanctißimos iuxtà ac doctißimos vnà cum clero toto, (cuius grauitas morum & doctrinæ opinio singularis erat) ope & opera nobilitatis, de suis sedibus atque fortunis omnibus deturbatos in vincula conijcerent. Deinde ipsas Academias aggreßi, quotquot vel doctrinæ vel prudentiæ laude claruerunt, ita exturbarunt ac depresserunt, vt nec Cathedras ad docendum, nec authoritatem ad loquendum, nec libertatem ad agendum eis relinquerent. His sublatis, qui vel scripturarũ notitia, sanctorumque Patrum multa lectione, vel excellenti quadam eruditione possent impias ipsorum hæreses refellere, aut populum Anglicanum rectè informare, tum ad antiquam Nobilitatem suam illi rabiem conuerterunt, cum quibus nihilò mitiùs quam cum Ecclesiasticis egerunt & etiamnum agunt. Postremò pastoribus cum clero dißipatis, aut è medio sublatis, Nobilitate miserè afflictata & prostrata, extremo impiorum voto vnum decrat modo, vti Principem in sua potestate haberent, cuius acceßione miserum vulgus in quoscunque vellent errores præcipitarent, quos aut aliunde haustos in Insulam effuderunt, aut ipsi ex suo malè sano cerebro depromptos, populo fraudis ignaro propinarunt.

In primis Episcopi omnes, viri doctrinæ, sanctitatis, & prudentiæ laude clarißimi, quòd non vellent agnoscere fœmineum Elizabethæ Reginæ Pontificatum, de gradu & dignitate sua depositi, ac carceribus varijsque custodiis commißi, vel in exilium coacti abire, carcerum tandem, exilij, ac miseriarum tædio extincti sunt.

ECCLESIASTICI ET ACADEMICI.

Anno 1560. *Nicolaus Hethus Archiepiscopus Eboracensis & Angliæ Cancellarius.*
Edmundus Bonerus Londinensis Episcopus.
Cubertus Toustallus Dunelmensis.
Ioannes Vitus Vintonienśis.
Thomas Vvatsonus Lincolnienśis.
Thomas Thurlebeus Elyensis.
Gilbertus Burnus Episcopus Bathonienśis & Præses Vvalliæ.

Hi omnes in vinculis obierunt martyres; de Richardus

Richardus Pateus Vigorniensis. | *quibus pag. 301. 317. 318.*
Turberuilus Exoniensis.
Polus Petroburiensis.
Oglethorpus Carleolensis.

Cutbertus Scotus *Cestrensis Episcopus, obijt Louanij* | *vterque exul. pag. 301. 317. 318.*
Thomas Goldvvellus *Assaphensis, Romæ obijt*

Tres item Episcopi *designati in exilio mortui sunt.*

Richardus Creueus *Archiepiscopus Armacanus post infinitas calamitates carcerum, infamiæ, tribulationũ, obijt tandem sanctissimè vinct' Christi in arce Londinensi martyr. pag. 138. 141, 216.*

Mauritius Archiepiscopus *Cassellensis, vir summæ integritatis & eruditionis exquisitis tormentis variè affectus, suspendio tandem & reliquo qui adiungi solet laniatu, vita felicissimè defunctus est. pag. 300.*

Cum eodem duo alij Episcopi *Hyberni, martyres, morti fuerunt adiudicati. pag. 300.*

Ioannes Fecknamus *Monachorum D. Benedicti Abbas Vvestmonasteriensis in vinculis extinctus est, post multorum annorum carceres.*

Mauritius Chaceus *Carthusianorum Prior cum suis omnibus in exilium eiectus est, quibus adnumerari debet.* Vvilsonus *Carthusianorum de monte Gratiæ Prior.*

Franciscani omnes *in principio Concertationis pulsi sunt.*

Richardus Schellæus *ordinis D. Ioannis in Anglia Prior cum fratre suo* Iacobo *eiusdem ordinis milite eandem cum reliquis sortem in exilio tulit.*

Præter hos enumerat Nicolaus Sanderus in lib. 7. de visibili Monarchia plurimos alios, qui in vinculis vel in exilio fortunis omnibus spoliati, in constantissima fidei confessione aut vitam finierunt, aut adhuc perdurant, quorum nomina subijciemus. *Anno 1562. & 1563.*

Decani spectatæ eruditionis viri, qui in Cathedralibus Ecclesijs Angliæ, secundas ab Episcopis obtinent.

Doctor Henricus Colus, Ecclesiæ Londinensis obijt in vinculis martyr.
Doctor Edmundus Stuardus, Ecclesiæ Vintoniensis.
Doctor Reginaldus, Ecclesiæ Exoniensis.
Robertsonus, Dunelmensis.
Setbolandus Vigorniensis.
Doctor Ioannes Ramrigius, Lichfeldiensis.
Doctor Ioannes Harpsfildus Nordouicensis, obijt in vinculis martyr.
Henricus Iolissus, Bristoliensis.
Doctor Ioannes Boxollus, Vindelisoriensis, Reginæ Mariæ à Secretis, obijt in vinculis martyr.
Daniel, Herfordensis.
Petrus Vvhitus, Vvaterfordiensis.
Thomas Moeranus, Corcensis.
Dauid Hurle, Iemlacensis.

Archidiaconi vincti vel exules.

Doctor Nicolaus Harpsfildus Cantuariensis, obijt in vinculis martyr.
Doctor Dracottus Eboracensis, obijt in vinculis Martyr.
Ricardus Petreus Bockingamiæ.
Doctor Gulielmus Chedseus Middelsexiæ, obijt in vinculis Martyr.
Maruinus Surriensis.
Ioannes Fitz Iacobus, Bathoniensis.
Doctor Albanus Langdalus, de Lewis.
Taylerus Cicestriensis.
Hodsonus, Lincolniensis.
Ioannes Hansonus, Richmundiensis.
Robertus Percevallus, Cestriensis.
Robertus, Monensis in Vvallia.
Luttrellus, Medensis in Hybernia.
Thomas Chone Vvaterfordiensis ibidem.

Rectores Collegiorum viri magnæ in Academiis & Republ. auctoritatis, vincti vel exules.

Belserus Collegij D. Ioãnis in Oxoniẽsi Acad.
Elius eius successor in Collegio.
Slithurstus Collegij S. Trinitatis.
Henricus Heushaus, Lincolniensis Collegij.
Doctor Georgius Bullocus, S. Ioannis in Cantabrigia.
Doctor Ioannes Yongus Collegij Penbrukensis, obijt in vinculis Martyr.
Edmundus Cosin Collegij S. Catharinæ.
Thomas Pecok Collegij Reginæ.

Gulielmus Taylerus, Collegij Christi.
Thomas R. dmannus Collegij Iesu.
Thomas Cayleus Collegij de Clare.
Laurentius Vause Collegij Mancestriensis.
Gulielmus Martialis Aulæ S. Albani.
Ioanne Smithæus Collegij regalis in Oxonio.
Hodgesonus Collegij Reginæ in Oxonio.

Canonici cathedralium Ecclesiarum in custodiâ defuncti, vel adhuc vincti aut exules.

H. us Ecclesiæ Cantuariensis Canonicus.

... denus, Mauritius Clenok, Palmus, Doctor Setonus obijt in exilio, Doctor Mortonus, Henricus Bouel in Ecclesia Suthwellensi eiusdem diocæseos.	Ecclesiæ Eboracẽsis.
Doctor Thomas Darbishirus, Vvillertonus, Cosinus, Moruinus	Ecclesiæ Londinensis.
Thomas Hidus, Langrigius, Bilsonus	Eccles. Vintoniensis.
Saluinus, Dauionus, Tutinus, Nicolaus Marley	Eccle. Dunelmensis.
Doctor Faucetus, Robertus Mãnerus, Gulielmus Vvilsonus, Thomas Villerus	Eccl. Lincol.
Thomas Vvilsonus, Gulielmus Colinwood	Ecclesiæ Cestriensis.
Doctor Heskinus Cancellarius, D. Thomas Hardingus, Ricardus Dominicus, David Powelus, Faulerus	Ecclesiæ Sarisburiensis.
Ioannes Bicardikus, Edouardus Crafordus, Gilbertus Burnfordus, Aegidius Capellus, Ioannes Hemnigus, Robertus Huchinsonus	Ecclesiæ Vvellensis.
Bremundus Cancellarius, Edouardus Godsaluus, Thomas Stapletonus	Ecclesiæ Cicestrensis.
Thomas Nutom, Ioannes Blaxtonus, Gualterus Muggus	Ecclesiæ Oxoniensis.

Richardus Ludbius, Ecclesiæ Herefordensis.
Harcottus Ecclesiæ Nordouicensis.
Gulielmus Dalby Cancellarius Ecclesiæ Bristoliẽsis.
Doctor Richardus Smithæus, Doctor Treshamus) Ecclesiæ Oxoniensis.
Morganus Philippus, Præcentor Ecclesiæ Menenensis.

Non sic autem res accipienda est, velut hi soli Ecclesiarum Cathedralium Canonici, quos hoc in loco adscripsi, ob sedis Romanæ confessionem, patria, opibus, libertate, aut vita priuati fuerint. Nec enim dubito, quin alij præterea valdè multi hãc laudẽ meriti sint: sed illos ego recẽsui, quos aut ipse nouerã, aut ab alijs hac dignitate motos esse acceperã. Presbyteri verò Parochiales, & alij Sacerdotes, qui ob retinendã Sedis Apostolicæ cõmunionẽ, vel in vinculis defuncti, vel adhuc vincti, vel in exilium ire coacti sunt, multò difficiliùs enumerari possunt. Sed tamen ne tàm insignĩũ virorũ memoriam interire patiamur, eos posteà in Indice personarũ adiungam, de quibus me audire cõtigit.

Eos præterea qui honestũ lotũ in Collegiis vtriusq; Academiæ sortiti, & eodem ob fidem Catholicam vsq; ad annum 1577. eiecti sunt, non minùs trecẽtis fuisse constat, quos hîc singulos recensere nolui, partim ne tædio Lectorem afficerem, partim quia difficulter nomina singulorum addiscerem. Quos tamen aut publicè legendo alijs præiuisse, aut insignem literarij honoris gradum quandoque ascendisse intellexi, non putaui prætermittendos.

Nicolaus Sanderus, *qui tanquàm Regius Professor Ius Canonicum suo iure in Oxonio publicè prælegit, ei loco & muneri ob fidem reseruandam renuntians, & posteà sacræ Theologiæ professor factus, multa præclarè tum Anglicè tum Latinè scripsit.*

Gulielmus Zonus *in Cantabrigia, Iuris Ciuilis Regius Professor, fidei causa eo officio carere elegit.*

Georgius Ethrigius *Græcarum literarum in Oxonio Regius Professor, ob fidem & eo munere priuatus, & in carcerem coniectus fuit.*

Doctores S. Theologiæ, ob fidem aut beneficijs priuati, aut exules.
D. Babingtonus
D. Carterus.
D Sedgius.
D. Nicolaus Mortonus.
D. Carolus Parkerus.
D. Richardus Hallus.
D. Gaspar Haywodus.

Iuris Ciuilis & Canonici Doctores, aut in vinculis defuncti, aut adhuc vincti, aut exules.
D. Ioannes Storeus.

D. Richardus Micheus.
D. Edmundus Vvindam.
D. Ioannes Pauleus
D. Gulielmus Knottus.
D. Andoenus Ludouicus
D. Thomas Butlerus.
D. Richardus Vitus.

Doctores artis Medicinæ in confessione fidei Catholicæ constantes.

D. Ioannes Frierus Pater, in carcere mortuus.
D. Ioannes Frierus filius exul.
D. Nicolaus Carrus.
Thomas Vanaserus.
D. Ioannes Clemens exul.
D. Richardus Smithaus.
D. Edouardus Atslous.
D. Goodus.

Licentiati Theologiæ.

Richardus Bernardus.
Gulielmus Vvilsus.
Thomas Dormannus.
Richardus Flemingus.
Gregorius Bellus.
Ioannes Martialis.
Nicolaus Quemerford.
Gulielmus Pomrellus.
Thomas Darellus.
Richardus Bristous.
Ioannes Vvbitus.

Ludimagistri ob fidem Catholicam officio suo abdicati.

Fremannus S. Pauli in vrbe Londinensi.
Ioannes Harrisius, in Bristoliensi.
Benedictus, in Sarisburiensi.
Gulielmus Goodus, in Vvellensi.
Plumtreius, in Lincolniensi.
Ioannes Fennus, apud memoriam S. Edmundi.
Ioannes Potzus, in Leicestrensi.
Thomas Iuisonus, in ciuitate Dunelmensi.

Magistri Musices officio suo ob fidem Catholicam eiecti.

Sebastianus in Cathedrali Ecclesia Londinensi.
Thornus in Metropoli Eboracensi.
Prestonus in oppido Vindeliforiensi.

Omitto studiosorum planè maximam multitudinem, qui ob Primatus Romani confessionem partim rapti sunt in vincula, partim in exilium acti, partim suis Collegijs eiecti.

Cæterùm ne soli Clerici videantur istam in fide profitẽda constantiam tenuisse, aut in illos solos immanitatem Caluinisticam sæuijsse, commemorabuntur etiam illustrium aliquot & nobilium laicorum in eodem genere præclarissima fortitudinis exempla.

Proceres sæculares & alij Laici qui pro fide Catholici passi sunt in Anglia.

Henricus Vvrisleius, *clarissimus Comes Southantonensis, ætate iuuenis, fidei confessione alijs natu maioribus tàm insigniter præluxit, vt ob eam præcipuè causam, licèt alia specie obtenta, in custodiam fuerit missus.*

Geraldus *Desmontæ in Hybernia Comes, Catholicæ fidei semper studiosissimus, & propterea hæreticis inuisus, in vincula conijcitur.*

Henricus Parckerus, *illustris Baro, Dominus de Morleo, cùm in Anglia fidem Catholicam liberè profiteri non posset, sponte in exilium se contulit, ac in eadem fide piè defunctus est.*

Ioannes de Mordant *illustris Baro in vincula ob Catholicam fidem coniectus est.*

Edouardus Vvalgrauius *equestris ordinis vir, & à Consilijs Reginæ Mariæ, cùm ob fidei Catholicæ confessionem in vincula duceretur, atque alijs vinctis tàm verbo exemploque suo solatium, quàm facultatum suarum largitione opem assiduam ferret, ex fœtore carceris in morbum incidens, martyrij palmam adeptus est.*

Franciscus Englefildus *equestris ordinis vir, & à consilijs Reginæ Mariæ, cùm ob Catholicæ fidei studium, statim ab initio regni Elizabethæ mare transijsset, reuocatus postea domum, elegit potius & patria & prædijs suis amplissimis carere, quàm à fidei suæ confessione discedere. Cumque domi pupillis regijs præfectus fuisset (quod munus apud Anglos honorificum in primis & amplum habetur) hoc idem officium domi ademptum foris per annos plurimos exercuit, non tam erga regios, sed erga pupillos Dei, quos fouere & suis opibus pascere nũquàm destitit. Hunc eundem virum nobilitate, fide, pietate, & prudentia clarissimum, improbus ille rabula Nortonus omnis nobilitatis, fidei, pietatis & prudentiæ expers iniustissimè insectatur. sup. pag. 129.*

Robertus Peckhamus *equestris ordinis vir, & à consilijs Reginæ Mariæ, cùm aliquot annos in exilio sanctè vixisset, mortuus est Romæ.*

Edouardus Caruus *equestris ordinis vir, pro Regina Maria ad Pontificem Romanum legatus, post eiusdem Mariæ obitum, & ipse in exilio mortuus est Romæ.*

Thomas Vvhitus, *equestris ordinis vir, qui Reginæ Mariæ fuit à supplicibus libellis, mortua, fidem Catholicam retinuit, officium publicum amisit.*

Thomas Fitzherbertus | Ioannes Southvvort) *Equestris ordinis viri, ob primat'*
Thomas Mettamus | Thomas Stradlingus) *Romani fidem in vincula coniecti.*

Gulielmus Rastellus, *ciuilium & criminalium causarum index, cùm prius sub Edouardo sexto exulans, vxorem suam Louanij sepelijsset, nunc iterum sub Elizabetha in exilium spontè rediens, Louanij sanctissimè diem suum obijt.*

Thomas Copleius *vir tam generis nobilitate quàm pietatis & doctrinæ laude insignis, patriam, officium, & patrimonium satis amplum ob fidei Catholicæ confessionem dimisit, & in exilio sanctissimè obijt.*

Thomas Schelleus *cùm in comitatu Hantonensi præfuisset paci publicæ, ne si officio mansisset, primatum Romani Pontificis abiurare cogeretur, sponte in exilium se contulit, quem tres ipsius filij paulò post comitati sunt, quorum vnus etiam in Carthusianorum ordinem se contulit.*

Ioannes Gageus, *nobilis viri filius nobilis ipse vir, cùm patrem suum iam ætate confectum, (qui multis honorum gradibus insigni cum laude in Republ. perfunctus erat) ob fidei Catholicæ confessionem omni honore spoliatum vidisset, honorificæque sepulturæ tradidisset, seipsum vnà cum Margareta prudentissima & castissima vxore sua, cum fratribus ac reliqua familia in Belgium se contulit, malens Deo patre foris in conscientia pura frui, quàm patrimonio amplissimo domi cum timore gehennæ vti.*

Præter hos eandem ob causam in vincula coniecti sunt viri nobiles sequentes:

Thomas Rousus.
Ioannes Sacheuerellus.
Thomas Roperus.
Ioannes Vvestorius.
D. Husseus.
Gulielmus Tresbamus.
D. Maio.
Michael Harus.
Dauid Stradlingus.
D. Smithisonus.
Ioannes Vvhitmore.
Gulielmus Hough.
D. Cursonus.
D. Staudon.
Petrus Groutus in carcere mortuus.

In exilium eodem tempore sua sponte, relictis opibus ac cæteris patriæ commodis abierunt nobiles viri:

Ioannes Talbottus.
Humfridus Scheltonus.
Ioannes Lidsus.
Thomas Vachellus.
Thomas Haruæus.
Franciscus Pætous.
Robertus Gylius.
Georgius Chamberlan'.
Simon Norvvichus.
Edouardus Parkerus.
Richardus Schelleus.
Richardus Hopkineus.
Dominicus Vaughanus.
Gerardus Marrinus.
Thomas Vvottonus.
Gulielmus Seburnus.
Ioannes Digbius.
Georgius Neuellus.
Gabriel Dionysius.
Ioannes Hayvvodus.
Thomas Perdeaxus.
Rogerus Fitzvvillianus.
Thomas Redmannus.
Robertus Redmannus.
Edouardus Alpertus.
Aplebeius.
Humfridus Saufordus.
Ludouicus Barlous.
Robert' Pointz in exilio obijt.
Deaconus nobilis exul.

Nec defuerunt in Anglia fœminæ hoc tempore, quæ fidem intrepidè vsque ad vincula & mortem confiterentur.

In quo genere primam laudem promerita est sanctissima Christi martyr Maria *Scotorum Regina, de qua pag. 207.*

Nobilis vidua Domina Iana Dormera, *auia Illustrissimæ Ducissæ de feria, Louanij pijssimè obiit in exilio.*

Catharina Palmera *monialium D. Brigittæ Abbatissa cum omnibus fratribus & sororibus monasterij in Belgium se cõtulit, vbi omnes ferè mortui sunt.*

Eliza-

Elizabetha Cresnera *monialium D. Dominici Priorissa cum suis omnibus vel mortuæ sunt, vel in exilio viuunt.*

Domina Vvhartona, Domina Vvalgrauia, Domina Carevv, Domina Mettama, Domina Brocka: *virorum insignium Equestris ordinis vxores, in vincula ob fidei confessionem coniectæ.*

Vvilkinsona, Malena Hetha, Fremanna, Ioanna Stubs, Vvilliamsona, Ioanna Storea: *graues matronæ ob fidem aliquando aut vinctæ aut exules.*

Dorothea Harrisia, *Margaretæ Mori sanctissimi martyris filiæ quondam ancilla, nunc Ioannis Harrisij vxor, quæ & ipsa Moro tunc morti adiudicato obuiam occurrens cum Domina, vltimum ab ipso osculum in hac vita tulit: cuius truncatum capite corpus paulò post Dominæ famulata & linteo inuoluit, & sepulchro vnà cum Margareta Clementis officiosè imposuit.*

Virgo quædam nomine Sandra, *Ioannis Cublei ciuis Herefordiæ filia, cùm annorum ferè quindecim esset, in carcerem à Scoreo Pseudoepiscopo coniecta, in fide permansit vsque ad mortem, cuius causam ex carceris fœtore hausisse creditur.*

Nec tantùm singuli homines, verùm etiam integræ familiæ domum ac patriam reliquerunt, vt sedis Apostolicæ vnitatem non desererent.

Quo in numero facilè primas tenet Schelleorum, *antiqua stirps & clara cognatio. Eius enim nominis & sanguinis fratres primùm tres, hoc est quotquot supersunt, deinde alij tres patrueles partim in exilio mortui sunt, partim adhuc viuunt.*

Quos in ea virtutis laude comitatus vir optimus & præstantissimus Humfridus Sceltonus, *vnà cum vxore, liberis, omnique familia in exilio degit.*

Georgius Tyrellus, *cum duobus filiis Angliam reliquit, vt Ecclesiæ Dei adhæreret.*

Gulielmus Stapletonus *cum vxore, liberis & nepotibus ex Anglia exiuit, vt ex Ecclesia Romana & Catholica non exiret, in qua piè tandem obijt.*

Ioannes Harrisius, *quondam à Secretis insigni martyri Thomæ Moro, cum vxore, liberis & familia exulauit vir Græcè latinéque doctus, ac in exilio vitam finiuit.*

Domina Elizabetha *Sandera vidua Gulielmi Sanderi, & mater doctissimi viri Nicolai Sanderi vnà cum duabus filiabus in terra aliena Christo seruiuit, & animam in bona senectute sanctissimè tradidit.*

Andreas Vvagus *cum vxore & liberis.*

Storeorum familiæ *duæ cum liberis & nepotibus.*

Ioannes Clemens *artis medicæ Doctor, Græcæ latinæque linguæ peritissimus, cuius vnà cum vxore tanta in fidei Catholicæ negotio fuit constantia, vt bis ob eam causam è regno Angliæ sub Principibus Edouardo & Elizabetha exularet, & exul tandem cum vxore moreretur.*

Cui cum Deus filium quidem vnicum Thomam Clementem, *virum grauem & doctum, filias verò quatuor donasset, omnes tum Græcè Latinéque docuit, tùm ex hæretica & schismatica Insula eduxit: duas verò ex filiabus Christo apud Louanium despondit, quarum altera* Dorothea *apud sanctam Claram sanctissimè viuit, altera verò* Margareta *apud sanctam Vrsulam; sororibus ferè octoginta, senioribus iunior, Germanis Angla, ex earundem spontanea electione insigni cum laude præest.*

In eodem Monasterio S. Vrsulæ Deo seruit Elizabetha Vvootford *sanctissima virgo Margaretæ aliquando soror, nunc verò filia charissima.*

Anglorum qui ob fidem Catholicam arma ceperunt, post quàm cognouissent Elizabetham Reginam à Pio Quinto Pontifice Maximo excommunicatam esse, & vel occisi sunt, vel in exilio viuunt. Anno 1569.

Inter eos autem facilè Princeps fuit Presbyter quidam nomine Plumtreus *vir doctus & pius, cui iam ad mortem ducto, cùm vita offerretur, si abiurata fide Catholica hæresim vellet amplecti, negauit se ita velle in mundo viuere, vt interim Deo moreretur. Quapropter fidem suam intrepidè confessus, mortem in mundo per Dei gratiam pertulit, vt vitam æternam à Christo acciperet mereretur.*

Nobile

Nobile etiam martyrium in eadem causa subierunt duo viri nobiles de familia Nortonorum, ex quibus alter dicebatur Thomas Nortonus, *alter verò* Christoferus: *& Christoferus quidem Thomæ nepos erat ex fratre, ille autem huic patruus. Qui ambo nec à fide sua dimoueri, nec vi Elizabetham confiterentur legitimam Reginam, adduci potuerunt, etiamsi primùm suspensi, deindè adhuc viuentes dissectis visceribus membratim diuisi essent.*

Thomas Perceius *Illustrissimus Comes Northumbriæ & martyr, de quo pag. 45.*

Anna Somerseta, *clarißima fæmina, eiusdem Comitis Northumbriæ vxor: cùm diu ab Elizabetha grauißimas persecutiones passa esset, tandem in Belgium appulit, vbi adhuc degit.*

Carolus Neuellus *Illustrissimus Comes VVestmerlandiæ, varijs casibus in Scotia agitatus cùm tandem in Belgium cogitasset, in itinere ipso ad portum quendam littoris Anglicani appulit, in quo certißimum, ne prenderetur, periculum erat, nisi gubernatorem nauis vi metuque ad vela ventis quamprimùm cōmittenda impulisset, qui nunc in partibus cismarinis agit, de quo pag. 316.*

Leonardus Dacrius *fortis & clarus Baro, ex Anglia in Scotiam tardiùs quàm cæteri exiuit, sed posteà par in fide profitenda studium adhibens, in Belgio ad meliorem vitam commigrauit.*

Edouardus Dacrius *Leonardi Dacrij Baronis frater & successor, illustris & ipse Baro, candore animi & pietatis studio clarus, obijt in exilio.*

Christoferus Neuellus) *patrui Comitis VVestmerlandiæ.*
Cutbertus Neuellus)

Richardus Nortonus, *illorum qui martyrium pro fide subierunt, alteri frater, alteri etiam pater, in exilio vitam pijßimè finiuit.*

Ioannes Neuellus, *equestris ordinis vir, & exul.*

Thomas Markenfeldus *ordinis Hierosolymitani eques.*

Georgius Markenfeldus.
Ioannes Svvinbornus.
Briannus Palmus.
Georgius Smithæus.
Franciscus Nortonus.
Christoferus Daubius.
Ioannes Trollopus.
Thomas Ienius.
Robertus Heihingtonus.
Georgius Nortonus.
Antonius Nollothus.
Iacobus Zvvinous.
Robertus Currus.
Robertus Tempestus.
Gulielmus Holmes presbyter.
Franciscus Morus.
Marmaducus Blaxtonus.
Marmaducus Nortonus.
Gulielmus Nortonus.
Ioannes Thvvingus.
Rodulphus Svvinous.
Cutbertus Armurerus.
Gerardus Loderus.
Rodulphus Conierus.
Michaël Tempestus.
Georgius Staffordus.
Sampson Nortonus.
Gulielmus Slingsbins.
Ingramus Thvvingus.
Tristramus Fenicus.
Robertus Colinvvodus.

1570. Ioannes Feltonus *Nobilis Catholicus, quòd Pij Quinti excommunicationem in Elizabetham latam ad fores Episcopi Londinensis affixerit, extremo supplicio afficitur. pag. 41.*

1571 Ioannes Storeus *ob crimina quædam fictitia, quòd scilicet coniurationem contra Elizabetham iniuisset, & religionem schismaticam, quæ in Anglia regnat, in Catholicam commutare tentasset, martyrio affectus fuit. pag. 43.*

Thomas Perceius *Comes Northumbriæ martyrij corona honoratur. pag. 46. 47. &c.*

1572. *D. quoque* VVodosius *presbyter cùm Romani Pontificis primatum propugnat, glorioso martyrio vitam finijt. pag. 49. 316.*

Videntur etiam circa hæc tempora certamina sua obijsse nobiles quidam adolescentes, discipuli martyris inuicti D. Iacobi Femi, de quibus pag. 145. 146. &c.

Dominica

Dominica Palmarum, id est, quarta die Aprilis, Londini deprӕhensӕ sunt in varijs vrbis partibus illustres Heroinӕ dum in ædibus suis missӕ celebrandӕ interessent, ac iuxta leges Angliӕ iniquissimas conuictӕ & damnatӕ, fuerunt autem: 157

Domina Morleia *cum liberis suis & multis alijs. pag.* 301.

Domina Guilforda *Equitis aurati vidua, cum multis alijs fœminis insignioribus. pag.*301.

Domina Brouna *Equitis aurati vxor cum alijs item permultis. pag.* 301.

Mense Iunio captus fuit Christi Sacerdos D. Cutbertus Maynus, *& in carcerem Landstonensem coniectus, vbi ad tres menses compedibus grauissimis oneratus, & cathenis ferreis lecto adstrict⁹ mansit, indè ad locum supplicij crudelissimè raptatus, vitam meliorem martyrio consecutus est. pag.* 51. *&* 291. 301. 1577.

D. Trugianus *vir illustris ac magnanimus, quòd martyrem Christi D. Cutbertum Maynum domo recepisset, sententia iniquissimi Iudicis Manodi, fortunis omnibus, hoc est amplissimis euersus, & carceri perpetuo condemnatus fuit, pag.* 34. *&* 51. 292. 319.

Hoc eodem anno in vincula coniectus est nobilissimus & clarissimus vir D. Ioannes Arundellus. *pag.* 51. *b.*

Captus & in vincula coniectus est D. Henricus Aluayus *ob pecuniam restitutam. pag.*36.

Thomas Scheruuodus *iuuenis laicus ob fidem Catholicam miserum in modum viuus mortuusq; laniatur. pag* 80. 292. 297. 301. 1578.

D. Ioannes Nelsonus *martyrij coronam accipit. pag.* 49. 50 292. 302.

D. Gulielmus Lacius *vir nobilis vnà cum vxore sua lectissima fœmina & liberis magnos sustinet aduersariorum impetus, pag.* 96. *b.* 97 *&c.* 1579.

Gulielmus Tiruitus *clarissimi viri Roberti Tiruiti equitis aurati filius primogenitus, religionis Catholicӕ causa comprӕhensus, quòd in sororis nuptijs missam audiuisse diceretur, in turrim Londinensem coniectus est. Ex Diario.* 1580.

Robertus Tiruitus *Gulielmi frater eandem ob causam in vinculis mortuus est. pag.*80.

Erant hoc ipso tempore vincti Hyberni proceres Catholici: Comites Kildariensis *& Clanricardensis, Baro Delnitus. Nugentus item, Menusque nobiles. Ex Diario.*

Georgius Peckamus *eques auratus accusatus à Ioanne Nicolao, pag.* 232. *in turrim Londinensem coniectus est vnà cum* Herramo Steueno. *Ex Diario.*

Iacobus Bosgrauus *Sacerdos Societatis Iesu valetudinis acquirendӕ causa in Angliam profectus capitur, in vincula conijcitur & capitis damnatur, pag.* 33 *a.* 58. *b.* 59. *b.* 307.

Gulielmus Phelpus *Sacerdos moritur in exilio.*

Ioannes Columbus *Sacerdos obijt exul.*

D. Ioannes Hartus *capitur, pag* 95. *ad disputationē inuitatur.* 33. *postquàm dies quinq; in terra decubuisset, ad eculei cruciatū deducitur, capitis damnatur, pag.* 61 *in lacum ad nouem dies dimittitur, quod hӕreticis non vellet se accommodare; item quòd Retnaldo ministro Caluiniano ad hӕresim pertrahenti nō vellet consentire, viginti dierum compedibus castigatur, & deindè per* 44. *dies in lacum conijcitur pag.* 93. 222. 297 *& ex Diario. postremò in exilium eiectus in Societate Iesu moritur.*

Bibliopola quidam Oxoniensis, *Inckfius nomine, eò quòd verba quӕdam in fauorem Catholicӕ religionis protulerat, primùm in vincula fuit coniectus; deindè à Iudice crudeli hanc sententiam accepit, vt eius priùs in foro diffamati auriculӕ clauis ferreis columnӕ ligneӕ affigerentur, & deinde cultro in manus proprias tradito, ipse earum se dissecatione liberaret. pag.* 37.

Thomas Bellus *in carcerem truditur, tractatur asperrimè per sex annos integros, suspenditur plantis in eum modum, vt pedibus in altos cippos insertis, decumberet solis humeris in terram, idque sine lecto aut reclinatorio per tres continuos dies, illam solam percipiens gratiam, vt certis temporibus ad necessitates corporis aliquantulum laxaretur. pag* 39 98.

D. Henricus Ortonus *nobilis laicus in eculeo suspensus grauissimè torquetur, deinde capitis damnatur cum P. Campiano, ac postremo cum alijs in exilium pulsus, imposita capitis pœna si vnquã in patriam reuerteretur. pag. 60. 221.*

1581. P. Edmundus Campianus *societatẽ Iesu Romæ ingreditur, ablegatur in Angliam fo. 52. Capitur Dorobernij & dimittitur. 53. Reddit causam aduentus sui in Angliam fo. 6. Prouocat aduersarios ad disputandum fol. 2. Scribit quo euentu versetur in rebus Ecclesiæ. 3. Decem rationibus mixus obtulit certamen aduersarijs. 4. Proditione Klioti capitur pag. 54. Londinum magna pompa perducitur pedibus ad equi ventrẽ adstrictis, & manibus post tergum reuinctis, 55. charta pileo affixa hac inscriptione,* Campianus Iesuita seditiosus. *56. tertio eculeo torquetur 56. 302 & 297. ad disputandum prouocatur. 58. capitis damnatur ob crimina quædam fictitia 62. 303. extremo supplicio afficitur. pag. 66.*

P. Robertus Personius *grauissimas hoc tempore passus est in Anglia persecutiones, cuiusq; mentio frequens in hoc opere habetur.*

Vnà cum P. Campiano *capti, & eadem pompa ad carceres deducti sunt* Thomas Fordus, Gulielmus Filbeus, Ioannes Colintonus *presbyteri; item:*

Edouardus Yeatus 54.
Ioannes Cottonus
Edouardus Kaines
Gulielmus Hildeslęus
Humfredus Kaines
Philippus Lous
Ioannes Iacobus

} *Nobiles Laici.*

Gulielmus Valbinus & Ioannes Mansfeldius *inferioris conditionis homines Catholici, qui Campiani concionibus interfuerunt. Ex diario.*

Rodulphus Scheruinus *conditione perhonorifica relicta, Duacum, deinde Romam veniens literis sacris dat operam fol. 69. Profectus in Angliam capitur Londini 70. in vincula coniectus, & eculeo bis tortus disputare permittitur. 70. capitis damnatur. pag. 69. 296.*

Alexander Briantus *capitur, 73. bonis omnibus spoliatur 73. fame & siti ferè enecatur 73. compedibus grauissimis oneratur per duos dies, tùm aciculi acutissimi sub vngues eius immittuntur, 73. in lacum conijcitur, indeq; post octo dies extractus in eculeo duobus diebus continuis durissima tormenta patitur. pag. 73. 77. capitis damnatur & lanienam communem fortissimo animo superat. pag. 74. 296.*

Euerardus Hansius *compræhenditur, mendacijs oneratur, à Iudice iniquissimo insidias patitur, morte mulctatur. pag. 78. 79. 292.*

Coperus iuuenis laicus *diram mortem patitur pag. 81. 28.*

Dominus Dimocus *vir illustris moritur in vinculis. 81. 30.*

Christophorus Vvatsonus *cum 20. alijs squalore carceris Eboracensis extincti sunt. pag. 81. 298.*

Domina Tomsonia *virgo nobilis à Superintendente Londinensi protruditur in Briduelum locum meretricibus proprium & scortis infamem. pag. 26.*

Sex vel octo *perhonestæ conditionis viri, magnaque ex parte generosis è familijs in speluncam Lansonensem compinguntur, ciboque pascuntur putido, & ostiatim mendicato, & aqua corrupta. pag. 26.*

Domina Thimilbea *fœmina generosa & nobilis in vincula conijcitur quòd maritum ob fidei Catholicæ confessionem captum visitaret. pag. 30.*

D. Thomas Foundus *nobilis laicus & insignis Christi confessor, postquàm multos annos propter fidei confessionem in alijs carceribus vitã egerat, ad turrim Londinensem deducitur, disputat cum ministris Caluinianis, ac propterea à Superintendente Londinensi exturbatur Londino in arctiorem*

rem custodiam, in arcem deuiam & obscuram conditur, vbi nec solis, nec luminis, nec hominum fruatur aspectu, ferris premitur, ac incredibili calamitate affligitur. pagina 32. 56. 57. 65.

Reuerendissimus D. Thomas Vvatsonus *Episcopus Lincolniensis & Reuerendus* Dominus Ioannes Fecknamus *Abbas Occidentalis monasterij, viri grauissimi pariter atque doctissimi Londino in castrum rusticanum eijciuntur, libris denudantur, & ad disputationem imparati omniq́ue auxilio destituti prouocantur. pag. 31. 32.*

Marcum Typpetum *iuuenem perhonestis & diuitibus parentibus genitum, in seminario Pontificio aliquando institutum, Fletwodus Iudex furiosus virgis cæsum per ciuitatem Londinensem, & auribus odiosè perustum gloriosum reddidit confessorem. pag 35.*

Generosus Baro Vauxeus *in vincula conijcitur & pœna pecuniaria mulctatur, propterea quod missam audierat. pag. 57. 297.*

Thomas Tressamus *eques auratus eodem modo tractatur. pag. 57. 297.*

Gulielmus Catzbius *equestris ordinis vir in vincula conijcitur. pag. 57.*

Ioannes Colintonus *cum Campiano capitur 55. Solenni pompa Londinum ducitur, tribunali sistitur. 61. Sententia mortis mulctatur ob coniurationem in necem Reginæ Remis initam, quo tempore Londini fuit in Anglia. pag. 63.*

Gulielmus Nicolsonus *propterea in vincula conijcitur & inclementer habetur, quòd docere volueris Thomam Fordum gloriosum Christi martyrem tunc temporis non fuisse Remis, quando dicebatur in necem Reginæ ibidem coniurasse. pag 63.*

Edouardus Richtonus *capitur pa. 95. Sistitur tribunali, reus læsæ Maiestatis peragitur. pag. 60. 69. & in exilium tandem ablegatur.*

Nicolaus Roscarocus *nobilis laicus, hospes sanctissimi martyris Radulphi Scheruini in vincula coniectus, cogitur in angulo tenebroso audire gemitus miserabiles Scheruini pendentis in eculeo, vt hac ratione horrore correptus confiteretur quæ cuperent hæretici, pag. 70. Deinde eculeo & ipse torquetur. Ex diario.*

Thomas Bruscoagus *adolescens doctus simul atque Catholicus in portu captus & ad turrim adductus, in lacu ad menses quinque sine aqua & lumine detinetur. pag. 222.*

Ioannes Heuslous *quòd matrem suam Catholicam fœminam ex synagoga hæreticorum ob fidei Catholicæ professionem eiectam sepeliuisset in cœmeterio, pecunijs omnibus spoliatus in antrum fœtidissimum includitur. pag. 222.*

Valingerus *vir laicus & Catholicus aures amisit, eò quòd pro innocentia P. Campiani quædam verba protulisset. pag. 225.*

Georgius Godsaluus *comprehenditur & in turrim Londinensem conijcitur. Ex diario.*

Gulielmus Hartlæus *presbyter*
Ioannes Stonetus }
Stephanus Brinklçus } *Nobiles Laici*

QVATVOR ETIAM FAMVLI librorum impressores.

Ioannes Harrisius
Ioannes Harreus
Ioannes Tuckerus
Ioannes Comptonus

Vnà cum prælo comprehensi in domo clarissimæ fœminæ Domin... *in turrim coniecti fuerũt;quorũ postremus natura timidior,cùm carceris custos educto gladiolo mortẽ ei minaretur, nisi Ecclesiam hæreticã aditurũ se promitteret,cessit,& ea ratione libertatẽ obtinuit. Ex Diario.*

Arturus Pittus *Sacerdos captus in lacum coniectus fuit ad quinque dies. pag.* 134.

1582. D. Gulielmus Ginisonus *Iuris municipalis studiosus in vincula coniicitur, quòd Sacerdoti Catholico adfuerit. pag.* 134.

Antonius Fugatius *Lusitanus nobilis, insignis pro fide Catholica Zelator, post duorum annorũ incarcerationem & grauissimos eculei toleratos cruciatus, cùm morti esset propinquus (senex enim erat & tormentis diffractus) lectica clam emissus, paucissimus post diebus animam Christo reddidit. Ex Diario.*

Robertus Coplæus *laicus in lacum ad dies septem dimissus est. Ex Diario.*

Stephanus Rousanus *presbyter &* Thomas Burnus *Laicus in turrim coniiciuntur, deinde Rousanus in Litlesium compingitur, vbi mansit decẽ & octo mensibus ac diebus* 13. *Ex Diario.*

Ricardus Slackus *presbyter capitur & compedibus per dies* 23. *oneratur, deinde in lacum ad duos menses compingitur. Ex Diario.*

Ioannes Getterus *iuuenis laicus ex Gallia rediens capitur, Scauingeri filia cruciatur, in lacum ad dies octo demittitur, deinde eductus ad eculeum grauissimè, torquetur ad deliquium ferè animæ; in quo summo cruciatu cum iam animam efflaturus videbatur, insigni vultus Letitia Iesu nomen inuocabat,& tortoribus illudebat. Ex Diario.*

Radulphus Letherborus *mercator Rothomago veniẽs, propter fidẽ in turrim cõijcitur. Ex Diar.*

Ioannes Paynus *presbyter capitur, pecunijs spoliatur, eculei cruciatu vehementissimè agitatur, & demùm præclaro martyrio coronatur. pag* 81. 82. *&c.*

Thomas Fordus *cum P. Campiano capitur & reus lesæ Maiestatis peragitur, deindè per* 30. *dies compedibus ferreis constringitur, & demùm morte gloriosa afficitur. pag.* 87.

Ioannes Schertus *propter veritatis confessionem pretiosum sanguinem effudit. pag.* 87.

Robertus Iohnsonus *grauissimis eculei tormentis agitatus, & capitis damnatus vitam hanc mortalem finiuit pag.* 89.

Gulielmus Filbius *in triumpho cum P. Campiano Londinum perductus ad & mortem damnatus, eandem fortissimè sustinuit, postquàm ferreis manicis à sententia mortis accepta vsque ad supplicium afflictus fuisset, eo quòd hilariorem se ac constantiorem in causa sanctissima ostenderet. pag.* 90. *in somnio præmonetur necis imminentis. pag.* 55. *b.*

Lucas Chirbæus *presbyter Scauingeri filiam (genus est hoc tormenti crudelissimum) ad vnam horam & ampliùs passus, ad tribunal regium sistitur, de criminibus quibusdam fictis accusatur, ad mortem condemnatur,& posteà per* 30. *dies compedibus ferreis constringitur, donec martyrij palmam consequeretur. pag.* 91. 92.

Laurentius Richardsonus, *alias Iohnsonus tribunali sistitur, capitis damnatur, & martyrio coronatur. pag.* 93.

Thomas Cottamus *capitur, & denuò libertate donatus Londinum proficiscitur, vbi se iterum vinculis obtulit, vt altum sui causa periclitantem liberaret. Scauingeri filiam ad vnam horam & ampliùs patitur, ex quo cruciatu copiosum sanguinem è naribus emisit; Ioannem Nicolaum hominem perfidissimum ex suggesto verba facientem publicè in procerum consessu mira spiritus libertate officij sui admonuit, quæ res mortis suæ deindè accelerandæ causa fuisse putatur, reus lesæ Maiestatis peragitur, & mortem obit gloriosam. pag.* 95. 96. 224. *b.* 296.

Gulielmus Lacius *nobilis hospitio excipit sacerdotes Christi, officio cedit, fugã init cũ vxore & liberis: mortua vxore fit sacerdos, capitur, ferreis vinculis vir grauis oneratur, in lacũ subterraneũ detruditur, morti adiudicatur, ad suppliciũ extremũ raptatur & tandẽ mactatur.* 96. 98. 99. 292.

D. Haddocus *vir, nobilis ætate confectus, mare transmittit Duacum, studia repetit, fit Sacerdos, & demùm in Angliam reuersus strennè laborauit in vinea Domini vsque ad mortem. Hic filius*

duos

duos Christo consecrauit, Georgium & Richardum, vtrumque sacerdotem, priorem etiam martyrem. pag. 133 collegit eleemosinas in Anglia pro seminario Remensi. pag. 134.

Ricardus Kirckmannus *præter ordinem iuris capitur, examinatur, iniuriis & conuitijs ab ipsis Iudicibus afficitur, morti adiudicatur, in antrum subterraneum destitutus strato, cibo, & omni auxilio humano conijcitur, ac demùm occiditur. pag.* 100. 101.

Iacobus Tomsonus *eculeo subijcitur, deindè per dies* 14. *in lacum proijcitur, conuitijs afficitur, vinculis duplicibus oneratur, & tandem mactatur. pag.* 102. 103. 293. 296.

Ioannes Someruilus *nobilis laicus, Edouardi Ardeni clari viri gener, cùm esset Catholicus, ea criminatione in turrim conijcitur, quòd animum habuisset occidendi Reginam; deinde cùm vix sanæ mentis esset, è turri in alium carcerem traducitur, nocteque sequenti in carcere strangulatus inuentus est, an à se vel ab alijs, non ita constat. Ex Diario. & pag.* 317. 1583.

Georgius Throgmartonus *Francisci Throgmartoni frater comprehenditur. Ex Diario.*

Hugo Hallus *presbyter Someruili confessarius, & Edouardus Ardenus Someruili socer, eadem de causa comprehenduntur, eculei cruciatui subijciuntur, ad mortem condemnantur, & demùm Edouardus Ardenus ad patibulum eductus suspendio interemptus est, protestatus se innocentissimum esse in ijs omnibus, quorum insimulabatur, præterquàm quatenus religionis Catholicæ professio crimen esset. Ex Diario, & supra pag.* 317.

Maria Ardena & Margareta eius filia *vxores prænominatorum Edouardi Ardeni & Ioannis Someruili;* Elizabetha *etiam* Someruila *virgo in vincula conijciuntur, ac deinde Maria sola capitis damnatur. Ex Diario.*

Iacobus Labornus *nobilis laicus gloriosam mortem obit. pag.* 103. 307.

Ioannes Bodæus & Ioannes Sladus *extremum supplicium subeunt propterea quod negarent Reginam esse caput Ecclesiæ. pag* 103. 293.

Gulielmus Hartus *Sacerdos capitur, & in specum subterraneam Eboraci cõpingitur, vnde multa religionis Catholicæ capita Augustini testimonijs cõfirmata, Senatui & Huttono scripto transmittit. pag.* 105. *Dicta deinde in eum à* 12. *viris mortis sententia, extremum huic vitæ suæ diem glorioso martyrio imposuit. pag.* 110. 293.

Ricardus Thrilkillus *cõprehenditur à lictoribus pag* 116. *perdit omnem supellectilem, adiudicatus morti in vilissimam carceris partem detruditur, morte pro fidei confessione mulctatur, quam per octo continuos annos petiuerat à Deo. pag.* 118. 293. &c.

Incidit quoque Dei prouidentia hoc tempore in manus persecutorum P. Gaspar Hayuodus *Societatis Iesu Sacerdos, nam vocatus in Gallias ad suorum colloquium, cùm esset propemodùm in littore Normannico subitò aduerso vento in portum Anglicanum delatus à Magistratu sistitur, Londinum reducitur, ac in carcerem compingitur, vnde post non multos dies & varias examinationes, ducitur ab arcis præfecto cum aliquot alijs vinctis presbyteris circa id tempus comprehensis ad tribunal. Vbi autem ventum est ad ianuam Prætorij, nouo exemplo, sed antiqua hæreticorum, vereque Diabolica fraude, ex improuisò cæteris eum confessoribus subtrahunt, ac in vicinis ædibus, dum alij causam dicerent collocant, vt hoc artificio simul & abesset à Collegis, ille qui doctrina & dicendi peritia, qua plurimùm præualuit omnibus, & obiecta crimina facillimè diluere potuisset, & suspitio daretur cùm cæteris Confessoribus, tùm astanti populo, patrem optimum animum ac religionis sententiam vel mutasse prorsus, vel saltem in aliquibus se Regiæ voluntati accommodasse. Atque vt illud facinus ab omnibus crederetur, quasdam in eam rem voces arcis præfectus mox sparsisse dicitur, eumque non cum sodalibus ad mortem iudicis sententia condemnatus, sed per aliam secretiorem portam in carcerem reduxit. Quo dolo malo factum est, vt etiam boni nonnihil isti Reuerendo patri humanitùs accidisse timuerint: sed impiissimam fraudem ac summam sancto Confessori factam iniuriam tempus postea patefecit. Neque enim vel istorum dolosis machinationibus, vel frequenter adhibitis minis, vel alijs grauissimis tentationibus quicquam cessit. Obtulerunt autem ei, si vel se aliquantulùm accommodaret, Episcopatum. Mansit autem in carcere, varijs postea à Re-*

gine consiliatijs nuncijs ac literis, sed frustrà ad defectionem sollicitatus. Ex lib. 3. de schismate Anglicano.

Circa hoc tempus summus totius Angliæ Princeps Philippus Hauardus *Comes Arundeliæ & Surreiæ, Ducis Norfolciæ filius primogenitus ac hæres, è fuga propter solam conscientiam suscepta reductus, in carcere immaniter tractatur, mendacijsque ac calumnijs infamatur, omnesque ipsius charissimi fratres, sorores, cognati, affines innocentissimi homines exagitantur. Ex lib. 3. de schismate Anglicano.*

Anno 1584.

Gulielmus Schelleius & Geruasius Perpointus *nobiles in turrim Londinensem compinguntur. Ex diario.*

Thomas Steuensonus *presbyter comprehenditur, & humi cubans sine lecto per dies. 27. compedes etiam gessit ad dies 39. Ex diario.*

Gulielmus Crumlummus & Franciscus Ardenus *nobiles laici capiuntur. Et Gulielmus deinde in lacum truditur ad menses duos & dies. 24. Ex diario.*

Thomas Laytonus *nobilis laicus capitur ac in lacum truditur. Ex diario.*

Thomas Vorthingtonus *presbyter capitur, & in lacu detinetur ad menses duos & dies tres. Ex diario.*

Gulielmus Apricius *nobilis laicus in turrim conijcitur & statim post in lacum ad dies. 23. & ad paucos dies liberatus, iterum in idem antrum abditur ad 48 dies. Ex diario.*

Gulielmus Creitonus *societatis Iesu &* Patricius Abdæus *presbyteri Scoti cùm in Scotiam proficiscerentur, contra omne ius gentium ex mari in Angliam trahuntur ad carceres; & posterior in lacum demittitur ad dies 4. Ex Diario.*

Gulielmus Cartarus *post longam cum Iudicibus disputationem de libro à se excuso, reus actus perduellionis, vsitato supplicij more martyrij lauream est consecutus. pag. 133. 295-296.*

Georgius Haddocus *Haukinsoni proditione capitur, atque in turrim Londinensem conijcitur, spoliatur, morti adiudicitur, & impia viscerum laceratione mactatur. pag. 139.*

Ioannes Mundinus *in via publica comprehenditur, à Vualsinghamio secretario regio cæditur, vinculis ferreis in angusto quodam loco compingitur & demùm mactatur. pag. 140.*

Iacobus Fennus *ne agnoscat Elizabetham caput Ecclesiæ, honorem recusat oblatum & collegio eijcitur: pueros deinde suæ curæ commissos egregiè in Deum pietate imbuit, amissa vxore Remos se confert, vbi anno exacto in Angliam reuersus capitur, & carceri mancipatur, piratam ad vitæ correctionem & Ecclesiæ gremium reducit. demùm post longam incarcerationem coronam martyrij adipiscitur. pag. 143. 156.*

Thomas Emerfordus *pro Romani Pontificis primatu interimitur, pag. 156. 299.*

Ioannes Nutterus *dira passus ab aduersarijs tandem morti adiudicatur, & post mortis sententiam ad dies sex compedibus ferreis oneratus martyrij coronam consecutus ad meliorem vitam migrauit. pag. 157.*

Robertus Nutterus *presbyter capitur & post biduum in lacum ad dies 47. coniectus, compedes ad dies 43. gessit, die autem quarto & sexto post apprehensionem Schauingeri filiam bis passus est. Deinde iterum ad duos menses & 14. dies in lacum detruditur. Ex diario.*

D. Conierus Sacerdos & Lausonus *laicus capiuntur, Londinum mittuntur & in vincula conijciuntur, pag. 157. 158. 159.*

Thomas Barnus *presbyter comprehenditur. Ex diario.*

Iacobus Belus *à Sycophanta comprehensus mittitur Lancastriam, pedibus sub equi ventre fune colligatis, & armis à tergo reuinctis, associatur latronibus, & deinde occiditur, pag. 161. 163. 299.*

Ioannes

Ioannes Finchius *gloriosam martyrij coronam post infinitas ferè & barbaras à Caluinistis sibi illatas molestias accepit.pag.164.& 299.*

Andreas Gibbonus *presbyter moritur in exilio voluntario, quod iuuenis elegit, vt animam saluaret, & eruditionem veram ad afflictos populares iuuandos compararet.*

Dominus Toronlæus & Dominus Heschetus *nobilis laicus in carceres coniecti Portæ & Fletæ. pag.135.*

Robertus Fennus *gloriosissimi martyris Iacobi Fenni frater ob Catholicæ veritatis testimonium, exilium, carceres, vincula, & cruciatus immanes constantissimè perpessus est. pag.146.*

Thomas Vvilliamsonus & Richardus Hattonus *Sacerdotes bonis omnibus mulctantur & perpetuis carceribus addicuntur, quòd agnoscerent Pontificem Romanum esse caput Ecclesiæ & non Elizabetham Reginam, pag.163 170.*

D. Franciscus Throgmartonus *præclarissimarū dotum iuuenis, D. Ioannis Throgmartoni equitis aurati primogenitus, accusatus quòd pro Regina Scotiæ nonnulla tractasset, comprehenditur, & primo die in Litelesio custodiebatur, deinde eculeo grauissimè torquebatur, & eodem die in lacum demittitur, tùm posteà in eodem eculeo bis vno die suspendebatur, ac demùm crudelissima morte afficiebatur, sparso contra illum eodem die per hæreticos ignominioso libello. pag. 172. & ex diario.*

D. Thomas Throgmartonus *Francisci Frater, ne in easdē cum innocentissimo fratre domi calamitates incideret, in exilio fortunis omnibus priuatus viuere elegit, multò fœlicior illis qui in Anglia opibus & diuitijs affluunt, quoniam ille Deo suo viuo & vero liberè seruire potest, hi verò idola Caluinistarum colere coguntur, quod genus seruitutis omnium est maximum & calamitosissimum.*

Ricardus Vitus *protomartyr Vualliæ gloriosa certamina & mortem crudelissimam pro fidei testimonio subijt. pag.172.202.*

Ioannes Hugonis
Robertus Mauritius } *Laici* }
Henricus Pughus
Dominus Ioannes Bennetus *presbyter*

Socij fuerunt Ricardi Viti *in nobilissimo certamine, quamuis mortem cum illo non subierint. pag.176 177.178.190.193.209.*

In prouincia Lancastriæ vna nocte quinquaginta *domus virorum nobilium & locupletum scrutatæ sunt, specie quidem quærendi Sacerdotes, & quos reuerà studiosè venabantur, sed ita vt domos diriperent, expilarent dominos, & posteà ad diuersos carceres ablegarent, vbi eosdem inedia & rerum necessariarum inopia valde confecerunt, nominatim præclaros viros* Trauersum, Hollandum & Barloum, *quem post remum admodum imbecillo corpore, & iam tùm morbo laborantem, quia equo insidere non poterat, curru ad carcerem abduxerunt. pag. 299.*

Alana Vidua *Fratris Illustrissimi Cardinalis Alani omnibus bonis miserè spoliata, fugam inijt cum duabus filiabus virginibus. pag. 299. b.*

Vvorthingtonij quatuor filij *quorum maximus natu ætatis annum 16. non excesserat, crudeliter prius tractati, in carcerem Manchestrensem conijciuntur. pag.300.a.*

Anno 1585.

Thomas Alfeldus *Sacerdos* & Thomas Vvebleius *laicus, omni tormentorum genere prius vexati propter libros Catholicos quos in Angliam importarunt & distraxerunt, tandē clarissimo martyrio*

martyrio defuncti sunt, proposita illis in ipso loco supplicij condonatione, si Pontifici Romano Christi in terris vicario renuntiare, ac Elizabethæ Pontificis Anglicanæ placitis vellent assentiri. pag. 203.

In Ciuitate Eboracensi, Comes Huntingtonius vir crudelis, vices ibidē gerens regias, Catholicos inuestigare, & quæstionibus subijcere properabat: inter vexatos & miserè afflictos fuit virtute celeberrima fœmina Margareta Middleton *nomine, Ioannis Cletheri eiusdē ciuitatis ciuis vxor, accusata quòd Sacerdotes in ædes suas recepisset, & opibus ac facultatibus eorū sublenasset inopiam, præterea in ædes suas plurimos Catholicos admisisset, vt cultui diuino, alijsq; Christiani Sacerdotij functionibus, saluti humanæ necessarijs interessent. Et cùm ex voluntate eorum respondere nollet, nec quenquam nominare, (ne alicui mortis esset causa, neue in tantas cruciatuum miserias traheret, ac naufragij in fide occasionem daret) morti admodùm crudeli adiudicata est. Quam sententiam lætissimè suscepit vultu, & ad supplicij locum ducta, constantia admirabili inter eundum identidem hæc verba proferebat:* Tàm breuis est via quæ ad cœlum ducit, hoc quàm alio mortis genere.

Fuit illa in loco supplicij spoliata vestibus, solo relicto lineo indusio, deinde pedibus manibusq; ligatis in terram supina reclinata, dorso supposita petra ingenti, & quidem acutissima; corpori autem iniecta tabula, onusta pondere librarum mille, atq; eo modo tenerum eius corpus confractum & comminutum est. Dum his affligeretur tormentis, admiranda se patientia & constantia cælitus infusa, armatam & munitam monstrabat, quibus Deus aduersus dira crudelitatis tyrannorum tormenta sanctos & fideles testes suos confirmat. maritus interim eius in exilium missus est; liberi autem paruuli, fidelis matris suæ mortem deflentes & lugentes, ibidem arrepti sunt; & cùm examinati ad articulos fidei, vt à matre edocti erant responderent, acerbissimè & crudelissimè flagellis cæsi sunt; maximus verò natu annorum solùm duodecim, detentus & in carcerem missus est.

Iacobus Steile *Sacerdos bis ab hæreticis, primū Eboraci, deinde Mancastriæ captus & in vincula coniectus, traditur demùm nautis in exteras regiones velut proditor patriæ, quia Sacerdos Christi erat, deportandus. In qua nauigatione tametsi multa passus fuerit vir optimus, leuia tamen poterant videri omnia, si cum ijs quæ deinceps acciderunt conferrentur; nam eiectus in littus Hybernicum, omnibusq; vestibus atq; adeò indusio spoliatus, nudus omninò pertractus est ad oppidum proximum. Vbi à paupercula quadam muliere, donatus altera indusij parte, verendas corporis partes vt potuit texit venerandus Christi Sacerdos, atq; ita Comitatus præfecto præsentatur. Ab hoc verò, simili qua antea barbarie acceptus, nudus equo nudo sine ephippio & freno imponitur, sicq; ad ciuitatem Corcensem deducitur, comitatus ab improbis quibusdam nebulonibus, qui eum toto illo itinere, quod viginti erat millium passuum, virgis frequenter cædebant. Hic iterum vinculis ad instar latronis cum latronibus constringitur, magnaq; diligentia conseruatur, donec ex voluntate Comitis Darbiensis & pseudoepiscopi Corcensis in exilium ablegaretur.*

Hugo Tailerus Sacerdos & Marmaducus Bous *Nobilis Laicus occisi sunt, ille quod Sacerdos esset, iste quod eundem hospitio accepisset. pag. 203.*

Edouardus Transamus & Vvodfinus *Sacerdotes martyrij palmam accipiunt. pag. 204.*

Henricus Perceius *Northumbriæ Comes, gloriosissimi Martyris* Thomæ Percei *Comitis Northumbriæ frater & successor, miserè trucidatur in turri Londinensi. pag. 204. 204.*

Ex libro 3. de schismate Anglicano. *Inierunt his diebus nouum consilium Persecutores Angli de quibusdam, quos in vinculis habebant, in exilium mittendis, vel quia morte ac mactatione Sacerdotum senserunt se nihil profecisse, vel quia indicarunt hoc inprimis facto fucatā clementiam suā, cuius laudē tantoperè expetunt, pluribus in locis diuulgari posse. Sed certè neque perpetuum exilium est magnū lenitatis argumentū, & ea conditione impositum, vt redire sit capitale, est per se sæuissimum, & Sacerdotibus Dei, qui cum superiorum mandato, tum suo singulari zelo, illam sibi prouinciam vt multis ad salutem inseruiant vltrò susceperant, debebat omnibus tormentis ac mortibus intolerabilius censeri: & ipsis denique Catholicis populis, pastoribus suis hoc modo orbatis, longè tristissimum esse oportuit: sed quo ordine, quoq; modo in exilium acti sint, vno aut altero verbo commemorabo.*

Erant

Erant tunc temporis omnes tàm nouæ quàm veteres custodiæ Confessoribus plenæ, & in vno castro Martiali (quod nomen est carceris cuiusdam Londini) erant præter Laicos, sacerdotes plus minus triginta; remanserant quoq; in arce atq; in alijs vrbis carceribus ex ijs nonnulli, qui cum P. Campiano, vel paulo post ad mortem damnati, totum triennium carnificis manum expectarant. Hos igitur non omnes, licèt in eadem damnatione esse viderentur, nec solos, sed certos & ex singulis ferè illius ciuitatis custodijs viginti sacerdotes, & laicum vnum delegerunt, nam ex innumeris alijs in regni locis vinctis, ne vnum tunc dimiserunt.

Cum ergò dies à magistratu esset illis deportandis designatus, dantur cuiuslibet carceris præfecto eorum nomina, qui in exilium erant destinati, & vt vinctis diem præscriptum denunciet, mandatur, vt ita maturè de rebus ad viam & victum necessarijs sibi prouiderent, nam publicis sumptibus (quod à multis expectabatur) non nisi in naui erant alendi. Sed ipsi carceribus intereà conclusi, nec ad vllius colloquium nisi custodibus præsentibus admissi, non multum adiumenti ad iter ac futurum exiliũ obtinere potuerunt, vt vel hoc nomine istud exilium desolatis hominibus calamitosissimum videri debuerit. De voluntate tamen Reginæ certiores facti, quisq; quod potuit fecit, vt ad viaticum nonnihil vestium aut nummorum à suis procuraret.

Dies tandem venit, licèt sæpè nescio quo consilio dilatus & mutatus, ibantq; ij, quibus transportandi eos data sunt mandata, repetentes è variorum carcerum præfectis, eos qui designati erant ad exilium. Ducti sunt omnes ad nauim 21. die Iunij 1585. in Thamesi flumine propè ianuam arcis sitam, iamq; conscendere iubebantur, vbi ex illis quidam, præsertim R. P. Gasparus Hayuodus *omnium nomine palam conqueri cœpit, eos sine causa, sine crimine, ac sine iudicio planeq; indemnatos non debere patria pelli, ac profiteri se vltra non ituros, nec patriam ac populum Catholicũ, qui in ea est, suo vnquàm consensu relicturos, sed ipsorum in conspectu ad testificationem communis fidei suæ & ipsorum, lubentissimè morituros, patriam suam ac salutem istorum sibi vita ista longè chariorem esse.*

Sed cùm hac ratione nihil proficeretur, literas saltem ac mandata Principis, quibus ad perpetuum exilium damnamur (inquit) ostendite. Sed concessum non est; at sublatis velis cum multa multorum consalutatione in altum delati sunt. Post biduũ verò cùm iam in Oceanum multùm processissent, R. P Gasparus & alij iterùm obnixe rogarunt, regios ministros, vt vel tunc tandem sententiam ac literas exilij videre ac legere liceret. Victi illi, mandatum exhibuerunt, in quo cùm illud legissent nostri, Has tales personas suis & aliorum confessionibus, multarum in suam Maiestatem & Rempub. seditionum ac machinationum reas inuentas, omnesq; vel in iudicio de ijsdem criminibus conuictas, vel propter similia in carcere detentas, licèt mereantur extremum supplicium, tamen regiam clementiam mitius hac vice agere volentem, extra patriæ fines tantùm deportandas, hoc præsenti scripto decernere. *Hæc, inquam, cùm in hanc sententiam legissent, flebiliter clamarunt vna voce omnes, se falsissimis calumnijs ac grauissima iniuria affici, cùm nec ipsi, nec sociorum Catholicorũ quisquam, vllum vnquàm rebellionis aut in Reginam aut patriam conspirationis crimen vel leuissimo verbo confessi sint, & ex ijs ipsis quos tùm deportabant, vnus nimirùm D. Colintonus, falsissima accusatione, in indicio publico fuisset absolutus. Proinde P. Gasparus in eam sententiam multa locutus iterùm atq; iterùm obsecrat ductores suos, vt ad causam dicendam in Angliam reducantur, ac publico indicio sistantur, vel saltem vt ibi pro Christo potius & innocentiæ suæ defensione iugulentur, quàm vt hac luculenta infamia in aliena terra compareant. At responsum est, id in ipsorum potestate non esse, se mandatum regium implere debere. Processerunt igitur vt potuerunt, se inuicem consolantes, ac gaudentes quòd hanc contumeliam pro nomine Iesu, vtcunque patienter tulerint.*

Post eà iterum eadem fraude & crudelitate in Galliam eiecerunt viginti duos ex Eboracensi & Hullensi carceribus, qui omnes sacerdotes sunt vno excepto, qui tamen est Diaconus. Hi omnes

maxima ex parte non solùm vinculis & carceribus, sed senio etiam sunt confecti. Nam alij sexaginta, alij septuaginta, alij plures annos habent, & inter eos vnus est octogenarius. Multi horum licèt sint valdè senes, magnam tamen ætatis partem in vinculis peregerunt, ita vt reperiantur inter illos, qui viginti & sex annos patientissimè & constantissimè tulerint omnia illa incommoda, quæ tot annorum & talium hæreticorum iniquitas incarceratis solet afferre.

Paulò post, nempè 24. Septembris, non dissimili consilio patriæ suæ finibus excluserunt, quos ex diuersis carceribus in vnum eduxerant, alios nonnullos ad numerum triginta sacerdotum, & cum eis duos laicos, quòd hoc modo putant se posse humanitatis & clementiæ nomen obtinere.

Ann. 1587. Hoc anno martyrium passa est serenissima & pijssima Regina Scotiæ Maria Stuarta, p. 207. Nec ab hoc tam illustrium virorum catalogo fas est eximere Illustriss. ac Reuerendiss. Dominum D. Gulielmum Alanum S. R. E. Cardinalem Amplissimum, cuius virtutes, labores ac merita præclarissima passim in hoc opere describuntur, quiq; secundùm Deum auctor, moderator, ac fortissimus propugnator huius sanctissimæ concertationis suo iure censendus est.


Illustris Baro Pagettus relictis patria & patrimonio amplissimo, elegit magis affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Anglorum improperia Christi.

Illustris D. Gulielmus Stanlæus eques auratus ex illustrissima & antiquissima Comitum Darbiensium familia oriundus, vir & militaris disciplinæ gloria inter Anglos clarus, & singularis in Deum pietatis laude, & iustitiæ publicæ amore apud exteros illustris, cùm probè intelligeret prouincias Belgicas earumq; ciuitates munitissimas iniustè à Roberto Dudleo Comite Lecestrensi nomine Elizabethæ Angliæ Reginæ aut infestari aut occupari, seq; & milites suos, quos fortissimos sub signis habebat, non sine periculo damnationis æternæ, belli istius iniustissimi administros esse, nihil prius habuit, quàm vt rationem iniret, qua & suæ, militumq; suorum ac populi, cui præerat, saluti consuleret.

Quare 29. Ianuarij anno 1587. ciuitatem Dauentriensem situ elegantem, natura munitam, & opibus affluentem, quam paulo antè insigni quadam industria & stratagemate militari Angli occuparant, sic Regi Catholico in manus tradidit, vt non ciuitatem vendere, aut ciuem prodere, aut militem suum deserere, sed vero Domino patrimonium restituere, ciuium afflictorum saluti consulere, & militum suorum gloriæ prospicere videretur. Nam ciuitatem liberè Regi donauit, se & milites suos cum sempiterna nominis gloria militiæ Regiæ sub inuictissimo Heroë Alexandro Farnesio Duce Parmensi addixit, ciuibus perpetuam antecedentium flagitiorum condonationem impetrauit, Catholicam religionem Caluinistarum fraude paulò antè vetitam vnà cum templis & cultu omni diuino restituit; sacerdotes Catholicos & viros religiosos ad bonorum suorum & sedium possessionem reuocauit, ac demùm ex voluntate Regis Catholici ciuitatem ipsam & ciues vniuersos non militari libertate, sed Christiana charitate regit & gubernat.

Libet finem imponere verbis auctoris libri ad persecutores Anglos quæ habentur. pag. 312. a. Excellentes Ecclesiæ Prælatos supra triginta carcerum suorum squalore pædoreq; extinxerunt persecutores Angli, quadraginta aut eo ampliùs viros eruditione clarissimos, nobiles atq; illustres tàm viros quàm fœminas penè innumerabiles, quorum non minus est in conspectu domini pretiosa mors, quàm si vitam eis cruenta carnificis manu celeriùs eripuissent. Sacerdotum fratrumq; nostrorum teterrimi quiq; in Anglia pleni sunt carceres, & quia veteres capiendis omnibus non sufficiunt, nouos in plerisq; prouincijs exædificarunt. Omnes Christiani Principes atque prouinciæ nostri exilij sunt testes. Interim nos aduersarijs corpora nostra, fortunas, patriam, vitam, sanguinem donamus, nequè tamen possunt hæc omnia inueteratum illud fidei, religionis, sacerdotij nostri odiũ in illorum animis restinguere. Et cùm tam intoleranda sint quæ patimur, illi nihilominus ne has calamitates nostras defleamus, nobis interdicunt.

MARTY.



MARTYRIVM ROGERI VVAKEman Sacerdotis.

Rogerus Vvakeman Sacerdos ex carcere Londinensi dicto, Counter, translatus est, mandante magistratu, in alterum qui dicitur noua porta. Ibi prope locum fœtidissimum, in quem solebant vincti se & matulas suas exonerare, conclusus, duos integros annos vitam egit, donec tandem fœtore extinctus animam sanctam creatori in fidei confessione redderet mense Nouembri.

MARTYRIVM DOMINI AILuorthi Nobilis.

Dominus Ailvvorthus quamuis esset nobilis, quia tamen Catholicæ fidei addictus, eiusq; propugnator strenuus habebatur, non modò in carcerem fuit ex magistratus Caluiniani imperio coniectus, grauibusq; compedibus ac manicis ferreis onustus; sed prætereà ab ipso ergastulario in vilissimo carceris antro, seu potius cloaca (erat enim sordium omnium & excrementorum captiuorum receptaculum) conclusus. Vbi fœtore extinctus intra dies octo Martyrij palmam consecutus est. Quibus diebus licèt Christi confessor cum ipsa morte iam confligtans, tùm per se, tùm per amicos vehementer contenderet vt ex ergastulo illo fœtidissimo liberaretur, & carcere paulò laxiore cum alijs quibusdam Catholicis aërem ad paucos dies salutariorem hauriret; nulla tamen ratione id potuit impetrare, donec animam corporeis vinculis solutam, ad se & ad libertatem illam filiorum Dei, pro qua beatus Martyr certabat, Christi Dei filius dignat⁹ est euocare.

MARTYRIVM DOMINI HOLmes Sacerdotis.

Dominus Holmes Sacerdos comprehensus & in custodiam datus, per duos menses in quodã obscurissimo loco, carbonibusq; conseruãdis deputato, ac vtrinq; latrinis cincto humi sine lecto iacuit; donec tandem viribus exhaustum, ipsum vita penè desereret. Quod cùm cerneret ipse & alij amici eius, hominis afflictissimi calamitate commoti, supplicarunt tandem & impetrarunt, vt ad carcerem paulò commodiorem commigraret. Quò cùm portatus est, intra biduum in hac gloriosa fidei confessione suo Creatori animam reddidit.

4.424

INDEX PERSONARVM, NON

***QVIDEM OMNIVM, SED EARVM TANTVM, QVAE** ad nostram notitiam peruenerunt, quæq; propter fidem Catholicam passa sunt aliquando in Anglia vincula, bonorum direptionem, exilium aut mortem sub Elizabetha Regina. Litera N. designat nobilem. S. sacerdotem. M. Martyrem. V. Vinctum. E. Exulem. D. Doctorem. T. Theologiæ. I. Iuris.*

Felto-

Guliel-

Harisonus.

Harisonus S.V.
Harisonus N.S mortuus in vinculis M.
Harrisius S.
Hartus S E. Doctor L.
Hauerdus S. V.
Heivvodus S. E.
Henricus Alwaius S. V. posteà E fol. 407.
Henric⁹ Bouel S.p.4.a.f.403.
Henricus Bronus S. E.
Henricus Col⁹ S.& D.I.obijt in vinculis M pa.3.a.f.403.
Henricus Gartneus S. E.
Henricus Gillus S. obijt in E.
Henricus Henshaus S. & D T.pag 3 a. fol 403.
Illustris Baro Henricus Hauardus V.
Henricus Hollandus S. E. Theol. Licentiatus.
Henricus Iolissus S. obijt in Exilio pag.3 a. fol.403.
Henricus Lathomus à Mosborow N. omnibus bonis spoliatus.
Henricus Ortonus N.V mortì adiudicatus posteà Exul pag. 407.
Illustris Baro de Morleo Henricus Parkerus obijt in exilio, pag.5.a. fol. 403.
Illustriss. Comes Northumbriæ Henricus Perceus occisus in vinculis M fol.410
Henricus Pius S.obijt in E.
Henr. Pughus Laic⁹ V.f. 410.
Henricus Rushtonus Laicus obijt in vinculis M.
Henricus Shaus S. E.
Henricus Sherwodus S.E.
Henricus Sudellus S. E.
Henricus Tuchburnus N. E.
Henricus Vvalpolus N E.
Illustriss. Comes Southamptonensis Henricus Vvriathesleus post vincula obijt pag. 5.a. fol 403.
Hertanus Steuenus N.p 407.
Heskinus D T. obijt in Exilio pag 4.a. fol. 403.
Hillus S.V. Exul. 403.
Hillus N. S.
Huberleius.
Hugo Aspinallus obijt Exul.
Hugo Charnochus N Diaconus obijt Exul.
Hugo Chaunerus scriba V.
Hugo Hallus S V. & morti adiudicatus fol.409.
Hugo Hubertus S. obijt in E.
Hugo Ligonus N.E.
Hugo Oueren N.E.
Hugo Ouenus N. E.
Hugo Tailerus S.M. fol 410.
Hugo Vvilcoxius S.V.
Humfredus Cartwrightus Diaconus V.
Humfredus Elius S.E.D.I.
Humfredus Maxfeldus N.V.
Humfredus Kaynes N.f.407
Humfredus Sanfordus N.E.
Humfredus Sheltonus N E.
Humfredus Volsleius N.E.
Humfredus Vvoodwardus S. obijt in Exilio.
Hunteus S V.
Hussęus N. V D.I.

I.

Iacobus Askanus studio. E.
Iacobus Belus S.M. fol. 409.
Iacobus Bishopus obijt in E.
Iacobus Bosgrauus N.S.morti adiudicatus pag 407.
Iacobus Clarkesonus S.V. posteà E.
Iacobus Fennus S. M. f.409.
Eiusdem discipuli aliquot iuuenes nobiles vincti.
Iacobus Fordus S.E.
Iacobus Gardnerus S E.
Iacobus Laburnus N.M gloriosissimus fol. 409.
Iacobus Martinus N.V.
Iacobus Parkerus studio. E.
Iacobus Polandus studio E.
Iacobus Powellus S V.
Iacobus Shellęus miles ordinis D. Ioannis E.
Iacobus Swinous N.
Iacobus Steile S. V & deinde E.fol. 410.
Iacob⁹ Tomsonus S.M.f.409
Iacobus Vauiserus N E.
Iacsonus S.
Iesopus S. obijt in Exilio.
Iinckfius Bibliopola Oxoniensis V.& & posteà E. pag. 407.
Iugeamus S. obijt in Exilio.
Ingramus Thwingus N. E.
Ioannes Alanus N. nepos Illustrissimi Cardinalis Alani obijt in Exilio.
Ioannes Arundellius equestris ordinis V. pag. 407.
Ioan. Askew N. obijt in Exil.
Ioannes Ballardus S. occisus cum Babingtonio.
Ioannes Bartonus N. E.
Ioannes Barnes S.V. posteà E.
Ioannes Bauen S. & Sacræ Theol. Doctor V.
Ioannes Bekus N.S.
Ioannes Bennerus S. V. & posteà E. fol 410
Ioannes Berblockus E.D.I.
Ioannes Beruicus S. obijt in Exilio.
Ioannes Bikardikus S.pag.4. à fol. 403.
Ioannes Blaxtonus S. pag. 4. a. fol. 403.
Ioan Bodæ⁹ Laicus M.f.409
Ioannes Boltonus S V. & posteà Exul.
Ioannes Bouserus N. obijt in Exilio.
Ioannes Boxellus S. & D. T. obijt in vinculis M. pag.3.a. fol 403.

Richardus

Thomas

FOEMINAE QVAE IN ANGLIA PASSAE SVNT
pro fide Catholica mortem aut vincula aliquando, aut bonorum direptiones, aut exilium.

Marga-

AD LECTOREM.

Habes Beneuole Lector, quæ colligere potuimus nomina Martyrum & confessorum Angliæ ferè mille ac ducentorum; ex quibus fuit Cardinalis vnus, Archiepiscopi tres; Episcopi partim consecrati partim electi octodecim; Abbas vnus, Priores religiosorum Conuentuū quatuor, Conuentus integri quatuor; Decani Ecclesiarū Cathedralium 13. Archidiaconi 14. Canonici Ecclesiarum Cathedralium supra 60. Sacerdotes 530. Doctores Theologiæ 49. Doctores Iuris 18. Doctores medicinæ 9. Rectores Collegiorum 15. Regina vna, Comites octo, Barones 10. Equestris ordinis 26. Nobiles 356. Laici inferioris ordinis 124. fœminæ 110. Ex quibus omnibus martyres fuerunt 147.

Præter hos plurimos esse alios haud dubitamus; namq; ex literis amicorum, & relatione eorum qui in Anglia multis annis pro fide laborarunt & decertarunt, accepimus præter Sacerdotes à nobis nominatos adhuc trecentos ferè alios eiusdem ordinis inuentos, vnà cum nobilibus ac inferioris ordinis viris plurimis, qui & causa religionis Catholicæ passi sunt incommoda multa, & pro eiusdem defensione etiamnum certant alacriter; fœminas præterea non pauciores, imò multò plures viris, quæ pietate in Deum, liberalitate erga pauperes Catholicos, fortitudine animi in calamitatibus (quas hæresis Caluiniana, omnium quæ vnquā fuerūt crudelissima & maximè barbara infligit) perferendis, cæterisq; religionis Catholicæ muneribus obeundis, superant sexū suum, & cum viris etiam fortissimis pari passu videntur progredi. Quorum omnium nomina spero, diligentia Catholicorum aliquando prodituṁ ad Dei Opt. Max. gloriam, ipsorum Christi seruorum laudem, familiarum suarum splendorem, totius Angliæ ornamentū, & crudelium Caluinistarum Angliæ confusionem sempiternam.

INDEX EARVM RERVM QVAE HIS LIBRIS CONTINENTVR

ſecundum ordinem Alphabeti.

A.

D.


E.

I

Laurentij

Protestan-

Folio



436

Folio.	Lin.	Error.	Correctio.
13. a.	25.	*fridigißimas*	*frigidißimas*
14. a.	19.	*delata*	*deleta*
16. a.	25.	*dilaberenter*	*dilaberentur*
17. a.	8.	*aduersati*	*auersati*
30. a.	38.	*forditudo*	*fortitudo*
33. b.	16.	*destitudo*	*destituto*
34. a.	4.	*virginem*	*virginum*
35. b.	6.	*filenta*	*filenda*
35. b.	8.	*infinitio*	*infinito*
	ead.	*rescendendi*	*recensendi*
36. a.	34.	*quidam*	*quiddam*
37. a.	2.	*satelitio*	*satellitio*
b.	6.	*fordißimum*	*fordidißimum*
	36.	*approbrijs*	*opprobrijs*
44. b.	24.	*cōdemmaretur*	*condemnatur.*
47. a.	35.	*illam*	*illum*
54. a.	23.	*Sacedotes*	*Sacerdotes*
59. a.	5.	*contradicax*	*contrà dicax*
60. a.	10.	*aduersos*	*aduersus*
69. b.	36.	*attullit*	*attulit*
74. a.	18.	*omnis*	*omnes*
75. a.	9.	*riumphum*	*triumphum*
a.	11.	*insprante*	*inspirante*
b.	20.	*Ecclesia*	*Ecclesia*
76. a.	22.	*saeculo*	*hoc saeculo*
	30.	*necessarium*	*nefarium*
77. a.	21.	*libentiitißimè*	*libentißimè*
81. a.	25.	*admittituri*	*admittitur*
82. b.	16.	*sufficiendi*	*sufficienti*
83. a.	23.	*tesis*	*testis*
	31.	*nec*	*ne*
89. b.	13.	*restificer*	*testificer*
91. a.	21.	*patiatur*	*potiatur*
94. b.	28.	*stabit*	*stabat*
106. a.	20.	*nutriri*	*nutrire*
110. a.	9.	*fauens*	*faciens*
	10.	*homini*	*homine*
111. a.	22.	*quin*	*quia*
112. b.	32.	*Saudus*	*Sandus*
119. b.	18.	*alijs ab alijs*	*alias ab alijs*
120. b.	16.	*aliquam infimā & obscurā*	*aliquem infimū & obscurū*
125. b.	3.19.	*philantia*	*philautia*

Folio.	Lin.	Error.	Correctio.
128. b.	22.	*Caroodi*	*Cawodi*
130. b.	6.	*à me scriptus*	*à me excusus*
	18.	*ibidem a me allatis*	*ibidem allatis*
131. b.	21.	*Caroodo*	*Cawodo*
132. b.	11.	*Et*	*Hic eum*
	12.	*generalē procuratorem*	*generalis procurator*
	eadē	*Cartarus*	*Cartare*
	24.	*Magister, qui*	*Magister rotulorum Cancellariae, qui*
137. a.	25.	*praecederet*	*procederet*
148. a.	3.	*·gitarat*	*exularat*
153. b.	[illegible]	*iudicio*	*indicio*
160. b.	10.	*adminastrisset*	*administrasset*
162. a.	5.	*generabibus*	*generalibus*
162. b.	12.	*in*	*ni*
163. a.	20.	*Praemunre*	*Praemunire*
172. a.	18.	*peritus*	*petitus*
b.	32.	*sacerdobibus*	*sacerdotibus*
174. a.	13.	*spatulus*	*scapulis*
b.	25.	*rem*	*reum*
178. a.	31.	*daturus*	*daturos*
179. b.	17.	*catis*	*caedis*
180. a.	2.	*duocimuiri*	*duodecimuiri*
191. b.	9.	*Ad sumpto*	*At sumpto*
192. a.	7.	*priuatus*	*priuatas*
	36.	*seuiendum*	*ad seuiendum*
b.	13.	*mens*	*meus*
	18.	*delori*	*dolori*
	32.	*aliquit*	*aliqu d*
193. a.	28.	*meredie*	*meridie*
b.	6.	*prosus*	*pro·sus*
	7.	*Catholicos*	*Catholicus*
194. a.	3.	*Dominus*	*Diuus*
	6.	*Dominus Cyprianus*	*Diuus Cyprianus*
	15.	*exemplum*	*exemptum*
	16.	*Ecclesiam*	*Ecclesia*
195. a.	27.	*admonis*	*admouit*
196. a.	vlt.	*qui*	*quod*
196. b.	11.	*iudicabat*	*indicabat*

Folio.	Lin.	Error.	Correctio.
197 a.	37.	*ſcolis*	*ſcholis*
198. b.	21.	*cruiciatum*	*cruciatum*
	margine	*procuratur*	*prouocatur*
201. a.	24.	*inuiſiſſe*	*inuaſiſſe.*
201. b.	8.	*VVallis*	*VVallia*
203. a.	23.	*conticinia*	*canticinio*
205. a.	8.	*collidatur*	*colligatur*
210. b.	18.	*vſq; interioris*	*vſq; : interioris tunicæ pars*
	21.	*conſuta multū*	*cōſuta. Multū*
213. a.	1.	*onmes*	*omnis*
219. b.	22.	*impudentes*	*imprudentes*
223. b.	18.	*cedere*	*credere.*
226. a.	21.	*intenſionem*	*intentionem*
	33.	*Lenes*	*Lewes*
228. a.	26.	*haberetur*	*laberetur*
235. a.	21.	*fuēre*	*ſtare*
237. a.	38.	*Gatehoroſe*	*Gatehowſe*
238. b.	27.	*aſpergere*	*aſpergere ſolebam.*
	46.	*eorundam*	*eorundem*
241. b.	1.	*ſine minis*	*ſine minis*
	24.	*Laui*	*Lani*
	29.	*indicium*	*indicium*
	43.	*bonis operibus*	*bona opera*
242. b.	42.	1587.	1583.
-›· b.	37.	*iiſde*	*iiſdem.*
252. a.	2.	*aduerſari*	*auerſari*
253. a.	7.	*vanis*	*varijs*
	36.	*tenas*	*teneas*
256. a	31.	*aſſenſati*	*aſſentati*
b.	42.	*poſſumus*	*non poſſumus*
272.	margine	*conditi & aperti*	*candidi & aperti*
276. a.	19.	*uoſtrum*	*noſtram*
297. a.	13.	*nullo*	*nulla*
301. a.	margine	*pag. 9.10.*	*folio 294.*
306. b.	34.	*balatronum*	*blataronum*
315. a.	14.	*iiſque*	*iſque*
327. a.	35.	*Pontificialem*	*Pontificalem*
341. a.	26.	*natura*	*naturæ*
387. a.	27.	*preſbyteratos*	*preſbyteratus*
403. pagina 3.	10.	*Mauritius Archiepiſcopus*	*Mauritius ſeu Dormitius Archiepiſcopus*
ibi p. 2.	3.	*primæ*	*primo*
	vlt.	*Burnus*	*Bornus*
pag. 3.	42.	*Heuſham*	*Henſham*
pag. 4.	12	*Hemnigus*	*Hemingus*
pag. 5.	15.	*Vanaſerus*	*Vauaſerus*
	48.	*Carnus*	*Carnus*
pag. 6.	24.	*VVeſtorius*	*VVeſtonus*
	31.	*Fitzwillianus*	*Fitzwilliamꝰ*
pag. 7.	20.	*Sceltonus*	*Sheltonus*

FINIS.



FINE